R. BIBLIOTECA
NAZ. CENTR.
204
10 C
11
VITT. EMAN. II
ROMA

Digitized by Google

204-10-E-11



C.70.c.

Digitized by Google

Digitized by Google

BARNABÆ

KEARNÆI

CASSELENSIS

HYBERNI E

SOCIETATE IESV

SACERDOTIS,

HELIOTROPIV

BIBLIOTECA HAZ
ROMA
DIFFICILIA EMARGINATE

SIVE

Conciones tam de Festis, quàm de Dominicis, quæ in Solari tonas anni circulo occurrunt, adiectis in fine Concionibus de Sacerdotio, & Morte.

Cum duplici Indice tum rerum, tum locorum Sacræ Scripturæ, quæ in ijs passim explicantur.

Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum. *Isai. cap. 58.*

LVGDVNI,

Sumptibus ANTONII PILLEHOTTE,
Sub signo Sanctissimæ Trinitatis.

M. DCXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVE-
rendiſsimo Domino, D.

DAVIDI KEAR-NÆO ARCHIEPISCO-PO CASSELENSI,

BARNABAS KEARNÆVS
Societatis IESV

S. F. E.

QVINTVS decimus iam annus agitur, Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine, ex quo Superiorum meorum imperio ad hanc vineam Domini excolendam fui amandatus. Quo tempore ea mihi cura non in poſtremis ſanè im-

Digitized by Google

posita fuit, vt oneris tibi tunc iniecti, pro Societatis nostræ instituto, sustinerem partem. Officij igitur mei ratio postulabat, vt gregem tibi hac in prouincia Momoniæ commissum, non solùm à luporum grassantium faucibus, sylueſcente iam mundo, ériperem; verùmetiam ad lætissima quæque rerum diuinarum sollicitarem pascua. Quo in munere, si quidquam à me factum remissiùs, aut prætermissum negligentiùs hucusque videatur, id profectò, non vitio meo, sed vel horum temporum iniuriis, vel, quo sine intermissione conflictor, morbo adscribendum. Et verò nec æstus interim persecutionis, nec ingraueſcentes valetudinis mei stimuli ita frænum mihi imposuerunt; quin vel concionibus publicis, vel priuatis

Digitized by Google

uatis congreſſibus; vel doctrinæ Chriſtianæ expoſitione, populum, occaſione ſemper natâ, ad vitæ integritatem erudirem.

Cæterùm, exorta nouiſſima in Catholicos tempeſtate, cœpi mecum tacitus conſiderare quid hiſce domeſticis in latibulis, dum foras, vt fit, prodire ſæpè non licet, ad Dei gloriam propagandam, quid ad populi tibi commiſſi maiorem vtilitatem poſſem actitare. Quæ dum ſecreta commentatione diſquiro, amicorum nonnulli ſuggerunt, vt conciones, quas è loco ſublimiori ad populum euentilaui, in aſpectum hominum communem emitterem, typis euulgatas: quorum voluntati, quamuis ægrè, mihi duxi acquieſcendum; non eo quidem conſilio, vt aliorum ſcripta, qui

Digitized by Google

in eo genere præclarè admodùm fœlicitérque desudarunt, aliquo modo viderer illustrare; sed potiùs, quia speraui fore, vt hisce laboribus meis, tametsi exiguis, aliquid essem collaturus in communem vtilitatem, salutémque animarum, velut qui minutissimum lapidem adderet ad aceruum Mercurij: Et maximè quòd eas lucubrationes ad mores nostrorum Hybernorum informandos, corrigendósque euigilato studio compararem.

Quapropter operæpretium me facturum existimaui, si primum hoc volumen castigatiori limâ politum, prælo mandarem, reliquas insequentis anni conciones suis tomis distinctas, vita comite, Deóque bono iuuante deinceps emissurus in lucem.

Con

Digitized by Google

Conſideranti verò mihi, ſub cuius patrocinio liber ſolem aſpiceret, enimuerò non erat nimioperè cunctandum. Tuæ enim dominationi Illuſtriſſimæ omnia mea obſequia multis ſe nominibus deberi confitentur non ſolùm, quia nos fratres natura germanos effecit; ſed etiam quia iam inde ab adoleſcentia tua quamplurimis tuis ciuibus autor extitiſti, & etiamnum exiſtis, vt poſtquàm illi munificentia tua bonarum literarum ſtudiis egregiam ſanè operam in præcipuis Europæ Academiis nauaſſent, indefeſſo nunc labore hanc vineam excolant, partim religioſi diuerſarum familiarum, partim ſæculares Clerici, quibuſcum tuipſe in communem agrum ad animarum lucrum reportandum deſcendis. Ac-

Digitized by Google

cedit quòd tanto meipſum onera-ſti beneficiorum cumulo, vt ſi has primitias laborum meorum, tibi lubens non irem conſecratum, magno me piaculo obſtrictum arbitrarer.

Accipe igitur, Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine, meæ erga te obſeruantiæ teſſeram; exiles inquam, hoſce conatus, leuidenſe quidem munuſculum, ſed quod benignitas tua, (vt Cherili poëmata Alexander) non ex tenuitate doni, ſpero, ponderabit; ſed ex ardenti honorem tuum promouendi deſiderio, quo incenſus vitam opto Dominationi tuæ Illuſtriſſimæ, diuturnam pariter ac fœlicem.

Amico

Digitized by Google

Amico Lectori.

HAbes hoc tomo, lector beneuole, Conciones ab Aduentu vsque ad feriam quartam Cinerum; habiturus Deo fauente reliquas, quæ reliquis Dominicis ac festis totius anni deseruire possunt, vsque ad Aduentum, suis distinctis voluminibus, digestas; complectimur autem sub eodem inuolucro cum Dominicis festa eiusdem temporis, & in fine cuiusque tomi Conciones de Sacerdotio & Morte; ne librorum multitudine, diuini verbi præcones (qui hac in missione diuersa loca, eáque disiunctissima peragrare debent.) oneremus. Cæterùm opus ipsum HELIOTROPIVM *eo nuncupamus, quod sicut illa herba solem semper siue orientem, siue occidentem, siue sereno, siue nubilo*

Digitized by Google

cœlo ſpectat; ita hæ lucubrationes iuſtitiæ ſolem, ſiue mane naſcentem, ſiue in meridie prædicantem, ſiue veſpere patientem, non ſereno tantùm ac pacato tempore, ſed in mediis etiam perſecutionum tempeſtatibus ſequaci ſemper, ac directiſſima acie intuentur, errantique hoc mundo ad imitandum proponunt. Bene vtere, & vale.

In He

Digitized by Google

In Heliotropium

Auctoris

RICHARDVS DATONVS

eiuſdem Societatis IESV

Sacerdos.

Oliſequam obliquis ſinuantem colla Meandris,
Mirare, ad motum, ſole micante iubar!
Sol oritur; mox hæc orientem prona ſalutat:
Erigit herba caput: lumina vt ille leuat.
Aſt vbi ſtat medio Titan formoſus Olympo:
Stat quoque non flexo vertice fida comes.
Aureus Heſperias Phœbus cùm vergit ad oras;
Flos conſanguinei ſyderis ambit iter.
Soliſequam ſpectare nouam libet? hunc lege librum,
Quâ mundi inceſſit ſólque ſalúſque, meat.
Vertice curuato naſcentia lumina adorat;
Parthenio Chriſtus fulſit vbi in thalamo.
Cúmque horizontis tranſcendit lumine fines;
Clarus, & ad medium pertigit vſque diem.
Fit liber hic illi comes indiuiſus, adauctis
Luminibus, cuius dogmata & acta legit.
Verùm vbi contracto cœli ſplendore, diurnum
Explcuit noſtro in climate curriculum,

Βίβλιον hoc triſti perfundit compita leſſum
Deplorans oculis illachrymabilibus.
Soliſequam comitare nouam, pie lector, & orto
Iuſtitiæ ſoli conſociare nouo.
I comes, vmbroſas dum luſtrat lumine terras:
Vibratum excipies, Dite tremente, iubar.
Denique viuificam morientis concipe lucem:
Non magis exoriens, quàm nitet hic moriens.

Idem ad Auctorem.

QVâ meat obliquo lampas Phœbæa rotatu;
Aſtrologus, qui ſcit dicere, magnus erit.
Quâ inceſſit Chriſtus lumen cœlíque ſolíque
Magnus es, hæc qui ſcis dicere, Chriſtologus.

APPRO

APPROBATIO.

VVlgò dicunt, quid externa requirimus, dum domeſtica ſufficiunt? Sed ſanè in ratione eorum quæ ſunt fidei, domeſtici ſumus omnes, nec externos dixerimus quoſdam. A toto diuiſis Orbe Britannis in fidei decus, quæ prodeunt, ambabus habeamus manibus. Habebimus igitur meritò Heliotropium, ſiue Conciones iſtas, quippe quæ Catholicæ ſint, & nihil à fide alienum proponant, ſed omnia in ipſis ſana, quæ à pio & docto Hyberno Reuerendo Patre BARNABA KEARNÆO Societatis IESV Sacerdote prodeunt. Sic cenſeo. Actum Lugduni die decima ſept. Ianuarij 1622.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT
Epiſcopus Damaſci.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE in ſacra Theologia Magiſter, & Diuini Verbi Prædicator; in S. Pauli huiuſce Ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi à Domino Dionyſio Simone de Marquemont Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, in Librorum Cenſuram incumbere iuſſ: fidem facimus nos hocce volumen Concionum, cui inſcriptio eſt; *Heliotropium ſiue Conciones tam de feſtis, quam de Dominicis, &c. Authore* BARNABA KEARNÆO *Caſſelenſi Hyberno, Societatis Ieſu Sacerdote,* euoluiſſe, legiſſe; nihilque in iis non modò ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ, SSq. PP. doctrina alienum aliquid non contineri, ſed omnia erudita, pia, & ad animarum ſalutem vel maximè appoſita declaramus. Lugduni apud S. Paulum XVI. Calend. Februar. M. DC. XXII.

DEVILLE.

Digitized by Google

ETiam in media & algenti hyeme ſuos producit Eccleſia flores; Quos inter prodit hocce Heliotropium P. BARNABÆ KEARNÆI Soc. Ieſu, quod à Theologis lectum & approbatum vt in publicum emittatur permittimus. Lugd. die 20. Ianuarij 1622.

MENARD *Vic. gen. ſubſcripſit.*

EGO IOANNES FORERIVS Societatis Ieſu in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus prouincialis, iuxtà priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis HENRICO III. 10. Maij 1583. HENRICO IV. 20. Decembris 1606. & LVDOVICO XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos abſque Superiorum eius permiſſione imprimant, permitto ANTONIO PILLEHOTTE Lugdunenſi Bibliopolæ, vt Opus quod inſcribitur HELIOTROPIVM, *ſiue Conciones tam de Feſtis, quàm de Dominicis, quæ in ſolari totius anni circulo occurrunt*, &c. auctore BARNABA KEARNÆO Caſſelenſi Hyberno eiuſdem Societatis, ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſsit. Datum Lugduni 23. Februarij 1622.

IOANNES FORERIVS.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII à Christianissimo Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra annos sex, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione conetur librum, qui inscribitur, BARNABÆ KEARNÆI *Cassellensis Hyberni, Societatis* IESV *Sacerdotis* HELIOTROPIVM, *siue conciones tam de festis, quàm de Dominicis, quæ in solari totius anni circulo occurrunt,* &c. præter ANTONIVM PILLEHOTTE Biblio

Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti ANTONII PILLEHOTTE. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis, die decimaoctaua Martij Anno 1622.

De mandato Regis,

Signatum,

RENOVARD.

Digitized by Google

INDEX CONCIONVM ET THEMATVM QVÆ IN HOC VOLVMINE continentur.

Concio in Dominicam I. Aduentus.

THEMA. VIDEBVNT *filium hominis venientem in nube, cum potestate magnâ, & maiestate.* Luc. 21. *pag.* 1

Concio I. in Dominicam II. Aduentus.

THEMA. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam.* Matth. 11. 24

Concio II. in Dominicam II. Aduentus.

THEMA. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Matth. 11. 44

Concio III. in Dominicam II. Aduentus.

THEMA. *Surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Matth. 11. 61

Concio I. in Dominicam III. Aduentus.

THEMA. *Tu quis es?* Ioann. 1. 77

Concio II. in Dominicam III. Aduentus.

THEMA. *Tu quis es?* Ioann. 1. 90

Digitized by Google

INDEX CONCIONVM

Concio I. in Dominicam IV. Aduentus.

THEMA. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Luc. 3. 105

Concio II. in Dominicam IV. Aduentus.

THEMA. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Luc. 3. 127

Concio I. in Natiuitatem Domini.

THEMA. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Luc. 2. 153

Concio II. in Natiuitatem Domini.

THEMA. *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Luc. 2. 178

Concio III. in Natiuitatem Domini.

THEMA. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Luc. 2. 198

Concio I. in festo S. Stephani protomartyris.

THEMA. *Positis genibus clamauit voce magnâ dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino.* Act. 7. 218

Concio II. in festo S. Stephani protomartyris.

THEMA. *Positis genibus clamauit voce magnâ dicens, Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Act. 7. 242

Concio III. in festo S Stephani protomartyris.

THEMA. *Positis autem genibus clamauit voce magnâ dicens.*

Digitized by Google

eens, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Act.7. 255

Concio I. in feſto S. Ioannis Euangeliſtæ.

THEMA. *Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius.* Ioan.21. 273

Concio II. in feſto S. Ioannis Euangeliſtæ.

THEMA. *Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius.* Ioan.21. 295

Concio in Dominicam infra octauam Natiuitatis Domini.

THEMA. *Ecce poſitus eſt hîc in ruïnam & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicitur.* Luc.2. 322

Concio I. de Circunciſione Domini.

THEMA. *Poſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer: Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquàm conciperetur.* Luc.2. 346

Concio II. de Circumciſione Domini.

THEMA. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Luc.2. 367

Concio III. de Circumciſione Domini.

THEMA. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Luc.2. 385

Concio I. in Epiphaniam Domini.

THEMA. *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Matth.2. 404

by Google

Concio II. in Epiphaniam Domini.

THEMA. *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Matth.2. 428

Concio in Dominicam infra octauam Epiphaniæ.

THEMA. *Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc.2. 461

Concio in Dominicam II. poſt Epiphaniam.

THEMA. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Ioann.2. 496

Concio in Dominicam III. poſt Epiphaniam.

THEMA. *Ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare, & extendens Ieſus manum tetigit eum, dicens: Volo mundare, & confeſtim mundata eſt lepra eius.* Matth.8. 527

Concio I. in Dominicam IV. poſt Epiphaniam.

THEMA. *Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt naicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat.* Matt.8. 551

Concio II. in Dominicam IV. poſt Epiphaniam.

THEMA. *Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt naicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat.* Matth. 8. 577

Concio in Dominicam V. poſt Epiphaniam.

THEMA. *Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, vnde ergo habet zizania.* Matth.13. 614

Concio

Concio in Dominicam VI. post Epiphaniam.

THEMA. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Matt. 13. 648

Concio in Dominicam in Septuagesima.

THEMA. *Multi vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. 681

Concio in Dominicam in Sexagesima.

THEMA. *Semen est verbum Dei.* Luc. 8. 712

Concio in Dominicam in Quinquagesima.

THEMA. *Ecce ascendimus Hierosolymam.* Luc. 18. 737

Concio in festo S. Andreæ.

THEMA. *Venite post me, & faciam vos piscatores hominum.* Matth. 4. 763

Concio I. in festo S. Nicolai Episcopi & Confessoris.

THEMA. *Homo quidam peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua: & vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vnum.* Matth. 25. 789

Concio II. in festo S. Nicolai Episcopi & Confessoris.

THEMA. *Homo quidam peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum.* Matth. 25. 812

Concio I. in Conceptionem B. Mariæ.

THEMA. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit co-*

Digitized by Google

lumnas ſeptem. Prouerb.9. 835

Concio II. in Conceptionem B. Mariæ.

THEMA. *Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo in longitudinem dierum.* Pſal.92. 862

Concio in feſto S. Thomæ Apoſtoli.

THEMA. *Pax vobis, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis: Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus & Deus meus.* Ioan.20. 883

Concio I. in feſto S. Brigidæ virginis.

THEMA. *Simile eſt regnum Dei decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ.* Matth.25. 911

Concio II. in feſto S. Brigidæ virginis.

THEMA. *Veni & oſtendam tibi ſponſam, vxorem agni.* Apoc.21. 928

Concio I. in feſto Purificationis B. Mariæ.

THEMA. *Poſtquàm impleti ſunt dies purificationis Mariæ, ſecundùm legem Moyſi, tulerunt Ieſum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.* Luc.2. 947

Concio II. in feſto purificationis B. Mariæ.

THEMA. *Poſtquàm impleti ſunt dies purificationis Mariæ, ſecundùm legem Moyſi.* Luc.2. 962

Concio in feſto S. Matthiæ Apoſtoli.

THEMA. *Cecidit ſors ſuper Matthiam.* Act.1. 986

Concio

ET THEMÁTVM.

Concio de Sacerdotio.

THEMA. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſoluuum & in cœlis.* Matth. 16. 1006

Concio de Morte.

THEMA. *Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & tranſibit vita noſtra, tanquam veſtimentum nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radio Solis &c.* Sap. 2. 1028

FINIS.

Digitized by Google

IN DOMINICAM PRIMAM ADVENTVS

Concio.

THEMA. *Videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate.* Luc. 21.

REx sapientissimus Salomon thronum, de ebore, grandem sibi fecit, eumque auro fulvo nimis circumuestiri curauit, qui hinc inde duabus manibus sustentabatur; & duo leones iuxta manus singulas stabant. Thronus verò sex habebat gradus, & duodecim leunculi hinc inde super gradus stabant. Vt autem Salomon Christi Domini typum gessit: sic thronus illius quædam fuit figura, & quasi vmbra magnificæ sedis, in qua Christus Dominus extremo die sedens, expensi & accepti à nobis rationem exiget. At quænam, quæso, sedes hæc? Similis illi nimirum, qua vectus, dum ad Patrem ex hoc mundo remigraret. Vt enim [posuit nubem ascensum suum,] (quemadmodum habet Psal.) sic iudicium instituet veniens in nube, eáque lucidissima, & miraculo composita. Cum enim in ipso resurrectionis articulo, (vti affirmat Sotus) omnis cœli motus sit cessaturus, neque amplius futuri vapores, qui in nubem coalescere queant, miraculosam fore hanc nubem, quis inficias ibit? splendorem eius, fulgur

3. Reg. 10. Figura.

Throni iudicātis Christi descriptio.

Psal. 123.

Sotus in 4. dist. 47. q. 2. art. 1.

Digitized by Google

auri, quo circumuestitus fuit thronus Salomonis, præsignificauit. Atque hic quidem splendor tantus erit, diem vt efficeret, si deesset lux, proboſque ac Dei electos afficiet consolatione; reprobos contra terrore. Huius miraculosæ nubis figuram gerebat columna, quæ inter castra Ægyptiorum, & castra Israël stabat: altera sui parte Israëlitas, sua recreans luce: altera offusis tenebris inuoluens Ægyptios. Videtis modò thronum, & ex qua conflatus sit material vestit auro, sed non alio, quàm ardentibus flammis, iuxta illud Danielis: [Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus.] Manus porrò sustentantes sunt, hinc misericordia; illinc iustitia: quarum singulis astant leones duo; misericordiæ, pax & mansuetudo: iustitiæ veritas, & vltio, qui licet nunc inter se decertare videantur; in iudicij tamen die, simul contra insensatos conspirabunt. Pax siquidem & mansuetudo, quæ veluti cicures, ac domestici leones, veritatis ac vltionis ferociam, ac seueritatem in hac vita temperant, in iudicij die suis illas agi motibus, ac veluti ferocientes leones impiis insultare permittent. Nam, iuxta Psalmistæ prophetiam, tunc iustitia, & pax mutuis amplexibus sese stringent: [Iustitia & pax osculatæ sunt.] Gradus sex ab hac sede in terram (super quos hinc, atque inde duodecim leunculi stant,) sex illius designant sententias apud Matthæum positas, quibus hoc concludi ac finiri debet iudicium. Primus gradus est, cibare pauperes. Secundus, potum dare sitientibus. Tertius, colligere hospites. Quartus, nudum operire. Quintus, infirmum visitare. Sextus, in carcere positos inuisere, illisque subuenire. Quos quidem gradus hac si in vita confecerimus, facilem habebimus ad Dei thronum accessum, & cum Paulo dicere audacter poterimus: [Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur.] Vbi, qui hos gradus conscendere neglexerunt, repulsi, terrificum illud, & asperum verbum, sibi dictum audient: [Ite,

Exod. 14. *Figura.*

Dan. 7.

Psal. 84.

Matth. 25. *Sex quos tãtum enumerat Matth. misericordiæ opera, sex gradus throni iudiciarij designant.*

Heb. 3.

Digitized by Google

[Ite,maledicti,in ignem æternum.] Quo semel prolato, statim duodecim noui leunculi, Apostoli nimirum duodecim, leonis, scilicet è tribu Iuda, catuli, gladios in manibus accipientes, vindictam in nationibus, increpationesque in populis facient;& compedibus Reges alligabunt,& nobiles in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum: Gloria hæc omnibus sanctis eius. *Matth.25.* *Psal.90.* *Apostoli duodecim leunculi conscriptum iudicium perficient.*

2. Circa quod iudicium hæc tria occurrunt diligenter consideranda. Primum, Iudicis persona. Secundum, strictissimum eius examẽ. Tertium, sententiæ seueritas. Sed prius interuentu Deiparæ virginis Spiritus sancti assistentiam postulemus. AVE MARIA. *Concionis diuisio.*

PRIMVM PVNCTVM.

3. [Fui(inquit Iohannes)in spiritu,in die dominica,& audiui post me,vocem magnam,tanquam tubæ dicentis: quod vides,scribe in libro.] Quasi dicat: ego Iohannes Spiritu raptus, quæ ventura erant,mihi,spiritali quadam,quasi horrisonæ tubæ in auribus meis concrepantis,voce,(vt attentum me faceret)& significantis,ea vt litteris consignarem,edidici. Inter quæ dum essem attonitus, [conuersus sum,vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum, & conuersus, vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum, similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: caput autem eius & capilli erant candidi,tanquam lana alba,& oculi eius,tanquam flamma ignis: & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti; & vox illius tanquam vox aquarum multarum, & habebat in dextra sua stolas septem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut sol lucet in virtute sua.] Qua visione, quanta cum maiestate,potestate,ac seueritate ad iudicium venturus sit Christus,intelligi datur. Podere enim vestitus apparuit,vt hac talari sacerdotis veste, sesumnum indicaret sacerdotem, cui Pater: [Tu es sacerdos in æternum.] Et quoniam Pater omne iudici *Apoc.1.* *Visio Iohannis qua explicatur maiestas, potestas, ac seueritas Christi ad iudicium venientis.* *Psal 109.* *Ioan.5.*

dicium dedit filio, hic pastorum princeps, omnem à se prius traditam sacerdotibus potestatem (quæ amplissima fuit, ita vt ipsius Dei potestatem, teste Bernardo, quodammodo præcederet, qui asserit sententiam Petri Pauli sententiam præcedere) iam sibi resumit, vt penes ipsum solummodo huius iudicij sententia sit: & qui dum viuerent, sacerdotis iustæ sententiæ non obtemperauerint, irreuocabilem, iuxta sua demerita, æternæ damnationis subeant Christi sententiam.

Bern. serm. 1. in feste Petri & Pauli.

Quantũ malum sacerdotis potestati non obtemperare.

4 [Præcinctum ad mamillas zona aurea] se exhibuit conspiciendum Iohanni, qui antea Danieli renibus cinctus apparuit: vt aureo illo vinculo, non solum se peccati fomite caruisse demonstraret, sed etiam, vt intelligeremus, erumpentes concupiscentiæ motus, (qui in lumbis vigent,) nos refrænare, cohibere, & reprimere oportere. Cuius rei stricta ratio à delinquentibus erit, haud dubiè, exigenda.

Dan. 10.

Zona aurea carnis motus reprimere.

5. Capillorum candor, æternitatem huius iudicis, & ex consequenti, diuinitatem, quam à patre, tanquam, à capite hausit, demonstrat. Pedes aurichalco similes, argumẽta sunt gloriæ humanæ ipsius naturæ. Quamuis namque Christi humanitas, specie non differat, à nostra: ob intimam tamen cum diuina persona coniunctionem, eximio quodam fulgore ita fuit collustrata, & ad instar igniti aurichalci, (quod igni adhibitum, colorem auri quàm proximè imitatur) resplenduit: vt ipsam quodammodo diuinitatem tanquam per pellucidum speculum nobis intuendam proponeret. Hinc Christus ab Ezechiele electrum appellatur. [In medio eius quasi species electri,] vti docet in hunc locum Gregorius: [Electrum, inquit, ex auro & argento est, atque adeo dum aurum argentumque miscentur, argentum ad claritatem cressit, aurum verò à suo fulgore pallescit: illud ad claritatem proficit, hoc à claritate temperat. Igitur in vnigenito Dei filio, naturæ diuinitatis vnita est tanquam auro, natura nostra tanquam argentum, in qua aduna-

Candor capillorum æternitatem æ diuinitatem iudicis declarat.

Pedes aurichalco similes naturæ humanæ gloriam.

Ezech. 1.

Greg. hom. 2. in Ezechiel.

Diuinitas humanitati coniunctam suum attemperans fulgorẽ, humanitatis auget claritatem.

adunatione humanitatis in maiestatis gloriâ excreuit: diuinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit: per hoc enim quod humana natura clarior facta est, quasi per aurum creuit argentum, & quia diuinitas à fulgore suo, nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum.] Ecce quomodo ex intima cum diuina persona societate Christi humana natura fulgurauit, & diuinitas ob coniunctionem cum humana Christi natura, veluti per pellucidum speculum sese nostris oculis temperatum exhibuerit!

Iudicij oculi adeo terribiles, vt res etiam inanimes eos fugere videantur.

6. At quis, quæso, nostrum, eius intueri oculos poterit, qui tanquam flammarum globi circumacti, facilè omnium oculos sint consternaturi? Imò res ipsæ insensiles, quasi quodam naturæ motu, veluti noua incitatæ anima, ad eius aspectum fugam capessere videbuntur. [Vidi (inquit Iohannes) thronum magnum, candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & cælum.] O quanta animorum consternatio, vbi cælum fugere, & terram conspiciemus, vbi, inquam, cælum contremiscere, & terram à facie tua, Christe commoueri, fugientes videbimus; quoniam visis hominum sceleribus, quibus tam promptè sua præstiterant obsequia erubescent! O quò nos tunc fugiemus, qui nostris flagitiis eorum commotioni ac fugæ, causam dedimus! [Ecce venit & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans.] Sicut enim ignis adeo subtilis est, vt omnia penetret, ac durissima quæque conflet: sic oculi Christi omnia peruadunt, omnia penetrant, omnia conflant, & vsque ad ipsius animæ medullas pertingunt, ita vt nihil ipsum lateat. Atque vt omnia acri suo aspectu penetrat; sic etiam in extremo iudicij die omnia in propatulo ponet. Vnde quæ tu nunc peccator, flagitia sub malitiæ velo tegis, & Dei oculos fugere perperam putas, omnia tunc intelligentur. [Dixerunt, non videbit Dominus, nec intel-

Apoc. 20.

Malach. 3.

Simile.

Vis oculorum Christi.

Psal. 93.

Aug. in illud psal. 33. oculi Domini, &c. Impy ſua ſcelera Deum latere putant.

liget Deus Iacob.] Oculi enim Domini ſuper iuſtos, noſtra non conſiderat peccata. Vnde Auguſtinus: [Fortè (inquit) dicunt mali, ergo ſecurus facio mala, quia non ſuper me ſunt oculi Domini, ad iuſtos Deus attendit, me non videt: audi quid ſequitur: vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat è terra memoriam eorum.] [Intelligite ergo inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite; qui plantauit aurem non audiet? & qui finxit oculum non conſiderat?] Qui dedit homini aures, quibus audit, & oculos, quibus videt, & intelligentiam, qua intelligit, nonne multò magis ipſe audit, videt & intelligit, operáque veſtra examinis ſui trutina examinanda ſubijciet. Dominus igitur ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Perſpexiſtis Chriſtum podere veſtitum, deinde zona præcinctum. Tertiò eius pedes, caput & oculos conſideraſtis, modò audite eius vocem, & quàm horribilis ſit ſedulò perpendite.

Quàm horrenda & formidoloſa iudicij vox.

7. [Et vox illius tanquam vox aquarum multarum.] O quando vox illa, quaſi tubarum multarum concrepantium, & inter ingentia ſaxa & ſcopulos illidentium aquarum ſonitus, auribus inſonuerit noſtris, quis erit nobis tum ſenſus? tum, inquam, quando verbum illud aſperum horrore, formidine, & luctu plenum, verbum quod faciet tinnire audientium aures: [Redde rationem villicationis tuæ] ex Chriſti ore fulminatum, per totum terrarũ orbem exaudietur! Verè [tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? de cælo auditum feciſti iudicium: terra tremuit & quieuit.] De cælo per varia ſigna, quæ erunt in ſole, & luna, & ſtellis, ac per horribilem angelicæ tubæ ſonitum ad iudicium nouiſſimum te eſſe venturum, declarabis, & tunc terra timens tacebit, [areſcentibus præ timore & expectatione hominibus, eorum quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.] Tunc vocem illam horrore plenam totus terrarum orbis veluti à ferociſſimo emiſſam leone audiet: [Redde rationem villicationis tuæ.] Quis obſecro, tunc faciem eius ira ac furore

Luc. 16.

Pſ. 75.

furore quaſi incenſam intueri audebit? Quis non trepidabit? quis non expaueſcet? [Leo rugiet, quis non timebit?] Si leo ira incenſus, perruptis catenis, in eos, qui eum iniuria affecerunt, irruere permitteretur, quantam, quæſo, in eos ſtragem ederet? væ ergo, illi, in quem ruet iſte, ex agno manſuetiſſimo, leo factus: væ, inquam, illi, qui ſuis eum peccatis, iniuria affecit; hunc, perruptis, veluti miſericordiæ, catenis, conteret. Nam ſicuti leo, pedibus huc, illucque terram, puluereмque præ furore euertit, ſuoque rugitu fugientia à ſe animalia, quaſi icta ſiſtit, donec ſuis vnguibus, ac dentibus ea in fruſta ſecet: ſic leo hic, de tribu Iuda, iuſtitiæ veluti pedibus animales homines huc, illucque, præ furore euertet, horribilique vocis ſono coram ſe ſiſtere coget, donec eos diuinæ quaſi iræ dentibus deuoret, ac in tartari imum deturbet. Vultis leonem hunc, ira percitum, huc, illucque, terram quaſi proijcientem videre? Audite Iſaiam: [Triturabis montes, & colles quaſi puluerem pones.] O ſi ob tantam in nos iram montes triturarus, & colles in puluerem redacturus ſit, quid nobis faciet? [Quid facies in die viſitationis, ad cuius confugies auxilium?] Hinc idem propheta nos præmonuit, vt, potius ipſas petras, ſi fieri poſſit, penetremus, quàm irati iudicis vultum ſuſtineamus: [Ingredere, inquit, in petra, abſcondere in foſſa humo, à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius. In die illa incuruabitur altitudo virorum, & ſublimitas hominum, & eleuabitur Dominus ſolus, in die illa, & introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ, à facie tremoris Domini, & exaltabitur maieſtas Domini, cum ſurrexerit percutere terram.] Quid ergo mirum ſi Euangeliſta prædicat, quod homines tum exareſcent, præ timore, ac expectatione eorum, quæ obuentura ſunt, viſis præſertim tot etiam in luna, ſole, ſtellis ac terra tantæ conſternationis ſignis. Quemadmodum enim fulmen antequam ingentem edit ſtragem, tonitrua & fulgura

Amos 3.

Chriſtus inſtar leonis ruens horribilem in peccatores impetum faciet. Simile.

Iſa. 41.

Iſa. 10.

Iſa. 2.

Petras ingredi potius quàm Chriſti audire vocem, ac vultum intueri, peccatores eligent.

Simile.

tantæ futuræ ſtragis præmittit prænuncia : ſic priuſquam horrendum illud extremi iudicij fulmen: [Ite maledicti in ignem æternum] in impios Chriſtus iacit, tantæ ſtragis edendæ horrenda præmittit portenta ac magni terroris ſigna, iuxta illud Pſalmiſtæ.

Pſal. 96. [Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra,] vt inſenſiles etiam creaturæ, præ horrore contremiſcere videantur. Quis ergo noſtrum eius intueri oculos iram ac furorem ſpirantes poterit? quis auguſtum maieſtatis eius vultum, quo virorum altitudinem ac hominum ſublimitatem incuruat, ferre valebit ? Quis horribilem eius vocis ſonitum tonitrua imitantem feret? Si tanta eius maieſtas eſt, vt auguſtæ illæ in cælo poteſtates , eius conſpicientes gloriam, contremiſcant; quid mirum ſi impij cùm illam etiam maieſtatem ira ac furore in ſe armatam

Simile. videant, exareſcere incipiant. Mare licet pacatiſſimum, ſua tamen nos longitudine, latitudine, profunditate terret : quid ergo ſi ventorum turbinibus agitatum, in cælum vſque, quaſi furore percitum, fluctus attollat, nonne intuentes conſternabit ? Quis ergo non cohorreſcet, audito Chriſti vocis tonitruo idem ingeminantis : [Redde rationem villicationis tuæ:]

Timor iudicis vocis ac aſpectus exẽplis augetur. 8. Si Iohannes ad ſecum loquentis vocem hìc attonitus, pronus ceciderit, quaſi mortuus, neque erigi in pedes potuerit , donec ille porrecta dextra eum animans dixerit: [Noli timere, ego primus & nouiſſimus.] Quid nobis trepidationis erit, qui multorum conſcij ſcelerum ſumus, vbi rationem exigendam ab vnoquoque intellexerimus? [Redde rationem villicationis tuæ.] Si Daniel, hac eadem penè viſione obiecta, ob vocem ſermonum grandium, quos cornu loquebatur, totus ita cohorruerit : vt viſiones capitis ipſius conturbauerint eum : quomodo vnuſquiſque noſtrum conſternatis animis, non cohorreſcet, viſis, quæ cogitatione, verbo, opere vnquam patrauimus in aperto conſcientiarum libro deſcriptis ? Si Eze-

Daniel. 7.

chiel

Digitized by Google

chiel adeo fuit perterritus, ſonitu tantùm alarum angeli quaſi aquarum multarum ſono, vt ipſe ait, vt paulo poſt veluti animam agens, in terram pronus corruerit, donec alia vox cælitus emiſſa ſuauiter ſuſurrans: [Fili hominis, ait, ſta ſuper pedes tuos,] quomodo nos attoniti obſtupeſcemus, vbi non tantum vnius angeli alarum ſonitum audiuerimus, ſed totius vniuerſi voce acclamantis: [Redde rationem villicationis tuæ.] nimirum horrendè percellemur? Si Apoſtoli ad Patris vocem è nube emiſſam in monte Thabor horrore perculſi in faciem ceciderint, neque aſſurgere potuerint, donec Chriſtus ipſe eos attingens, vt ſurgerent, omni timore excuſſo, animauerit: quid erit nobis vbi vox illa terribilis, quæ ſono ſuo totum terrarum orbem eſt impletura, ipſas animarum medullas penetrans, tenuiſſimaſque cordis inueſtigans motiones omnia ac ſingula eliciet ex intimis animi receſſibus, vt ſtrictæ examinis trutinæ ſubiecta, pro cuiuſque merito, vel demerito, pœnas, vel præmia omnes referant, [Redde rationem villicationis tuæ?] Si Iacob occurrentem ſibi fratrem ſuum Eſau, quem offenderat, quadringentis ſtipatum equitibus extimuerit, cum nulla tamen odij aut indignationis in eo veſtigia apparerent: quo terrore ac trepidatione nos conſternabimur, nobis diuina occurrente maieſtate, infinitis penè angelorum legionibus circumdata, quàm grauiſſimè toties offenderamus, iram ac indignationem ſpirante, ac in noſtram ceruicem intentata æternæ damnationis fulmina euibrante: [Redde rationem villicationis tuæ?] Si Ioſephi fratres totis contremuerint artubus, auditis illis amore plenis verbis: [Ego ſum frater veſter Ioſeph, quem vendidiſtis in Ægypto:] Quid facient peccatores, vbi audiuerint: ego ſum frater veſter Ieſus, quem vos toties peccatis veſtris cruci affixiſtis? quanto perculſi horrore filij Iſrael, cum iuxta mare rubrum caſtra metarentur, perſequente eos Pharaone: ante enim ſe, mare viderant,

Exec. 1. & 2.

Matth. 17.

Gen. 32.

Gen. 45.

à latere dextro ac siniſtro inacceſſos montes, à tergo Pharaonem, cum grandi exercitu imminentem! [Nonne, inquiunt, melius fuiſſet illi inſeruire, quàm in manus eius modò incidere & mori?] O quid peccator tunc dicturus, vbi ſeſe vndique inimicis cinctum, nullumque euadendi effugium viderit; quo ſe vertet miſerrimus ac infeliciſſimus: vndique illum mœror, ac horror circundabit, ingemens tunc exclamabit: Nonne ſatius fuit Deo ſeruiſſe, quàm ſic incidere in manus eius, & in æternum mori? nonne ſatius foret vnicuique rationem expenſi & accepti, à ſeipſo exegiſſe, quàm iam audire: [Redde rationem villicationis tuæ.] O cur non tempori, tanta ſeueritate olim mundi peccata Deum vindicaſſe, memini, qui veluti leo furens, nemini præter octo pepercit; ſed apertis cœli cataractis, emiſſo in totum terrarum orbem luctuoſo diluuio, cæteros omnes obruit; & tamen propoſita mihi ſæpius in vita hac in peccatores ſeueritate, tanquam huius diei prænuncia minimè reſipui. Ex leone verò in agnum verſus mitiſſimum, tantam etiam oſtendit mortalibus poſtea miſericordiam, vt ſui ſanguinis diluuio, ſola peccata obruens, hominibus parceret; & tamen tanta præuentus miſericordia, heu, non reſipui. Hinc in me horrendum etiam hoc fulmen intorquet: [Redde rationem villicationis tuæ.] [Sicut] ergo vt ait, Bernardus, [benignitas apparuit vltra omnem ſpem, ſimul expectare poſſumus iudicij diſtrictionem; Noli ergo contemnere Dei miſericordiam, ſi non vis iuſtitiam: vt enim ſcires quanta diſtrictio ſuccedit, tanta illa manſuetudo præuenit.] Hæc de horribili iudicis voce: [Redde rationem villicationis tuæ.]

Exod. 19.

Peccator improuidus.

Ex leone agnus factus ſui ſanguinis diluuio peccata obruens hominibus pepercit. Bern.

Secundum punctum. Chriſtus omnes ad rationem reddendam vocat. Dan. 8.

PVNCTVM SECVNDVM.

9. Sed nunc, vt ad ſecundum, eorum, quæ initio propoſuimus accedamus: Ecce filius hominis in regali reſidens ſolio, virgamque virtutis ſuæ extendens, omnes & ſingulos ad rationem villicationis ſuæ reddendam vocat. [Vidi (inquit Daniel) arietem

Digitized by Google

tem ventilantem cornibus contra orientem, contra occidentem, contra aquilonem, contra meridiem, & omnes bestiæ terræ non poterant resistere ei, nec liberari de manibus eius.] Ecce ex agno mansuetissimo terribilis factus est aries. Aries, vt Gregorius testatur, dimidio anno super vnum dormit latus, dimidio super aliud: sic modò Christus in latere est misericordiæ; tunc in iustitiæ latere quiescet; nec est qui ab eo se liberare possit: sed à quatuor mundi partibus omnes Adæ filios ad vallem Iosaphat coget, vt expensi, ac accepti strictam reddant rationem. Ac imprimis cogitationes nostræ iusta lance ponderabuntur iuxta illud sapientis: [In cogitationibus impij interrogatio erit. Omnes enim viæ hominis patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus.] Cum igitur cogitationes nostræ in iudicium vocandæ sint, quod pudet dicere, pudeat & cogitare. Nam sicut quis verecundari debet in factis coram hominibus, ne inde iudicetur. Sic in cogitationibus verecundari debet coram Deo, qui certè & iustè te etiam ex cogitationibus iudicabit: [Si, ergo, vt ait Augustinus, coram hominibus sit dura frons tua] hactenus, [erubescat tandem coram Deo mens tua] vt sic cogitatione, & opere in diuino conspectu purus inueniaris, ac perinde obseruet quisque nostrum diligenter prudens illud consilium Salomonis. [Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.] O si in foro iam nudo corpore tibi incedendum foret, si coram vniuerso mundo, omnia, etiam occultissima, tum cogitationis, tum operis scelera à te commissa palam facere cogereris; quid faceres? quomodo trepidares? quomodo suffunderis pudore? Audi ergo quid spiritus sanctus per Nahum prophetam huiusmodi hominibus dicat, qui Deum sua considerare scelera, aut minimè videre ere; vel opere saltem impudentius asserunt: [Reuelabo pudenda tua, in facie tua, & ostendam in gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam, & proiiciam

Greg. lib. 32. c. 7. in Iob & lib. 30. cap. 3.

Simile.

Nūc tempus misericordiæ tunc iustitiæ.

Sap. 1.

Prou. 16.

Primo de cogitationibus reddenda ratio.

Aug. contra Iulian. lib. 5. cap. 7.

Prou. 4.

Deus occultissimarum cogitationum scrutator.

Nahum 3.

iiciam ſuper te abominationes, & contumeliis affi-
ciam te,& ponam te in exemplum.] O quàm terri-
bilis hæc comminatio,& præſertim, cum ab ipſo
Deo proficiſcatur, qui mentiri non poteſt? [Reuela-
bo, inquit, pudenda tua in facie tua,] omnia nimi-
rum,quæ cogitatione turpia, pudenda, ſceleſta clam
hominibus commiſiſti,in tua ſcribam fronte,qui ha-
ctenus mentita vmbratilium virtutum ſpecie,homi-
num oculis impoſuiſti,[& oſtendam in gentibus nu-
ditatem tuam,] quàm inops gratiæ meæ,ac fauoris
fuiſti, ipſis etiam gentibus, quæ Deum ignorant pa-
lam faciam,[& Regnis ignominiam tuam]te qui an-
tea ignotus & ſine nomine in variis à me deprehen-
ſus ſæpè ſceleribus,nunc te nominatum & infamem
toti vniuerſo declarabo,[& proiiciam ſuper te abo-
minationes] ſcelera tua te in imum barathri depreſ-
ſum depriment,reque tanquam mola aſinaria conte-
rent,ac in partes minutiſſimas farinæ inſtar comminu-
nent, quarum intolerabili fœtore,ac ſcatentibus in
illis crudelium morſuum vermibus inaudito modo
cruciaberis,[& cõtumeliis afficiam te] cum damna-
ti omnes tuam non modo pœnam commeritam non
indigentiam naturæ,ſed culpæ malitiam improcra-
bunt,ita vt tibi ipſi in perpetuum futurus ſis execra-
bilis.[& ponam te in exemplum]ſpectaculum te fa-
ciam æternum Deo,angelis,hominibus,ac ipſis etiam
tartareis ſpiritibus in obſcuriſſimum te inferni car-
cerem, pedore plenum, ac ſpurciſſimis omnium ele-
mentorum fæcibus compingam, ardentiſſimo man-
cipatum igni, qui infinito penè interuallo ignem
communem ſeculi ſua ſuperat actiuitate,idque in æ-
ternum, ſine vlla ſpe leuaminis. Hæc de cogitatio-
num peccatis.

Quæ grauiter occulta Deus peccata punit.

Secundo de verbis reddenda ratio. Matth. 12. Hier. in hunc locum.

10. Secundò de verbis etiam ratio à nobis red-
denda.[De omni verbo otioſo quod loquuti fuerint
homines ſuper terram, reddent rationem in die iu-
dicij.] Verbum verò otioſum, vti ait Hieronymus,
quod ſine vtilitate loquentis, vel audientis profer-
tur.

tur. Iam verò si de omni verbo otioso reddenda ratio, quid tunc dicturi iracundi, ac furore perciti, qui ex ira proximis maledicunt? [Neque maledici neque raptores regnum Dei possidebunt.] Quid detractores, qui infami, ac liuido linguæ morsu proximorum suorum famam dilacerant? [Cum detractoribus ne commiscearis, quia repentè consurget perditio eorum.] Quid mendaces, qui domos, familias, Regna, mendaciis perturbant? [Perdes omnes qui loquuntur mendacium.] Quid blasphemi, qui impuro oris vomitu in sanctos, & Deum venenum sui pectoris eiaculari non erubescunt? [Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur.] Quid impudici, quorum os sepulchrum patens obscœna eructans, [Pars illorum erit in stagno ardente sulphure & igne.]

1. Cor. 6.

Prou. 24.

Psal. 5.

Leuit. 24.

Apoc. 21.

11. Tertiò, opera iusto Iudicis examini sunt subijcienda: [Cuncta quæ fiunt adducet Dominus ad iudicium.] Nulla est tui corporis libera agitatio, cuius non sit reddenda ratio: nullus pedum gressus: nullus manuum motus. [Nonne vias meas ipse considerat, & cunctos gressus meos dinumerat!] O bone Deus! si etiam minutissimorum in eo iudicio faciendum tam strictum examen, quid de fœdis membrorum tactibus? quid de illicito oculorum visu? quid de infami aurium auditu? [lætare iuuenis (inquit Ecclesiastes) in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.] Quisque secum, obsecro, cogitet, quanta futura sit confusio, omnia prorsus sua scelera palam examinari, non confusè aut summatim, aut cursim. Tunc enim vniuerso mundo apparebunt, & singula per partes, vt sese habent, velut in pictura (Magno Basilio teste) noscentur. Et addit huius scrutinij faciendi modum: [Exempli causa (ait) quomodo ad patrandum quisque adulterium properans è lecto surrexit, quibus passibus incedens vsus est, quo motu corporis lentiore,

Tertiò de operibus reddenda ratio.

Eccl. vlt.

Iob. 31.

Eccles. 11.

Basil. de vera virginitate.

Illic quomodo singula strictim examinanda.

tiore,an concitatiore,quem habitum,dum procederet,assumpsit, & qua ex parte irrumpens vxorem alienam violauit. Quo item ordine huic, mulier ad nefarium opus se substrauit.] Hæc, inquam,omnia, veluti in tabula,per partes diligenter examinata in tua cernentur fronte expressa: Nec opus tantùm externum,sed præuiæ etiam ad hoc scelus committendum cogitationes. Sic Regis Balthasaris non externa tantùm facta , sed intimas etiam cogitationes, arcanamque etiam mentis elationem Dominum in statera ponderasse,examinasse ac puniuisse propheta Daniel testatur. His verbis: [Thecel : id est , appensus est in statera, & inuentus es minus habens.]

Dan.5.

Quartò de donis corporis ac fortunæ reddenda ratio.

12. Quid præterea dicemus de donis corporis, sanitate,pulchritudine,robore & bonis fortunæ, de quorum vsu stricta ratio reddenda erit? quo in negotio, quomodo se gerent ebriosi, qui modò ad bibendum potentes sunt, quique optimam qualitatum temperiem,potus intemperie dissoluunt? Gulosi,qui crapulæ pondere oppressi , nihil aliud quàm fœdos eructant vomitus, quibus mirum in modum corporis sanitatem,pulchritudini ac robori officiunt?Hinc hodie , vt ait Ambrosius, [videas adolescentem validum,pubescentis ætatis,virtute florente,grata specie,suaui colore ; craſtina die tibi facie & ore mutatus occurrit.]Superbi,qui suo fastu pauperum bona deuorant:ambitiosi qui per fas & nefas honores sibi vendicant : lusores, qui domus suæ,vxoris,prolisque substantiam dilapidant:diuites,qui aures pauperum clamoribus obstruunt , qui delitiis circumfluentes,Christi membra ante fores suas inedia prostrata sine vllo commiserationis motu crudelius intuentur?[Diuitias accepisti(ait Chrysost.)non vt lasciuè consumas,sed vt in eleemosynis expendas:quæ etiam habes pauperum sunt, sed tibi credita, etiamsi ex laboribus iustis & hæreditate paterna , possessor eorum factus es.] Ergo si pauperum necessitati non succurras , vti ait Basilius,[spoliator es, qui dispen-

Ambr. lib.3. hexame.c.4.

Chrysost.

Basil.

sanda

ſanda accepiſti propria reputando: eſt enim cibus famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclaui conſeruas; diſcalceati calcei, qui penes te marceſcunt: indigentis argentum, quod poſſides.] Videndum ergo tibi quomodo acquiras, quomodo expendas, & ſpeciatim circa paternam hæreditatem, an ſuis ac veris relinquas hæredibus, an ſine dolo eam poſſideas, an aliena illi adiungas?

Quintò de tempore ratio exigenda. Thren.1.

13. Nec ſolum bonorum corporis & fortunæ, ſed etiam ipſius temporis ratio exigetur: [Vocauit, inquit Hieremias, aduerſus me tempus:] vt ſcilicet qualiter ſit expenſum coram iudice teſtetur: Quem locum explicans Bernardus: [De annis, menſibus, (ait) ſeptimanis, horis, momentis, & minutis rationem reddemus.] Audiamus, obſecro, Anſelmum de hac ſeueriſſima temporis ratione differentem, [Quid, inquit, reſpondebis in illa die, cùm exigetur à te vſque ad ictum oculi omne tempus viuendi tibi impenſum, qualiter fuerit à te expenſum?] Dum ergo tempus habemus operemur bonum.

Bern.

Anſel. lib. de miſeria. Galat.6.

Sextò de peccatis alienis reddenda ratio.

14. Neque verò in iudicio nobis obiicienda ſunt peccata propria tantum, ſed etiam aliena. Vnde patet, quid ſentiendum de iis, qui ſuo exemplo, verbo, facto, aut dolo in peccatum alios traxerunt. Quid de eorum negligentia, qui ſubditorum ſibi commiſſorum curam non gerunt: [Cuſtodi (inquit Dominus) virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius.]

3 *Reg.*20.

Terribile hoc iudicium in quo etiam iuſtitia examinanda ſunt.

15. Erit hoc iudicium ſanè terribile, non ſolum ratione prædictorum, verum etiam quando reprehendentur in eo, non tantum ea quæ ſunt apertè mala, ſed etiam ea quoque, quæ nobis alioqui videbantur bona, iuxta illud Pſalmiſtæ. [Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.] Vnde ait Petrus fore, vt vix iuſtus ſaluetur. Accedet ad malorum cumulum, quod nihil eorum quæ obijcientur inficiari poteris, nam vndequaque circumſtabunt te teſtes, accuſatores & vindices, omnia elementa, & cæteræ res creatæ:

Pſ.74.

1. Petri 4.

Chryſoſt. ſuper Matth. Omnes creaturæ teſtes noſtrorũ ſcelerum erunt. Iſai.24.

tæ: [In illo die (ait Chryſoſtomus) nihil eſt, quod reſpondeamus vbi cælum,& terra,ſol,& luna,dies,& noctes , & totus mundus ſtabunt aduerſus nos in teſtimonium noſtrorum ſcelerum : erubeſcet luna , & confundetur ſol , cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion,& in Hieruſalem,& in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus.] Viſis hominum ſceleribus ſol & luna erubeſcent, quaſi dolentes ſuum huiuſmodi diaboli mancipiis obſequium præſtitiſſe , & inſtante mundi fine, mutata quaſi ſuæ pulchritudinis veſte in pullam , ſqualore & luctu contabeſcentes , ſui mœroris cauſam impios eſſe conclamabunt.]Quemadmodum enim,vt ait auctor imperfecti, patrefamilias moriente,tota domus eius turbatur,omnis familia plangit,& conſciſſis tunicis ſuis,nigris ſe cooperiunt veſtimentis:ſic humano genere circa exitum conſtituto,totus contriſtatur mundus, vniuerſa cœli miniſteria lugent,& candore depoſito , pro veſtibus , luctuoſis tenebris veſtiuntur.] Vt ſimul lugeant mundi exitium,ſuoſque radios impiis , qui huius luctuoſæ cataſtrophæ materia ſunt, ſubtrahant. Hinc & diabolus ſtabit,fratrum (vt ait Iohannes)accuſator,acerrimè ſuam aget cauſam,dicturuſque vbi veſtis candida , qua ſe induit ſacerdos vocans baptizatum,teſſera puritatis & innocentiæ ? accipe , inquit , veſtem candidam, ſanctam & immaculatam , quam referas ſine macula ante tribunal Chriſti, vt habeas vitam æternam. Hac te immaculatum cinxerat de fonte ſurgentem qua exurgens, induiſti iniquitatis, laceram & ſordibus commaculatam lacernam. [Iudica igitur Domine hunc eſſe meum ob culpam , qui ſuus eſſe noluit per gratiam:tuus eſt per naturam, meus per miſeriam: tuus ob paſſionem, meus ob ſuaſionem : tibi inobediens, mihi obediens : accepit à te immortalitatis ſtolam,à me hanc pannoſam,qua indutus eſt tunicam : tuam veſtem dimiſit,cum mea huc venit.]Poſtremo angeli cuſtodes,propria conſcientia,& quod miſerrimum eſt,

Simile. Auctor imperfecti homil.49.

Apoc.12. Auguſt.epiſt. 206. Diabolus accuſator fratrum.

Angelus cuſtos , propria conſcientia &

est,ipse Deus, cui omnia patescunt,& qui iuxta demerita sententiã feret,iudex erit & testis: [Ego sum (inquit ipse)iudex & testis tuus:] iudex,qui arrepto iustitiæ gladio impiorum carnes deuorabit:testis,qui omnia cordis tui abscondita omnium oculis subijciet: iudex qui suæ sententiæ executionem horrendum in modum instituet:[Leuabo,inquit,ad cœlum manum meam , & dicam : Viuo ego in æternum.] Deus,bone!si iudex in cælum manum eleuans,ingentem se ictum nobis inflicturum iuret;quid faciemus? quo enim altius aliquis manum attollit; eo grauiori ferit ictu:vnde iudex noster manũ suam vsq; in cœlũ elenãs,arrepto iræ suæ gladio acutissimo,vt ibidẽ comminatur:[Si acuero,vt fulgur gladium meum,& arripuerit iudicium manus mea , reddam vltionem hostibus meis,]maximũ vltionis ictũ impiis inferet. testis cuius testimoniũ irrefragabile.iudex ergo erit & testis : [iudex(vt ait Augustinus) erit causæ tuæ, qui modò est testis vitæ tuæ.] O quo se vertet peccator,tot conuictus testibus! vndiq; illũ formido,ac horror cinget.[Hinc(Anselmus ait)erunt accusantia peccata,inde terrens iustitia,subtus patẽs horridum chaos inferni: desuper iratus iudex;intus vrens cõscientia;foris ardens mundus: iustus vix saluabitur: peccator sic deprehẽsus,in quam partem se premet?]

Deus iudex & testes erit. Hierem.29.

Deut.32. Quam timẽdus diuina vindicta ictus.

Aug. libr. de decem chordis.

Anselm. lib.de miseria hominis.

16. Si in præsenti vita,qui est status misericordię, ob scelera aqua absorpsit Ægyptios;terra deglutiuit Core,Dathan & Abyron , ignis deuorauit pentapolim, & omnem circà regionem ; quid hæ, & reliquæ res creatæ facient,in futura vita,quæ est status puræ iustitiæ ? Nonne cum supremo iudice ad impiorum supplicium conspirabunt? imò sanè: [pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.] Agamus ergo in præsenti vita pœnitentiam,vt vitemus in futura vindictam,quam aliter sine dubio non effugiemus: [Non tardes conuerti ad Dominum,& ne differas de die in diem , subitò enim veniet ira illius,& in tempore vindictæ disperdet te.] Iohanni in sua visione

Præsens vita status misericordiæ,futura iustitiæ.

Sap.5.

Eccl.5. pœnitentia nõ differẽda. Apoc.1.

Christum nu stellas pœnitẽtibus tãquã præmiũ porrigit, ore verò gladiũ gerit, vt peccatores terreat feriatq; nisi resipiscant.

apparuit Christus præterenti in manu dextra septem stellas, quasi eas in præmium offerens,& porrigens mortalibus, quorum pœnitentia foret explorata,simulque romphæam vtraque parte acutam, non vibrans manu,sed ore tenens,modò siquidem comminationibus agit,sed gladium tamen aliquando de ore ad manum transferet,eóque circumquaque vibrato,æterno insensatos ictu & irremediabili feriet.

Tertium punctum.

TERTIVM PVNCTVM.

17. Vidistis iudicis in throno considentis ex eius vestitu ac vultu maiestatem,seueriſſimamque examinis in eius voce trutinam cõsideraſtis: Audite adhuc etiam paucis eius vocem, cum luctuosæ sententiæ determinatione, Quod tertio loco exponendum suscepi. [Apparuit (inquit Iohannes) in dextra sua stellas habens septem.] ecce præmia, [& de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat] ecce districtæ executionis vindictę symbolum! Quamuis non ignorem septem illas stellas ab ipso angelo, qui Iohanni apparuit, angelos Ecclesiarum, hoc est Episcopos exponi, meo tamen iudicio accommodari rectè poterunt præmiis, quæ Christus, quasi manu gestans, nobis ostentat, & ore profert,vt illis nos inuitet,ad sic currendum, vt comprehendamus,& quibus extremo iudicij die,coram hominibus electos suos donabit. Nonne id colligitur ex Apostolo, vbi dicit:] Sicut stella differt à stella in claritate:]ex stellæ enim similitudine ostendit gloriam electis contribuẽdam, ad quam palam eos euocans dicet:[venite benedicti Patris mei,possidete paratum vobis regnum à cõstitutione mundi.]En septem præmia.Prima stella[venite:]qua boni à malis diuidentur.O quàm iucundũ præmiũ[venite] quàm læta separatio[venite!]quàm opportuna inuitatio[venite!] Venite ab eorũ societatẽ,qui vos in vita malo suo exemplo ad peccatum attrahere conati sunt : venite ab eorum iam vendicati tyrannide,qui vos gladio,suspendio,igne,equuleis, cataſtis, sunt persequuti: venite ex procelloso mundi

Septem stellæ in Christi manu præmia iustis danda significant.

1. Cor. 15.

Matth 25.

Prima præmij stella, Venite.

mundi pelago, in quo cum ſummo diſcrimine ſæpè nauigaſtis ad tutiſſimum cœli portum: venite ex ancipiti bellorum tumultu,& victoriæ palmam accipite: venite ex ærumnoſo exilio, in amœniſſimam patriam. [Venite (ergo) benedicti.] ecce ſecunda ſtella,ac Patris æterni benedictionem largam ad æternam abeuntes quietem accipite:[De rore cœli,& de pinguedine terræ] Iſaac filio ſuo Iacob olim benedictionem impertiit, longè aliam ego vobis hodie impertior, quam pater æternus,filiis ſuis impertiri conſueuit: Benedico ergo vos,omni benedictione,& cumulo vos omni bono,& aſſocio vos omni cœleſti curiæ, vt vnum omnes ſitis, cum Patre, & Filio, & Spiritu ſancto. O beatos, & infinities beatos,quos beatiſſima hæc ſententia complectetur. Benedicti ergo, non quos ſæculi huius ſapientes benedictos eſſe exiſtimant: [Beatum enim dixerunt populum, cui hæc] (ſcilicet terrena) [ſunt:] ſed beatus populus cuius Dominus Deus eius.] Benedicti ergo,ſed [Patris mei] ecce tertia ſtella. Quid obſecro glorioſius, quàm æterni Patris filios eſſe,& heredes? Nam [ſi (vt ait Ambroſius) dignitas eſt ſeruum eſſe potentis, quanta dignitas erit eſſe Dei potentiſſimi filium.] Poſſidete. Ecce quarta ſtella [Poſſidete] hanc infinitam domus Dei poſſeſſionem, quam mei ſanguinis infinito pretio,vobis comparaui, qua poſſeſſione viſa,propheta Baruch exclamauit:[O Iſraël quàm magna eſt domus Dei,& quàm ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt & non habet finem,excelſus & immenſus!] Hanc ergo Dei domum poſſidete,& à laboribus ad quietem, ab æſtu ad refrigerium,à luctu ad lætitiam vocati [poſſidete Regnum] ecce quinta ſtella [Regnum,] Regnum,inquam, ab omnibus hoſtium incurſibus vindicatum. poſſidete,pro terra cœlum,pro nummo Regnum,pro mica totum [vobis paratum] ecce ſexta ſtella! vobis,inquam,qui debellatis diaboli caſtris,repudiatis mundi crepundiis,ſpretis carnis illecebris fœliciter in Domino mortui

Secunda præmij ſtella, Benedicti. Gen 27.

Pſal. 143.

Tertia præmij ſtella, Patris mei.

Ambr. in 2. epiſtolam ad Timoth. c. 2.

Quarta præmij ſtella. Poſſidete. Baruch. 3.

Quinta præmij ſtella, Regnum.

Sexta præmij ſtella. Vobis paratum.

estis. Possidete paratum infinitis opibus, honoribus auctum, cœlestibusque exornatum ciuibus. [A constitutione mundi,] ecce septima stella! imò ab æternitate vobis destinatum tanquam cohæredibus meis. Quis, obsecro, huius vitæ paucos dies iam in diuino obsequio impendere detrectabit, vt huius sententiæ fœlix auditor esse possit, vt paucorum dierum labore ac sudore, æternum Regnum, æternamque beatitudinem sibi comparet, quæ æterno labore ac perpetuo sudore comparanda forent? [Pretium Regni cœlorum labor est: æterna quies, digna est comparari æterno labore. Non dicit Deus decies centena millia annorum labora: non dicit, vel mille annos labora; non dicit quingentos annos labora: sed dum viuis labora: in paucis annis, inde iam requies erit, & finem non habebit.]

Septima præmij stella. A constitutione mundi.

Aug. in psal. 93.

Æterna requies paruo labore comparatur.

18. Sed sequitur altera huius sententiæ pars: vbi enim hãc benedictionem filiis suis impertierit, quod prius fit (ait Bernardus) quam æternæ maledictionis sententiam in reprobos fulminet: quo acrius, inquit, doleant, videntes quid amiserint: videbunt iustorum gloriam, ac proinde inuidia summa ac ira cruciabuntur, frement & tabescent, (iuxta illud Psalmistæ) [Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.] quo optarent iustorum perditionem, sed huiusmodi eorum desiderium cum ipsis in barathriimum deturbatis peribit, vbi, inquiet, innocentiæ stola? vbi vestis nuptialis, qua te aliquando ornaui? siccine eam denudasti? siccine promissis in baptismo mihi factis perfide sletisti? ingressus regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis: renunciasti diabolo, & operibus eius? mundo & luxuriæ eius ac voluptatibus; tenetur vox tua, nõ in tumulo mortuorũ, sed in libro viuentium. præsentibus Angelis locutus es, non ad fallere, non ad negare, nihil horum perfecisti: perdidisti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum

Altera sententia pars.

Bern. ser. 8. in psal. Qui habitat.

Psal. 111.

Impij iustorũ perditionem optant.

decem

decem menſibus texi & tendiculas crucis, quas extendens aqua mundaui & purpura mei ſanguinis decoraui,non conſpiciunt oculi mei ; characterem non video Trinitatis:talis non poterit intereſſe epulis meis:ligate eos pedibus,& manibus, & proiicite in tenebras exteriores.Sic Ambroſius de iis qui miſeriis initiantur c. 2. & Muritta Diaconus ad Elpidophorum Apoſtatam apud Victor. Vlicen.li.3.perſec. mādat. Sed audiamus iudicem,horribilem illam in impios ſententiam fulminantem:[Diſcedite à me maledicti in ignem æternum !] en gladius vtraque parte acutus : vna nimirum eius pars à Deo ſeparat, & abſcindit reprobos;altera eos diabolo deſtinat & mancipat. [Diſcedite,inquit à me !] ô dura ſeparatio ! ô luctuoſum ſpectaculum ! ô verbum aſperum omnibus pertimeſcendum mortalibus! ô tonitruum horriſonum ! ô fulmen omnium impiorum corda penetrans! ô lugubris ſententia ! parum eſſet dicere diſcedite:ſed audire illud:[à me]nihil grauius, nihil moleſtius,nihil intolerabilius! [à me] inquit,à ſummo bono,ab æterna fœlicitate,à Sanctorum conſortio,igni æterno conſecrandi, execrandæ dæmonum ſocietati addicendi, & hoc audire,cum Chriſti maledictione,quid luctuoſius! [Diſcedite à me maledicti] ô horrendum fulminantis tonitruum ! quo ipſi cœleſtes ſpiritus obſtupefacti conticeſcunt! [Silentium (ait Iohannes) factum eſt in cœlo,quaſi media hora !] quid ita? Quemadmodum res inſolita cum terrore , ac trepidatione iuncta, vocem ac ſpiritum ſpectantibus adimere ſolet:ſic calamitas hæc luctuoſa,ac æterna, quæ impiis aduenier, ita ipſos cœlites horrore quodam,ac formidine concutere videbitur, vt quaſi ſtupendo mediæ horæ ſilentio , ſeſe attonitos oſtendant.Paruæ trepidationis,ac horroris fuit illud ſilentium trium amicorum Iob, qui conſpecta eius calamitate,cum ipſo in terra,ſeptem diebus, & ſeptem noctibus , ne voce quidem vna edita , permanſiſſe, commemor[illegible] illo ſilentio comparetur,

Chriſti terribilis in impios ſententia.

Apoc. 8. Simile. Terror iudicij extremæ ſententiæ ipſos etiam cælites obſtupefaciet.

Iob. 2. Exemplis terror augetur.

BIBLIOTECA ROMANA INTEGRO ENANUEL

paretur,quo omnes cœlites ſimul, ad mediam quaſi horam, ſecum meditantes, infinitas impiorum pœnas,ac miſerias muti obſtupuerunt. Paruæ trepidationis,ac horroris fuit filétium illud, quod Alexander Magnus terræ indixit, multis confectis præliis, terræ Regibus interfectis, ſpoliiſque multitudinis gentium reportatis,ſi cum hoc conferatur,quo cœlum & terra quaſi obſtupefacta, media quaſi hora, tot Regum, Principum, Magnatum, Regnorúmque interitum admirantia conticuere! Paruæ item fuit trepidationis, ac pauoris omnium Regum terræ ſilentium,Meſſiæ magnitudinem, maieſtatem, potentiam, cum quodam timore obſtupeſcentium, vti Iſaias refert;ſi cum hoc conferatur, quo omnes Principes cœli,ac terræ,attonitis ſimiles,ſupplicium magnitudinem,quæ reprobos, extremis mundi temporibus, manebunt, quaſi media hora ſedentes admirabuntur.O quomodo hoc fulmine:[Diſcedite à me maledicti,] à Dei ore tum euibrato,vlulatibus horrendis,ac horribili boatu cœlum terrámque implebunt impij,mortem inuocantes,quæ tamen ab eis in æternum fugiet!Quomodo montibus,& collibus acclamabunt:[Montes cadite ſuper nos, & colles operite nos.] Sed irrita erunt vota, montes,& colles,huiuſmodi gratum illis obſequium denegabunt! [O mors,quàm dulcis tunc eſſes,quibus tam amara fuiſti! ô quàm deſideranter te ſolam optabunt, qui te ſolam vehementer exhorruerunt!] ô quàm grata illis eſſes,qui denſiſſimis in æternum tenebris internis & externis inuoluendi,dæmonum ſocietati aſpectuíque horribili addicendi, in perpetua confuſione,in horrore ſempiterno, ac deſperatione blaſphemias euomituri, lamentationes ac maledictiones in parentes,in ſocios,in dæmones, ac in Deum identidem ingeminaturi; illud horribile ac ingratum repetentes canticum: O æternitas, ô æternitas, quàm longa es æternitas, quàm rarò verſabaris in mentibus hominum ô æternitas! & tunc demum ſcient Deum

1.*Macha.*1.

Iſa. 52.

Luca 23. *Mortẽ optabũt qui mortem exhorruerunt.*

Innocentius li. 3. *de contemptu mũdi c.*9.

Deum omnia à se patrata exactè apud se considerasse, ac vsque ad intimos recessus, cordium cogitationes peruidisse. formidabili hoc fulmine, Ite maledicti in ignem æternum, exanimati, quod iam olim à Christi ore euibrandum vt impios puniret & afflaret Daniel præuidit: fluuius igneus rapidúsque egrediebatur à facie eius: quibus verbis auctore Hiero. sententiam iudicis efficacissimam, & celerrimam significauit qui instar igniti & rapidissimi fluminis improbos in Tartarum abriperet & immergeret.

Epilogus in quo monemur vt futura præcaueamus mala.

Dan. 7.

19 O Christiani si fidem habemus, cur non hæc credimus: si credimus, cur non tempori ab hac perpetua cauemus calamitate. Nam vt ait Bernardus: [Hæc qui pauet, cauet, qui negligit, incidit.] Nunc prosunt preces, nunc lachrymæ pœnitentiæ ignem illum extinguunt, post mortem nihil valituræ. [effugiendi tempus hoc est (vt monet Gregorius) culpam tuam pensa dum vacat, distinctionem futuri iudicis, dum vales, exhorresce, ne tunc illam amaram sententiam audias, cum iam nullis fletibus euadas. Perpende quod scriptum est: Orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbatho. in hyeme vel Sabbatho fugere conatur, qui iram districti iudicis tunc putat se posse euitare, quando ei iam non licet ambulare. Dum vacat, dum licet, tanti terroris animaduersionem fuge.] fuge æternos cruciatus; fuge æternum immundorum spirituum consortium; fuge æternum omni tormento atrocius, desperationem damnatos in perpetuum affligentem; fuge mortem sine morte; fuge vitam sine vita; fuge finem sine fine. [Est enim (vt ait Gregorius) miseris mors sine morte, finis sine fine; quia & mors viuit, & finis semper incipit.

Bern. Serm. de conuer. ad clericos.

Gregor. ad Venantium lib. 1. ep. 33.

Matth. 24.

Gregor. lib. 9. Moral. cap. 48.

EXEMPLVM.

20 Hector Boëtius in Scotorum historia lib. 18. horrendum mortalibus exemplum in Iohannem Cameron Glasquensem editum esse refert: Is enim Principem ac Regni gubernatores ad innocentium

quorundam iniuſtam necem impulerat, rapináſque & iniuſtas exactiones in nobiles Regni, atque plebeos exercuerat ſæpius. At cum numini diuino hominibúſque ſat illuſiſſe viſus eſſet, nocte ipſa, quæ Chriſti natalem præcedebat diem, cùm in arce ſua quieſceret, vox è cœlo ad aures illius horrenda inſonuit ad ſupremi iudicis tribunal citantis; Cameron, Cameron veni ad Dei tribunal, rationémque redde villicationis tuæ. Qua voce è ſomno experrectus, perterritúſque rei nouitate, nec tamen veram fuiſſe vocem confidens, famulos extemplò euocat, ac lumen vt ferant, iubet; tum animum recipiens, paululum iuſſis abſcedere famulis, librum in manu accepit. Nec longum, iterum eadem vox auditur cunctis metu ſilentibus, ac malum aliquod præſens expectantibus; Cameron, Cameron, &c. Inde ſpatio exiguo interpoſito reddita eadem vox multò quàm antehorribilior, Cameron, Cameron, &c. Atque hinc ſtatim, exerta in immenſum lingua, animam ad diuini iudicij ſubſellia emiſit.

IN DOMINICAM SECVNDAM ADVENTVS

Concio prima.

THEMA: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* Matth. 11.

Proximi fama ſeruãda.

1 QVAM ſolicitè Dominus noſter, bonam cuiuſque famam tueri ſemper ſtuduit, & quàm prudenter plebis hodie ſiniſtram de ſuo præcurſore conceptam ſuſtulit opinionem! Plebs enim ignara, quo animo, aut conſilio Iohannes Chriſtum interrogaſſet: [Tu es qui venturus es, an alium expectamus?] cogitare poterat, (vt eſt ſemper ad malè ſuſpicandum prona) Iohannem de Chriſto dubitaſſe, ac proinde inconſtantiæ notam incurriſſe: quippe

quippe qui aliàs illum in tantum extulerat, vt Agnum Dei non dubitaret eum asserere; & modò huiusmodi esse, quasi dubia illa interrogatione quodammodo negaret. Hanc ergo suspicionem, vt à vulgi animis Christus penitus auelleret, Iohannem cœpit palam laudare. Non enim dubitans suos misit discipulos, sed de Christo dubios, ac in eum inuidia incensos, (quod supprimere & obscurare magistri sui Ioannis gloriam videretur) de veri Messiæ cognitione erudiri voluit. Quemadmodum enim papiliones lucernæ allecti splendore, in illam imprudentes inuolant, sed exustis alis cadunt & pereunt: sic discipuli Iohannis, (qui lucerna lucens, & ardens erat) fulgore, plus æquo delectati, in illum cœco inuolarunt impetu; exustíque proinde veluti fidei in Messiam, alis, de eo dubitantes, quodammodo perierunt. Hinc dubij, [Tu es (aiunt) qui venturus es, an alium expectamus?] quibus Christus non verbis, sed stupendis respondet operibus: miraculis nimirum, quibus certò se illis esse Messiam indicat. Nam hæc Dei solius sigilla sunt. Solus enim propria virtute miracula patrat, quibus tanquam diuinis sigillis Christi missionem comprobatam voluit, iuxta illud Iohannis: [Hunc Pater signauit Deus] ἐσφράγισεν, ideſt, sigillis notauit, quæ tanquam diuini etiam solis iustitiæ radij tandem erumpentes, carnea hactenus tecti nube, infinitam Christi potentiam, ac diuinitatem prodiderunt. Vnde tanquam certa Messiæ aduentus argumenta Iohannis discipulis, illa Christus exhibebat; vt quos liuore in se exacerbatos vidit (vti Iohannes testatur,) [Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad illum] eiusmodi suis miraculis corrigeret; quasi diceret, vultis scire an sim ego Messias? an sim qui mittendus erat? sicuti ex radiis solem; ex calore ignem; ex regio sigillo regias literas esse colligimus; sic me esse verum Messiam ex patentibus diuinæ naturæ literis, miraculorum

Simile.

Iohan. 5.

Miracula diuina sigilla, quibus Deus Christi missionē cōprobauit. Iohan. 6.

Iohan. 3.

Similia.

sigillis

ſigillis communitis agnoſcite. [Cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.]

2. Deinde illis abeuntibus, Iohannem multis laudat dicens; [Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? &c.] quo clarum foret, non intendiſſe Iohannem perſtringere cùm diceret, Beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me] qua etiã laude effectũ, vt dum Chriſtus populi corda vno penetraret intuitu, illius ſimul conceptum, de Iohanne, ac ſeipſo, falſam opinionem, ſupprimeret. Vtinam nos, qui tam proni ſumus, vt malè, non tantum de aliis ſuſpicemur; ſed ex leuibus etiam ſignis, ac vanis, vt plurimum, ſuſpicionibus, de iis malè loquamur. Vtinam, inquam, hãc noſtri magiſtri in eximendis ex animo ſuſpicionibus dexteritatem perdiſcamus. Attendite ergo, attendite, quale vobis hodie documentũ Chriſtus præbuit, qui naſcentem alioqui in turbis de Iohãne, leui ex cauſa, ſuſpicionem, (quia nimirum videbatur interrogando de veritate Meſſiæ dubitare, cum verè non dubitauerit) ſtatim repreſſit.

Breuis exordij concluſio qua monemur Chriſti exemplo ſuſpiciones proximis de proximis cõceptas ſupprimere.

3. Verum circa præſens Euangelium duo dicemus. Primum de teſtimonio, quod Chriſtus de Iohannis vitæ conſtantia, aſperitate, & prophetiæ dono dedit; Secundum ex hac Chriſti eximia laude Iohanni exhibita proximis non detrahere, ſed eos laudare diſcemus. Sed prius illa nobis inuocanda, quæ in ſuum excepit ſinum Iohannem recenter natum, vt ſicuti tunc à Spiritu Sancto edocta, eum baiulando virtutes eius inſinuauit; ſic hodie eaſdem eius inuocatione à Spiritu Sancto perdiſcamus. Aue Maria.

Concionis partitio.

PRIMVM PVNCTVM.

4. Vtinam nos, peracto vitæ noſtræ curſu, bonæ conſcientiæ teſtimonium habeamus: [Gloria enim noſtra (ait Paulus) hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ; quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei conuer

Primum pũctum.
2. Cor. 1.

Digitized by Google

conuersati sumus in hoc mundo.] Hoc testimonium reddente Iohanni conscientia, Christus hodie suo etiam testimonio confirmauit. Et ne alij tacita mentis cogitatione, Iohannis vitæ morumque integritatem carperent, ipse mirificè eum laudat: [Quid existis (inquit) in desertum videre? arundinem vento agitatam! ô quàm fœlix Iohannes, quàm magnus, quàm gloriosus, quem Dei labia, tot commendant sanctimoniæ titulis. [Laudent te labia proximi tui,] (ait sapiens.) Sed [ille] (vt Paulus asserit) probatus est, quem Deus commendat,] qui nec falli, neque adulari potest. Hinc sanctus ille vir Iob probatus est, cuius virtutem, ac constantiam Deus laudans Satanæ indicauit: [Considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, & timens Deum, & recedens à malo?] Verè ergo ille probatus est, quem Deus commendat. Nonne sic Dauidis virtutem extulit, vt sibi probatum illum esse ostenderet. Cuius præclarum illud in Actis elogium: [Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. Nonne sic sibi etiam Noe probari, quem iustum appellauit, significauit? [Te vidi iustum coram me in generatione hac.] Hæc est itaque vera laus, quæ à diuino profecta ore, internã hominis virtutem palam facit. Hinc Christus non alieno ore Iohannem, neque paucis tantum verbis, vti alios laudauit, sed integram de eius laudibus concionem habuit, ac inter natos mulierum, eo maiorem non surrexisse prædicans, plusquam prophetam esse asseruit.

Prou.27. 1.*Cor.10.* *Iob.1.* *Quem Deus commendat ille probatus.* *Act.13.* *Gen.17.*

5. Quid mirum? tam enim illustris eius vita semper fuit, vt cum miraculum nullum perpetrasse perhibeatur, perpetuum tamen eius vita fuerit miraculum. Miraculo in senectute sterilibus parentibus promissus. Miraculo quasi iam effœto semine conceptus; miraculo in vtero matris sanctificatus; miraculo adhuc in materno clausus vtero venientem Dominum in virginea gestatum aluo sentiens, matri suæ

Perpetuum eius vita miraculum.

ſuæ quaſi digito eum deſignauit, miraculo circumciſus mutam patris ſui linguam reſoluit, miraculo inter feras vitam degens (vt auctor imperfecti ſcribit) vitæ ſanctimonia non tantum angelos æquaſſe, ſed eos etiam longè quaſi ſuperaſſe, ita vt in humano corpore, angelus eſſe vulgò à Iudæis crederetur, vt auctor eſt Euſebius. Hinc totam eius vitam continuum fuiſſe miraculum conſtat. Non immeritò igitur, ante eius natiuitatem illum fore magnum coram Domino angelus prædixit; quaſi diceret, parum eſſe magnum omni ex parte coram hominibus: at coram Deo, qui immenſus eſt, & infinitus, & cuius comparatione nihil ſunt omnia, magnum eſſe, id vero eximiæ eſt, & extraordinariæ magnitudinis indubitatum argumentum. Quare pater cæleſtis, vt eius nobis declararet magnitudinem, non ab homine, ſed ab angelo magnum nunciari voluit, non humano, ſed angelico eum dignatus eſt etiam nomine compellare [Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.] Quo loco ipſe Deus pater Iohannem angelum vocat, vt Chriſtus in hoc Euangelio exponit, quem filij ſui præcurſorem inſtituens, vt præiret ante faciem ſuam, Chriſtum ſcilicet, qui figura ſubſtantiæ eius eſt, ordinauit.

Euſeb. lib. 9. Euan. cap. 5.

Ille ſolus magnus, qui coram Deo magnus eſt.

Iohannes angelus.

Malachiæ 3.

Hebr. 1.

6. Quid ergo exiſtis videre in deſertum? arundinem vento agitatam? hominem ſibi parum conſtantem, fragilem, mollem, operibus iuſtitiæ vacuum? Non ita, non ita: [inter natos mulierum non ſurrexit maior Iohanne] ait Chriſtus, quaſi diceret: inconſtans ille nequaquam eſſe potuit, quem pater ab æterno infallibili ſuo decreto, vt meus eſſet præcurſor, ordinauit, & viam mihi ſanctè ac perſeueranter pararet: [Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.] Neque fragilis eſſe potuit, qui ipſum Herodem Regem intrepidè, ac acerrimè arguit: [Non licet tibi habere vxorem fratris tui.] Neque mollis eſſe putandus, qui peccãtium vitam blandimentis minimè fouit, ſed vigore aſperæ

Conſtantia eius, ſubiectis exemplis declaratur.

Matth. 11.

Mar. 6.

inue

inuectionis increpauit, dicens: [Genimina viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? verba enim (vt ait sapiens) sapientium, quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi. Clauis quippe atque stimulis (vt ait Gregorius) sapientium verba comparantur, quia delinquentium culpas nesciunt palpare, sed pungere.] Neque ab operibus vacuus, qui à puero noctes atque dies illis vacabat. Non ergo existis videre arundinem vento agitatam, quæ vt ait ibidem Gregorius, mox vt aura flauerit, in partem alteram inflectitur, cuiusmodi carnalem designat animum, qui [mox vt fauore vel detractione tangitur, in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura fauoris flauerit, hilarescit, & extollitur, totúmque se quasi ad gratiam inflectit: sed si inde ventus detractionis eruperit, vnde aura laudis veniebat, mox hunc, quasi in partem alteram ad vim fauoris inclinat.] ex qua Gregorij sententia planum fit, Iohannem, nulla ratione potuisse cum arundine vento agitata comparari, quem neque mollem reddere gratia, neque cuiuslibet detractio in iram exasperare vnquam potuit: sed siue aura flauit prospera, siue aduersa, Iohannes semper Deo inhærens iustitiæ ex æquo ac misericordiæ studebat. Non ergo arundo erat, vento agitata, quem à status sui rectitudine, nulla rerum varietas inflectebat.

Matth. 3.

Eccle. 12.

Greg. hom. 6. in Euangel.

Simile. Carnalis animi inconstantia.

7. Quis ergo huiusmodi, patris ore, ac filij laudibus celebratum arundinem vento quassatam appellare audebit? quis eum leuitatis arguet, qui ab ipso Deo singulari ratione, præ cæteris, tantis meruit priuilegiis adornari? Sed ô! quàm multas nostra potius tellus huiusmodi inconstantes arundines ferre solet, quas leui popularis auræ sibilo quotidie commoueri videmus. Nemo ignorat, proh dolor! huiusmodi inter nos excrescere, qui hodie peccatis nuncium remittentes, leni cras diaboli sibilo incitati, sese expansis libidinum velis, cœco naturæ impetu, in peccata præcipitant: libidinosis persimiles canibus

Peccatoris in bono proposito inconstantia.

canibus, ad vomitum redeuntibus, iuxta illud Sapientis: [sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens, qui iterat stultitiam.] Quis eo, obsecro, imprudétior, ac turpior, qui libidines suas, seria pœnitentia, veluti salutari pharmaco semel euomitans, ad eas iterum pleno ebibendas hausto reuertitur? Meritò quidem huiusmodi Spiritus sanctus spurcis confert suibus: [Sus lota in volutabro luti.] Quid enim fœdissimæ sui similis homine mancipato voluptatibus, qui semel suas spurcitias pretioso Christi sanguinis balneo ablutas, repetit? Sicut enim sus postquam sese in mundissima lauit aqua, statim in volutabro luti volutatur: sic arundinei peccatores, qui per salutare confessionis balneum, suarum animarum maculas hodie deterserunt, cras, data peccandi occasione, sese in peccatorum cœnum iterum immergunt. Meritò igitur leues arundines, quolibet peccati flatu agitati, appellandi sunt, quorum tanta insuper malitia sic in peccatis obsolescétes, vt optima quæque proximorum, maleuolentiæ suæ subiicientes censuræ, ad pessimam suæ mentis interpretationem detorqueant, absimiles Iohanni, qui boni propositi semper tenax fuit.

Prou. 26. Simile.

Canibus & suibus spurcus peccator comparatur.

2. Pet. 2.

Simile.

8. Vt modò vitæ eius asperitas vestris subiiciatur oculis, interrogat [quid existis in desertum videre! hominem mollibus vestitum?] Ecce quomodo aggreditur eum à sanctæ vitæ asperitate, laudibus extollere! Quid, obsecro, Christus per hoc indicare voluit? Nonne teste Gregorio [vt aperta sententia demonstraret, quia non cœlesti, sed terreno Regi militant ij, qui pro Deo aspera perpeti fugiunt, & solis exterioribus dediti, præsentis vitæ mollitiem & delectationem quærunt.] Nemo ergo existimet, in luxu atque studio vestium peccatum deesse, quia si hoc culpa non esset, nullo modo Iohannem, Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Sed & dives ille, qui apud inferos torquetur pretiosis, & mollibus indutus fuisse, non otiosè memoratur.

Iohānis laus secūdò à vitæ asperitate.

Greg. hom. 6. in Euang.

Aspera Deo, Regi terreno mollia placent.

Luc. 16.

Quid

Quid ni ergo huiusmodi à suo Christus, non arceret palatio, quos mundus primos inter suos amicos suspicit. Non erat fas in aulam Assueri Regis quenquam aspero indutam sacco ingredi. Ecce quàm dispar est huius mundi, à Christi iudicio! quos enim Christus primos habet, hos mundus à suo arcet domicilio. Herodem impium sublimi in throno mundus collocat, & quam magnum coram Domino nouerat, à suo exclusum palatio, vinculis in carcere stringit. Ergo qui mollibus vestiuntur, ex Christi familia excluſi, cum impio Herode in aulis Regum versantur. Cur verò huiusmodi Christus à sua excludat aula, in promptu causa est; quia superfluus corporis ornatus, ac plus æquo delicatus superbiæ quadam titillatione hominem fricat, & ostentationis causa in publicum prodit, ac ad illicitum, dum conspicitur, trahit amorem, inde ad libidinem, ac denique in ferinos traducit mores, vnde scriptura commemorat illam impiissimam Iezabelem stibio oculos suos depinxisse, caputque ornasse, vt in sui amorem ac libidinem Iehu incenderet. Hinc Paulus tanquam rem execrandam superfluum damnat cultum, vbi mulieres, vt cum verecundia & sobrietate se ornent adhortatur: [non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis.] Ergo si in Christi aula conuiuæ esse velimus, aspero pœnitentiæ fructu cum Iohanne contenti, omnem cum illo impendamus curam, vt animam splendidis virtutum aulæis Deo præsentemus, omnem corporis ornandi solicitudinem illi committentes, [qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.]

Esther 4.

Ex vestium luxu quanta sequuntur mala.

4. Reg. 9.

1. Timoth. 2.

Philip. 3. Simile.

9. Insipiens profecto is omnium iudicio habetur, qui ad mortem damnatus, ascendere recusaret iumentum, nisi pulcherrimo sterneretur tapetio, aureoque ephyppio, eiusque ori aurea iniicerētur frænа; & nos omnes antequam nati mortis sententiam accepimus, & ad supplicij locum, per omnia vitæ momen

Stultum hoc corporis iumentum insolentius ornare, animæ ornatu neglecto.

momenta, hoc vili corporis iumento deuecti ducimur. Cur ergo infælices nos, vt tam breue conficiamus iter, hoc vile corporis iumentum, aureo insternere tapetio, aureis induere vestibus, aureis ornare torquibus, variisque gemmarum coruscationibus desideramus. Satius foret ipsam animam, quæ tanquam regina, nunquam moritura, corpori veluti equo insidet, cum Iohanne aureo charitatis amictu condecorare, vt illud in nos Psalmistæ quadret: [Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. Si quis enim (vt ait Chrysostomus) domum tuam aureis tapetis depensis ornare velit, te verò nudum in ciliciis sedere cogeret, non æquo animo id ferre posses. Nunc verò non alius, sed tuipse domicilium animæ tuæ, corpus scilicet auro & gemmis exornas; animam verò in turpitudine cilicij sedentem negligis.] Internæ itaque potius sordes abluendæ. Sed, heu! tota nostra in eo certat industria, vt corporis sordes abluamus; capillos discriminemus, crispantes circum caput cincinnos candenti acu intorqueamus; vultum manusque sæpius abstergamus; vestes excutiamus; anima interim in peccatorum cœno penitus computrescente. Qua in re huic infimo terræ elemento persimiles sumus, quæ externa quidem specie arborum, herbarum, florum, amœnitate ac fragrantia læta ac hilaris apparet: intus verò mediis in visceribus, tartareas sordes, omniumque elementorum eo defluentes spurcitias, atque adeo ipsos immundissimos dæmones continet, & hi, externa quidem compositione, vestium fulgoribus coruscant; intus tamen in mediis animæ visceribus horrendas peccatorum sordes, atque adeo ipsum tartarum sæpe circumferunt. Si enim anima iusti sedes est sapientiæ: è contrario impij anima sedes est Satanæ: [Scio, inquit, Iohannes vbi habitas, vbi sedes est Satanæ.] Hinc nobis acclamat Paulus, vt exspoliemus nos veterem hominem, cum actibus suis, & induamus nouum: nimirum

Psal. 44.

Chrysost. homil. 70. in Matth.

Tota nostra cura in corpore ornando neglecta animæ mundities.

Simile.

Apoc. 2.

Anima iusti sedes sapientiæ, anima impij sedes Satanæ.

Coloss. 3.

rum Dominum Iesum, Christum? O quàm pretiosa hæc vestis! quàm splendidus Deo, angelis, ac hominibus apparet, qui Christo tanquam aurea, coruscat veste. [Induimini ergo Dominum Iesum Christum,] vti idem monet, hac siquidem hodie veste Iohannes indutus, in Messiam assumendus, tanto hoc se honore indignum iudicauit! O quantus hic fulgor in Iohanne ex Christi humilitatis veste emicat!

Pretiosa anime vestis Christus.

Rom. 13.

10. Induimini ergo hanc cum Iohanne vestem. Is verò tantùmmodo hanc induit, qui Christum, vt Iohannes, imitatur. quia sicuti homo, vt ait D. Thomas, continetur vestimento, & sub eius colore videtur: ita in eo, qui Christum imitatur solus Christus, eiusque indumenti color, nimirum sanctitas apparet. Induimini ergo Dominum Iesum Christum, vos imprimis, ô viri, rutilantem charitate, cæterarumque virtutum splendore vestem. Induite fidei fulgentem veritate, spei ornatam clypeo, sanctimoniæ ac mansuetudinis, tanquam inaurata varietate circundatam, vt hac instructi variarum virtutum veste, non è terra, sed è cœlo splendidissimum vos accepisse cultum dignoscamini. [Prodite, & vos, ô mulieres, (vt ait Tertullianus) iam medicamentis, & ornamentis exstructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritus taciturnitate, inserentes inaures sermonem Dei, annectentes cerui cibus iugum Christi: caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis: manus lanis occupate; pedes domi figite, & pluſquam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.] Sin minùs, vti Isaias testatur: [Auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & linteamina, & acus, & specula, & erit pro suaui odore fœtor, pro zona funiculus, & pro crispante crine caluitium, & pro fa-

Simile.

Breuis adhortatio vt Christū omni virtute exornatum, tāquam cœlestem vestem induamur.

Tertul. in fine libri de cult. fœmi.

Mulierum vestes è virtutibus contexta esse debent.

Isa 3.

Mulieres virtutibus ornatæ Christum amatorem habent, & virtutibus destitutæ diabolum.

ſcia pectorali cilicium.] & tunc non Deum ſed diabolum habebitis amatorem. Ergo Iohannes qui animam ſuam virtutum ſplendoribus, vile corporis iumentum veſtium aſperitati aſſueſcens exornauit, Deum amatorem habuit.

Iohannis laus vertiò à prophetiæ dono.

11. Poſtremò Iohannem laudat à prophetiæ dono: ſubdit enim : [Quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plus quã prophetã.] Ecce quomodo eum laudat ab eminenti propheticæ gratiæ ſublimitate ! quaſi diceret: ſi indignum iudicatis in deſertum exire, hominem nequaquam arundini ſimilem , neque mollibus veſtitum videre ; dignum ſaltem iudicate egredi videre prophetam , imò plus quàm prophetam ; quippe qui me quem præcurrendo prophetauerat, etiam oſtendendo digito demonſtrauit, dicens: [Ecce agnus Dei, hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem meam.] Nolite ergo mirari me illum pluſquam prophetam dixiſſe, quem & angelum pater meus appellauit. Hinc Chryſoſtomus in hæc verba: [Cum di-

Iohan. 1.

Chryſoſt. in illa verba, Ecce ego mitto. Iohannes prophetis maior eſſe declaratur. Similia.

xiſſet Chriſtus Iohannem prophetis maiorem eſſe, quare maior ſit oſtendit , quoniam propinquauerat Chriſto venturo: mittã enim, inquit, angelum meum, ante faciem tuam: qui autem ante faciem eſt, is propius eſt. Nam quemadmodum maiore dignitate ij ſunt , qui proximè Regibus deambulantibus ordinantur: ſic Iohannes in ipſo aduentũ conſtitutus, maiore gratia fulſit: ergo omnibus præeminet prophetis ; licet tempore omnibus poſterior fuerit.] Nam ſicuti multæ ſtellæ orientem præcedunt ſolem , quæ quidem aduenientis lucis prænunciæ ſunt: nulla tamen earum Phoſphori nomen ſortiri meruit, præter illam , quæ cum ipſa luce procedit : ſic omnes prophetæ veluti ſtellæ ſolis iuſtitiæ aduentum quidem præceſſerunt, & prænunciarunt : ſolus autem Iohannes non tantum ſolis aduentum præceſſit , ac in ipſo matris vtero ſingularibus in mundum breui naſciturum ſe ſignis declarauit , ſed ipſum etiã ſolem digito

gito oſtendit. meritò ergo Chriſtus ſuum præcurſorem pluſquam prophetam extulit ; quare infert.[Inter natos mulierum non ſurrexit maior Iohanne Baptiſta.]

Secunda huius Concionis pars.

12. VT quod ſecundo dictum volui loco , quidnam ex hac Iohannis laude diſcendum,paucis expediam.Si filij Patris cœleſtis eſſe velimus,natura,moribus,ac exemplo Chriſtū nos imitari oportebit.Ille naturâ bonus,moribus ſuauis,exẽplo conſpicuus , in quibus omnibus nos ſimiles eſſe debemus.Ille ex naturæ ſuæ bonitate ſuauiter diſcipulorum Iohannis errorem corrigens , dubios etiam circumſtãtium animos de Iohannis ſinceritate,inſtruit. quo ſingulari exemplo dubia etiam aliorum facta ad ſaniorem ſenſum reuocare , & errantes morum ſuauitate,ac verborum dexteritate , ad certam rei veritatem reducere, nos docet. Cum itaque filij parentum ſuorum naturam & conditiones ad ſe trahere ſoleant ; ex hoc quiſque certum præbebit ſignum, cuius ſit filius,eius nimirum,cuius naturam, & conditiones imbibit. Atque hinc Chriſtus ipſe Phariſæos,qui in ſuos proximos, plus æquo ſeueri extiterunt,à cœleſti Patre progenitos , cuius conditiones ac naturam minimè induerunt,negat : [Ego, inquit, quod vidi apud patrem meum loquor.]Quo loco ſe Patris cœleſtis filium ſignificat , cuius naturæ tum moribus,tum verbis ſeſe omnino conformat.[& vos quæ vidiſtis,apud patrem veſtrum,facitis] vbi apertè illos ex patre diabolo prognatos docet,cuius naturam,mores,& exemplum imitantur.Ille[accuſator fratrum qui accuſabat illos ante conſpectum Dei die ac nocte]Ecce pater!ecce filij!ecce accuſator!ecce imitatores!Chriſtus cum Patris cœleſtis ſit filius, fratres non incuſat, ſed excuſat.Illi cum diaboli ſint

Secunda pars Concionis.

Suauiter Chriſti more errantes corrigendi.

An Dei an diaboli ſis filius mores indicabunt.

Iohan. 8.

Apoc. 12.

filij,fratres non excuſant,ſed incuſant quàm multos, proh dolor ! inter nos imitatores habent, qui ad inſtar arundinis in omnem partem vertuntur , ac ſuæ leuitatis,ac inconſtantiæ,aliorum vitam inſectantes, euidentia præbent ſigna ! ô quot inter nos , qui ex ſua tantum corrupta ſuſpicione , leuibus ex ſignis, omnes indiſcriminatim diiudicant , & ſub iniquo prudentiæ velo,quo occultum pectoris venenum,tegant,melle ſubinde ſermonem attemperant , vt audientis pectus inficiant.Nónne vacuę,obſecro,& ſteriles arundines meritò huiuſmodi habendi ſunt ? ſicut enim arundo foliis ornatur, fructu tamen caret: ſic huiuſmodi quamuis ore ſuo benedicere videantur,corde tamen maledicunt:mel in ore verba lactis, ſed fel in corde, & fraus in factis.Quis ergo detractoris conſuetudinem non fugiet?

Simile. Detractor blandè ſuum inſtillat venenum.

Similiâ. Detractor inſtar ſuis vitiorũ ſterquilinium euertit.

13. Præterea ſicut arundo ſuas in luto figit radices:ſic huiuſmodi detractores ad inſtar ſuum rictu ſuo,in alienorum vitiorum ſterquilinium incumbentes , ora ſua ſordibus commaculant , in ſuorúmque hærent fæcibus peccatorum. Arundo foris leuis ac plana,intus verò caua,& ideo fragilis eſſe ſolet. Sic detractores foris ſimulata politi iuſtitia apparent: quippe qui ſibi minimè detrahendi animum eſſe,ſed veritatis tantummodò cauſa ſe aliorum carpere vitia aſſerant.Blandi ſunt & mellei ſubinde in conuerſatione,& quaſi tactu molles : at quoniam intus virtute ac Dei gratia vacui,facilè ex eorum inconſtantia ac leuitate, quales ſint , deprehenduntur. Sicut enim locuſtæ, de quibus Sanctus Iohannes , faciem humanam prę ſe ferunt; quarum dentes leonini,qui, quales locuſtæ ſint,declarant : ſic licet humanas facies,execranda hæc detractorum monſtra habere videantur,ſæuiſſimos tamen leonum dentes , in mores ac facta hominum infigunt: imo quod deteſtabilius eſt,omnem exuentia humanitatem,viuis hominibus tanquam leones veſcũtur:de quibus Pſalmiſta: [Appropiant ſuper me nocentes,vt edant carnes meas.]

Detractor furis apparet iuſtus cum tamen iniuſtiſſimus ſit.

Detractor gratia vacuus. Apoc. 9.

Detractores locuſtæ.

Detractores leones. Pſal. 26.

14. O quan

14. O quanta hæc hominum crudelitas; vt ipſas etiam beſtias immanitate ſuperent, quippe, qui neque viuis neque mortuis parcere norunt, ſed quaſi nominis naturæ penitus obliti diabolo fiunt perſimiles: in quorum ſinu dormire à B. Iob perhibetur, vt animas etiam eos deuorare doceat: [ſub vmbra dormit in ſecreto calami.] Sub vmbra (inquit) dormit, in peccatorum ſcilicet cordibus, quo radij iuſtitiæ ſolis nequeunt pertingere: [in ſecreto calami] ſcilicet dormit, in vacua nimirum ab omni gratia detractoris anima, qui ſicuti foris ſæpè iuſtitiam prætendit: ita etiam letiferum intus abſcondens venenum, clam interficit animam, cum qua veram ſimulat amicitiam. Heu! quàm multi in nobis arundines, ſiue calami, in quibus, proh dolor ſuum collocat diabolus cubile, qui ab operibus iuſtitiæ vacui, manſionem illi in ſecretiori animæ conclaui, per detractiones præparamus. Non ſic docuit nos Iohannes, qui ab ineunte ætate Dei thronum in ſua portans anima, iuſtitiæ ſemper vacauit operibus, ac proinde neque verbo neque opere, proximo vnquam nocuit, qui in proximorum ſalutem ſemper incumbens, pro ſtipendio tandem, ab impio Herode, capite plexus eſt.

Detractor beſtias crudelitate ſuperat.

Iob. 40.

Detractoris anima cubile diaboli.

Animas mactat quas beſtiæ mactare non poſſunt.

15. Ecce Iohannes vobis in viuum veræ iuſtitiæ exemplum propoſitus, qui vt omnes iuſtitiæ partes expleret pro iuſtitia mortem occubuit. At nos proh dolor! vt omnes ſæpè iniuſtitiæ partes expleamus, quæ maximè in proximi famæ ſublatione conſiſtit, æternam animæ mortem ſponte incurrere feſtinamus. Hanc detractoris linguam, ſagittam Hieremias vocat vulnerantem: [ſagitta vulnerans lingua, dolum locuta eſt, ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias.] Quæ obſecro, ſagitta magis penetrat, quæve magis vulnerat, detractoris lingua, quæ vno ſæpè ictu plurimos interficit, & ita dolosè interficit, vt ſeſe interfici vix ſentiant. Quemadmodum enim dipſas ſerpens prius occidit, quàm ſentiatur, nullâ enim morituro ſuum inſtillans

Maxima iniuſtitia famâ proximi lædere.

Hiere. 9. Sagitta vulnerans lingua detractoris.

Simile. Dipſa detractor aſſimilatur.

venenum, triſtitiam inducit: ſic illa blando ſæpè alloquio, ita detractionis venenum audientium animis infundit, vt antequam aduertant ſuauiter enecentur. Vnde huiuſmodi hominum monſtris, Dominus extrema minatur. [Nunquid ſuper his non viſitabo, aut in gentem huiuſmodi non vlciſcetur anima mea?] Ecce quomodo quaſi ſecum deliberans Deus, de pœnæ grauitate, detractoribus inducendæ loquitur: ſed tandem vaſtitatem ac deſolationem illis inferre decernit. Sequitur enim: [Dabo Hieruſalem in aceruos arenæ.] Ecce deuaſtatio! [& cubilia draconum dabo in deſolationem:] ecce deſolatio. & quaſi indicans neminem ferè ab eo immunem vitio, interrogat:] Quis eſt vir ſapiens, qui intelligat hoc?] & veluti nullum reperiens, qui ſecum ſapienter hæc mala detractori ſuperuenientia ſeriò examinet, ac proinde plenis quaſi velis in hoc vitium, tanquam in offenſionis rupem, omnes illidi videns, hanc ſuæ iuſtitiæ ſententiam ſeueritate plenam, ſubdit: [Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio:] amaris tandem tartari calamitatibus, qui [ad iracundiam me prouocauit, in amaritudinibus ſuis,] qui, inquam, me ſuis ſceleribus amarum fecit, qui dulcis ſum, amarulento detractionis iaculo', [& potũ dabo eis aquam fellis] poculũ amaritudinis æternæ in eorum caput infundam, [& diſpergam eos,] conuenticula eorum diſſipabo, [& mittam poſt eos gladium donec conſumantur,] vindictæ meæ gladius ita eorum carnes deuorabit, iuxta illud Deut. [Gladius meus deuorabit carnes] perpetuum in inferno, in quo morientes, numquam morientur. O quanta hæc Dei in detractores comminatio, & quàm ſubita eos ſæpè pœna, adhuc viuos mulctat his ſubiectis declarabo exemplis.

Quanta pœna detractor mulctandus, Deus quaſi deliberat.

Oſe. 12.

*Deuteron.*32. *Pœna detractoribus comminata.*

16 Cum Maria fratri ſuo Moyſi detraheret, Deus tantum ſtatim indignans ſcelus, ait: [Quare non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi?] tantáque derepente ira atque furore exarſit, vt illo, præ indigna-

Num. 12.

tione

tione,abeunte, nubes quoque ſimul, quæ erat ſuper tabernaculum euanuerit.Quo facto[ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix.]in quem locum Origenes: [Ira, inquit , furoris Domini efficitur ſuper eos,qui malè loquuntur, & detrahunt. Nec prætereundum prius nubem à tabernaculo receſſiſſe,quàm Maria lepra inficeretur , vt declaretur ſi in aliquo Spiritus ſancti gratia inhabitat,obtrectando, ac detrahendo ſtatim ab eo recedere,completa detractionis malitia.] Vnde & anima huiuſmodi peccati lepra repletur. Nec mirum, cùm hoc vitium vnum è præcipuis reprobationis ſignis eſſe non obſcurè Spiritus Sanctus declaret. Quid ergo mirandum ſi huiuſmodi exteriori corporis lepra veluti indice interioris animæ latentes morbi notentur, quo præ cæteris ab hoc infami caueant animi morbo,præſertim cùm vix vnquam curari poſſit,cùm ſit reprobationis ſignum:[Vir enim linguoſus non dirigetur in terra ,] quaſi diceret, detractor conuitiis aſſuetus non proſperabitur in terra , imo in peccati etiam pœnam, ignorabit (ſua quidem culpa) in hac vita bene viuere , ſed à via veritatis aberrans in æternæ tandem damnationis ſcopulum impinget : [Virum iniuſtum mala capient in interitu.] non ſolùm detractor iniuſtus, (hac enim detractoris iniuſtitia vix maior reperiri poteſt) non dirigetur , nec proſperabitur in terra , ſed mala quæ illum etiam capient, tantum abeſt,vt ſint ad patientiæ illi præmium , vti iuſtis eſſe ſolent , vt potius futura ſint ad interitum ſempiternum. Ecce reprobationis ſignum,cum diro detractoribus infligendo ſupplicio ; & tamen nihil inter nos hoc vitio ſolemnius , & nihil minus conſcientiæ noſtræ ſyndereſim ſolicitat,cum tamen, teſte Auguſtino , grauiſſimum committat ſcelus , qui hac murmurationis conſuetudine indureſcit : [Neſcio, inquit, de hoc murmurationis vitio, niſi quod omnibus,ac ſingulis quibuſque optimè conſideratis, minus malum eſſe ducerem,ſi te adulterum,quàm ſic

Grauis infligenda detractoribus pœna. Orig.hom. 7. in Numer.

A detractoris anima Spiritus S. gratia fugit.

Detractio reprobationis ſignum.

Pſal.139.

Auguſt. tom. 10. ſerm. 46. ad fratres in eremo.

murmuratorem esse perspicerem;ab adulterio enim citò te cohiberes,culpámque tuam agnosceres; sed ab hoc malo difficillimè poteris resipiscere: vix enim quisquam reperitur,qui se murmuratorem esse cognoscat,& etiã si quis se murmuratorem esse cognoscet,vix potest debitã satisfactionẽ reddere, nec intelligere quãtum alterius famam læserit,auditoribúsque offecerit, qui postea malum multiplicant, quod ipse seminauit.]graui ergo pœna mulctandus.

Infamia ex detractione secuta vix vnquam satisfit.

17 Nescitis quàm seuerè Deus hoc detractionis vitio ad iracundiam prouocatus, Core, Datan, & Abyron,punierit? [Confestim enim,vt cessauit loqui Moyses disrupta est terra sub pedibus eorum,& aperiens os suum,deuorauit illos,cum tabernaculis suis,& vniuersa substantia eorum, descenderúntque viui in infernum cooperti humo.]Oquanta hęc supplicij seueritas, vt statim hi tres cum suis complicibus vix in Moysem detractionis verba prolocuti, cùm viui ad inferos præcipitarentur? Quis nostrûm est,qui horum æternæ calamitatis exemplo posteris proposito, imitari vitam non perhorrescat, ne cum iisdem etiam consimili inuoluatur supplicio? Cur non concidimus animis auditis huiusmodi detractorum inusitatis pœnis, & saltem non tanquam à serpentibus, sic ab iis fugimus, nostræ inhiantibus animæ?O vtinam pauor ille ac trepidatio,qua astantium animi,illis coram pereuntibus,perculsi,nostros etiam animos percelleret?O vtinam timor ille,quem ipsi ex præsenti casu conceperant, eósque fugere compulit, nobis semper recurrat in mentem, vt toties quoties in aliorum mores impuri oris venenum euomentes inaudimus, saltem illorum consortio quã celerrimè subtrahamur. [At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit à clamore pereuntium, dicens,ne forte,& nos terra deglutiat.]fugiamus & nos ne iisdem cum illis implicemur malis.

Num. 16. Detractores viui ad tartara voluuntur.

A detractore fugiendum.

18 Sed quid tandem?fierine poterit,vt læsæ famę satisfaciant?vix vnquam: nam ita petulantis linguæ

Fama læsa vix reparari potest.

dentes

dentes in alterius famam infigunt, vt eam penitus deuorent iuxta illud Deuteron. [Deuorabunt eos aues morsu amarissimo.] O quàm amarus morsus tuus ? ô murmuratio animæ detrahentis? ô aues immundæ & obscœnæ quas Spiritus Sanctus à sacrificiis arcendas iudicat ! siccine famæ læsæ putatis impunè debitum effugere supplicium? ô mordaces muscæ, quæ putredinem in sana carne quæritis, siccine sine graui punitione euadere putatis ? sicut muscæ pomorum aceruo conspecto, si quod aliqua affectum corruptione pomum viderint, facto agmine, accelerant, illúdque inter cætera identidem mordent exfugúntque: sic vos si in homine multis virtutum ornamentis conspicuo vel vnicam animaduerteritis imperfectionem, tanquam auidæ putredinis muscæ in eam inuolantes, ita vestri impuro oris rostro illam sæpè pungitis, vt cæteras eius virtutes, præsertim coram maleuolis auditoribus commaculetis : vnde Bernardus vos viperæ, quæ vno sibilo, tres simul interficit, comparat. Nam detractor seipsum, maleuolum auditorem, & illum etiam cui detrahit vno oris flatu, quodammodo internecat. Horum maleuolentia, tanquam in schemate depicta in illa Nabuchodonosoris statua, nobis ob oculos subiicitur, in qua erat aurum, argentum & æs; cuius pedes fictiles, vnde lapis sine manibus abscissus in statuam incidens, neque aurum, neque argentum, neque æs percussit, sed fictilem illam partem in frusta contriuit ; ita vt tota statua comminueretur : sic si quispiam diuersis quasi virtutum metallis coruscet, charitatis nimirum auro, sapientiæ argento, optimæ famæ ære; si tamen minimam in se partem fictilem contineat, minimum scilicet imperfectionis næuum ; ecce tibi è montis superbiæ vertice detractor, quasi lapis, qui neque virtutes attingit, neque bonæ famæ nomen extollit, sed in illud parum luti impingens, confringit, vt sua detractione pulcherrimam illam ex virtutum varietate erectam statuam deiiciat ac prosternat.

Deut. 32. Figura.

Leuit. 15.

Simile.

Detractor putredine delectatur.

Tres simul vno sibilo detractor interimit.

Bern. de triplici cust. manus, linguæ & cordis.

Dan. 2. Figura, Simile.

Detractor vt virtutes eleuet, vitia detegit.

Serpens & detractor æquales. Simil.

19 O ſerpentes, veneno ſordidi pectoris inficientes innocuas animas! [Serpens (inquit Hieronymus) & detractor æquales. Quomodo enim ille occultè mordens, venenum inſerit: ſic iſte clàm detrahens, pectoris ſui virus infundit: ſi mordeat enim ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.] Et tamen hominis naturam obliuiſcentes, ac ſerpentum induti conditionibus non perhorreſcitis, ne, quam ſerpens olim incurrit maledictionem, ſimul etiam incurratis. Attendite, attendite, quoniam Baſilius eiuſmodi à reliquorum ſocietate & conſuetudine exterminandos iudicet, qui naturæ ſuæ obliti, dæmonum, ac ſerpentum more quoſlibet venenant. Tãta ſanè horum malitia eſt, vt leonum, tygrium, luporum excedant crudelitatẽm: hæc enim animalia plerumque cum ſua vtilitate, ac ſimul incolumitate damnum aliis ſolent inferre: hi verò inſtar apum, licet parum ſæpe damni inferant, viſcera tamen ſemper ſua, cum detractionis aculeo, cum apibus effundunt, animáſque ſuas interficiunt. Hinc Apoſtolus nos monet, vt horum non timeamus aculeos, (licet eos fugere debeamus) cùm potius nobis proſint quàm obſint: [In nullo, inquit, terreamini, ab aduerſariis, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis.]

Ecel. 10.

Basil. in Reg. 26.

Detractores licet feriscrudeliores, tamen parum saluti officiũt, sibi obsunt plurimum. Philip. 1.

Inuectiua peroratio in detractores, cum breui recapitulatione praua-rum eorum conditionũ. Simile.

20 Fugiamus ergo nos huiuſmodi, & tanquam à facie colubri ſubdolas has locuſtas, ſerpentes hos venenatos, amarulentas has aues, muſcas has mordaces, voraces hos coruos, qui cadaueribus inhiantes ex Arca emiſſi neſciunt redire. Execremur fraudulentos hos crocodilos, qui ſub falſo amicitiæ velo, commiſerationem ſimulantes, non ſecus, ac illi, conſpecto homine lachrymas emittunt, quem tamẽ appropinquantem deuorant: ſic, inquam, hi dum videntur noſtris malis condolere, tunc maximè fraudulento oris ſui veneno inficiunt, quos tanquam ſerpentini generis hoſtem, perſequi nos propheta Dauid ſuo monuit exemplo: [Detrahentem ſecretò proximo

Pſal. 100.

ximo ſuo hunc proſequebar.] Deteſtemur ergo huiuſmodi ſcabioſos, qui ob continuam detrahendi pruriginem, quin ſeſe ſemper ſcalpent, abſtinere non poſſunt, qui ab omni ſacro olim myſterio meritò arcebantur. Abominemur hos ſcorpiones, qui geminis ſemper aculeis in ictus conantur: [Poſuerunt enim in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra.] Non ſatis illis obliquo ac inflexo ictu quoſlibet maleuola lingua ferire, niſi, etiam in viros Deo dicatos ſceleſti oris venenum inſtillent. Fugiamus ab iis in quibus ſuum dæmon Spiritu Sancto expulſo, domicilium collocauit. A dæmone enim detractio ortum habuit: [Nequaquam, inquit, morte moriemini; ſcit enim Deus, quod in quocunque die comederitis, &c.] Ecce primus detractionis inuctor, cuius natura ac ingenium eò tendit, vt inimicitias inter Deum & hominem ſeminet, Deo detrahendo: fugiamus denique hoc genus dæmoniorum, quod non alio nomine quàm ipſius diaboli Apoſtolus vocat. vbi enim nos habemus: [Mulieres ſimiliter pudicas non detrahentes,] pro [non detrahentes] Græcè eſt μὴ διαβόλους, hoc eſt, [non diabolicas, non calumniatrices] vt hinc detractorem non hominem, ſed diabolum quodammodò eſſe iudicemus. Væ enim, væ detractori, & in æternum vę, cuius finis interitus, & detractio, æterna confuſio.

Pſal. 72.

Genes.

1. Timoth. 3. Detractor diabolus.

EXEMPLVM.

21 Vincentius narrat, in Anglia religioſum veſte, non vita quemdam fuiſſe, quippe detractionibus aſſuetum, qui dum in extremis moneretur vt anteactę vitę confeſſionem inſtitueret: Non faciam ait: Cur, aiunt pręſentes? Ille contrà; quia non poſſum. Cúmque multis vrgeretur, ſuam extraxit linguam, eámque ſuo percutiens digito; Iſta, inquit, lingua peſſima me damnauit. Quo dicto, lingua ſtatim intumuit adeò, vt regredi in os non valuerit: & ſic lingua fœdè exerta, horribiliter ſine pœnitentia, animam fœdius euomuit.

Vinc. in ſpeculo mor. li. 3.

CONCIO

IN DOMINICAM SECVNDAM ADVENTVS.

Concio Secunda.

THEMA: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizantur.* MATTH. II.

Veritas Christi missionis ostenditur.

1. VT veritatis suæ missionis argumenta simul, & diuinitatis, Christus ostenderet, statim, vt sese dedit nostrarum animarum institutorem, quas à Patre patentes ab æterno accepit literas, scriptas tamen in tempore,& miraculis, quasi sigillo consignatas, coram Iohannis discipulis hodie aperuit. quibus ait, [Ite renunciate Iohanni me ex manifestissimis miraculorum argumẽtis Patri æqualem:opera enim quæ facio,id apertè testificantur: *Iohan. 5.* [Hæc enim sunt quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea] hæc,inquam, eadem quæ ego facio,& quæ testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, & qui misit me Pater ipse testimonium perhibuit de me,dicens: hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.]Ne autem quis de mea à Patre missione, aut de patentibus ab eo accepris,dubitaret, magno diuinitatis, ac omnipotentiæ suæ sigillo eas communitas voluit. Miracula enim,quæ meam testantur potentiam, ac diuinitatem, meis operibus,tanquam sigilla ei adhibere placuit.

Christi missionis, literis patentibus miracula tãquam sigilla applicantur.

2. Cœci itaque vident. Ecce primum patentium literarum sigillum? & ne forte arti magicæ, aut præstigiis quispiam hæc ascriberet, non satis fuit Patri literas suas ab æterno in filij sui pectore conscriptas esse nisi etiam palam eas in tempore omnibus faceret patentes. Sacer ille scriptor Isaias, (cui Spiritus sanctus, tanquam calamus velociter scribentis traditus,

ditus, Patre ipso, singula literarum verba dictante) in hunc modum scriptas recitat: [confortate manus dissolutas,& genua debilia roborate, dicite pusillanimis, confortamini & nolite timere,ecce Deus vester Deus ipse veniet & saluabit vos]Ecce conscriptæ litteræ! Sigilla verò his apposita considerate; [Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt. tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.] quæ hodie expleta videmus. O quàm efficaces literæ! quàm efficacia sigilla,Dei omnipotentis impressa manu! nouit enim ipse tantam esse mortalium pertinaciam,vt filio suo, carne circundato, fidem adhibere nolint, nisi etiam eius literis valde perspicua diuinitatis signacula applicarentur. *Isaiæ* 35.

3. Tria hac concione sigilla diuinitatis ac omnipotentiæ Christi literis patentibus appensa explicanda sunt: Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur: prius Spiritus Sancti gratia per beatissimæ Virginis interces sionem impetranda solita Angelica salutatione. Aue Maria. *Concionis partitio. Primũ, sigillum,cœci vident.*

PRIMVM PVNCTVM.

4. Primum itaque sigillum, Christi literis impressum: cœci vident. Plures cœcos, Euangelista Luca teste, coram Iohannis discipulis sanauit [& cœcis, inquit, multis donauit visum.] Quemadmodum aliàs sæpe,vti illi apud Marcum, cuius apprehensa manu in eius expuens oculos diuina saliua, veluti collyrio eos imbuit, ac primam imperfectè curauit,quia imperfectè,vt Theophylactus ait,credebat.præterea,vt cœci desiderium ac fidem accenderet tandem perfectam præstitit lucem, quoniam Dei perfecta sunt opera. sic etiam cœco à natiuitate visum restituit [præteriens Iesus vidit hominem cœcum] Vidit à quo videri minimè poterat,salutiferos oculos in cœci oculos coniecit;coniecit splédore cœlesti plenos, in oculos densa oppletos caligine, coniecit misericordia redundantes, in oculos *Lucæ* 7. *Mar.* 8. *Iohan.* 9.

cœci

by Google

Apoc.1. cœcitatis miseria ab ortu oppressos.[Oculi eius,inquit Iohannes, tanquam flamma ignis.] Sicuti ergo ignis flamma,lucernam attingens extinctam, statim *Simile.* inflammat:sic Christi oculi,veluti flamma ignis, extinctos cœci oculos attingentes, illos inflammarũt. *Ambrosius Epist.75.* Vnde Ambrosius, [Quasi lux Christus tetigit cœcum & lumen infudit.] Quemadmodum ergo sol quicquid reperit tenebrosum, suis statim splendoribus collustrat: sic sol noster Christus tenebrosos cœci oculos, diuinitatis radiis emissis, protinus illuminauit.Eodem etiam modo diuinitatis suæ splendore duorum cœcorum oculos, qui sedentes secus viam conclamarunt [Domine miserere nostri fili *Matth.20.* Dauid] illustrauit. Quamuis hoc sit adeo magnum miraculum cœcorum curatio,vt sufficiens omnipotentiæ Christi testimonium sit,cùm id fieri non possit,sine virtute infinita, naturæ vim superante, teste philosopho dicente non esse regressum à priuatione ad habitum : maius tamen miraculum est,si nos hodie,qui cœci sumus , mentis oculis capti illuminemur.Quid enim,obsecro,calamitosius corporeis destitui oculis,an mentis ? quid, inquam, nobis magis *Satius est corporis carere oculis quàm mẽtis. Chrysostomus Hom. 55.in Iohannem.Basilius Hom.3.* obesse potest corporis oculis,quàm voluntate,& intellectu,qui mentis sunt oculi,priuari, nemo id non videt ? fateor quidem nobilissimam corporis nostri partem oculos esse, quippe qui rectorum vices toti corpori(Chrysostomo teste,)obeũt:[Oculus,inquit, totum corpus gubernat,ac regit]qui,vt ait Basilius, veluti excelsa ex specula omnia explorant [Oculi, inquiens, præexcelsam occupauerunt arcem speculationi designatam] qui insuper veluti quidam reges in prærata collocati regia, cætera corporis mẽbra dirigunt. [Oculus, vt in regio quodam loco,asserit, in altiore corporis parte sedem sortitus est,& cæteris præfertur sensibus]qui denique sol corporis *Chrysostomus supra.* à Chrysostomo nuncupantur,[Quod, inquit,sol est mundo, hoc est oculus corpori.] Sed quemadmodum animus multis partibus corpus superat,sic eius

etiam

etiam præſtantiſſima pars præſtantiſſimam corporis partem ſuperare nemo inficias ibit:quo ergo nobiliores mentis oculi intellectus & voluntas,præ corporis oculis:eo etiam nobis miſerius illis, præ his, carere, & quo difficilius illos, præ his, recuperare, eo etiam maius diuinitatis ac omnipotentiæ argumentum in illorum, quàm horum reparatione, illuceſcit.

Qui verè cæci ſunt hîc demonſtratur.

5. Cœci ergo ſumus, proh dolor ; qui cœco voluntatis impetu,ſpreto Dei iuſſu,carnis ſectamur illecebras.Cœci ſumus,qui intellectus noſtri aciem, in res terrenas,Dei(cuius gratia conditi ſumus) neglecta contemplatione defigimus. Cæci ſumus , & abſque præuio viæ duce ambulamus , cum cœleſtium rerum intellectu priuamur , hic enim veluti rector non tantum ipſos corporis oculos,aures,linguam,manus , pedeſque ne à via mandatorum Dei aberrent , regit , verum etiam alteri mentis oculo voluntati nimirum accenſam præbet facem, vt quæ amanda ſunt,amet: quæ odio digna,abominetur. Si itaque hoc rectore , & ſpeculatore careamus , quomodo æternas , fluxaſque res ſpeculabimur: vt illas voluntas complectatur , has , deſpicatui habeat ? ſi hoc ſole deſtituamur , quo omnes animi partes appetitioneſque ita illuminari ſolent , vt quo debeant tendere ſtatim videant,indomitis obſcurati cupiditatibus,effræni quadam licentia in quælibet transferemur illicita.[Aſcendit fumus(ait Iohannes)putei, ſicut fumus fornacis magnæ , & obſcuratus eſt ſol.] Heu! quoties effrænatarum voluptatum , amoris, odij,auaritiæ,ſuperbiæ fumus in nobis aſcendit,qui tanta intellectum caligine obuoluit,vt ipſis iumentis animi oculo carentibus, ſimiles efficiantur,iuxta illud Pſalmiſtæ [homo cùm in honore eſſet,non intellexit,comparatus eſt iumentis inſipientibus,& ſimilis factus eſt illis] homo itaque ad caduca ſeſe abiiciens,brutas conſectatus voluptates, qui præter cætera animalia à Deo honoratus intelligentia , ratione,

Apoc.9.

Pſal.48.

Quantum malum mentis oculis carere.

gitized by Google

tione,libero arbitrio,diuinitatis imagine,immortalitate animæ, imperio in omnia, quæ in terris sunt, adeo ab hominis natura degenerat;vt his veluti omnibus spoliatus, comparatus sit iumentis insipientibus, quibus non est intellectus, & similis factus est illis,dum more pecudum, in futura non prospicit, sed præsentibus solum inhiat voluptatibus, æternorum bonorum neglecta penitus consideratione. Verè igitur cœci sunt vt ait Lactantius li.4.c.26. qui cœlestia non videntes & tenebris ignorantiæ circumfusi terrena fragilia venerantur. Ecce videtis quantum malum, præ corporis oculis hoc intellectus oculo carere: quanta verò in huiusmodi cœcitatis curatione difficultas sit, sæpius Christus ostendit,cùm tamen vel solo vocis imperio, vel attactu manus, vel voluntatis nutu, corporis cœcitatem semper curaret.

Quanta difficultas in animi oculis restituendis.

6. Hoc docet lis illa ac anceps lucta castitatis, & libidinis in Augustino,quæ tanta fuit,vt vix se ab illa expedire potuerit, licet sæpius singulari Dei auxilio sese communiri sentiret. nam adeo alter mentis oculus,intellectus nimirum Manichæorum hæresi obtenebratus:alter voluntas scilicet luxuriæ fæcibus contaminata fuit, vt extraordinario quodam gratiæ adminiculo illi opus fuerit,ac iteratis diuinæ gratiæ ictibus, quibus à graui peccatorum lethargo excitaretur: sentiebat enim vt ipse fatetur, ab iis se teneri,licet diuina voce identidem, ab illis reuocaretur:vnde huiusmodi, in tam ancipiti lucta voces miserabiles iactabat. [Quamdiu, quamdiu cras & cras?quare non modò, quare non hac hora finis turpitudinis meæ.]Sed tandem lecta salutari Pauli sententia,quasi luce securitatis infusa cordi eius,omnis dubitationis tenebræ diffugerunt [non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & in impudicitiis,non in contentione & æmulatione,sed induite Dominum Iesum Christum & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis, nec vltra, inquit,

Ad Romanos. 13.

inquit Auguſtinus, volui legere nec opus erat.] Vt verò oſtenderet quantæ molis hæc ſua conuerſio fuerit in illud Pſalmiſtæ erumpit [dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis] vt autem diuinæ etiam gratiæ in tam difficili opere perficiendo efficaciam declararet, exclamat. [Quàm ſuaue mihi ſubito factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat: eiiciebas enim eas à me; vera tu, & ſumma ſuauitas, eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.]

Pſ. 115.
Efficacitas gratiæ.
Aug. l. 8. confeſſionum c. vltimo.

7. Tanta eſt peccati cœcitas, vt quoquo verſum ita peccatorem impellat, vt penitus ignoret quid ſibi faciendum. Hinc vt ait Iſaias [immiſcuit Dominus in medio Ægypti ſpiritum vertiginis] vel, vt aiùnt ſeptuaginta, ſpiritum erroris, vel ſpiritum peccati. Ecce quid peccati cœcitas efficiat. Cum enim ſemel, ſuis mentem tenebris obnubilat, ita in errorem peccatorem in ſuis actionibus abducit, vt neſciat quid faciat. In quem illud Sophoniæ meritò quadrat. [Ambulabunt vt cœci, quia Domino peccauerunt.] Ecce quomodo ſpiritum vertiginis peccati nebula cauſet, vti modò in Auguſtino vidimus. Sicut enim qui vertigine laborat totam terram in orbem verti putat, omniáque ſurſum deorſum ire, ſic ij, quos peccati ſpiritus exagitat, ita rationis iudicium perturbatum ſentiunt, vt bonum malum, ac malum bonum æſtiment: virtutem fugiendam, vitium amplectendum, terrena ſectanda, cœleſtia contemnenda iudicent. [Mendaces filij hominum in ſtateris] in iudicio nimirum rectæ rationis, quod nobis à Deo datum, vt diſcernamus & quaſi in ſtatera appendamus vera bona, & vera mala, & eligamus præ veris malis, vera bona: mendaces ergo ſunt in huiuſmodi ſtateris, verè mendaces, quibus corrupta eſt, Euthimio teſte, iudicij ſedes; quoniam eligunt inſtabilia, pro ſtabilibus, & mala, pro bonis. Verè ergo mendaces filij ho-

Iſaiæ 19.
Peccatum cæcos efficit.
Sophoniæ 1.
Simile.
Pſ. 61.
Euthi. in illum locum.

minum, & cœci, qui quasi in manu sua rationis ac iudicij stateram tenentes in altera bilancis parte, Deum collocant, in altera aurum, argentum, gemmas, dignitates, honores, possessiones, quas præ Deo eligunt, cùm tamen hæc omnia cum Deo comparata nihil habeant ponderis. Mendaces ergo & cœci filij hominum in stateris, quod vero omnia illa Deo collata nullius sint momenti, bonus ille rerum æstimator sapiens fidem facit. [Quoniam ante te orbis terrarum tanquam momentum stateræ, & tanquam gutta roris antelucani, qui descendit in terram]quasi dicat, sicut minima lancis inclinatio in hanc vel illam partem minimi est momẽti, sic vniuersus etiam mundus, minimus est, respectu Dei: & sicuti hæc propensio minimo motu illius, qui bilancem manu tenet, in aliam partem inclinari potest, sic & mundus totus est in manu Dei, quasi libritenentis, vt eum ad libitum, quo vult, vertat & verset, adeóque coram Deo est tanquam gutta roris antelucani. Sicut enim hæc orta luce & sole statim ab eo siccatur & sorbetur; sic mundus à Deo quouis instanti inuerti, imo absorberi potest. Mendaces ergo sunt & cœci in stateris, qui hæc inter se collata intellectus oculo, non vident omnia penitus Deo postponenda.

Sapientia 11.

Similia.

Totus vniuersus Deo compositus nihil.

Isaiæ 59.

8. Verè ergo huiusmodi, cũ Augustino, palparũt, sicuti cœci parietem, & quasi absque oculis attrectauerunt, impegerunt in meridie quasi in tenebris. Sed ô si cum Augustino etiam mentis tandem oculos diuinæ gratiæ radios excipientes, aperirent, commiseratione, potiùs, quàm indignatione sese dignos ostenderent. Sed, heu! plerique ita impia sua opera speciosso quodam pietatis pallio tegere conantur, vt Deo ipsi imponere videantur, cùm tamen conscientia illis dictet, se cœcos esse, ac in meridie impingere, quod velint, nolint, suis operibus tandem aliquando manifestè fateri cogentur. Si enim cœci erant illi miseri, & impudici Sodomitæ, qui cùm essent iuxta domum iusti Loth, ostium tamen eius inuenire non poterant;

Magna cœcitas suam cœcitatẽ non agnoscere.

Genesis 19.

multo

multo potiori ratione cœci habitatores Sodomæ, huius mundi incolæ,qui inter tot magiſtros ac concionatores,qui eos quotidie inſtruunt,atque adeo in media Euangelij luce conſtituti ita impingunt , vt iuxta domum Dei ambulantes,ianuam tamen ſuæ ſalutis nunquam inueniant. Si oculis capti Syri erant, dum exiſtimarent ſe amicum ſequi , cùm tamen Eliſæum hoſtem ſuum ſequerentur,qui eos in Samariam ducens,hoſtibus eorum ſanguinem ſitientibus tradidit,multo magis cœci , qui nomen Catholici profitentur,& adeo obſtinati ſunt , tenebris habentes obſcuratum intellectum,vt Eccleſiæ miniſtris, qui præſentia ob oculos illis ponunt pericula,non obſecundent ; ſed malint teterrimum animarum hoſtem dæmonem , tanquam fidelem amicum inſequi , qui eos non in Samariam ducat,ſed in gehennam ſecum præcipitet. Hanc meritò Deus nobis cœcitatem exprobrat:[Quis cœcus niſi ſeruus meus?]Et tu dicis quia omnia video. [Et quis ſurdus niſi ad quem nuncios meos miſi?] Et tu gloriaris aures tibi apertas vt nũciorum Dei verba auidè arripias : quorum tamen in te effectum opere compleri nunquam videmus.Et vt noſtram cœcitatem inexcuſabilem reddat , ſubiungit.[Quis cœcus niſi qui venundatus eſt?]& ne exiſtimemus à fide alienos his perſtringi verbis , addit: [Et quis cœcus niſi ſeruus Domini ?] adeo , inquit, cœcus es,vt tuam mihi debitam ſeruitutem , alieno vendideris domino , mihíque tantummodò nudum ſeruitutis tuæ nomen remaneat. Nónne ergo omnium iudicio huiuſmodi homines cœci cenſeri debent , qui tantam in ſe Dei zelotypiam, ac indignationem neque vident, neque audiunt,neque intelligunt : quantæ igitur molis,mentis cœcitati mederi.

4. *Regum* 6.

Iſaiæ 42.

9. O vtinam modò Chriſtus in medio noſtri [cœci vident]exclamet,vt qui huc ingredientes , ex intellectus ac voluntatis cœcitate deplorandum animæ ſuæ ſtatum non viderint,non intellexerint , non

Vtinam. de nobis verum ſit dicere,cæci vident.

agnouerint iam per gratię lumen videant,intelligant, agnoſcant ! vtinam cum Auguſtino,qui anteà Manichæorum peruerſa doctrina ac ſuæ prauæ concupiſcentiæ fumo occœcatus erat,modò dicere poſſimus, [Irradiaſti & coruſcaſti, & fugaſti cœcitatem meam !] Vtinam cum propheta qui tam cœca, præter omnem rationem, cupidine in Berſabeam ferebatur, vt illius maritum Vrinam occidi curauerit, cœleſti colluſtratus , ac ignito inflammatus amoris deſiderio,nobis inuicem dicere poſſimus[in me ſunt
Pſ. 55. Deus vota tua] vota enim Dei , ac deſideria ſunt vt iugi contemplatione intellectus Deum agnoſcens, facem præbeat cœcæ voluntati,qua Deum agnitum amoris vlnis complectatur , ac vt inde in nobis ſint ſancta deſideria,voluntas bona,fides recta, ſpes certa,charitas perfecta. Hæc de primo diuinitatis ſigillo,cœci vident.

SECVNDVM PVNCTVM.

Secundum diuinitatis ſigillũ , claudi ambulãt. Actor. 3.

10. Secundum diuinitatis ac omnipotentiæ ſigillum Chriſti patentibus appenſum,[claudi ambulãt.] Tam expreſſum hoc diuinitatis,ac omnipotentiæ ſigillum,vt viri Iſraëlitæ meritò obſtupeſcerent , tanquam ad rem ſupra naturam poſitam,cùm Petrus, & Iohannes claudum ſanarent,& licet non virtute propria id efficerent,vt ipſi fatebantur,ſed Chriſti , eos tamen quodammodo Deos deprædicare volebant. Nónne Chriſtus ipſe latentis in ſe diuinitatis ſigillum eſſe , paralyticum , cui membra omnia paralyſi diſſoluta erant , integris membris à ſe ſanatum , &
Ioannis 5. ſua ambulantẽ virtute indicauit? [Vis,inquit Paralytico, qui triginta octo annos lecto affixus fuit, ſanus fieri?]cui ille[Hominem non habeo]quare,vt omnipotentiæ ſuæ ſimul ac miſericordiæ vim Chriſtus oſtenderet, haud longo ſermone languidum tenuit, ſed protinus ſurgere eum iubet , lectúmque in quo decumbebat tollere,& ambulare, dixit & facta ſunt. Na...a exerta ſuæ diuinitatis virtute,ita in inſtanti infirmi vires ac membra corroborauit , vt ſtatim è le-

Miranda claudorum curatio.

cto

cto ſurgens, lectum in humeros ſuſtulerit, & ambulauerit, vt lecti hæc portatio, corporis perfectiſſimè ſanati robur, cunctis patefaceret. Ecce perſpicuum Chriſti diuinitatis ac omnipotentiæ ſigillum. Nónne alio etiam loco; vt Phariſæis poteſtatem ſe dimittendi peccata habere oſtenderet, hanc ſuæ diuinitatis vim exeruit; cum inuiſibili peccatorum remiſſioni cuidam paralytico factæ, viſibile adhibuit miraculum. [Quid eſt, inquit, facilius dicere remittuntur tibi peccata: an dicere, ſurge & ambula?] nemo veſtrum eſt ô Phariſæi qui non fatebitur, eiuſdem eſſe facilitatis; vtrumque hoc opus eſſe apud Deum, apud homines verò vtrumque impoſſibile. Vtrumque enim eſt opus Dei proprium, tam peccata verbo remittere, quàm paralyticum propria poteſtate, vocis tantum imperio ſanare. Vt igitur hoc vtroque miraculo, me filium Dei eſſe oſtendam inuiſibili miraculo, hoc viſibile addam. [Surge ergo, & ambula.] nec ſolum vt ſurgeret ægro imperauit, ſed vt lectum etiam in humeros ſublatum domum vſque ſuam deferret. Surge, inquit, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, vt perfectiſſimæ ſanitatis miraculo recuperatæ ſigna eſſent clariſſima, tolle, inquit, lectum tuum, vt lectus, qui ſignum ægritudinis erat, idem modo ſignum fiat ſanitatis, & qui ægritudinis fuit ſignum paralyticum portans, ſignum ſanitatis à paralytico portatus demonſtretur. Vnde Chryſologus, [tolle, inquit, lectum tuum, vt quod eſt infirmitatis teſtimonium, ſit probatio ſanitatis, vt lectus doloris tui, ſit meæ curationis indicium; vt receptæ fortitudinis magnitudinem, ponderis afferat magnitudo] præclarum ſanè hoc diuinitatis ſigillum Chriſti patentibus appenſum.

Matthæi 9.

Chryſ. ſer. 50.

11. Verùm præclarius diuinitatis, ac omnipotentiæ Chriſti patentibus ſigillum annexum, internæ animi claudicationis curatio, ad quam non tantum requiritur infinita vis in curante, quod ſolum ſufficit ad ſanandam corporis claudicationem: ſed præ-

Mentis claudicationis curatio difficilior corporis claudicationis curatione.

terea liber voluntatis consensus eiusdemque cooperatio exigitur, iuxta illud Augustini [Qui fecit te, sine te, non saluabit te sine te.] Hinc toties Christus diuinæ gratiæ pulsibus claudicantem animam ad rectè in via mandatorum Dei ambulandum excitat, & tamen sæpius nihil efficit, quoniam prænienti eius gratiæ cooperari detrectat. O quoties ipsius Augustini animam in vtramque partem claudicantem suæ gratiæ radiis illustrauit, dum inter ancipites luctas, hæsitationes, difficultates, ob veterum morum habitus animo tenaciter infixos vacillaret, ac ingemisceret, eo quod nouam ac sanctam illam vitæ rationem, ad quam Deus eum euocabat, mirum in modum exhorresceret, quam tandem animæ suæ claudicationem Dei gratia aspirante correxit, proposito sibi multorum certamine ac constantia, qui eandem perfectionis viam, animosi præibant. [Aperiebatur, inquit, ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri, & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines, & anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorũ, gaudiorũ, de marito te Domine, & irridebat me irrisione exhortatoria quasi diceret; tu nõ poteris quod isti, & istæ; an verò isti & istæ in semetipsis possunt, an nõ in Domino Deo suo.] Qua seria ac efficaci adhortatione, ita statim inæquales animi pedes diuinæ gratiæ norma æquales factos sensit Augustinus; vt duobus volũtatis ac intellectus pedibus, iam gratia corroboratis, viã mandatorũ Dei hilariter ingressus, vsq; ad finẽ vitæ inoffenso pede percurrerit.

Augustinus lib. 8. confess. cap. 11.

Augustinus vtroque intellectus ac voluntatis pede claudicans diuina tandem gratia solidato in mandatorum Dei via recto gressu ambulauit.

12. Quàm præclarũ hoc diuinitatis ac omnipotentiæ sigillum, quo demonstratur Augustinũ antea claudicantem à claudicatione liberatum! at nos [filij alieni

alieni inueterati ſumus, claudicauimus à ſemitis noſtris.] Verè filij alieni peccatores, quorum ſpuriæ cogitationes ſuam denotant matrē, à Dei cōſortio ita defeciſſe, vt cum multis fornicans amatoribus ſpurios ſibi ſimiles gigneret. Hæc eſt illa perfrictæ frontis meretrix omnibus in viis expoſita: fecit ſibi proſtibulū omnibus aduenientibus, cor nimirū peccatoris, quod ſuæ capacitatis, quæ ſolo Deo impleri poteſt, ita vela expandit, vt ſe omniū cupiditatū ſedem conſtituat: ex quo tāquam ex grauido peccatis vtero, tot impuri naſcūtur fœtus, quot malæ cogitationes ex illo aſſurgētes in peccati opus tranſeūt. Hi ſunt filij alieni filij adulterini, qui ficto corde Deo ſeruiunt, claudicauerunt à ſemitis virtutum & mandatorū Dei, per quas recto pede ambulandum erat.

Pſ. 17.

Ezechielis 16.

Ficto corde Deo ſeruiunt qui in mandatorum ſemitis claudicant.

13. Sicut iaque Helias olim Iſraëlitis duplicem exprobrauit animum cùm idola ſimul colere, & Deū venerari vellent, dicēs: [Vſquequò claudicatis in duas partes, ſi Dominus eſt Deus ſequimini eum: ſi autem Baal ſequimini illū] ſic meritò huiuſmodi ficto corde hominibus & à virtutum ſemitis claudicantibus exprobrare poſſumus: vſquequò claudicabitis in vtramque partem, Deo ſimul placere & dæmoni nequaquam poteſtis: virtuti ac vitio, voluptati, ac temperantiæ, hæreticis ac Catholicis ſeruire impoſſibile eſt. Vſquequò ergo in vtramque partem claudicabitis? ſi Dominus eſt Deus ſequimini eum? ſi Dominus veſter eſt diabolus ſequimini illum, aut citò greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicetis vti monet Apoſtolus, magis autem ſanemini [Greſſus, inquit, rectos facite pedibus veſtris vt non claudicans quis erret, màgis autem ſanetur.] Sicuti ergo claudicantes in hanc & illam partem Apoſtolus Hebræos monet, vt in recta Euāgelij ſemita gradiantur: ſic vos, qui hactenus in vtramque partem claudicaſtis, admoneo, vt ne in poſterum claudicetis, inclinantes nunc in hæreticorum conſuetudinem, nunc in Catholico-

3. Regum 18. non eſt claudicandum in vtramque partem.

Ad Hebræos 12.

rum, sed rectam vnamque Catholicorum fidem, vitam, & mores constanter retinete, & prosequamini, ne vos claudicatio à via recta abducat, in æternæ damnationis præcipitium. Caueat ergo quisque ne vacillantibus passibus nutet, & claudicet, alioqui verendum ne vrgentibus persecutorum minis, ac pollicitationibus vos à fide in Apostasiam deflectatis. Quod si quispiam inter vos nutare & claudicare incipiat, curet statim vt sanetur, & pristino robori rectitudinis, ac constantiæ Christianæ restituatur, vt iam adueniente Christo illud Isaiæ verè vsurpare possit. [Saliet sicut ceruus claudus.] Vt quemadmodum Dauid ait, ex concitato cursu ac virtutum contentione ita Deum sitiat, vti ceruus montis cliuum anhelo pectore ascendens. [Quemadmodum desiderat ceruus, serpente perempto, ad fontes aquarum ardenti siti extimulatus, ita desiderat anima eius, cõsumptis vitiis, ad te Domine,] & ita verè dicere poterit, claudi ambulant. Hæc de secundo diuinitatis ac omnipotentiæ sigillo.

Isaiæ 35.

Ps. 41.

Tertium Punctum.

Tertium diuinitatis ac omnipotentiæ sigillum, leprosi mundantur.

Cyrillus lib. 2. de adoratione.

Lepra si inualescat curatio miraculosa.

14. Videamus modò tertium diuinitatis ac omnipotentiæ Christi patentibus literis adiunctum sigillum, leprosi mundantur. [Carnis inquit Cyrillus morbus est lepra, isque grauior, quàm vt à medicis ei succurri possit, aut illorum peritia expugnari.] Cùm ergo morbus hic medicorum peritiam excludat, ita vt à solo Deo eius curatio dependeat, maximè quando ita inualuit, vt omnes corporis partes possideat, meritò leprosi mundatio, diuinitatis ac omnipotentiæ sigillum dici potest. Huiusmodi verò sæpius à Christo mundatos, sacra sæpe testatur pagina. [Occurrunt ei decem viri leprosi] quos in via dum sese sacerdotibus ostensuros irent, sanauit, vti Lucas testatur, & factum est, inquit, dum irent, mundati sunt. alius etiam procidens in faciem suam rogauit eum dicens: [Domine si vis, potes me mundare]

Luc. 17.

Matth. 8.

re] quo adorationis modo eum Deum esse præsentiens. [Domine, inquit, si vis, potes me mundare.] Non dixit, ait Chrysostomus, si oraueris, potes me mundare: neque Domine munda me, sed ipsi cuncta commisit, eumque conferendæ sanitatis Dominum esse confessus est, atque in ipso constituit omnium potestatem. Ecce quomodo leprosus peculiari Dei auxilio Christi diuinitatem ac omnipotẽtiam agnouerit, cuius fidei vt clarissimum responderet miraculum, statim Dominus subiicit: volo, mundare. Si vis, inquit, leprosus: respondet Christus, volo: deinde potes, inquit, me mundare, respondet Christus imperatiuè, tum verbo, tum facto: mundare, id est, mundus esto. quibus verbis Christus suam indicauit diuinitatem, qui non aliena sed propria potestate volendo ac iubendo leprosum mundauit. Vnde Beda: [in verbo, volo, ostendit Dominus pietatis clementiam, in verbo, mundare, maiestatis potentiam, quia ipse dixit & facta sunt] Ecce quàm apertum hoc diuinitatis ac omnipotentiæ Christi patentibus literis appositum sigillum.

Leprosus agnoscit Christi omnipotentiam & diuinitatem.

15. Expressius verò in eo latitantis omnipotentiæ ac diuinitatis sigillum apparuit, dum infinitos pene etiamnum à tenaci ac pestifera animi lepra mundat. Hanc frequentem lepræ curationem præfiguratam esse voluit in Naaman Syri miraculosa mundatione: nam lepra infectus septies in Iordane lotus, mundus statim emersit, sic nos in septem sacramentorum à Christo institutorum, cœlestibus vasis gratiæ aqua plenis, ab omni peccati lepra toties mundamur. Et quoniam vt ait Nazianzenus, [purus Deus in tanto pretio nihil habuit, quam animæ puritatem.] Hinc ad expurgãdas omnes animi sordes, suauissimum amoris igne incensum, ex suo præparauit sanguine, balneum, in septem illis sanctissimis Ecclesiæ vasis cuilibet expositum.] Dilexit enim nos ait Iohannes] Ecce amor! ecce sanguinei balnei ignis! [Et lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.]

Expressius diuinitatis ac omnipotẽtiæ sigillum animæ lepræ quàm corporis curatio.

Nazianzenus oratione 6.

Apoc. 1.

suo.] Ecce sanguinis balneum, nobis in sacris illis vasis propositum! quàm verò solicitè hoc sui sanguinis balneo, nostram Christus lepram mundare semper cupiebat, vel ex hoc solum constat, quod Constantino Magno, ne puerorum sanguine, ex medicorum consilio, suam expurgaret lepram prohibuerit, cùm tamen non alio velit vti balneo, ad animæ nostræ detergendam lepram, quàm sui pretiosi sanguinis profluuio! ô verè balneum ad munditiem animæ procurandam potentissimum! nullus peccator adeo sordidus, licet etiam ipsum dæmonem malitia superare videretur, quem non huiusmodi balneum possit abluere!

Typus. Actorum 10.

16. Huius rei typum sibi propositũ Petrus aliquando vidit; Contemplatus enim est cœlum apertum; ex quo vas quoddam descendens animaduertit, ac veluti linteum magnum, quatuor initiis, in terram submitti, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli, vt facta est vox ad eum: surge Petre, occide & manduca. Ait autem Petrus: absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum. Et vox iterum secundò ad eum: quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Immunda hæc animalia, quæ linteo de cœlo submittebantur Petro, peccatores sunt, quos Christi sanguine lotos, mundos esse dicit, immundum, inquit, ne dixeris, quod Deus potentissimo nimirum sui sanguinis balneo purificauit. licet, ô Petre, hi moribus ac vita venenati hactenus fuerint serpentes: licet omnibus abominabiliores leprosis, tamen baptismi, confessionis, ac cæterorum sacramentorum balneo perpurgati, Deo gratissimi efficiuntur.

Immunda animalia peccatores Christi tantùm sanguine loti munda fiunt animalia.

4. Regum 5. Potentissimũ Christi sanguinis balneum cuius vnica gutta

17. Potens quidem fuit illud Iordanis balneum, cuius aqua leprosum Naaman ablutum diximus, multo tamen potentius hoc Christi sanguinis balneum, cuius vel vnica guttula omnium penitus hominum lepras ipsis insidentes animis in oculi ictu valet

valet detergere. Aliquid ſubfuit potentiæ victimarum olim ſanguini ad externæ cutis purgationem: at huius victimæ ſanguini tanta ineſt vis, vt vſque ad ipſius animæ medullas penetrans, omnes eius nævos prorſus abſtergat: [ſi enim ſanguis hircorum,& taurorum,& cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat,ad emundationem carnis,quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus noſtris, ad ſeruiendum Deo viuenti.] Quàm mirabile fuit olim horribile illud Noë balneum,quo omnes pene homines, non tamẽ ſcelera, perierunt: at verò Chriſti ſanguinis balneum,ita mirabile,ac inundans fuit,vt omnes terrarum partes alluens ſcelera tantum, non homines abſtulerit!ô quanta vis ergo huius Chriſti ſanguinis balnei, quod ita ſubitò animam adeo Dei oculis amabilem efficit, vt omni abſterſa peccati lepra, ita ſui deſiderium in Deo excitet, vt eius decorem ſtatim concupiſcat [concupiſcit rex decorem tuum.] O vtinam hoc Chriſti aduentus ſignum, eiuſque diuinitatis,ac omnipotentiæ ſigillũ, datis ab eo nobis literis, de noſtra prædeſtinatione appenſum habeamus, vt ſicuti hactenus peccati lepra infecti, Deo, Angelis, ac hominibus inuiſi fuimus: ſic hodie in pœnitentiæ balneo loti, arrha ab eo noſtræ prædeſtinationis accepta, toti pulchri emergamus, vt de ſingulis cœleſtis ille ſponſus dicere poſſit[tota pulchra es amica mea,& macula non eſt in te.]Noſque illi reſpondeamus [Dilectus meus mihi,& ego illi] quia qui hactenus animæ oculis captus fui,qui claudicantibus intellectus ac voluntatis pedibus in via mandatorum tuorum ceſpitaui, qui infami peccati lepra infectus, hodie oculis animi reſtitutis ſpiritalium pedum greſſibus confirmatis, ac ſalutari gratiæ balneo ablutus,te Deum meum agnoſco,in odorem vnguentorum tuorum curro,gloriam ſuam cum illo alienigena à lepra mundato,verbis,& operibus ſemper extollam, ſemper enarrabo, ſemper in mente ha

omnes omnibus animis lepras inſidẽtes valet detergere Ad Hebraeos 9.

Gen. 7.

Pſ. 44.

Cant. 4.

Cant. 2.

te habebo,& magna voce magnificabo.

EXEMPLVM.

In libris annuis societatis nostræ anno 1586. in prouincia Siciliæ.

18 Duo erant in Drepanitana ciuitate in Sicilia ob capitalia crimina morte mulctandi, Christianus, & Turca: vterque sceleratæ mentis, & obstinatæ. Christianus autem cùm ad eum de more solator ex Albatorum sodalitio accessisset, repulit hominem indignans,& clamitans,nihil recusare se, quominus infinito obsessus dæmonum agmine, ad ima barathri, præcipiti deducatur via,æterno supplicio cruciatúque mactandus. Ad hunc vnus è nostris accersitus leni vtens oratione, vix tandem ad sanitatem conuertit,sed postero die,qui erat vtriusque supplicio destinatus, redit miser ad eam dementiam, de qua videbatur ante eiectus,ita animo contumaci,vt cùm surdas illius aures, seséque frustrà fatigasset sacerdos, se conuerterit ad Turcam, verùm apud hunc nihilo faciliorem principio aditum inuenit, sese enim in auita religione pertinaci animo moriturum dixit.Cùm multa igitur pater iactasset in vētum, pedem tristis referebat. Sed vix abierat à conspectu, cùm semel atque iterum à Turca vocatur, Christique se fidem complecti omnino velle dixit, vnde stupentibus omnibus ad tam subitam mutationem nihil hæsitans Turca ductus ad sacellum, in quo alter ille nomine potius quàm re Christianus erat,ibique baptizatus est:ille ergo cùm Turcam ita mutatum in melius videret, fideique candidatum, componens illius factum cum suo,è tenebris impietatis emergens lucem cœpit aspicere,& statim magno cum feruore & doloris significatione prostratus ad pedes sacerdotis, humili confessione sua crimina expurgauit: Atque ita vterque plenus spei, ac fidei collo in laqueum inserto,migrauit è vita. Ecce quomodo hi peccatis cœci,claudi, leprosi, ac surdi per vnius sacerdotis Dei,ac Messiæ ministri exhortationē,fidei lumine collustrati, animæ gressibus voluntate nimirum ac intellectu, præ scelerum magnitudine

Digitized by Google

dine ac multitudine antea impeditis, sed diuina restitutis gratia, à peccati lepra mundati, diuino verbo auribus apertis salutarem mandatorum viam percurrentes ad æternam vitam peruenerunt.

IN DOMINICAM SECVNDAM ADVENTVS

Concio tertia.

THEMA: *Surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Matthæi 11.

Moysis missio miraculorũ auctoritate confirmatur. Exodi 3.

1 MOysi à Deo ad Pharaonem, vt legatione fungeretur, misso, non satis fuit literas habuisse patentes, diuinam nimirum auctoritatem, verbo sibi communicatam, vt filios Israël è captiuitate educeret. [Veni, inquit, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israël de Ægypto.] Neque satis etiam illi fuit, vt his literis subscriberet dicens, [ego sum qui sum] nisi ad maiorem auctoritatem illis magnum diuinitatis ac omnipotentiæ sigillum appenderet, miraculorum scilicet potestatem. [non credent (inquit Moyses) mihi, neque audient vocem meam: sed dicent: non apparuit tibi Dominus.] quare literis eius statim magnum suæ diuinitatis sigillum appendens, ait. [Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.] Vade igitur diuina fultus auctoritate. [Constitui enim te Deum Pharaonis] & miraculorum, quæ Dei propriè opera sunt, tibi virtutem communicatam volui, vt tanquam Deus & miracula patres, & populum in manu potenti à Pharaonis tyrannide liberes. Sic Christo, ab æterno Patre, misso: [ego, inquit, ipse à Deo processi, & veni, neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.] vt humanum genus saluaret, à crudeli diaboli tyrannide, haudquaquam suffecit literas suæ

Exodi 4.

Exodi 7.

Ioannis 8.

missionis

missionis cordi inscriptas habuisse, nisi etiam euidentissima illis miraculorum sigilla apponerentur, quæ illum verum esse Messiam clarè demonstrarent. [Hunc ergo Pater signauit Deus] ἐσφράγισεν, id est, sigillis notauit. Quibusnam, obsecro, sigillis? admirandis certè operibus, quæ Dei solius sigilla sunt, amplissimum eius diuinitatis ac omnipotentiæ testimonium perhibentia, solus enim Deus propria virtute miracula patrat. Hinc ipse, [opera quæ ego facio in nomine Patris mei hæc testimonium perhibent de me.] Miraculis ergo veluti fulgentissimis diuinitatis, ac omnipotentiæ radiis vobis loquor, méque verum esse Messiam reuelo, manus enim meæ aureæ, charitatis splendoribus illustres, plenæ hyacinthis, cœlestibus imbutæ virtutibus sunt: Vidistis & amplius videbitis in digitis meis splendentes gratiæ annulos, fulgentésque pyropos. Vidistis meæ diuinitatis sigilla admirandis coruscantia omnipotentiæ radiis, cœci enim vident; claudi ambulant; leprosi mundantur; surdi audiunt, mortui resurgunt; pauperes euangelizantur.

Ioannis 6.

Ioannis 10.

Cantic. 5.

Simile.

2. Si quispiam aulam alicuius Regis, aut Principis ingrederetur, vbi plurimos vestium splendore, & incessu graues videret nobiles, ignarus quisnam rex ipse esset, sed ingredientem videret vnum, magna præditum auctoritate, cui omnes illi nobiles dicto audientes essent, hunc procul dubio regem esse non obscuris coniiceret argumentis. Ingredere, obsecro, hoc magnificum mundi palatium, in quo omnes suo ordine, creaturæ, iuxta cuiusque naturæ magisteriũ, hominibus, qui tanquam reges quidam in hoc spatioso palatio commorantur, subseruiunt, qui licet multi ex illis auctoritate, diuitiis ac totius vultus splendore, cæteris videantur dominari, vt nescias, quis sit supremus huius palatij dominus: attende tamen hodie vnum diuina fultum auctoritate ingredientem, omnibus mundi creaturis ad obsequium paratis imperantem, nonne huiusmodi principem,

Inter proximos nobiles ille princeps agnoscitur qui præcæteros auctoritate fulget.

huius

huius palatij dominum certò credes? Ecce igitur Christus in hoc mundi palatium ingressus, ventis, morbis, dæmoni, peccato, morti, hominibus, regibus imperat, cui statim illi tanquam supremo suo Domino obtemperantes, sese submittunt. Nonne hoc imperio, ac creaturarum illi submissione sese omnium principem ostendit dominum. Hinc potius hodie huiusmodi in creaturas imperio, legatis à Iohanne missis, quàm verbis respondere maluit, cœci, inquit, vident, claudi ambulant, &c. Ecce quàm præclarè suam Christus missionem miraculis vniuerso mundo patefecit!

3. Christus suos etiam discipulos in vniuersum mundum prædicandi causa missurus, non tantùm illis prædicandi potestatem literis suis confirmatam fecit, dicens, [Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ] sed miraculorum etiam sigillis illas communiit, subditur enim, [Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.] Apostoli enim nouam mundo afferentes Euangelij doctrinam miraculis quasi signis, & sigillis, suam missionem, Apostolatum, ac doctrinam confirmare debuerunt: alioqui fidem hominum temerè exegissent, & temerè ignotis credidissent fideles fidentes nudo eorum de sua missione, Apostolatu, & doctrina, testimonio: imo impostores, & pseudoapostoli, quàm Euangelij nuncij potius crederétur. Miraculis ergo declarare oportuit se esse Apostolos, hoc est, à Deo missos ad terrarum orbem reformandum, & Euangelij luce collustrandum. Notent hoc, ait P. noster Cornelius, Cornelij meus olim Magister nouantes, & à suis nouis apostolis Caluino, Luthero nouam doctrinam, & reformationem inducentibus, miracula exigant, quæ cùm nunquam exhibuerint, (nisi miraculum puerile, quod spondentes se mortuum suscitaturos, ex viuo mortuum effecerint: sed à talibus miraculis, talibúsque apostolis, liberet nos

Apostoli suâ missionẽ miraculis comprobarunt. Marci vltimo.

Cornelius Corne. 2. ad Corinthios, versu 12. Nouantes hæretici nunquam pro sua fide miracula ediderũt.

nos Dominus) certò ſibi perſuadeant non Apoſtolos,ſed impoſtores fuiſſe.

Concionis partitio.

4 Supereſt,vt hac concione de tribus aliis Chriſti diuinitatis, ac omnipotentiæ ſigillis, dicamus. Quare primo loco quartum ſigillum,ſurdi audiunt, ſecundo quintum,mortui reſurgunt,denique vltimo loco ſextum, pauperes euangelizantur, explicabo. Sed prius de more Spiritus Sancti gratiam pér beatiſſimæ virginis interceſſionem conſueta ſalutatione expoſtulabimus Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Quartum ſigillum,ſurdi audiunt. Chryſoſtom. Homil.47.in Matthæum.

5 Quartum ſigillum,ſurdi audiunt. Chriſtus miracula ea ſemper intentione patrauit, vt ſuam manifeſtaret gloriam,fidem hominum ſibi conciliaret, & ſanctè viuere perſuaderet. Vnde Chryſoſtomus, [Chriſtus, inquit, propterea miracula fecit, vt cùm fide dignus videretur,ad ſe homines attraheret: & virtuosè viuere perſuaderet.] maximè ergo ſuam manifeſtauit gloriam,& fidem ſibi hominum conciliauit,his miraculis,quæ,cum proximi vtilitate coniuncta ſunt.Quodnam enim inter hęc non eſt pleniſſimum vtilitatis?Quid oculorum luce?quid ſanitate? quid vita charius & vtilius?quid aurium auditu,qui fidei eſt organum,optatius?ſurdi ergo audiunt. Magnum ſanè hoc miraculum,vt ſi nullum aliud Chriſti literis ſigillum apponeretur, hoc ſolum illum Deum eſſe, oſtenderet. Nam cùm hominem ſurdum & mutum ſanare vellet, duabus adhibitis ceremoniis,ſcilicet miſſis digitis ſuis in auriculas eius, & à turba illum ſemouens, tertiam adiecit, ſuſpiciens enim in cœlum,indicans Dei ſolius opus eſſe huiuſmodi hominem ſanare,ingemuit, & ait illi,epheta, quod eſt adaperire,hoc eſt, apertus eſto;audi, & loquere.Sic cùm eieciſſet ex quodam immundum Spiritum,qui ſurdum,& mutum poſſeſſum reddebat ex imperio eum expellens,Deum ſe eſſe oſtendit. [Surde,inquit,& mute ſpiritus,ego præcipio tibi, exi ab eo:& amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum

Marci 7.

Marci 9.

Digitized by Google

multum diſcerpens eum,exiit ab eo.] O quàm clarum hoc Chriſti diuinitatis,ac omnipotentiæ ſigillum! Multò tamen clarius , quando animas quotidie ad diuina Verba ſurdas, quæ diuinis minis ſæpe reſtiterunt, ſuaſionibus non ceſſerunt, beneficiis non ſunt emollitæ,nec blanditiis allectæ, omnipotentiæ ſuæ virtute conuertit, earúmque aures aperit rerum cœleſtium auditioni.

Licet clarũ ſit Chriſti diuinitatis ſignum, ſurdũ curare , clarius tamen ſurdas animæ aures aperire.

6. Vereor ne inter nos huiuſmodi ſurdi reperiantur,qui cœleſtibus,animæ aures ita claudunt,ac fluxis mundi crepũdiis aperiunt, vt licet Deus omni vtatur induſtria,vix aures illi arrigant:in quos illud per Iſaiam indignabundus intorquet telum , [Quis ſurdus,niſi ad quem nuncios meos miſi?] Quot,obſecro , nuncios ad cordis noſtri aures vellendas mittit ! quot cœleſtibus inclamat inſpirationibus, quoties ipſe gratiæ ſuæ præuenienti ſuſurro,ſeſe noſtri cordis auribus inſinuat? quoties ſeorſim à turbulentis mundi cogitationibus,& inordinatis actibus, ſermonibúſque incompoſitis nos ducere conatur; quoties digitos,id eſt,Spiritus Sancti verba in aures animæ immittit! Sed heu ſicuti Nili ſonitus ita corporis aures obtundit , vt quicquam audire vix poſſint : ſic turbæ, ac mundi ſtrepitus animi aures opplent, vt nullam penè Dei inſpirationem admittant. Quis ergo ſurdus niſi ad quem nuncios ſuos Deus mittit?[Cor ſuum,vt ſcribit Propheta, poſuerunt,vt Adamantem,ne audirent legem] imo noſtri cordis procacitas ipſius adamantis duritiem lõgè ſuperat, licet enim adamas duriſſimus ſit,hircino tamen ſanguine molleſcit,ac frangitur;cor verò noſtrum adeò induratum eſt , vt nulla vi neque Chriſti ipſius ſanguine emolliri, neque voce eius (quæ tamen cedros confringit , & quaſi malleus conterit petras) flecti poſſit:Ita enim ſuas claudit aures Deo , vt eius verba non admittat. Hinc non immeritò ſurdos, licet corporis aures ad mundana erectas habeamus nos vocat. O vtinam gratia ſua illam aliquan-

Iſaiæ 42. Quot modis Deus animæ noſtræ aures aperire conatur.

Zacharia 7. Cor peccatoris Adamãte durius.

do cordis noſtri obſtinationem, qua veluti peſſulo aurium noſtrarum ianua, diuinæ gratiæ pulſanti, obditur, auferat omnipotens, tunc verum eſſet de nobis dicere [Audiēt in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cœcorum videbunt.] Qui verba libro vitæ inſcripta audiunt, licet corporis aures clauſas habeant, animæ tamen erectas Dei verbo præbent. Hinc natura ſicuti corporis, ſic geminas etiam cordis aures eſſe voluit, vti docent Anatomici, & Galenus, quæ vtrinque cordi, ſicut animalis capiti, aures adiacent, vt ſi corporis aures deſtituātur auditu, cordis tamen ad diuina ſuſcipienda ſemper vegetæ maneant.

Iſaiæ 29.

Galenus l. 6. de vſu partiū c. 15.

Gemine cordis aures.

7. Cur, obſecro, natura noſtras, præ aliis animantibus aures erexit? nonne, vt ſignificet internas ſaltem cordis aures ſemper cœleſtibus inhiare oportere, ſed, proh dolor! naturæ ordinem inuertimus. Audiunt quidem, inquit Ezechiel (ſcilicet corporis aure) ſermones tuos, & non faciunt eos. Illis enim cordis aures occludunt, vel ſi ad tempus eos ſuſcipiunt, obliuioni ſtatim tradunt. Quemadmodum enim cribrum in aquam demerſum, ſtatim impletur, ſed vbi ex aqua extrahitur, nihil in eo præter ſordes remanet, ſic huiuſmodi ſi quando diuina audiunt verba, compunctionis ac deuotionis aqua cordis aures leuiter intingunt, ſed protinus ceſſante Dei verbo, nihil præter curioſitates retinent. [Cor enim fatui, quaſi vas confractum omnem ſapientiam non tenebit.] ſicut ergo vas rimarum plenum, ſuauiſſimum balſami oleum in terram defluere permittit, ſic ſuauiſſimum diuini verbi balſamum in cor fatui tranſmiſſum ſtatim defluit. Quid ergo prodeſt dulciſſimum diuinæ gratiæ in aures peccatoris inſtillare liquorem? Sicuti nihil prodeſt corpori cibus in ſtomachum traiectus, qui ſtatim ſine vlla concoctione integer emittitur: & ſicuti prolis conceptio, quam ſtatim mors occupat, nihil ſolatij matri adfert: & ſicuti figuras aquæ imprimere, vt iis oculos oblectes, cùm

Hominū aures natura erexit: nos eas in terrā deprimimus.

Ezechiel. 33.

Simile.

Eccli. 21. Cor fatui quaſi vas fractum nihil retinet boni.

Similia.

Digitized by Google

cùm eas non retineat, opus incaſſum eſt: ſic nihil prodeſt langueſcenti animæ ſtomacho per corporis aures ſuſcipere Dei verbum, cùm illud ſtatim faſtidiens reiiciat, vel ex eo conceptum vitæ emendationis deſiderium, ad breue tempus fouere, ſi peccati mortiferi ſtatim intereat veneno, vel illius virtute leui ductu in animi ſuperficie deletiles cœleſtium rerum figuras habere, ſi beſtiæ illos characteres ex anima penitus abradant. O meminerimus erectas nobis confinxiſſe naturam aures, quæ nos ſemper monent cordis aures ad diuina erectas, ac apertas, clauſas verò ac depreſſas ad res terrenas, vt illis penitus aſpernatis ad cœleſtia bona aſpiremus, non ſapientibus huius mundi loquor, ſed ſimplicibus.

Gratiam ſapientibus ac ſuperbis dare Chriſtus negat quæ humilibus tribuit. Simile.

8. Simplices enim licèt Scripturæ verba non penetrent, auribus tamen animæ ita eorum medullam auidè arripiunt, vt nobilem inde fructum (aliis illa penetrantibus, ſed minimè illa effectui dantibus, ac proinde penitus infœcundis manẽtibus) opportuno tempore percipiant. Quemadmodum enim Solis radij, ſiue vt alij volunt cœleſtis ros, licet in plurimos, & ingentes piſces, ac nobiles illabantur, lapides tamen pretioſos in illis nequaquam gignunt, quos tamen in exiguis conchis, (quæ, apertis quaſi oribus, ſurſum hiantes, rupibus in fundo adhæreſcunt) abũdè generant: ſic diuini verbi radij licet quaſlibet auditorum aures attingant, in iis tamen duntaxat fructificant, quos per gratiam Chriſto adhærentes, in humilitatis fundo; hiantibus, præ deſiderio cœleſtium radiorum, cordibus paratos Chriſtus reperit. En ſigillum quo perſpicuè Chriſti diuinitas demonſtratur, ex diuini enim verbi diligenti receptione, qui antea Dei minis obſurduit peccato damnatus, gratiæ ſalutem conſequitur, iuxta illud Iacobi, [Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.] *Iaco. 1.*

SECVNDVM PVNCTVM.

Quintum ſigillum, mortui reſurgũt.

9. Quïntum Chriſti literis ſigillũ adhibitum, mortui

tui resurgunt. Hoc sigillum præ cæteris adeò perspicuum est, vt nemo illi refragari possit quin fateri cogatur Christi diuinitatis ac omnipotentiæ sigillum esse. Licet, si cum omnipotentia Christi, miracula conferre velimus, omnia æqualia esse reperiemus, quandoquidem ab eadem eius omnipotentia omnia dimanêt cui tam facile est mortuos ad vitam reuocare, quàm cœcis visum, aut claudis gressum, aut leprosis sanitatem, aut surdis auditum restituere: Nihilominus tamen si vel res ipsæ, vel efficiendi modus spectentur, alia aliis sunt maiora, ac præstantiora. Mortuos itaque ad vitam reuocare, reliquis Christi miraculis, si eius omnipotentiam consideremus, æquale erit: maius verò ac præcellentius, si rem effectam, efficiendique modum attendamus. Nam ex se multò difficilius est hominem mortuum ad vitam reuocare, quàm viuo homini aliquod in sensu vitium corrigere, aut sensum etiam ex integro restituere: ars enim medica licet sensum nequeat homini, qui eo caret, tribuere, sensuum tamen vitia subinde corrigit: at Christus medicorum princeps, qui supra naturam operatur, & sensuum vitia corrigit, & sensum etiam ex integro restituit, & quod amplius est mortuum ad vitam reuocat. Hinc Christi manus aureas, hyacinthis plenas, ob aurea ac singularia per eas facta miracula, diximus, quibus veluti gemmatis annulis eius digiti fulgebant. Verùm inter omnes manuum eius annulos, hic maximè admirando rutilat fulgore, mortuos resuscitare. Hinc Chrysologus miraculum huiusmodi appellat signum signorum, & virtutem virtutum. Quid enim mirabilius, quid illustrius, quàm mortuo vitam reddere?

Licet omnia Christi miracula ratione omnipotẽtiæ æqualia sint; si tamen rem effectã, efficiendique modum spectemus alia aliis excellentiora.

Medici subinde vitium corrigũt sensuum; sed Christus ipsum sensum restituit.

10. Sed præ cæteris ab eo excitatis, eius maximè virtus in quatriduano illo in sepulchro iacente ac fœtente resuscitando illuxit. Tres quidem mortuos ad vitam reuocauit Christus, viduæ filium, Archisynagogi filiam, & Lazarum: sed cæteris illustrior hæc Lazari resuscitatio. Puellam enim illam in do-

Iohann. 11.

mo

Digitized by Google

mo, & filium viduæ in itinere ſine longis cæremoniis reſuſcitauit, Lazarum verò in ſepulchro iam quadriduanum ac fœtidum multis adhibitis cæremoniis ad vitam reuocauit: nam in primis infremuit ſpiritu & turbauit ſeipſum. hoc eſt, animo ſuo intus commotus eſt, & turbauit ſemetipſum, ipſe fremitũ ſpiritu ſuo, ipſe perturbationem effecit ſponte ſua non inuitus. Vnde Auguſtinus [Turbaris, inquit, tu nolens, turbatus eſt Chriſtus, quia voluit, contriſtatus eſt quia voluit, in illius poteſtate erat ſic vel ſic affici vel non affici.] Ecce prima Chriſti cæremonia. Vbi poſuiſtis eum? Optimè Chriſtus nouit vbi Lazarus eſſet poſitus, ſed more humano ſciſcitatur vbi ſit ſepultus: cur verò interroget? cauſam huiuſmodi affert Chryſoſtomus. [Non vult feſtinare, (ſcilicet ad miraculum) ſed omnia ab illis diſcere & hortatus facere: vt omni ſuſpicione careret miraculum.] Ecce ſecunda cæremonia. [Et lachrymatus eſt Ieſus] quo naturæ humanæ veritatem oſtendit. Vnde Baſilius, [Per hoc, inquit, quod Chriſtus illachrymatur amico Lazaro, verè expreſſit ſortitum ſe eſſe humanæ communionem naturæ.] Fleuit ergo Chriſtus vt in luctu aliis, qui pro Lazaro mortuo flebant aſſimularetur. Ecce tertia Chriſti cæremonia. [Rurſus fremens in ſemetipſo venit ad monumentum.] Fremitus hic internus magis fuit, quàm externus, in ſeipſo ergo fremuit, quia in nullum, vt ait Toletus, eorum qui aderant Iudæorum indignationem expreſſit. Ecce quarta Chriſti cæremonia. Tollite lapidem. licet Chriſtus grandem ſepulchro appoſitum lapidem ſolo vocis imperio aut nutu tollere potuiſſet, maluit tamen per alios tolli, vt ipſi cæteríque qui aderant iacentem in ſepulchro mortuum cernerent, quadriduani fœtorem perciperent, & ex ſepulchro iã aperto reſurgentem exilientémque coràm intuerentur. Vnde Chryſoſtomus [Poterat, ait, lapidem mouere Chriſtus, ſed cur non fecit? Vt eos teſtes faceret facti miraculi, ne dicerent quod & de cœco: hic eſt,

Auguſt. trac. 49. in Ioann. — *prima Chriſti cæremonia in reſuſcitando Lazaro.*

Secunda cæremonia. *Baſilius Homil. 4.*

Tertia cæremonia.

Quarta cæremonia.

non eſt. Manus enim & præſentia illorum, ipſum Lazarum eſſe teſtabantur.] Ecce quinta Chriſti cæremonia: [Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me.] Viri Sancti antequam miracula patrant preces fundere ſolent, patrato autem miraculo gratias agere. At è contrario Chriſtus miraculum patraturus preces minimè fundit, ſed gratias agit. Quid enim opus homini Deo miraculum patraturo preces fundere, licet gratias agere æterno Patri oculis in cœlum ſublatis, vt homo agere voluerit, idque vt omnes circumſtantes ſcirent ſe à Deo miſſum, diuinâque potentia huiuſmodi miraculum facere. Ecce ſexta Chriſti cæremonia. Lapide iam à ſepulchro remoto apparuit intus Lazarus mortuus ac fœtens, tum Dominus in Patrem conuerſus eum inuocat, vt omnes qui aderant, intelligerent Patrem ſe habere Deum, qui cœlos incolit & voce magna clamauit, Lazare veni foràs. Ecce ſeptima Chriſti cæremonia, clamat voce magna, vt vox, inquit Caietanus, proportionata operis eſſet magnitudini, clamat Lazare veni foras, veluti authoritatem & poteſtatem in vitam & mortem habens, & animam procul abſentem, inuita morte & expulſa, fœtéti cadaueri miraculo præſentem coniungeret. [Soluite eum & ſinite abire.] Ecce octaua Chriſti cæremonia. Solui, inquit Chryſoſtomus, iuſſit, vt tangentes & propius facti noſcerent verè reſurrexiſſe, ſinit verò eum abire [ne cum eo, ait Euthymius, ambulans Lazarus, laudis ac plauſus cauſa fiat : vtque per otium perfectius ſcrutentur eum qui voluerint.] O quàm grande hoc miraculum tot probatum circumſtantiis!

Quinta cæremonia.

Sexta cæremonia.

Septima cæremonia.

Octaua cæremonia.

11. Grandius verò miraculum, illum, cuius non per quatriduum in ſepulchro corpus fœtet, ſed per multos annos in viuo ac fœtido corporis ergaſtulo, anima fœtenti ac Deo mortua, ad gratiæ vitam reuocare, & ab infinitis pene illum expedire peccatorum vinculis. Nam ad hoc (præter infinitam in medico potentiam) liber etiam peccatoris conſenſus exigitur,

Grãdius miraculum anima vitam reſtituere quàm corporis.

gitur, sine quo omnipotentiæ diuinæ in eo conatus irritus redditur. mors itaque animæ peccatum, quo peccator mortuus, omni sensu,& vitali gratiæ motu caret, fœtétque coram Deo, & virulenti est odoris, vt ait Theophylactus perinde, vt cadauer mortuum: multo difficilius tollitur, quàm hominem mortuum, corporis vitæ restituere: Christus verò gratiæ suæ omnipotentiæ, consensu peccatoris concurrente, quotidie huiusmodi fœtentes animas, ad gratiæ vitam, excitat. Vnde in hoc vnico miraculo, non tantum illa, quæ recensuimus facta in hominum corporibus, sed longè maiora spirituali modo, continentur. Nemo nostrum est, qui non innumeris infectus fuerit in Proteplasto, teste Hieronymo, animæ morbis, quorum singuli gratiæ vitam illi adimeret. [In Protoplasto, inquit, cœcatur, scilicet homo, dum videt; surdus fit dum audit: dum odoratur emungitur; obmutescit, dum loquitur: mancus fit, dum manum extendit, incuruatur dum erigitur: hydropicus fit, dum concupiscit: claudus fit, dum progreditur: lepra funditur, dum nudatur: dæmone impletur, dum diuinitatem appetit: morte moritur, dum audacter excusat, quod inobedienter commisit.] tantis ergo affectum animæ ægritudinibus, tantis sauciatum plagis, tantis exhaustum morbis, & in quo à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas, neque virtutis suauitatem sentit, neque vitæ spiritualis itinera tenere cupit, sanare, omni miraculo grandius est.

Hiero. in Marc. cap. 7.

Quantis affectus plagis homo per peccatum originis.

TERTIVM PVNCTVM.

12. Ecce omnium postremum, Christi patentibus sigillum adhibitum, pauperes Euangelizantur. hoc sanè magnum etiam miraculum est pauperibus Euangelium prædicari, quod idem est, ac illis cœlorum regnum promittere. Quid autem admirabilius, quàm pauperem regem fieri. Et licet omnibus Euangelium æqualiter prædicaretur, solos tamen pauperes Christus nominauit, & quia id inter miracula ponendum erat, ad Isaiæ prophetiam alludens, osten-

Sextum sigillum.

Miraculum pauperes potius quàm diuites Euangelizari.

dere Christus voluit seipsum esse, de quo esset pro-
Isaiæ 61. pheta vaticinatus, [Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me & ad annunciandum pauperibus misit me.] misit, inquam, me hoc tempore acceptabili, & die salutis, vt prædicarem illis annum placabilem, annum diuinæ beneuolentiæ ac Euangelicæ liberalitatis, annum misericordiæ, pacis, remissionis, salutis, libertatis: in quo post longã in nos Dei iram, gratiæ, acceptationi, beneuolentiæ, hæreditati, gloriæ omnibúsque bonis pristinis, quæ in paradiso in innocentiæ statu possedimus, restituimur; miraculum autem hoc solis pauperibus annunciari. Sed ne diuites etiam animo despondeant, pauperes, vt ait Hieronymus, etiam spiritu Euangelizantur, vel certè inquit, opibus pauperes. Vt nulla inter nobiles, & ignobiles, inter diuites, & egenos in prædicatione distantia sit. Hæc magistri rigorem, hæc præceptoris comprobãt veritatem: quando omnis apud eum qui saluari potest æqualis est) modò omnes pauperes spiritu sint. Hinc ad huiusmodi pauperes, Euangelij nuncius prius quàm ad huius mundi diuites Christo nato delatus est, è cœlo enim nunciaturus Angelus Messiam natum missus, non ad Cæsarem Augustum, non ad Cyrinum præsidem, non ad Herodem regem, non ad summum sacerdotem, non ad homines opibus ac nobilitate præcellentes, sed ad pauperes pastores, in quorum pectore Messiæ nati humile stratum, virtute excelsum, parandum erat. Si itaque velimus natum nobis Regem nobiscum detinere, pauperes simus spiritu, humilitate nobiles, virtutibus diuites, vt in nostri cordis cubili Angelorum Rex lubenter conquiescat. Alij, vt Theophylactus, & Euthymius pauperes Euangelizantur actiuè interpretantur, quasi dicat, pauperes Euangelium prædicãt. pauperes autem Apostolos vocari dicunt, quod verè pauperis & humilis conditionis essent. [Infirma enim mundi elegit Deus; vt confundat fortia] quod etiam magno non
1. *Cor.* 1. caret miraculo.

Ecce

13. Ecce Christi missionis certitudo, tot miraculis, tanquam diuinis sigillis, approbata, & tu Iohannes, quasi hæc ignorans, legatos ad eum mittis, qui ab eo sciscitentur, [Tu es qui venturus es?] si tantam aduentus Messiæ cognitionem Patres in lymbo haberent, quantam modò tu, ô, Iohannes, quibus putas suspiriis, ac ignitis votis eius ad se descensum efflagitarent. Túne verò quasi de Messiæ aduentu dubius, petis, an dum venerit, quem probè nosti iam olim ex materno vtero tecum secreto modo collocutum? an fortè existimas illum nondum in lucem prodiisse? si ita censes: quorsum legatos ad eum mittis, vt iis denunciet, an sit Messias, an fortè alius adhuc expectandus? nihil sanè addubitabas, noui ego ingenium tuum. Quemadmodum enim ad præcedendum ante faciem eius, ex vtero materno egredi festinabas, & ad parandas vias eius: sic hodie iis, qui in lymbo sunt saluatorem natum, & ad humani generis redemptionem breui perficiendam accinctum esse, nunciare festinas. Scio etenim exuberantem tui pectoris feruorem diutius expectare non posse, cùm certò scias, & natum & ætate perfectum, & ab eo iamdiu humani generis salutem inchoatam. Scio proinde te diutius in corpore præ tanti nuncij desiderio Patribus deferendi commorari nolle, sed instructis, à Christo, tuis discipulis, qui de Messiæ aduentu dubitabant, à vinculis solui cupis, vt tanti fis nuncius mysterij. Ergo agedum, nam fulgentissimis modo miraculis, discipulorum tuorum, vti spero omni sublata, de Messiæ aduentu, dubitatione, hunc esse, qui venturus erat, credunt, & alium non expectant; perfringe itaque vincula, erumpe è carcere, filium Dei iamdiu incarnatum ac natum, & redemptionis mundi opus inchoatum mundo, inferno, lymbo, cœlo enuncia. Vade, accelera, & dic vniuersis, [quia hora est iam nos de somno surgere] hora, inquam, diei gratiæ, nocte, cœcitate, ignorantia, dissimulatione infidelitatis, ac peccatorum excusatione ante Christum trãsactis. En

Christi missio vt miraculis veluti sigillis approbata.

Quomodo anhelat Iohannes, vt sicuti in materno vtero Christũ digito designauit, etiã vt fiat præco Christi aduẽtus, miraculorum, redẽptionis humanæ, mũdo, lymbo, cœlo. Rom. 13.

tempus & opportunitas, hora ſcilicet diei, gratiæ, fidei, & Euãgelicæ legis iam adeſt, qua ſol ipſe Chriſtus, radios & lumen fidei, per orbem ſpargere, tenebris errorum expulſis incepit: Ergo tempus eſt, vt à ſomno peccatorum expergiſcamini, quia propior noſtra ſalus, quàm cùm credidimus, imo præſens noſtra ſalus iuſtitiæ & gloriæ, præſente Chriſto, per quem aliquando, gratiam, ac ſalutem futuram credidiſtis. [Nox præceſſit] nox inquam tempus nimirum ante Chriſtum tenebris infidelitatis ac peccatorum plenum, [dies autem appropinquauit] dies, inquam, Euangelij, quo ſol iuſtitiæ Chriſtus lucis ſuæ, id eſt, gratiæ & fidei ſuæ radios toto orbe diffudit. [Abiiciamus ergo opera tenebrarum] peccata nimirum, quæ tenebras quærunt lucémque Dei & hominum fugiũt, [& induamur arma lucis] opera ſcilicet fidei, gratiæ, & virtutum faciamus, quibus veluti armis contra hoſtes tres, mundum, carnem, dæmonem, bello tam offenſiuo, quàm defenſiuo depugnamus. Inde tranſuola ad ipſum chaos, concute inimicorum portas, dic: Vt eleuent æternales portas, quia princeps cœli in terra miraculis coruſcus, horridum bellum infernalibus agminibus indixit, breui cum triumpho perficiendum. Deinde ad lymbum feſtina, & dic Pa-

Aggai 2. tribus [venit deſideratus gentibus, qui implebit veſtram domum gloria. Illinc in cœlos auola, gaudio plenos excita clamores: dic Angelis vt ſimul vna voce concinant, [Salus, virtus, fortitudo Deo noſtro:] excipiant breui aduentantem ad ſui Patris poſſeſſionem gloriæ Regem, aperiántque clauſas hactenus portas triumphanti agno. Scio hoc te deſiderare, ſcio hoc te expectare, ſcio te ad hoc feſtinare donec omnibus fias nuncius, qui ad hoc in materno adhuc vtero exiſtens præco, cœleſti gratia inunctus es. Itaque, i, & omnibus indica creaturis, quia cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur,

EXEM

EXEMPLVM.

14. Fuit olim insignis quidam Theologus, qui annis octo precibus continuis à Domino id cupiebat obtinere, vt ipsi hominem quendam ostenderet, qui eum viam veritatis edoceret. Cumque vice quadam vehementissimo huius rei flagraret desiderio, vox quædam cœlitus lapsa, ita ipsum allocuta est: Exi foràs ad limina templi, & offendes illic hominem, qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur inuenit mendicum quendam diruptis, sordidis, lutosis pedibus, cuius vestes in vniuersum vix tribus obolis supputares; quem salutans ita affatus est: Det tibi Deus prosperum mane. Respondit mendicus: Non memini me vnquam aduersum mane habuisse. Et magister: Eia, inquit, vt fortunatum te faciat Deus, quid ita loqueris? respondit mendicus: sed nec infortunatus aliquando fui. Et ille: fœlix esto, ait, quid sibi hæc tua verba volunt? Et pauper: nûquam, ait, infœlix fui. Rursus itaque magister, saluet, inquit, te Deus, iam nunc apertius loquere; neque enim capio quid dicas. Tum pauper respondit: id faciam libenter. Optabas mihi magister prosperum mane, & ego me nunquam aduersum mane habuisse respondi; quando enim fame premor, Deum laudo; si frigus patior, si grando, si nix, si pluuia cadit, si aura serena est vel turbulenta, Deum laudo; si miser sum atque despectus, Deum similiter laudo, & ideo nunquam triste mihi mane contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri, & ego nunquam me infortunatum fuisse respondi; noui enim cum Deo viuere, certúsque sum quicquid ille facit, non posse non esse optimum. Vnde quicquid ipse vel dabat, vel euenire mihi permittebat, siue gratum id esset, siue contrarium, dulce vel amarum, lætus id tanquam optimum ab ipso susceepi, & ideo nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea vt fœlicem me faceret Deus, ad quod ego similiter, nunquam me infœlicem fuisse subiunxi: soli namque diuinæ voluntati inhærere statui,

D. Taulerus in colloquio Theologi & medici pag. 685.

ſtatui, in quam ſic integrè omnem meam transfudi voluntatem, vt quicquid ille vult & ego velim & meam ipſi voluntatem ex integro reſignarem. Hæc cùm mendicus ille retuliſſet, ita eum rurſus magiſter affatus eſt: quid obſecro dicturus eſſes, ſi te Dominus maieſtatis in abyſſum demergere vellet? & ille: in abyſſum, inquit, me demergeret? & reuera ſi id faceret, duo mihi brachia ſunt, quibus eum amplexarer. Vnum eſt vera humilitas, & hoc illi ſuppono, atque per ipſam ſacratiſſimæ humanitati ipſius vnitus ſum: Alterum idemq; dexterum, eſt amor, qui diuinitati ipſius vnitus eſt, atque per hũc ipſum circũplector, ita vt mecum ad infernũ deſcẽdere cogeretur. Optatius autẽ mihi foret in inferno cum Deo eſſe, quàm vel in cœlis ſine illo. Ex his igitur Magiſter ille didicit, veram reſignationẽ cum humilitate profunda, compendioſiſſimam ad Deum ſemitam eſſe. Dehinc iterum ex illo mendico percunctatus eſt, vnde veniſſet. Cui ille, à Deo ſe veniſſe reſpõdit. Cumque Magiſter, vbi eum reperiſſet, ſciſcitaretur; ibi, inquit ille, vbi creaturas omnes dereliqui. Et Magiſter: vbi verò, ait Deum reliquiſti? Reſpondit pauper: In mundis cordibus & hominibus bonæ voluntatis. Et Magiſter. Quiſnam, ait es tu? Reſpondit ille ſe Regem eſſe. Sciſcitante Magiſtro, vbinam eſſet regnum ipſius; in anima ſua id eſſe reſpondit; ſic enim, ait, & externos & internos ſenſus meos regere noui, vt cunctæ affectiones & vires animæ meæ mihi ſubditæ ſint. Quod profectò regnum cunctis mundi huius regnis præſtantius eſſe nullus ambigit. Et rurſus Magiſter: Quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? Reſpondit pauper: Nimirum ſilentium meum, ſublimes meditationes, & vnio cum Deo. In nulla re quæ Deo minor foret, quieſcere potui. Iam verò Deum meum inueni, & in ipſo pacem & quietem habeo ſempiternam. Ecce quàm pulchrè pauper euangelizet, qui licet pedibus claudus, facultatibus pauper eſſet, intellectus tamen ac

volunta

voluntatis veluti pedibus,meritis diues, ita in mandatorum Dei via currit , vt perfectionis metam penitus pertingeret.

IN DOMINICAM TERTIAM ADVENTVS,

Concio prima.

THEMA. *Tu quis es?* IOHAN. I.

SVperiori dominica Iohannes legatos ad Christum misit , interrogans,an esset Messias : hodie multo solemniorem ad ipsum Iohannem legationem Iudæi instituunt,vt interrogetur, [Tu qui es]ad hoc incitati partim ob exactum Messiæ aduentus tempus , quod ex Patriarchæ Iacob prophetia iam expleta cognoscere poterant , qua filio suo Iudæ moriens benedixit,dicens,[Non auferetur sceptrum de Iuda , & dux de femore eius donec veniet qui mittendus est,& ipse erit expectatio gentium]quam hodie expletam ad oculum viderunt , cùm regium sceptrum ad alienigenam translatum esse conspexissent,partim etiam cum suo iudicio,aptiorem Iohanne neminem, huic Messiæ titulo reperissent , cùm & præclara vitæ eius exordia , & admiranda in victu asperitas , ac eximia in conuersatione sanctitas id ipsum comprobassent , & eo potius, quod ex Sacerdotali esset prognatus familia, quæ plerumque cum tribu Iuda (vnde oriundus teste scriptura Messias erat)matrimonia inire solebat,quare his inducti rationibus , è suo destinarunt concilio , ex præcipuis legatos ad Iohannem potius , quàm ad quempiam alium , qui auctoritate ac doctrina eminerent , quo facilius rei certitudinem possent indagare.

Ob duas maximè causas ad Iohannem potius quàm ad aliquem alium Iudæi legationem instituunt.

Gen. 49.

Alia est quod hoc tempore propheticum Iacob de Christi aduentu intellectum vidissent,altera quòd neminẽ hoc Messiæ honore dignioré Iohãne reperissent.

2. Interrogant itaque [Tu quis es? confessus est, & non negauit]confessus est veritatem , sciens scriptum esse : [Os quod mentitur occidit animam] & Deum

Magna Iohannis humilitas.

Sap. 1.

Ps. 5. Deum mendaces perdere, [Perdes omnes qui loquuntur mendacium] confessus itaque est se non esse Christum. [Quid ergo? inquiunt, Elias es tu? & dixit non sum.] Iohānem Eliam potius, quàm quempiam alium existimarunt, tum ob vitæ consimilis exordium, tum ob victus asperitatē, ac zelum æqualem, & officij similitudinem. Cùm ergo negaret se Eliā, vrgent, [Propheta es tu? & respōdit non] quāuis enim futura prophetiæ dono præcognosceret, præcipuum tamen eius fuit officium præsentem Messiam digito demonstrare, illique præcurrere tanquam aduentus eius prænuncium, qui aduenienti Messiæ omnium præpararet corda, cùm se etiam prophetam negaret esse, instant [Quis es ergo? quid dicis de te ipso?] tantæ equidem sanctitatis Iohannes fuit, vt proprio testimonio satisfacturus crederetur, quam tamen de Christo ipso opinionem, teste

Iohan. 8. Iohanne Euangelista, non conceperant [Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.] In propria enim causa vix proprium, sine saltem iuramento, testimonium acceptatur. [Ego, inquit, vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini] Ego Christi sum vox, qui in me loquitur, qui me vrget, vt clamore valido quoslibet moneam parare illi aduenienti in nobis locum.

Differentia inter Christi & Iohannis baptismum.

3. [Quid ergo baptizas?] res hæc insolita, quæ in persona huiusmodi officium gerenti magnam requirit auctoritatem. Quibus Iohannes: [Ego baptizo in aqua] exteriorem abluens corporis tantum superficiem; venturus autem est, qui suo baptismo, (cuius meus hic baptismus tantummodo typus est) animæ sordes abluet, [Qui medius vestrum stetit] in eadem vobiscum regione natus, ad idem quotannis vobiscum tēplum Hierosolymis accedēs, substantia indutus corporea, sua tamē diuinitate omnia penetrans, hic medio omnium vestrum collocatur, hunc vos ignoratis, quamuis Mariæ, præ contemptu, filium vocetis, ignorantes quàm augustam gerat personam,

nam,& quantis gratiarum donis eius humanitas ob sibi vnitam diuinam personam exornetur. [Ipse est qui post me venturus est]eum tamen crescere oportet;me autem minui,ac proinde [Ante me factus est qui prior me erat,] mihi honore, dignitate, gratia, officio prælatus, quippe qui in perfectissimo constitutus gradu, licet conceptione, & natiuitate eum præcesserim, ante me perfectione, tum naturæ, tum gratiæ longè præiuit,nec mirum cùm sua diuina natiuitate ante me ab æterno æterno patri coextiterit. [In principio enim erat verbum] Deus, Dei filius, ego seruus: quare dignus non sum vt minimum seruitutis ei obsequium præstem, cùm ille ab æterno Deus,ego in tempore puluis & cinis. *Iohan.* 3. *Iohan.* 1.

4. Duo dicenda.Primum quanto quis virtutibus excellit, tanto se coram Deo abiectiorem reputet Iohannis exemplo.Cùm verò hęc humilitas non acquiratur nisi per sui cognitionem de ea secundo agendum loco, si prius Spiritus sancti gratiam Domina Virgine deprecante efflagitemus. Aue Maria. *Concionis partitio.*

PRIMA CONCIONIS PARS.

5. Neminem inter natos mulierum reperio, qui adeo Christi Domini imaginem in se suisque moribus expresserit ac Iohannes: quo, quid præclarius ad eximiam eius laudem inueniri possit?Quid enim, obsecro, puræ possit creaturæ nobilius obtingere, quàm ea quæ creatori singularia, illi quodammodo attribui posse? Quemadmodum enim Christi conceptio,ac natiuitas à prophetis diu ante prænunciata, sic & Iohannis,quod sanè singulare sanctitatis argumentum fuit Nam de eo Malachias [Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam,qui præparabit viam tuam ante te.]Hunc verò angelum Iohannem esse Christus asserit.[Hic est inquit de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meũ ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te] Gabriel etiam Angelus qui Christi conceptionis prænuncius fuit, idem in Iohannis conceptione Zachariæ apparuit. *Primum punctum.* *Similitudo Iohãnis cum Christo.* *Mala.* 3. *Matt.* 11.

[Appa-

Luca 1. [Apparuit illi Angelus Domini ſtans à dextris altaris incenſi,& ait ad illum: Ne timeas Zacharia quoniam exaudita eſt deprecatio tua,& vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.] Ecce quomodo Deus voluit ex Angeli miſſione conſtare Iohannem non humana,ſed diuina virtute naſciturum. Voluit ergo Iohannis & Chriſti (quatenus humana diuinis ſimilia eſſe poſſunt) quàm ſimillimum ortum,quàm ſimillimum eſſe conceptum.quare Angelus ad Mariam,vt Chriſti,ad Zachariam vt Iohannis conceptum annunciet ante præmiſſus eſt,& idem Angelus Gabriel,vti Auguſtinus aſſerit: [Iam illud , ait , quantæ gloriæ eſt, quod Zachariæ Sacerdoti , & Elizabeth ſterili , à Gabriele,ideſt,ab illo Angelo promittitur,à quo Mariæ natiuitas Domini nunciatur , & quaſi ex aliquo ſimilis Domini præmittitur filius ſterilis ante filium Virginis , neſcio quod maius miracuraculũ ipſa natiuitate declarans.[Quare præſagium hoc certiſſimum fuit tanti viri ſanctitatis , qui ſicuti Dominus mirabiliter natus , ſic ille mirabiliter etiam natus. Hinc Auguſtinus [Ambo mirabiliter nati , præco & Iudex, lucerna,& dies,vox & verbum,ſeruus & Dominus. De ſterili ſeruus, de virgine Dominus. Ipſe Dominus fecit ſibi ſeruum in vtero ſterili , de ſene Patre, & de anicula matre. Et idem ipſe Dominus, fecit ſibi carnem Virginis in vtero ſine homine Patre,qui primum fecit hominem ſine Patre & matre.]

Aug. ſer. 20. & 21. de ſanctis.

Aug. homil. 44. & ſerm. 21. de ſanctis.

Luca. 1. 6. Quemadmodum inſuper filio Dei nomen diuinitus inditum , pro ſui officij ratione [& vocabis nomẽ eius Ieſum: ipſe enim ſaluabit populum ſuum, à peccatis eorum.] ſic illi ab eodem Angelo nomen diuinitus impoſitum:[& vocabis nomen eius Iohannem]nomen gratia plenum, officio præcurſoris Domini digniſſimum ſicuti Chriſtus magnus & Altiſſimi filius vocatus: ſic inquit Angelus [futurus erit magnus coram Domino] & Altiſſimi propheta à Patre ſuo pronunciatur. [Tu puer propheta Altiſſimi vocaberis.

Nomen Gratia Iohannes.

7. Ma

7. Magnum etiam fore gaudium in eius natiuitate idem prædixit Angelus, ſicut in Chriſti natiuitate [Ecce euãgelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus.] & de Iohanne [Multi in natiuitate eius gaudebunt] Præterea ſicuti Chriſtus ab Angelo Sanctum vocatus [Quod enim naſcetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei, & de plenitudine eius omnes accepimus] ita Iohannes, ſub Chriſto, eximia ſanctitate præditus fuit, nam Spiritu Sancto adhuc in vtero matris ſuæ repletus. Nam cùm Sol ille aureus ſub aurea virginei vteri nube latens, domum ingreſſus eſſet Elyzabethæ, ſtatim peccati originis profligata caligine pueri adhuc in matris vtero animum mira gratiæ luce circumfudit, & de plenitudine eius mater, ac Zacharias eius pater acceperunt, & omnes quos ille ex filiis Iſraël conuertit ad Dominum Deum ipſorum.

Luca 2.

Ioan. 1.

8. Hinc ob morum ac originis ſimilitudinem, adeò in eius amorem exarſit Chriſtus, vt tempus à natura conceſſum vtriuſque natiuitati, præ nimio eius inuiſendi deſiderio minimè expectauerit, ſed matrem ſuam diuino quodam impulſam numine vt Elyzabeth viſitaret, pueri gratia, adhuc in vtero, quaſi in carcere incluſi, quo præter naturam ſeſe mutuò internis ſalutarent amplexibus, inſtigauit; hinc conuerſis vultibus ad Mariæ ſalutationem (qui anteà iuxta naturæ ordinem, matris tergum reſpiciebant) mutuis amoris facibus incenſi, cor cordi quaſi porrigentes humano generi propinquã gratulabãtur redemptionem. Et licet omnia hæc Sancto Iohanni cũ Chriſto cõmunia, aliáq; permulta, vt quod vterque ex tribu ſacerdotali, vterque ſacerdos, vterque Doctor ac magiſter, vterq; ſcholas habuerit & diſcipulos, vterque eandem pœnitentiæ prælectionem fecerit, vterque eximius prædicator extiterit, vterque vitæ ſanctimonia prodigium fuerit; alter ab altero viciſſim commendatus, vterque à Deo miſſus,

Eximia Ioãnis humilitas. Eccl.3. Simile.

vterque martyr ac mortuus;ita tamen sese Iohannes abiecit,vt corrigiam calceamenti eius soluere indignum se iudicet : nouerat enim scriptum : [Quantò maior es humilia te in omnibus & inuenies gratiam coram Deo & hominibus :] Sicuti pretiosus lapis Smaragdus, vel quiuis alius à Regis capite ac corona decidens suo pondere ad pedes vsque dilabitur. Sic Iohannes veluti pretiosissimus Smaragdus à Messiæ capite ac corona, vili pensionis suæ pondere dilapsus , ecce ad pedes vsque peruenit. [Non sum, inquit, dignus soluere corrigiam calceamenti eius.] Ecce nobilis humilitatis Smaragdus , ad Regis pedes prostratus qui tamen ab ipso Rege tam dignus censetur,vt in sui capitis corona tanquam pretiosissima gemma collocetur.Hic Smaragdus diuinus suã contemplans vilitatem hodie legatis percontantibus respondit : En Rex Regum ac Dominus Dominantium ille est Messias , ego vilis eius seruus : Ille Sol,ego lucis scintilla, à Solis illius splendore emẽdicata:Ille Dei verbum,ego vox clamantis in deserto:Ille sponsus,ego paranymphus : Ille Deus & homo,ego tãtummodo homo:Ille creator, ego creatura:Ille Deus & homo gratiæ fons ac immensum omnium bonorum pelagus , ego ab illo gratiæ stillam accepi, quà in materno vtero sanctificatus fui : Ille electus ex millibus,quippe qui infinitè omnes superat creaturas,ego puluis & cinis.

Matth 8. Humilitatis præmium. Chryso. homil. 38. ad populum.

9. Sic centurio [Non sum dignus vt intres sub tectum meum.] Et propterea, inquit Chrysostomus, dignus factus est & admirationi super omnes Iudæos habitus.Sic & Paulus.Non sum dignus vocari Apostolus,ac propter hoc (ait ille) omnium primus factus. Sic & Petrus. Exi à me quia peccator homo sum Domine , & idcirco factus est Ecclesiæ fundamentum. Sic & Iohannes , non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius,& ideò(ait)amicus quoque fuit sponsi , & manum quam calceamento soluendo dixit indignam , hanc super caput suum

Chri

Christus attraxit (& concludit) nihil Deo tam gratum, quàm cum extremis peccatoribus seipsum connumerare: hoc est enim totius sapientiæ principium.]

10. Christus itaq; hunc extulit,sed ille quantum potest se depressit.Interrogatus an Elias esset,respõdit,non,cùm tamen se dicere posset Eliam,quia licet non esset persona,erat tamen Spiritu ac virtute[præcedet ante eum in spiritu & virtute Eliæ.] Christus etiam eum Eliam vocat [ipse est Elias] ille verò negat. O quanta hæc inter duos coætaneos virtutis concertatio. Ioannes se humiliat & Christus eum exaltat.Ille:non sum Elias. Christus : ipse est Elias: Ille:non sum Propheta:Christus:plus est quàm Propheta. Ille [non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius :] Christus ad eius pedes prouolutus dignum eum iudicat à quo baptizaretur. O vtinam hæc sancta inter nos virtutum vigeat concertatio. Vtinam detractionis veneno à nostris expulso pectoribus, diuino gratiæ pharmaco , quemlibet pro merito laudare ac apud nos venerari discamus. De se quidem Ioannes admodum submissè loquens, Christũ,vt par erat,magnificauit. [Qui post me (inquit) venturus est,ante me factus est, cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti] hoc virtute præditi ingenium est de se humiliter,de aliis gloriosè loqui. Vtinam si quando etiam meritò laudari à quopiam nos audiamus,ad nostræ vilitatis recurrentes exordia inde nos humiliandi ansam cum Ioanne qui se vocem vocat,ac cum magno illo Patriarcharum Principe Abraham,qui[quoniam(vt inquit Chrysostomus)non habebat peccata,quæ diceret,sed vndique bonis operibus fulgebat,circumcursans , & nihil contra se inueniens , ad naturam ipsam confugit , & quoniam terræ nomen videtur quodammodo honestum esse,cineris addidit(dicẽs) ego autem sum terra ac cinis,] Vtinam, inquam, sic nos humiliemur; vt cum illis ex humilitatis valle ad

Luc.1. Matth.11.

Virtutis humilitatis cõcertatio.

Chrysost. Homil. 13. in poster. Ep. ad Cor.

montis cœleſtis verticem aſcendamus. Quicunque enim infimum humilitatis locum eligit ad ſummum euehitur, & per infimum humilitatis ſcalæ gradum ſcandit ad ſupremum virtutum culmen. Nam dum ſibi per humilitatem vileſcit, Deo pretioſus efficitur. [Nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis (ait Samuel Sauli) caput in tribubus Iſrael factus es] ſi ergo paruuli ſimus in oculis noſtris, in oculis Dei magni erimus, ſin verò magni ſimus in oculis noſtris, in oculis Dei parui erimus. Hinc Gregorius. [Sciendum(inquit)eſt,quia tanto vnaquæque anima ſit pretioſior ante oculos Dei,quantò præ amore veritatis,deſpectior fuerit ante oculos ſuos.] Hinc ad Saul dicitur. Nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis,caput te conſtitui in tribubus Iſrael? Ac ſi apertè diceret, Magnus mihi fuiſti, quia deſpectus tibi, ſed nunc quia magnus tibi es, factus es deſpectus mihi. Tantò ſit quiſque vilior Deo,quantò pretioſior ſibi:tanto pretioſior Deo, quantò propter eum vilior ſibi [quia humilia reſpicit & alta à longè cognoſcit.] Huiuſmodi fuit Abraham & Ioannes ſibi deſpecti,ac proinde Deo pretioſi, hinc ille Dei amicus, iſte Domini præcurſor appellari meruit, cuius laus tanta, quantam hactenus cuiquam attributam vix nouimus. [Inter natos mulierum non ſurrexit maior Iohanne Baptiſta] quantò ergo maior es,humilia te in omnibus,& inuenies gratiam coram Deo & hominibus.

1.Reg.15.

Greg.Iob.28. ad illa verba omne pretioſum vidit oculus eius.

Deo humilitate placemus, ſuperbia diſplicemus.

Pſal. 137.

Matth. 11.

Eccleſ. 3.

Secundũ pũctum.

SECVNDA CONCIONIS PARS.

II. Quod ſecundo loco dicendum propoſui,eſt, neminem poſſe ad hunc pretioſiſſimum humilitatis gradum peruenire, niſi perſpectam habeat ſuæ originis vilitatem. Hinc Iohannes cùm adeo ſeſe & à Iudæis extolli animaduertiſſet, vt ipſum in Meſſiam vellent aſſumere,& à Chriſto,vt inter mulierum natos ipſo maiorem non ſurrexiſſe diceret,mentis ſuæ aciem ad ſuæ originis primordia reflectens, neque ſeſe qui corrigiam calceamenti Chriſti ſolueret dignum

Ex ſuæ naturæ exordio vilè ſe agnoſcit.

gnum iudicauit,neque Prophetæ nomine, & multò minùs Meſſiæ dignitate. Quare cùm interrogaretur, [Tu qui es?] ſuæ vilitatis conditionem perpendens, ſeſe adeò humiliauit; vt nõ ex Dei donis ſibi cœlitus collatis ſeſe conſideraret, ſed iuxta naturæ ſuæ imbecillitatem, omnem à ſe dignitatis titulum remouerit,non ignorans quod quanto in ſuis oculis vilior atque obiectior foret, tanto coram Deo ſublimior haberetur. Quam ſui conſiderationem,ô vtinam nos quotidie ob oculos habeamus, ex qua proculdubio ſtatim in nobis noſtri humiliatio ſequeretur. *Simile.*

12. Itaque quiſque ſe interroget:Tu quis es.Sed quoniam noſtræ originis indignitas nobis pernota, nemo eſt qui libenter ſeſe ad illam animo reuoluendam aut aliorum ſermonibus renouandam, applicet. Si enim latronem cui in ſignum ſui latrocinij frons,aut manus candenti ferro vreretur patrem habeas,nunquam libenter eum pro tali agnoſceres, ne hinc aliqua tuo honori & famæ labes aſpergeretur. Sic verendum nobis, ne ſi ad primum noſtrum parentem originem noſtram reuocemus, toti confundamur. Nam omnium latronum anteſignanus fuit, qui ſibi & nobis omnia bona furripuit. Qui poſt lõgiſſimam huius furti pœnitentiam, nongentorum triginta annorum ſpacio ſcilicet factam, tandem etiam poſt delicti veniam, eam latrocinij notam, quam in ipſo furti actu contraxit (adeo fortiter ſibi impreſſit)vt etiam ad totam tranſmitteret poſteritatem.Tu ergo quis es?filius illius latronis?Et ſi neges, porrige frontem tuam, in qua impudentiæ nota, ex imo tui pectoris cœno deriuata,parentis tui filium, adeóque flagitioſum te eſſe perſpicuè declarat. Dei ipſius teſtimonio, & pater tuus primus hoc latrocinium commiſiſſe, & tu genuinus eius filius, in eandem, quaſi hæres, præuaricationem ſucceſſiſſe conuinceris. [Reduc me in memoriam,& iudicemur ſimul,(ait Dominus filiis Adami)narra ſi quid habes, *Latronum anteſignani filij ſumus.* *Iſa.* 43.

vt iuſtificeris,]quaſi dicat, nihil habes, cùm Patris tui,& peccatum contraxeris, & ipſe eo contaminatus, neſcias alium præter peccatum, ex illa radice fructum producere:ſubiungit, vt ſui dicti veritatem probet,[pater tuus primus peccauit,] ergo cùm eius ſis filius,iuxta naturam illius in te deriuatam, quem fructum facies præter peccatum? Tu ergo quis es? Adæ filius,quod nihil aliud ſonat, quàm terram rubram. Et ſi altius velis tuam originem repetere, inuenies Patrem tuum primam ſuam originem ex nihilo produxiſſe, quis ergo es tu? ex prima origine, nihil, hæc eſt patria ex qua in hũc mundum veniſti, ex regione vt ait D. Cyrillus, quadam quæ appellatur,nihil,paupere, deſerta, ignobili,inculta, ſterili, miſera, rebus omnibus egente, in qua neque animal vllum,neque vermiculus,neque arbor, neque ſeges, neque herba gignitur, hæc tua eſt patria. Ex ſecunda quæ eſt Patris, quis es?nonne terra rufa, qua peior,aut ſterilior reperiri nequit.

Cyrillus in Ioannem.

Hominis patria nihil.

13. Sed ſi ad tuam ipſius immediatam generationem mentis oculos reflectere velis, patre tuo viliorem te,& abiectiorem inuenies.Quis enim tu,aut quod fundamentum tui in matris vtero iactum?ſperma fœtidum,ait Bernardus,fundamentum adeo fragile, adeo turpe ac execrabile, vt Deus noſter qui alioqui omnes noſtras ſubire penè miſerias voluit, hanc tamen nulla voluerit ratione admittere,quippe indignum iudicans ſperma illud fœtidiſſimum, quod ex libidine naſcitur, ſuæ humanitati ſanctiſſimæ fundamentum adhibere: & qui ſibi non turpe eſſe iudicauit ſputis fœdari, ad inſtar latronis ſtrictis colligari vinculis, nudari, flagris cædi, in crucem agi; tamen indignum omnino ſua cenſuit maieſtate,vt ad tam abiectum concipiendi modum deſcéderet. Quis ergo es?ſperma fœtidum.Sed vbi naturæ opera,ad corporis perfectionem,ex illa indigeſta ſeminis colluuione deueniſti, immerſa organis anima,Tu quis es?Damnatus antequam natus: Apoſtolus

Miſera hominis & abiecta origo.

ſtolus id teſtatur, Eramus naturâ filij iræ. Eramus inquit Bernardus, & nos filij iræ? cuius iræ filij? nempe filij ignorantiæ, ignauiæ, captiuitatis. Ignorantia mulieris ſeductæ excœcauerat nos, mollities viri abſtracti & illecti à propria cõcupiſcentia eneruauerat nos, malitia diaboli expoſitos iuſtè à Deo captiuauerat nos. Sic ergo naſcimur vniuerſi primum quidem viæ ciuitatis habitaculi prorſus ignari, deinde imbecilles & ignaui, vt etſi nota nobis eſſet via vitæ, propria tamen præpediremur & detineremur inertia: poſtremò captiui ſub peſſimo crudeliſſimóque tyranno, vt licet prudentes eſſemus atque robuſti, ipſa tamen miſeriæ ſeruitutis opprimeremur conditione.

Epheſ. 2. Bernard. ſer. 1. de purific. B. V. M.

14. Nonne, obſecro, magna damnatio, etiamſi ab omni eſſemus immunes peccato, per menſes nouem in maternum vterum, tanquam in fœdiſſimum ac obſcuriſſimum carcerem compingi, & quaſi compedibus ſtringi, ſtercore inſuper, vrina, ac multis aliis naturæ incommodis inuolui, ad matris tergum, quaſi luce indignos, vultu conuerſo, alligari, ſingulis pene momentis de vitæ ac animæ ſalute in ancipiti verſari certamine. Antequam ergo natus, in muliere damnatus. Quod tuum in materno vtero nutrimentum? quod ſanè vel cogitare horribile tãta eius fœditas: nam (vt auctor eſt Plinius) nihil facilè reperiri poteſt mulierũ profluuio, quod in cõcepti tamen fœtus alimentum conuertitur, magis monſtrificum, hoc enim exuruntur hortorum germina, ſpeculorum fulgor aſpectu ipſo mulieris cui menſtrua eunt, hebetatur, acies ferri perſtringitur, eboris nitor tollitur, aluei apum emoriuntur, in rabiem aguntur canes. Quis tu inſuper ipſo momento quo naſceris? ſæpè matricida, qui ad viperæ modum, matris ventrem naſcendo, veluti exedens, perrumpis, & vitam illi aufers à qua vitam accepiſti. Et quamquam non ſemper eueniat, vt eam naſcendo interficias, dolores tamen adeo acerbos, ac vehemen-

Inter quas ſordes puer in vtero matris verſatur & quo veſcitur.

tes excitas, vt saltem te in matrem tyrannum nascendo exhibeas. Tu ergo nascens quis es? tyrannus aut parricida.

Homo nascẽs tyrannus. Apoc. 3.

15. Ex vtero verò editus; Tu quis es? siue Regi siue Imperatori nascaris hæres, omnesque beatum te recenter natum deprædicent! Diues sum, inquies, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus. Miser, quia [homo natus de muliere breui viuens tempore, repleris multis miseriis.] Et [miserabilis,] quia neque ambulare, neque loquì, neque teipsum iuuare, neque opem alicuius implorare potes. [Pauper] quia nihil in mundum intulisti, neque quicquam penè inde auferes: [Cùm enim interieris non sumes omnia, neque descendet tecum gloria domus tuæ. [Cœcus] quia omni destitutus es consilio, rationis vsu, aut voluntatis aut intellectus regimine. [Nudus,] qui nudus ingressus es in hunc mundum, & nudus egredieris. Quid ergo es tu è ventre matris editus? Omnium animantium miserrimus. Nam ex iis alia nascuntur contra cœli intemperiem, & cætera vitæ incommoda squamis armata, alia plumis, alia pilis, alia lana. Quis ergo es? ipsis etiam insensibilibus inferior. Nam ipsæ arbores & plantæ suis tectæ corticibus nascuntur; solus tu omni exutus veste, fœdè nudus exoreris. Cætera statim animantia nata, victum sibi quærunt. Alia natant, alia volant, alia repunt, alia gradiuntur ac natura duce ad matris vbera festinè accurrunt, eadem tantum tibi & toties ingeminata cantio A,a,a, qua miseriarum tuarum originem, & luctuosam olim parentis culpam in te deriuatam ostendis. Quis ergo es tu? Animantium omnium ac insensibilium pene miserrimus.

Iob. 14.

Ps. 48.

Homo iã natus ipsis insensibilibus inferior.

D. Ioan. Damasc. in hist. vitæ Sanctorũ Barlaam & Iosaphat c. 5.

EXEMPLVM.

16. Iosaphat Rex Indiæ cum iuuenis, quodam die, recreationis causa, per campos obambularet, ei occurrit senio prorsus homo confectus, corrugata fronte,

Digitized by Google

fronte, cano capillo, in terram depressus, lingua balbus, edentulus, quo veluti monstro Rex attonitus propius accedere eum iubet, vt tantarum discerет causam miseriarum; cui adstantes, Rex senex hic, quem contemplaris, iuuenis fuit olim vegetus, sed paulatim deficientibus naturæ viribus anniſque proiectus, tandem ad tantam peruenit calamitatem, vti vides. quibus Rex, sed quid tandem? quis finis erit huius hominis? cui, mors, Rex, omnium finis: omnésne huiuscemodi subiecti miseriis? an verò huic, tantæ miseriæ solum debebantur? cui illi, omnibus, si in iuuentute, morte non præueniantur; quibus Rex, quo tempore, & an vllum esse possit effugium? cui, anno octogesimo ad has deuoluimur miserias, & paulò post morimur, & aliud non est effugium. nam mors hominibus veluti tributum à natura impositum, quam rem vbi sapiens iuuenis probè intellexit ingemens, & suspirans, ait: O quàm amara est hæc mortalis vita, & miseriis onusta, & si hæc quæ dicitis vera sint, quomodo potest esse homo securus, qui certam & ineuitabilem mortem expectat: hæc secum altius reputanti semper mortis memoria in mente hæsit tenacius, quod licet doloris illi fuit, & tristitiæ causa, salutem tamē inde animæ est consecutus. Nam sibi loquens putásne me mors aggredietur aliquādo? & quis mei post mortem memor erit? quid à morte de me eueniet? in nihilum forte reducendus ero? an forte post hanc alia sequetur vita? aut transferar in alium mundum? quorum iugis cogitatio adeo eum vexauit, vt palleſceret, suam tamen tristitiam patrem, qui eum inuisit, celabat: interea ardebat desiderio inueniendi quempiam, qui viam sibi ad immortalem vitam commōstraret, aliquamque præberet consolationem, & suum pædagogum identidem rogabat, si fieri posſit, vt quispiam inueniretur, qui suis cogitationibus satisfaceret, suumque redderet animum, mirum in modum agitatum, pacatum, cui pædagogus alias signifi

gnificaui tibi patrem tuum vel interfeciſſe vel proſcripſiſſe huiuſmodi magiſtros, quo reſponſo non contentus magis ac magis inardeſcebat animus deſiderio cognoſcendi veritatem, verè eius cor ſagittis Dei miſericordiæ vulnerabatur, omneſque adhibuit vires, induſtriam, conatum vt remedium afflicto adhiberet animo, omnes huius mundi illecebras abhorrens, honores, laudes, dum verò ille ſaluti animæ ſuæ incumberet Deus opt. max. qui omnia penetrat ſuam illi gratiam impertiit, eique viam ſalutis commonſtrauit, per quam ad fœlicem mortem tandem peruenit.

IN DOMINICAM TERTIAM ADVENTVS,

Concio ſecunda.

THEMA: *Tu quis es?* Iohan. 1.

Mar. Coquus li. 4. Epig. 25. Egregiũ Ethnici documẽtum noſtri tẽporis ſuperbiam deprimens.

1. ETHnicus quidam Rex Siciliæ Agathocles nomine (vt narrat Mar. Coquus) nunquam permiſit in vaſis aureis, aut argenteis, ſed in luteis ſibi miniſtrari: Interrogatus autem quare hoc feciſſet, reſpondit, Quod quamuis tunc quidem eſſet Rex, fui tamen (inquit) filius cuiuſdam figuli, & ne mei generis obliuiſcerer in luteis potius vaſis, quàm aureis mihi ſeruiri præcepi. Ecce quale Ethnici documentum noſtri temporis hominum faſtum deprimens! quam ſalutarem nobis præbuit in noſtræ vilitatis conſiderationem deſcendendi lectionem, vt originis noſtræ ignobilitate, præ oculis ſemper poſita, noſtras dimittamus criſtas. Adeo enim miſeros, pauperes, ac nudos ex hac noſtræ originis conſideratione nos reperiemus, vt omnia etiam animantia miſeria, paupertate, ac nuditate ſuperemus, ita vt nihil aliud ſimus, quàm omnium miſeriarum cumu

Digitized by Google

cumulus, quas veluti præsentientes futuras, ploratu statim nati prophetizamus. [Ego (inquit Sapiēs) natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans] Natus scilicet ex muliere, quo significet hominem omnium malorum & ærumnarum summam esse, & cumulum, vt quem ex muliere, in quam serpens peccati venenum instillauit, editum, peccati etiam veneno infectum esse oporteat. Quid igitur boni habere potest, qui ex omnis iniquitatis seminario & mendaciorum, fraudumque officina prodiit, atque inter ipsas sordes, quæ neque nominari honestè possunt, procreatus est, quarum miseriarum suo ipse homo ploratu è materno egressus vtero, ab ipsa natura præco ordinatur. Quid plura? licet breuioris vitæ angustiis circumscribatur, quid, obsecro, interim miseriarum & acerbitatum non cogitur ærumnosissimus deuorare? Quare non fine ratione Lyciorum populi, quos Xanthios appellat Plutarchus, lege cauerunt, vt à matribus non à patribus filij generis nomen sortirentur: Atque id in vniuersum Lyciis lege cautum fuisse testis est Herodotus [quasi si quis, inquit, obuium percontetur, quisnam sit, quáve familia ortus, à matribus auiisque protinus genus suum repetet] cuius ratio illa esse videtur, vt miserrimus & ærumnosissimus homo esse censeatur, qui originem suam ad mulierem refert. Quare non immeritò in sua natiuitate, nuditate, lachrymis, vagitu suam declarat impotentiam, cuius debile fundamentum putridum sperma, ex quo in materna aluo tanquam in totius imbecillitatis ac miseriarum officina formatur.

Sap. 7.

Plutarc. l. de claris mul. c. 9.

Herodot. l. 1.

Quàm miser homo cuius fundamentū & origo ad mulierem refertur.

2. Licet singulari naturæ artificio inductis paulatim carneæ massæ organis, spiritalis anima à Deo immergatur, ac procedente tempore, infans in lucem editus, sensim florere videatur, repletur tamen miseriis, qui, quasi flos egreditur & conteritur. Sicuti enim flores in suo ortu pulcherrimè vernantes

Quibus homo prosit mutationibus.

tes immatura manu decerptos atque inopinato ex vitæ arbore præcisos statim marcescere & arescere videmus : & præpopera mors nihil aliud expectare videtur, quàm vt rupto veluti cauliculo homo exoriatur, decerptura protinus quod in lucem conspectumque recens prodiret, & fugit velut vmbra, quæ, nullo vestigio relicto, conspectui nostro subducitur, & tunc vel maximè nos fallit, cum productior longiorque apparet, quippe interitui ac perpetuis tenebris proximior; sensim præterea labitur, & nunquam eadem consistit. sic certè homo, dum viuit, senescit, imo potius moritur, continuisque decrementis & mutationibus, tum corporis ; tum animi subiacet.

Communis diuisio.

3. Tria dicam. Primum hominis miseriam ab infœlici patria & à vitæ breuitate magnam esse. Deinde hominem potius ex moribus infidelem, quàm fidelem censendum. Denique animi miseriis consideratis, in nihilum redigi. Sed de more spiritus sancti gratiam per Beatissimæ Virginis intercessionem imploremus. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

4. Sed in quam deueniſti patriam, ex illa regione nihil, infinita Dei omnipotentia, quasi aduectus? Si fateri erubescas, ecce astat tibi Ezechiel, qui & radicem tuam, & patriæ tibi nomen indicet [Radix (inquit) tua, & generatio tua de terra Chanaan.] Ecce radix, ecce patria, & natalis tui sedes! quæ te iã adultum alit, infœlix & fraudulentum sæculum, quod terra Chanaan nobis exprimit. Quis ergo es ? Ciuis maledicti sæculi. O si, vt Angeli in cœlo Empyreo creatus fuisses, de natali tuo solo gloriari posses. Sed natus in sæculo, in miseriarum valle, in arce hostium, in continua commotione ; vbi statim natus quasi flos egrederis, vix egressus subita mortis falce succideris, & fugis velut vmbra. Qualis ergo est tua patria? Quæ suos incolas affligit, quæ amicis ac inimicis æquè infensa, quæ omnes tandem à se nudos abiicit.

Ezech. 16.

Crudelis patria mundus qua suos deuorat habitatores.

Digitized by Google

abiicit. Quis es ergo? Incola terræ Chanaan, quæ deuorat habitatores suos.

5. O terra infamis! ô patria crudelis, quàm stultus qui te amat, quàm temerarius qui te non horret, quàm sui oblitus, qui tuos laqueos non fugit, quàm inuerecundus, qui inter dolos, fraudes, dissidia, simulationes, scelera se natum atque educatum esse non erubescit. Hinc Augustinus exclamat. [O munde immunde, qui homines illaqueare non desinis, quiescere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quæris, væ qui tibi credit, beatus qui tibi resistit, sed beatior qui à te illæsus recedit. O munde proditor, bona cuncta promittis, sed cuncta mala profers? promittis vitam, sed donas mortem, promittis gaudia, sed largiris mœrorem, promittis quietem, sed ecce turbatio, promittis florem, sed citò vanescit, promittis stare, sed citò recedis. [Hoc in sanctissimo ac fœlicissimo homine Iob ad oculum nobis ostendisti, cuius (vt ait scriptura) aspectũ ita vniuersi suspiciebant, vt ad eius ingressum iuuenes absconderentur, & senes assurgentes starent, & principes cessarent loqui, & digitum superponerent, eo loquente, ori suo, sic (inquit ille) honoratus ab omnibus fui, quãdo præcedebam ad portã ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi. Sed ecce vbi statim ei sedem collocasti, nonne in sterquilinio eum exuens omni sua potentia, diuitiis ac maiestate, ita vt à prætereuntibus iuuenibus irrideretur. [Nunc autem deriderunt me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni, in eorum canticum versus sum, & factus sum illis in prouerbium.]

Aug. serm. 31. ad fratres in heremo.

Quàm falsa mundi promissio.

Iob. 24.

Iob. 30.

6. Quis, obsecro, adeo demens, vt fœdus cum tam crudeli hospite feriat, & tamen huius amicus esse vis, natus ex fragili mulieris vtero gloriaris te ciuem fraudulenti Chanaan. Sed audi quamdiu putas tecum dissimulabitur vix temporis momento: homo

Homo ciuis Chanaan statim in se mortis sentẽtiam ferre audit.

homo enim natus de muliere, statim in se sententiam mortis ferri audiit, Breui viuens tempore. Quis ergo es? mundi ciuis breui victurus. Et tamen longum tibi polliceris vitæ tempus, cùm momentum sit, licet ad mille annos, in summa pace, ac tranquillitate, ac de-
Psal. 89. litiis victurus sis, cum æternitate comparatum. [Mille enim anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit] imo momentum est omne tempus, à mundi exordio, vsque ad eius consummationem.
Isai 26. Hinc Isaias de hoc momento nos admonens ait [Abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio] quo loco vniuersum tempus, vsque ad diem iudicij (vti Hieronymus interpretatur in commentariis) intelligitur.

Breues dies hominis. 7. O si anni nostri cum illa æternitate conferrentur, nihil omnino reputarentur [breues enim dies hominis sunt, & numerus mensium eius apud te est.]
Iob 14. Iob tamen, cuius hæc est sententia, de vitæ nostræ breuitate, post omnes calamitates, centum vixit & quadraginta annos, quos cum reliquo anteactæ vitæ tempore, breues dies appellat: imo ne quidem vna dies omnes vitæ nostræ anni reputandi, cùm mille annos tanquam diem hesternam quæ præteriit in
Genes. 47. Dei conspectu, propheta reputarit. Paucos dies Iacob patriarcha vitæ suæ annos fuisse, interroganti Pharaoni respondit, cùm tamen, iuxta mortalium censuram, diu vixerit. Dies, inquit, peregrinationis meæ pauci, centum triginta annorum. Non dicit vitæ, aut quietis, sed peregrinationis. Nam in hac vita nulla quies, nulla solida delectatio, ac proinde potius laborioſa peregrinatio, quàm vita appellanda
2. Cor. 5. est, iuxta illud Apostoli. [Dum sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino] quamdiu sumus in hoc corpore tamdiu à Domini nostri conspectu, ac Dei Patris nostri hæreditate elongati & absentes, quasi peregrè in terra aliena, scilicet in vita hac, & corpore mortali, qui conscripti sumus ciues cœli, & hæredes Dei, versamur, quæ adeo laborioſa ac molesta

peregri

peregrinatio Apoſtolo viſa, vt eam mortem, quam vitam maluerit appellare: [Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius] id eſt, à corpore moribundo & peccandi affectibus, ac conſequenter & morti, & corruptioni obnoxio: quodque, vt ait Sanctus Hieronymus, tum corporalem, tum, vt Phocius, animæ ſæpe ſpiritualem mortem inducit, & Auguſtinus: [Liberari, inquit, à corpore mortis, eſt omni ſanato languore concupiſcentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus, ſed ad gloriam. Non enim à corpore mortis impij liberabuntur vnquam, quibus in reſurrectione eadem corpora ad æterna tormenta reddentur.] Et nos hanc mœſtam vitæ peregrinationem, & ſuauem vitam ac longam vocamus, quam in longum protractum iri falsò nobis pollicemur. Propheta Dauid multo breuiorem, ſua ætate, vitam noſtram aſſerit, quæ tamen quotidiè ob hominum infirmitatem, ac quotidianam defectionem decreſcit: [Dies, inquit, annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.]

Rom. 7.

Auguſt. l. 1. contra ſecũdas Epiſtolas Pela. 11.

Pſ. 89.

8. O quàm pauci dies ſunt octoginta anni, imo Apoſtolus totum tempus vitæ noſtræ vſque ad finem mundi Hodie vocat, id eſt, vnum diem præſentem: Adhortamini vos per ſingulos dies dònec hodie cognominatur, hoc eſt, Monete ſedulò inuicem hoc die vitæ veſtræ, cum propè ſit huius diei veſper. Quid ergo octoginta anni, cum tota æternitate collati, cùm ne dies quidem ſint comparati cum tempore illo finito, quod ab exordio mundi vſque ad diem iudicij deuoluitur. Eſto! Dei habeas chirographum, quo certò tibi conſtet, te octoginta victurum annos, quibus ſi infantiæ ac pueritiæ annos ſubtraxeris, quo tempore non hominis, ſed potius animalis vitam ducis; ſi præterea tempus illud dempſeris quo dormis, cùm tunc etiam non modò hominis, ſed nec bruti pene vitam agas; quid, inquam, ſi octoginta annis hoc tempus ſubtra-

Heb. 3.

xeris,

Digitized by Google

xeris, cùm mortis potius sit dicendum, quàm vitæ, quid putas ex octoginta annis superasse? vix sanè quadraginta: Quid præterea si ægritudinis tempus, si ipsam senectam, quæ morbus quidam est, ademeris? nonne vix in quiete ac tranquillitate ex illo Dei chirographo triginta annos tibi polliceri poteris? Quid denique si illud tempus subtrahas, quod aduersitate, rixa cum carne, ac spiritu, discordia, ac odio cum proximis, in quibus omnibus tanta hominis molestia, vt mortem quandam potius id tempus, quàm vitam appellaueris, consumis? vix vitæ tuæ tranquillitas & quies viginti annis duratura. quid autem hoc cum æternitate? nihil, imo tanta breuitas vitæ nostræ est, vt ipso momento breuior ac vanior esse videatur, cùm nihil sit præter scintillam, quæ ne momento quidem temporis sæpe perseuerat.

Ad oculum ostenditur vitæ breuitas.

Vita hominis scintilla inter tenebras. Simile.

9. Fingite ergo vos in aliquo clausos obscuro loco eminus scintillam videre quæ paulisper transcurrit, & statim extinguitur. Certè huic nostram vitam sapiens ille philosophus Plato comparat. Nec immeritò: quemadmodum enim scintilla, in obscura nocte ante, & retro, densis circundatur tenebris: ipsa verò lucet quidem, sed vbi modicum sese circumgirauit statim extinguitur. Sic vita nostra in obscura nube posita, ante & retrò, tenebris circumducitur. Quid enim aliud sæculum hoc, quàm obscurum quoddam chaos? quid vitæ nostræ tempus quàm tenebræ? quid tenebræ, quàm lucis priuatio? quid priuatio? nihil. tempus verò præteritum tenebræ sunt, cuius pars nulla apparet. tempus futurum etiam tenebræ, aut potius tenebris obscurius, cuius nulla pars in rerum natura existit. Solùm supereſt illud præsens Nunc, quod ita exiguum est, vt nullam patiatur diuisionem. Hæc est scintilla illa vtrinque tenebris obducta, quæ vix esse incipit, cùm extinguitur. Tu ergo quis es? scintilla quæ leui venti flatu dispellitur, vapor ad modicum parens: fatearis ergo velis, nolis, oportet, te ex luto, fragile conflatum

Iacob 4.

vascu

vaſculum, breui duraturum tempore, cùm tuum fundamentum ſit adeò fragile, vt minimo vento exſuffletur. [Puluis es enim & in puluerem reuerteris.] *Gen. 2.* Hæc tui in te auctoris cenſura.

Hominis vita quàm vana ſit & fugax docetur exemplis.

10. Tu ergo quis es; aut quæ vita tua, cuius intuitu criſtas tollis? rectè quidam philoſophus ſciſcitanti tibi reſpondit, non verbis, cùm eius exiguitas ſatis verbis exprimi non poſſit, ſed ſuo motu, dum in orbem ſeſe vertens abiret indicans nobis tam breuem vitam eſſe: vt non opus fuerit verbis ſed motu potiùs velociſſimo, ac breuiſſimo ſignificare, quid eſſet. Tu ergo quis es? rectè ſanè te piſcē Ephemerum, qui eodem quo naſcitur momento moritur: imo dixerim potiùs te eſſe punctum, quod diuidi nō poteſt. Nam ſi cum toto vniuerſo conferaris, ad inſtar puncti eſſe iudicaberis. Flamma es, ſed non quælibet, ſed quæ ex ſtupa, vel paleis excitatur, & ſtatim ſua ſponte extinguitur. Bulla es, quæ ex agitatione aquæ orta, leui diſſipatur flatu. Fœnum es, quod mane viret, veſperi areſcit, & in clibano miſſum in cineres vertitur. Flos es, qui manè flores, veſperi decidis & areſcis. Vmbra es, quæ nihil habet ſubſtantiæ, ſomnium es, cuius veſtigium non deprehenditur. Tu ergo quis es? reſpondeat antiquus ille poëta Pindarus, qui te neque ipſam vmbram, neque ſomnium eſſe aſſerit, ſomnio obſecro quid vanius? quid nihilo vicinius vmbra? quid ergo es ſi neque vmbra, neque ſomnium? vmbræ vtique ſomnium es, & tanti te facis, cùm tantùm ſis vmbræ ſomnium. Quanta, obſecro, moles, quàm vaſta, quàm longa, quàm lata inferior hæc mundi machina, quæ ſi cum cœli ambitu conferatur, punctum eſſe videbitur? quid cœlum ipſum cum cæteris comparatum? exiguum quid apparebit: quid omnes cœli reſpectu immenſitatis Dei: quid ergo tu puluis ac cinis, cum Deo comparatus? Fatearis ergo oportet fragile te ex puluere conflatum vaſculum, quod breui duraturum eſt tempore.

Digitized by Google

SECVNDVM PVNCTVM.

11. At procedente tempore, & sacris initiatus mysteriis quis es in extrema conuersatione? quod secundo loco dictum volo? Vnde te iam agnoscemus, ait Chrysostomus, sacris initiatum esse laticibus, fidelem enim non tantùm ex his quæ sumpsit à Deo, verùm & ex his, quæ ipse naturæ munere præstare potest; par est effulgere, & ex omnibus esse partibus manifestum, ex incessu, ex aspectu, ex habitu, ex voce. Nunc autem vnde te queam agnoscere? à contrariis etenim signis vndique te reperio conspicuum. Nam seu à loco te discere voluero, quis quæso es, aut quibus circundaris hospitibus? nonne hominum perditorum delectaris conuenticulis, qui nihil sapiunt, neque olent, præter habitus graueolentiam, quorum consuetudine malos ac pernicioſos imbibis mores? [Procliuis (enim) est malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas citò imitaris vitia.] hoc pestifero infectus tabo Augustinus, vt ipse fatetur, adolescentiam suam in plateis illis Babyloniæ, vt ait, actam, defleuit, qui cùm coætaneos suos flagitia sua iactitantes audiebat, & tantò magis gloriantes, quantò magis turpes essent, ipse etiam stimulabatur, vt ait, non modò ad eadem facienda, sed etiam ad fingenda quæ non fecerat, ne videretur abiectior, quò erat innocentior, & ne vilior haberetur, quò erat castior.

Chrysost. homil. ad populum Antio.

Qualis sis à baptismo & consortio colligendum.

Hier. ep. 7. de spectacu.

Aug. 2. confess. c. 3.

12. Si ab aspectu, dissolutos, leues, loquaces, cachinnantes intueri gaudes. Væ vobis qui nunc ridetis, quia flebitis. Si à vestibus pompoſos, annulis digitos onerantibus, colla aureis catenis deprimentibus, crispantibus capillis effœminatos. [In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, torques & monilia & armillas, &c. & erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.] Siue à sequentibus te discere volo, parasitos, & assentatores, mendaces ac periuros circunducis: [Per-

Luc. 6.

Per vestes dignoscimur.

Isa. 3.

des

des omnes qui loquuntur mendacium.] Siue à verbis, nihil ſanum, nihil ſanctum, nihil honeſtum aut ſalutare proferentes ferè audio: [ſepulchrum patens guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant, iudica illos Deus.] ſiue à menſa, dum enim corpori cibum ſuum præbemus, proximorum noſtrorum veluti obſonium mores carpentes, poculis hinc, inde exhauſtis, conuiuis vulnera infligimus. Cui væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & ſtudẽt calicibus epotandis? Vnde, quæſo, itaque ſubdit Chryſoſtomus, potero te fidelem agnoſcere, verbis, operibus, exemplis omnibus contrarium proteſtantibus.

Pſ. 5. *Per verba.* *Pſ. 5.* *Per cibum.* *Prou. 23.* *Per potum.*

13. Quis tu es ergo? fideliſne? quid dico fidelem? neque enim homo es, ſi tuos velimus mores penitus introſpicere, ad inſtar aſini, cùm tibi aliquid voluntati contrarium obuenit, recalcitras. Veluti indomitus taurus in libidinem effrænatus laſciuis, & tanquam inſolens equus poſt concupiſcentias tuas hinnis, quaſi porcus indulges ventri, vix cœlum intuens, præ fœdæ ſarcinæ ventris tui pondere incuruatus, ſemper terræ infigis rictum: Quorum Deus venter eſt & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt?] quaſi camelus qui ſibi iniuriam illatam diu memoria retinet, donec anſam repererit vindicandi: ſic, malum pectore confoues, donec ſuo tempore malum pro malo rependas, cùm tamen Deus ſuam eſſe vltionem, & non tuam aſſerat. [Mea eſt vltio, & ego retribuam.] Veluti rapax in aliorum carnes irruens lupus: ſic viui ac demortui, petulantis linguæ detractione, humanas deuoras carnes: [Cum detractoribus ne commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit, vt vulpecula, ſubdolus dolos concinnas & fraudes. [Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.] Vt vipera venenum ſeruans in pectore blanda ſermonis circuitione aliorum vitæ

Similia. *Homo ſit beſtia moribus.* *Philipp. 3.* *Deut. 32.* *Prou. 24.* *Pſ. 49.*

Pſ. 93. ac moribus inſtillas. [Venenum aſpidum ſub labiis eorum.]Denique tanquam malignus dæmon fratrum accuſator ſemper alios impugnas,& accuſas.

14. Quomodo ergo te, ait Chryſoſtomus, cum hominibus connumerare valeam, cùm nec quidem hominis aut Chriſtiani in vita,moribus ac conuerſatione reperiatur veſtigium? Tu ergo quis es?ferá-ne? ſed vni tantummodò horum vitio illa obnoxia: tu verò pariter omnia circumferens,maiores, quàm omnes feræ crudelitates induiſti: nam quæ ex iis, quæ quicquam tuæ animæ nocumenti inferre ſtudet, cùm tantum naturæ inſtinctu ſenſibilia apprehendat. At tibi non ſat eſt ſi alterius deuores ſubſtantiam, ſi famam tollas, ſi eum interficias, niſi eadem etiam via, eum tecum ad præcipitium æternæ damnationis impellas. Quis ergo es tu? cùm neque ſis fidelis, neque homo,neque fera, dæmonémne te eſſe dicam? at dæmon,ait Chryſoſtomus,neque ventris ſeruit tyrannidi, neque pecunias amat.cùm itaque feris, (rectè enim comparatus es,nõ vni iumento ſed iumentis,nec manſuetis ſed inſipientibus, ſimilis factus es illis) ac dæmonibus maiores habeas defectus,quomodo te vocabimus hominem? ſi verè te non licet hominem appellare, quomodo quæſo te fidelẽ ſalutabimus? Quis ergo es tu?cum tu Chryſoſtome nomen non reperias,quo huius ſimul nequitias complectaris; ecce tibi quaſi proprium illius nomen,Maculoſum monſtrum, in quod omnium malorum colluuies inundat.Sentina omnium ſordium, ac cloacæ, in quam omnium ferè creaturarum ſordes incurrunt. Quicquid enim mali in beſtiis, quicquid in dæmonibus,cumulatim penè in ſolo reperitur homine:& audes tuum in cœlum attollere caput?

Homo cùm ſuperet malitia feras,& obnoxius ſit vitiis quibus non eſt Diabolus, rectè maculoſum monſtrũ,omnium malorum colluuies, ſentina ſordium & cloaca vocatur.

TERTIVM PVNCTVM.

15. At ſi tuæ denique animæ velimus penetrare receſſus, quod tertio loco tractare decreui, quis es? Te nihil fore multo ſatius, quàm hoc aliquid quod es,quod nihilo ferè ignobilius fateri conuenit. Quis

es

es ergo quoad animam? Anima mea peccatorum funibus ligata, in obſcurum, ac fœtidum impacta carcerem putreſcit, neque alimentum haurire, neque quicquam percipere poteſt, adeo tenebroſus carcer, niſi ad inſtar malefactoris per ſenſuum cancellos emendicet. Vultis videre quibus ligetur funibus? longè ſanè ſtrictioribus, quàm vnquam fuerit Sampſon: tot enim illa ligatur, quot in ea inſurgunt, cum conſenſu praua deſideria, quæ cùm ferè infinita ſint, infinitis penè ligatur funibus. Hinc propheta [funes peccatorum circumplexi ſunt me.] Et Paulus his deſideriis tanquam funibus conſtrictus, licet abfuerit omnis conſenſus, exclamat. [Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius] quis ergo me liberabit de corpore hoc mortali, tot ſubdito carnis perturbationibus? qui ab eius imperio ac tyrannide, quæ in me, membrorum lex exercet, me vindicabit? quis efficiet ne lex huiuſmodi repugnans menti meæ me tandem captiuet, vt non tantùm concupiſcentiæ motibus ſubdar; ſed vincar? ecce quomodo ſeſe concupiſcentiæ ita ligatum catenis ſenſit, vt non pateretur, ſi ſibi vni non inferret, niſi quo ipſa vellet, ſe extendere. O quàm graues huiuſmodi catenæ, quibus, proh dolor! ita colligati ſæpe ſumus, vt nos ab illis expedire vix poſſimus. Nam ſi velim me ad ieiunium extendere, ſtatim catenæ annulus, fames nimirum meam attrahit carnem, ne in longum extendam ieiunium, ſi diuini verbi prædicationi animum velim intendere, ecce ſtatim alius catenæ annulus me retrahit, obiecta nimirum mulieris ſpecies, quæ ita meam perturbat intentionem; vt nullum capiam ex diuino verbo prædicato fructum: ſi orationi vacare velim, ecce ſtatim alius catenæ annulus me retrahit, tædium ſcilicet, quo incœptam relinquere orationem cogor; ſi rerum cœleſtium contemplationi velim incumbere, ecce alius ſtatim catenæ annulus me retrahit, grauatum ſcilicet ſomno corpus: [Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam

Animæ peccatis catenis in corpore tanquam in carcere tenetur.

Pſ. 118.

Rom. 7.

Sapientiæ.

& terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.] Infœlix ergo ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? ecce Paulus, qui tamen in tertium raptus cœlum ſe ligatum fatetur, ac proinde à tot catenis expediri ſeſe appetens exclamauit. Quis me liberabit de corpore mortis huius? [Nõ enim, ait, quod volo bonum hoc ago; ſed quod odi malum illud facio] ac proinde ab hoc carcere liberari cupio, vt Deo meo fruar [Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto] mente ſeruio legi Dei; carne legi peccati. quomodo carne legi peccati? nunquid concupiſcentiæ conſentiẽdo carnali? abſit: ſed motus deſideriorum illic habendo quos habere nolebat, & tamen habebat, ſed eis non conſentiendo mente ſeruiebat legi Dei, & tenebat membra, ne fierent arma peccati. Videtis ergo eius voluntatem vinculis in hoc carcere colligatam. memoria etiam adeò fragilis ac breuis, vt quæ alioqui capaciſſima foret, ea quæ heri tenuit, hodie obliuiſcatur [confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris] intellectus infinitis etiam ferè catenis conſtringitur. [Tenebris obſcuratum habentes intellectum.]

Rom. 7.

Philipp. 1.
Aug. l. de cõſinentia. to. 4. c. 7.

Iſa. 54.

16. Sed quid ipſa animæ ſubſtantia peccato infecta? Audi ô anima qualis ſis onerata peccatis, irretita vitiis, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, diſtenta negotiis, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, ſuſpicionibus inquieta, ſolicitudinibus anxia, aduena in terra inimicorum, coinquinata cum mortuis, deputata cum iis qui in inferno ſunt: quæ tu es? longè facta ſum à Deo: nam per peccatum in nihil conuerſa ſum, quo factum, vt tanta inter me & Deum diſtantia, qua maior eſſe nequeat, quæ diſtantia aliquo modo indicatur per eam, quæ eſt inter eſſe, & non eſſe. Sic Auguſtinus: Ad nihilum, inquit, deduxerunt me iniquitates meæ, quia tu es verbum, & ego non eram tecum, per quem facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil, & ideo ſine te factus ſum nihil, quia eſt nihil, quod

Ephes. 4.
Tom. 3. quæſt. D. Aug. c. 62.
Miſeriæ animis peccatorum infectæ.

Aug. ſoliloq. cap. 5.

ad

ad nihilum deducit: malum itaque nihil, quia sine verbo factum est. Quid ergo est anima tua peccato infecta nihil: [Ad nihilum redactus sum, & nesciui.] Attendat itaque vnusquisque (inquit Gregorius) in quo profundo iaceat, & quàm longè à Deo peruersè agens effectus: clamet ad eum totis viribus, qui intuetur abyssos, & sedet super Cherubim, donec de profundis tenebris erutus superno illustretur lumine, & claritate perfruatur cognitionis diuinæ.]

Peccatum animam ad nihil redigit. Psal. 72. Greg. in explanatione supra 7. Psalmos pœnitēt.

17. Par ergo est, vt nos ad nostræ originis vilitatem reducti humiliemur sub potenti virtutis Dei manu. Quoties ergo te extuleris, reduc tibi in memoriam vile illud lutum, ex quo fragile corporis vasculum compactum est, reuoca insuper, quàm facile illud ruinæ pateat, cuius fundamentum limus. Deinde animæ tuæ etiam latebras paulisper penetra, vt quantæ in iis sordes lateant, quàm fœtidus ex imis fibris exhalet suffitus, percipias, quanta in iis vitiorum stagna, è quibus impuræ cogitationes, ac impura opera tanquam serpentes, erumpant, videas: quàm ægram, quàm imbecillem ipsam reperies animam? quàm variis peccatorum vulneribus sauciam, vt virtutem alioqui suauissimam, tanquam insulsam, ac insuauem exhorrescat, quam impotentem ad mandatorum viam currendam eam inuenies, vt iter arripere perfectionis nolens, illud penitus inaccessum iudicet. Et sicuti æger cibos alioqui suauissimos aspernatur, non quia in se insipidi sint, sed quia eius palato noxiis infecto humoribus, sine sapore apparent: sic anima peccati labe infecta, ac propè extincta, virtutem palato admotam, non quia illa ingrata, sed quia animæ palatum corruptis infectum moribus eius suauitatem nequeat percipere, auersatur. Et sicuti veredarius refectis viribus, magna animi alacritate iter suum peragens à latrunculis deprehensus ac grauiter vulneratus vestibusque exutus suo conspersus sanguine, ita frigore alget, vt reliquum iter conficere nequeat: sic anima, quæ in

Breuis præcedentium recapitulatio.

Similia.

Dei diuersorio Ecclesia, sacramentorum alimento refecta, ab hoc cœlesti hospitio ad viam mandatorum conficiendam egressa in latrunculos, hoc est, in varias dæmonum insidias incidit, quibus circumuenta, oculis intelligentiæ euulsis, excœcata, ac virtutibus spoliata omnibus, innumeris peccatorum actibus tanquam plagis oneratur, ita vt iter inceptum, sine nouo gratiæ vehiculo conficere nequeat.

Ezech. 26. 18. Hinc proh dolor! [proiecta es (vt ait Ezechiel) super faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es.] Hinc terram sapis, terram loqueris, terram cogitas, omnes affectus tui terræ affixi, omnia tua studia in terram dirigis, ac proinde verè in terram proiecta es, ac confractis animæ viribus vilis & abiecta relinqueris. [Oculos tuos statuisti declinare in terram] non secus ac iniqui illi Iudices, qui [declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.] Verè ergo [proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ.] Atque hinc omnes terræ conditiones induens terrea penitus effecta es. An non terrea, quæ fœdam ventris terram colis? terrea quæ deorsum semper tendis? terrea, quæ tua mole grauis sursum te attollere nescias?

Anima terræ affixa terrea efficitur.

Dan. 13.

Philipp. 3. 19. O vtinam Pauli in te comminationem audias: [Gloria (inquit) in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.] An non ex his vna es? Si neges, ecce contra te stat Chrysostomus, qui te terream prorsus esse conuincit. [Quinam sunt isti, inquit, quorum scilicet gloria in confusione ipsorum, nisi qui terrena curant? ædificemus domos? vbi? in terra, inquiũt. possideamus agros? vbi? in terra rursus aiunt; acquiramus principatum. vbi? iterum in terra. potiamur gloria, vbi? in terra. vtique diteſcamus. vbi? omnia in terra.] Isti sunt quorum Deus venter est, qui enim nihil rerum spiritualium curant, sed hic omnia possident, & terrena ista curant, meritò Deum ventrem habent, dicentes. [Comedamus, & bibamus, cras enim

Chrysost.

1. Cor. 15.

enim moriemur. Quid ergo es ô homo iuxta originis tuæ primordia? lutum. quid in vitæ progreſſu? nonne breui viuens tempore repleris multis miſeriis? quid in exitu? nonne omnes puluis,& vmbra ſumus? quid es homo, iuxta animæ tuæ propenſionem?nonne pauper,miſer, miſerabilis,cœcus ac nudus. Suadeo ergo tibi, ignitum à Deo emere charitatis aurum, quo locuples fias & veſtimentis albis innocentiæ induaris, vt non appareat confuſio iniquitatis tuæ. *Apoc.* 3.

EXEMPLVM.

20.In ciuitate Metenſi terræ filius vſurarius quidã defunctus, qui ſuam rogauit vxorem ob nimiam auaritiam, vt crumenam denariis refectam iuxta ſe poneret in ſepulchro,quod licet illa feciſſet,quanto ſecretius potuit, tamen latere non potuit: accedunt itaque aliqui ſepulchrum, vt pecuniam tollant, ſed ecce duos bufones ibi conſpicantur, vnum ex ore crumenæ, alterum ex pectore emergentem, ille denarios ore de crumena extrahebat, iſte, ſuſcipiens extractos cordi eius immittebat,ac ſi dicerent, nos pecunia ſatiabimus cor tuum inſatiabile,quibus viſis,illi timore perculſi terram in cadauer reiicientes fugerunt.Quid putatis animam huius in inferno pati à vermibus immortalibus; ſi tam horrenda in eius corpore demonſtrata ſunt in ſepulchro? *Cæſarius l. 11.cap.39.*

IN DOMINICAM QVARTAM ADVENTVS,

Concio prima.

THEMA. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini.* Lucæ 3.

1. MAgnam ſui aduentus impreſſionem Dominus noſtris inſcriptam pectoribus ſem- *Dominus ſui aduentus nos*

ſæpè præmonuit.

per eſſe voluit. Hinc non tantùm illius quaſi prænuncio Iohanne vſus, ſed longè ante, per prophetas, nobis illuminculcauit. Quare, diuino afflatus ſpiritu, Iſaias vocem ſuam attollens, alios inuitauit, vt tubarum imitantes ſonitus, exclamarent, nobiſque ſcelera annunciarent, quibus è conſcientia penitus deletis, locum in ea aduentanti Deo præſtaremus: [clama, inquit, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo:] quaſi diceret, ne ceſſent concionatores, præſertim iam aduentante Domino, ſed percurrant ciuitates, percurrant oppida, percurrant pagos, exaltent vocem, & multo magis exaltent vitam. Vox enim illius, populo ſcelera annunciare poterit, cuius vita nullum annunciauerit vitium. Subdit propheta [me etenim de die, in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit] cùm tamen vita ac moribus, maximè à me recedant. Ad hos itaque ne ceſſes clamare, vt impietatis colligationes diſſoluant, faſciculos peccatorum deprimentes deponant, ac ſic viam mihi ſternant, vt ad eos breui diuertam: clama ergo, ne ceſſes, & præter morem, veluti horrifico tubæ ſonitu, exalta vocem tuam, vt ſaltem præ tanti clamoris horrore attoniti, ad pœnitentiam prouocentur.

Iſaiæ 58.

Licet Deus pluribus hodie clangat buccinis non tamen ei paramus viam.

2. Sed proh dolor! etiamſi hodie nobis Deus pluribus clangat buccinis; tantum abeſt, vt ad parandam, per pœnitentiam, viam excitemur, vt potius, veluti inſenſibiles creaturæ, horrendis diuini verbi, tanquam tubæ, ſonis, obſurdeſcamus. Et verò Dominus hanc noſtri cordis duritiam præuidens, non ad homines, ſed ad res inanimas ſuum tubæ clangorem conuertere voluit, vt quorum animi, ad concionatorum ſonitum, non cohorreſcerent, ſaltem rerum inanimatarum commotionem contemplantes, ad tubæ ſonitum erubeſcerent.

Ioſue 6. Figura.

3. Hoc indicare Dominus voluit, dum ſeptem ſacerdotibus iuberet, circumducta teſtamenti arca,

ante

ante muros Hiericuntinos, ſeptem clangere buccinis, quarum clangore ſtatim muri illi corruerunt. Quot, obſecro, quotidiè auribus animæ noſtræ diuini verbi buccinæ obſtrepere exaudiuntur? quot ſpiritus ſancti afflatus, veluti tubarum perſtrepentium clangores noſtræ animæ mœnia circumcrepant? neque tamen altè depreſſa, & inueteratæ conſuetudinis ſtabilimento corroborata mala conuelli poſſunt? quot ſanctorum voces, ac prædicatorum clamores, horum mœnium aggeribus, peccatorũ communita fundamenta, euertere contenderunt; & tamen immota adhuc perſtant ſedibus! Ecce etiam hodie vox clamantis, vox, inquam, confringentis cedros Libani; vox Dei maieſtatis, magna intonans virtute, cuius tamen motu animæ noſtræ viſcera nequaquam contremiſcunt, cùm nihil præter peccatricem animam eius ſoleat reſiſtere virtuti.

Magna anima. noſtræ obſtinatio hîc declaratur.

4. Tria in hac concione nobis pertractanda. Primum quanta diuinæ vocis ad peccatorum animos permouendos virtus. Secundum quo Chriſtus clamore, peccatorem à ſe longè abeuntem inſequitur. Tertium quomodo adeo peccatoris dorſo inſiſtit ſubinde vt extrema quæque tenter, priuſquam eum è ſuis elabi manibus permittat. Sed de more prius ſpiritus ſancti gratiam coniunctis votis obnixè efflagitemus, Maria ſingulari peccatorum refugio ſalutata, quo è ſui filij manibus peccatorem elabentem illi ſiſtat, veniamque ac miſericordiam impetret. Aue Maria.

Concionis partitio.

PRIMVM PVNCTVM.

5. Chriſtus hodie, qui æterni Patris natiua vox eſt, per Iohannem, tanquam per os ſuum, clamat, & ita clamat, vt eius vox ad omnes quatuor terræ partes poſſit pertingere: ſolus tamen eius voci peccator aures obſtruit. ſed vt ipſius etiam peccatoris emortuam, in viuo corpore, animam, vocis ſuæ omnipotentia tandem excitaret, vnicam illam vocem ſuam ita intendit, vt morſibus, vitâ, exemplo, habitu

Magna ineſt diuinæ voci vis.

clamare

clamare faciat, quo longè à se positos peccatores, vocis huius tonitruo conturbet, terreat, diiudicet, viuificet, calefaciat, liquefaciat, illuminet, mundet: huiusmodi enim vis diuinæ voci, vti testatur Bernardus, sæpe inest. [Primum quidem, inquit, sonans in auribus animæ vox diuina conturbat, terret, diiudicat] quibus tres effectus peccatoris conuertendi indicat. turbatur enim vi vocis Dominicæ, qua veluti digito, peccati enormitas, illi, tanquam immanè spectrum demonstratur: ex cuius aspectu, & consideratione statim conturbatur. Deinde æternæ pœnæ reatum, inde consequi videt, & terretur, vt fieri solet, à mali imminentis discrimine. Quare antequam à Deo, in extremo iudicij die, iudicetur, ac ad pœnas æternas condemnetur, ipse sese prosternens humiliter, & repræsentans modò misericordiæ foro, in se ipsum fert sententiam, submittitque sese diuinæ potius misericordiæ, nunc censuræ, quam, cum suæ animæ extremo periculo, peccata sua seueræ Dei iustitiæ trutinæ, post mortem, reseruet.

Bernard. de multiplici vtilitate verbi Dei.

Tres effectus peccatoris conuertendi.

Luca 7.

Magna diuinæ vocis ac gratiæ virtus.

6. Pergit Bernardus [sed continuò, si bene aduerteris, viuificat] nam sua vi à morte peccati ad gratiæ vitam, vti significatum est suscitatione filij viduæ, hominem reuocat [liquefacit] tanta enim gratiæ vis, quæ animæ per Dei vocem infunditur, vt veluti ingenti fornacis igne omnes animæ imperfectiones depascat, eamque diuino incensam amore prorsus, vt igne plumbum liquefaciat, vt tantam diuini caloris vim, non sustinens exclamet [Anima mea liquefacta est, vt locutus est dilectus:] ita enim liquescit, vt quasi in diuinum quoddam esse refusa, ac in diuinæ bonitatis abyssum penitus absorpta, & veluti ab hoc corporis ergastulo soluta suam fateri vitam Deum cogatur [viuo ergo iam non ego, sed viuit in me Christus.] Insuper [calefacit] diuinus enim calor, sic sese per gratiam, animæ insinuat visceribus, vt tota in amoris incendium versa, in Dei quasi naturam transformetur [Qui enim adhæret

Canticorũ 5.

Galatas 2.

Magna vis diuini caloris.

1. Corint. 6.

Deo.

Deo, vnus Spiritus sit cum eo.] Præterea [illuminat] verbum enim Dei tanto collucet splendore, vt ipsas tenebras in solem quodammodo vertat, vti fieri in peccatore videmus, qui [tenebris (vt ait Paulus) obscuratum habens intellectum] ad lumen fidei & gratiæ reductus etiam minimos conscientiæ nævos perspicaci gratiæ oculo dispicit [quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse luxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu: lucerna enim pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.

Ad Ephesios 4.

2. *Corint.* 4.

Ps. 118.

7. Porrò [mundat] quod in eo ostenditur cuius lepra Domino dicente [volo mundare] confestim mundata est, atque ita omnes animæ maculas detergit, vt eius decorem æternus sponsus concupiscat [quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es: oculi tui columbarum] adeò pulchra es, vt non tantùm mihi animæ vultus arrideat, sed etiam externa habitus compositio, & tam gratiosi tuæ animæ oculi intellectus & voluntas, in sui me rapiant amorem [cõcupiscit rex decorem tuum] intellectus enim tuus, ac voluntas tot gratiarum donis sapientia, pietate, timore Domini, &c. ex quo me castis animæ visceribus per gratiam susceptisti; cumulata est, vt nequeam retardare ingens meum apud te commorandi desiderium.

Mundat. Matthæi 8. *Cantico.* 44.

Ps. 44.

8. Denique ait [& cibus noster est, & gladius & medicina & confirmatio, & requies, & resurrectio quoque & cõsummatio nostra.] Verè cibus est, quòd anima Dei nutrita gratia pinguescit, quod ostendit Christus tentanti diabolo [Non in solo, inquiens, pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.] Gladius quo simul resecantur, & animę incommoda & caput eam impetentis nimirum dæmonis rescinditur, vt in secunda & tertia Christi tentatione patuit. Medicina [misit verbum suum & sanauit illos.] Id credidit & expertus est centurio: cùm dicere[t]

1. Panis est.

Matthæi 4.

Gladius est.

Ps. 126.

Medicina est.

diceret [puer meus iacet in domo paralyticus : ſed tantùm dic verbo & ſanabitur puer meus] medicina ergo eſt, qua omnium morborum genera per peccatum in animam inuecta curantur, [confirmatio] nam eam in bono confirmat propoſito, perſeuerantię donum ei conferens [ordinatione tua perſeuerat dies] id eſt, ex diſpoſitione verbi ſeu prædicationis verbi tui perſeuerat dies, id eſt, Sanctus relictis mundi tenebris in Eccleſia perſeuerat, quicquid eum alioqui vrget : & ratio eſt, quia omnia ſeruiunt tibi] id eſt, quicquid iuſtus huiuſmodi & ſanctus facit, pro ſeruitio & obſequio tuo facit. Vnde vera requies eſt animæ, quæ iam in corpore conſtituta æternam ſibi in tuo obſequio bonis operibus in cœlo requiem peperit. [Hæc requies mea in ſæculum ſæculi] ait Dominus; non quòd ipſe vnquam turbetur, ſed dicit ſe requieſcere in nobis, quia nos requieſcimus in Eccleſia eius. Vnde gratia præſentis vitæ pleni abſolutam in cœleſti patria à generali omnium reſurrectione conſummationem conſequimur [omnis cõſummationis vidi finem] id eſt, omnis perfectionis humanæ ſcilicet contemptus mundi patientiæ vſquè ad mortem, &c. pro vero & ſummo bono omnia facere & mala tolerare, pro veritate certare conſummatus omnium finis: hoc enim eſt excellere in regno Dei quod non habet finem. Hactenus de diuinæ vocis efficacia.

Pſ. 118. *Confirmatio eſt.*

Requies eſt.

Pſ. 131.

A reſurrectione conſummatio.

Pſ. 118.

Chriſtus voce ſua in clamorem mutato nos à peccati lethargo excitare nititur.

9. Ò quàm ſalutaris, quàm fructifera, quàm potens eſt vox Domini, quæ hodie in deſerto clamans, ad viam Deo aduentanti parandam, ingenti ſolicitat clamore, quia quantum clamor vocem ſuperat, tantùm Dei vox noſtros clamores. Neque procul à nobis, ſed in cordis noſtri deſerto omni ſenſu ac gratię motu ſpoliato, inclamat, inſtat, vrget, aurésque cordis noſtri vellicat clamans [parate viam Domini.] Non enim, vt aliàs ſolet, leui ac ſuaui nos inuitat ſuſurro, ſed clamore vtitur, quoniam vel procul ab eo deſiderij paſſibus abſumus, vel lethargico ſopiti ſomno,

ſomno, vel omnino mortui peccatoſumus. Ideò, quos videt ſuis obſurdeſcere inſpirationibus, eos hodie extraordinaria aggreditur via, vt quos tacitis excitare à peccatorum lethargo vocibus nequiuit, clamoribus ſaltem expergiſcere conetur; quod ſecundo loco oſtendere decreui.

SECVNDVM PVNCTVM.

10. Secundum huius concionis punctum de Chriſti in peccatores à peccato excitandos clamore: clamat itaque Chriſtus magna hodie contentione per vocem ſuam Ioannem, vt vocis ſuæ vim vniuerſis oſtendat: clamat, inquam, vti nos ſolemus inclamare, vbi quis, vel procul à nobis abierit, vel ſomno vel lethargo ſopitus creditur, vel quando in extrema vitæ periodo an viuat an mortuus ſit æger, dubitamus: tunc enim in eius auribus inclamamus eúmque motitamus ac trahimus. Cùm itaque nihil à Deo longius peccatore, eum clamoribus inſequitur, vt illum longè à ſe abſentem ac deuiantem, vocis ſuę virtute reuocet. Longè aberat ab eo Paulus: quare eũ procul inſecutus, quaſi à cœlo vſque ad aërem, tanta vocis contentione inclamauit, vt eum, de ſuo eiectum equo, in terram proſterneret. [Vox enim Domini in virtute: Saule Saule (inquit) quid me perſequeris? qua geminata voce, veluti duabus infixus ſagittis, ſtatim reſipiſcens ait [Domine quid vis me facere?] Quemadmodum ſi quis in munitiſſimo, ac inacceſſo detineatur carcere, ad quem nullus patet aditus, hac arte amici vti ſolent, vt eum à carcere liberent, literas ſagittæ admonitorias infigunt., quibus facilem illi egreſſum ſignificant, vt mortem euadat. Hanc itaque ſagittam certo libratam arcu, in carcerem ex amicis quiſpiam iacit, quo artificio, libertate, incluſus, tandem donatur: ſic Paulo in dæmonis carcere detento Deus ſagittam, cum litteris admonitoriis tribulationem nimirum, ac oculorum cœcitatem, in eum iacit, quibus admonetur, quomodo dæmonis carcerem poſſit perrumpere, errorem confi

Secundum punctum.

Nihil à Deo longius peccatore quem Chriſtus clamoribus inſequitur.

Pſ. 28.
Actorum 9.
Subita Pauli conuerſio Chriſti vocis vim oſtendit. Simile.

confitendo:[Saule Saule] Ecce geminata ſagitta, cui hæ infixæ litteræ:[Quid me perſequeris?] quam vbi miſericordiæ arcu, in dæmonis carcerem, vbi Paulus errorum vinculis conſtrictus fuit, collimante indulgentiæ oculo, iecit, ſtatim, perrupto carcere, Paulus euaſit:[ſubitò enim circumfulſit eum lux de cœlo] qua ſuos agnouit errores, ac in terram cadens, diuinæque ſe voluntati ſubiiciens, exclamauit:[Domine, quid me vis facere?] Hæc eſt diuinæ vocis efficacia, quæ longè etiam à ſe diſſitos, ſibi proximos facit.

Quàm difficile eſt eum reuocare qui longè à Deo per peccati conſuetudinem abiit. Prouerb. 23.

11. Sed multò longius à Domino fugit Auguſtinus, quàm Paulus, graui lubricitatis errorúmque lethargo ſopitus: O quàm difficile fuit eum aſſequi! quàm difficile, è mortuo illo peccatorum ſomno, ipſum excitare! [Verberauerunt me, & ego non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi] quo ergo magis in peccati cœno ſepultus iacuit, eo maiori diuinæ vocis contentione opus fuit. Quare non ſuffecit clamorem ingeminare, vti factum Paulo diximus, maius enim Auguſtini, quàm huius peccatum fuit; Paulus enim ignorans peccauit, ac propterea miſericordiam facilius eſt conſecutus: error fuit in eius intellectu, ſed in Auguſtini etiam voluntatem peccati turpitudo irrepſit. Manichęus quidem fuit. Ecce intellectus error! inſuper & concupiſcentiæ deditus. Ecce voluntatis praua affectio! quare iterum ingeminare clamores, vt ab hac multiplici intellectus, ac voluntatis fœditate, reuocaretur, Chriſtum oportebat. Hinc quater inclamauit [tolle lege, tolle lege] quibus perterritus ſubſtitit, & quid hæc portenderint conſiderauit. Tantam vim leonis voci ineſſe, refert Ambroſius, vt nonnulla ſint animantia, quæ, licet per celeritatem impetum eius euadere poſſint, rugientis tamen eius ſonitu quaſi vi attonita, ac veluti improuiſo percuſſa ictu, ſtatim deficiant: & huius ſimiliter fortiſſimi leonis Chriſti voce, Auguſtinus perterritus eſt, qui adeò celeriter peccatorum rotis actus, in profundum

Ambroſi. li. 6. Hexa. cap. 3. quanta ineſt vis Chriſti voci. Simile.

profundum festinabat barathri, nisi citissimè rugitus hos, leo ille de tribu Iuda edidisset, quibus attonitus quasi diuinis cælitus sagittis saluberrimè confossus, sub Christi veluti pedes, cecidit, plorans. Tolle tolle, inquit, lege lege] quibus tanquam quatuor sagittis confosso, quatuor vulnera intellectus, voluntatis, concupiscibilis, & irascibilis potentiæ, tanquam salutari quodem pharmaco sanata sunt. Nam statim ab illo concupiscentiæ lethargo diuinæ vocis vi expergefactus, suo multiplici morbo remedium inuenit [tolle tolle (inquit) lege lege] qua, bis geminata voce, Christus inculcare ei voluit, primò, vt seipsum, à peccatorum cœno tolleret: deinde, vt salutare remedium suis applicandum vulneribus sacram scilicet scripturam, verbi sui promptuarium in manum assumeret, quæ omnibus animæ morbis medicinam facit.

Magna vis S. Scripturæ.

12. Lege lege] qua geminata etiam inculcatione, primo voluit Augustinum excitare, vt conscientiæ suæ librum, per diuinam vocem sibi apertum, diligenter perlegeret, in quo mortis sententiam in se latam intueretur, à qua si se expedire vellet, illius causas, ac remedia in Dei libro legeret. Qua re intellecta, nouum arripuit testamentum, ac primo intuitu, suæ damnationis, si perfisteret, causas, cum acri à peccati lethargo resurgendi admonitione, in eo perlegens, resipuit. [Scientes, quia hora est, iam nos, de somno (scilicet peccatorum) surgere: nunc enim (in die, & luce euangelij,) propior est (& præsens) nostra salus (Christo iustitiæ & gloriæ sole suæ gratiæ & fidei radios toto diffundenti orbe) quàm cùm credidimus. Nox præcessit (tempus nimirum ante Christi aduentum, infidelitatis, & peccatorum tenebris inuolutum) dies autem (præsens nimirum gratiæ tempus) appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum (peccata scilicet, quæ lucem fugiunt, & tenebras amant) & induamur arma lucis (opera nimirum fidei, spei & charitatis, quibus tanquam armis

Vox diuina conscientias aperit.

Digitized by Google

contra hoſtes iuratos, mundum,carnem , & dæmonem viriliter pugnemus.) Sicut in die honeſtè ambulemus(quo ſolliciti ſunt homines honeſtatis amatores,de tegenda corporis nuditate,habitu honeſto, & decenti,vt omnis noſter inceſſus , motus , geſtus, ſermo,actio,talis ſit,qualem decet eſſe,in die,& euãgelij luce , in qua ſpectaculum facti ſumus, mundo, Angelis,& hominibus. Ecce quàm acris hæc exhortatio , vt à peccatorum ſomno excitaretur Auguſtinus.

13. Sequitur[non in commeſſationibus & ebrietatibus]quæ noctu exercentur, [non in cubilibus]in fornicationibus[non in contentione & æmulatione] pro inani gloria & honore ſuſceptis, [ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum] induimini, inquam , & ornate vos Chriſti virtutibus,vt externa vita & profeſſione,quaſi veſte induti , omnes , vos eſſe Chriſti ſeruos agnoſcant[& carnis curam ne feceritis in deſideriis]intemperantes & immodicas carnis cupiditates, & curas euitate , ſi velitis animam præclaris virtutum ornamentis excultam habere. nam alioqui,vt ait quidam philoſophus[nimia carnis & corporis cura,magna animi & virtutis eſt incuria.Quibus perfectis & conſideratis conſcientiæ ſuæ clarè deturpatus peccatorum maculis vultus , diuinitus oſtenſus eſt. Hinc ingemens , obortis lachrymis ſuæ animæ turpitudines , veluti ſalutari balneo abluit, nouáinque quaſi immortalitatis,ac gratiæ ſtolam induens vulnerum cicatrices, inuento cœleſti remedio, ſtatim curatas ſenſit. Vbi enim legit,illa ſubſequentia, Apoſtoli verba[Induimini Dominum Ieſum Chriſtum,& carnis curam ne feceritis, in deſideriis. nec vltra,inquit,volui legere , nec opus erat. ſtatim quippe cum fine huiuſce ſententiæ , quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi meo , omnes dubitationis tenebræ diffugerunt , ac protinus aliud vitæ genus inire omnino decreui, ac per baptiſmi ablutionem nouum induere hominem , carniſque in æternum deſideria

Magna vis diuini verbi conſiderati.

Aug.l.8.confeſſ.c.vlt.

dere

deteſtari. Vnde in hæc exultationis verba erupit [Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat, eiiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas, eiiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.] O vtinam nos qui aliquando grauiori fortè ſopiti lethargo in peccatorum ſtercore, veluti bruta animantia, computreſcimus: vtinam inquam, tanta nos vocis contentione Deus excitare dignetur, vt cum Auguſtino tenebrarum opera abiicientes, cœlitus arma lucis induamur, & vocis Domini quoties nobis in ſomno peccatorum obdormiſcere contingit energiam experiamur, quam vt amplius oſtendamus, proſequamur.

Facilè & iucundam per Chriſti gratiam experitur Auguſtinus caſtitatè & celibatum què ante vt difficillimum horrebat.

Tertium Punctum.

14. Quod tertio dicendum loco propoſui illud eſt, Deum etiam aliquando ita peccatoris tergo inſiſtere, vt etiamſi hunc longa peccatorum conſuetudine in fœdo conſcientiæ cœno, tanquam in ſpurciſſimo ſepultum carcere cognoſcat, à ſuo tamen cœpto non deſiſtat, donec eum valido excitatum clamore, à peccati morte liberum, gratiæ reſtituat. Cùm itaque ſic inuenit animam peccatis prorſus emortuam, non geminatis tantum clamoribus, aut quatuor ſagittis, ſed pluribus iiſque vehementibus eam petit. Cuius rei typum apud Iohannem expreſsè Deus nobis exhibere voluit: Lazarum nimirum in monumento fœtidum, quem Chriſtus excitare multis adhibitis cæremoniis aggreſſus eſt. Nam primo fremuit ſpiritu. Secundò turbauit ſeipſum. Tertiò lachrymatus eſt. Quartò ad tumulum acceſſit. Quinto tollite, inquit, lapidem. Sextò ſublato lapide eleuatis ſurſum oculis dixit. Pater gratias ago tibi. Septimò clamauit magna voce, Lazare veni foràs, & qui mortuus per quatriduum & fœtens fuit, ſtatim reſuſcitatus eſt. Sed ô quantam in huius ſuſcitatione difficultatem Chri-

Tertium pũctum.

Quanta diligẽtia Deus à ſe peccatorem abeuntẽ inſequitur.

Ioann. 11.

Typus peccatoris.

ſtus oſtendit, vt inde, quantum malum ſit peccato mortuum eſſe, & per longam eius conſuetudinem fœtere, & quanta foret, ſi ita liceat loqui, Deo difficultas, vt ſic mortuum, ac in peccatis fœtentem excitet, ſignificetur. Quid enim ſpiritu fremere! quid ſe turbare? quid lachrymari? quid ad tumulum accedere? quid mortuum quærere? quid clamare magna voce? quid in cœlum ſuſpicere Chriſtum coegit? infinita certè peccati moles, in fœtente, ac mortuo per peccati conſuetudinem, adeo grauis, vt niſi Chriſtus iſta præſtaret, tantam peccati molem, qua oppreſſus homo iacet mortuus, quaſi aliter amouere nequiret.

Quanta moles peccatoris conuerſio.

Magna peccati moles quæ Deum infremere &c. facit.

15. O quanta moles conſcientiæ oſtio appoſita peccatum, quæ Deum ſpiritu infremere facit, perturbat, lachrymari, clamare, in cœlum ſuſpicere ac quærere cogit! Quis, obſecro, tanti mali commemoratione non cohorreſcit? imo tanta eſt peccati malitia, vt ſi per impoſſibile in Deum ipſum caderet, eius penitus deſtrueret bonitatem. O malum ingens! Nunquam aliàs legimus (cùm tamen ingentia perficeret opera in huius mundi machina) Deum ſpiritu fremuiſſe, turbaſſe ſe, lachrymatum fuiſſe, clamaſſe antequam peccatum committeretur, ſed omnia ſuauiſſimè peragendo nutu vel leni vocis imperio totum vniuerſum ſine ſtrepitu fabricaſſe [Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & factum eſt ita: dixit Deus, congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & factum eſt ita: viditque Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona.] O quàm ſuauiter, quàm fœlici ſucceſſu, per vnum (fiat) omnia perfecit. At vbi commiſſum eſt peccatum, ſtatim Deus clamare, turbari, iraſci cœpit. Atque hac de cauſa fugit Adam, & foliis ſe abſcondens iratum Dei vultum declinare feſtinauit: è quibus per clamorem Dei euocatus ſuam erubuit indignitatem. Adam [Adam vbi es?] Ecce quomodo peccatum Deum

Genesis 1.

Ecce quomodo peccatum peccatorē à Deo abſcondit.

clamare

clamare cogit! Quomodo quasi perturbatus eum quærit Deus quem nihil anteà latere potuit. Ecce modò clamat, [Adam vbi es?] quasi ignoret vbi sit: quippe qui sub peccati velo absconditus, à Deo videri ad misericordiam, nondum poterat. Et quamuis optimè nouit, qua horti parte fuerit, à sua tamen excidisse gratia, quoniam nouit, ideò quasi vbi sit nesciens, clamat [Adam vbi es?] nescit enim verè Deus scientia nimirum approbationis peccatorem, hoc est non approbat eum, non agnoscit pro filio, quia in eo spiritus sui signaculum, gratiam videlicet, abrasum videt: Nihilominùs sicut hodie per vocem suam Iohannem clamat, vt illud gratiæ signaculum rursus peccator animæ suæ, Deo adiuuante, imprimat, quo aduenienti Christo in ea locum paret? sic primum nostrum parentem, magno Deus excitat clamore, vt sui imaginem, per peccatum in seipso deletam agnoscat, eámque per Dei gratiam suæ rursum animæ imprimat. Adam [Adam, inquit, vbi es?] intelligísne modò, quo statu mortuus iaces? intelligísne, te, meo spoliatum gratiæ charactere? [vbi es?] quomodo tuæ nuditatis turpitudinem non erubescis? in quem ô Adam præcipitatus locum, gratia mea priuatus, contabescis, qui anteà paradisi delitiis fruebare? Ecce modò amplexatus es stercora! [vbi es] vbi es? [Domine, inquit, audiui vocem tuam in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Cui Dominus: quis indicauit tibi, quod nudus esses] nonne peccatum, te omnibus gratiarum donis denudans, suam in te imprimens imaginem, meam abrasit, tibique cum magno tuo malo, turpitudinis tuæ nuditatem indicauit?

Nudat peccatum hominẽ omni gratia.

Gen. 3.

16. Vtinam si quando in peccatorum abysso à Deo abscondamur, ita sollicitè nos insequatur, vt peccati turpitudinem, omni voluptatis sepositio velo, nobis ob oculos ponat, vt quemadmodum Dei voce, in auribus Adami, insonante, ille tandem resipuit, sic nos seriam peccati pœnitẽtiam instituamus.

Digitized by Google

Ille enim per nongentos & triginta annos pœnitentiæ nobis viam commmonſtrauit.tot enim annos vixit. At nos vix pœnitentiæ viam ingreſſi ſumus, vbi ignauia ſtatim victi,pedem referimus, & ad vomitum redimus: abſcondere enim fortè nos à Deo in profunda peccatorum abyſſo putamus. O miſer peccator putáſne ibi peccatorum cœno coopertus deliteſcere ? Exiſtimáſne quia Deus te à commiſſo ſcelere ſtatim non punit ab eò non videri ? ô pueri ſenſu & intellectu, qui inſequi vos Dei vindictam non animaduertitis ? ideóne eum ignorare quid in abſcondito facitis?exiſtimatis,quia[dixit inſipiens in corde ſuo,non eſt Deus] verè inſipiens dixit,in corde ſuo,in corde ſtulti,qui non præuidet imminentem ſibi calamitatem, & in corde ſtulto,ſibi applaudente [oblitus eſt Deus & auertit faciem ſuam , ne videat in finem] cui reſpondet Deus iuxta ſtultitiam eius [Intelligite inſipientes in populo,& ſtulti aliquando ſapite:qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat ? qui corripit gentes non arguet.Non potuit Adam vnico infectus peccato latere, & tu infinitis penè contaminatus latere poteris? [Quò ibis à ſpiritu meo, & quò à facie mea fugies? ſi aſcenderis in cœlum illic ſum,ſi deſcenderis in infernum adſum : ſi ſumpſeris pennas tuas diluculo & habitaueris in extremis maris : etenim illuc manus mea deducet te & tenebit te dextera mea. Dices forſitan, tenebræ conculcabunt me & nox illuminatio mea in delitiis meis : quia tenebræ non obſcurabuntur à me & nox ſicut dies illuminabitur mihi]ac proinde quocumque te conferes ibi me inuenies, quem anteà inueniſti tibi amabilem,vbíque tibi miſericordem ac benignum , inuenies iratum , vbíque flagella intentantem,ac in tua peccata ſeuerum.Heu! [Quò ibo ergo à ſpiritu tuo , & quò à facie tua fugiam]fuge à me irato,ad me benignum,agnoſce peccati turpitudinem , illámque deteſtans,ac voce mea toties correptus,te gratiæ ſtola indue.

Peccator ſe in peccatis à Deo abſcõdi putat.

Pſ. 13.

Pſ. 93.

Pſ. 138.

Exiſti

17. Existimabat Saul (ex quo exemplo discamus Deum peccatoris dorso vel maximè insistere) se à Dauide tutum, post tot in eum commissa facinora. Sed cùm esset Saul speluncam quandam ingressus, Dauid clam eo loco fuit,& cùm vrgeretur à suis, vt eum interficeret, noluit extendere manum in Christum Domini,sed [scidit oram chlamydis eius silenter]post hæc [percussit cor suum Dauid]eo quòd id fecerit.Cùm Saul ergo è spelunca egrederetur, insecutus est eum Dauid, & alta voce clamauit post tergum eius: [Domine mi rex quare audis verba hominum loquentium:Dauid quærit malum aduersum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te? Deus in manu mea,]cuius clamore,perterritus Saul, ad eum conuertens, eiúsque fidelitatem agnoscens, ait,[Iustior tu es quàm ego]sic Deus,ò peccator,ante te clam vbique est,imo in ipsis speluncis,& abditis locis, vbi te scelera committentem, à nemine videri putas, & cùm possit te in flagranti delicto interficere, animámque tuam infernalibus deuouere furiis, tantum aliquando aufert,in signum, quod in manu sua positum sit,de te, subitam sumere vindictam, oram tuæ chlamydis: lædit enim te, paterna vtens correctione, in rebus solum exterioribus, vt ostendat, qui te in his punire potuit, in maioribus posse. Clamat post te, per externarũ facultatum ablationem, & illas tibi tamquam oram vestimenti tui ostendit,in signum,quod te interimere etiam posset, sicuti tibi nolenti,facultates tuas,rapuit. Clamat ergo post te,tuas,in sua manu,ostendens facultates, & dicit:noli credere iis, qui dicunt me,in peccatorem seuerum vindicem, noli credere difficilè esse obsequium mihi præstare,obtemperare,& placere: ecce enim hodie viderunt oculi tui, quod traditus fueris in manu mea,vt vel interficerem, vel tibi parcerem. Quæ verba,ex infinita amoris abysso, profecta, ita sæpe peccatoris hactenus induratum cor penetrant, vt ad instar impij Saulis,nonnihil commotus, ac ad

4 *Reg.*24.

Sicut Saul putabat se tutũ à Dauide, sic peccator à Deo tutũ se esse putat.

Deus ante nos clàm vbique est.

Primò Deus peccatorẽ ad se conuertere conatur ablatione facultatum externarum.

Deum conuerſus exclamet [Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum.]

1.*Reg.*26. *Saulis relapſus.*

18. Poſteà verò ſui oblitus Saul, ad iniquitatem rediit,ſed iterum etiam traditus eſt à Deo, manibus Dauid,qui nihilominus vim illi inferre noluit , quia Chriſtus Domini , cùm verò à circumſtantibus ſolicitaretur,vt iis ſatisfaceret,iuſſit ſaltem,illi dormienti haſtam terræ fixam, iuxta eius caput , auferri : ſic Deus poſt ſecundum peccatoris lapſum , etiamſi vrgeatur à circumſtante iuſtitia,vt extremum, de peccatore ſumat ſupplicium, ab innata tamen ſibi miſericordia cohibetur;ſed vt iuſtitiæ impetum nonnihil mitiget , haſtam peccatori ſurripit , arma nimirum, quibus Deo bellum indicere ſolet, honores ſcilicet, amicos,corporis robur,ac pulchritudinem , eiuſque ſenſus ſubinde debilitat,quibus omnibus Deum tanquam armis hactenus oppugnare ſolitus: quo facto, vti Dauid,montis aſcenſum ſuperans, ſic ipſe in ſuæ nimirum diuinitatis altitudine,quaſi reſidens,exclamat,exprobrátque, corporis ſcilicet ſenſibus , negligentiam , ac præſertim, ſicut Dauid duci Abner ſocordiam:ſic Deus horum vigilum duci rationi nimirum incuriam , aſcribit , eo quod permiſerint hoſtibus,diuinum cordis ærarium, expilare : ſicut Abner permiſit hoſtibus regem ſuis ſpoliare armis.Quibus clamoribus , à graui expergefactus ſomno Saul,Dauidis vocem agnouit exprobrãtis Abner,cæteríſque regis cuſtodibus, ſomnolentiam. [Quare non cuſtodiſtis dominum veſtrum Chriſtum Domini?nunc ergo vide , vbi ſit haſta regis ? cui Saul , nunquid vox hæc tua fili mi Dauid?cui reſpondit.vox mea domine mi rex.]Et Deus peccatoris auribus , ab excelſo ſuæ maieſtatis ſolio acclamat, oſtendítque manu ſua haſtam,hoc eſt,honores,dignitates,vires,pulchritudinem,cæteráq; omnia in ſua eſſe poteſtate; & ſicuti eum externis omnibus corporíſque ornamentis exuit,ita etiam indicat , illum corpore , & anima in barathri abyſſum à ſe præcipitari potuiſſe, cognouit quidem

Secũdò Deus ad ſe conuertere peccatorem conatur ablatione honoris , corporis , pulchritudinis &c.

quidem Saul vocem Dauidis, & iterum victus, eius benignitate, ac in se fidelitate [nunquid, ait, vox hæc tua, fili mi Dauid?] O vtinam, peccator vocem Domini tui cordis auribus sæpe intonantis, percipias! vtinam conuictus, eius in te longanimi mansuetudine, exclames: nunquid hæc vox tua pater mi? non dubito, quin statim eius in te flecteres misericordiam: imo eum audire videor, tibíque respondentem: vox mea est fili mi: quam ob causam patrem tuum persequeris. [Quid feci, aut quod est malum in manu mea] cur itaque, vti Saul, tuam non agnoscis culpam? cur cum eo non clamas [peccaui, reuertere] pater [mi, nequaquam vltra tibi malè faciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stultè egerim, & ignorauerim multa nimis.]

19. O si sic Christum blandis, peccator, verbis, allicere conareris, sicut Dauid huiusmodi Sauli verbis commotus hastam reddidit; sic Deus cum fœnore, omnia, quæ, in peccati pœnam, tibi abstulit, opportuno tempore, restitueret. Non dubito, quin aliquando, ad illius vocem commoueris. Non dubito, quin mira etiam, cùm Saule desideria multiplicas; non dubito, quin subinde factorum, aliquo saltem modo, te pœniteat: sed heu! vti ille, omnium immemor, toties ad vomitum rediit: sic tu peccata peccatis accumulans, post tot animo concepta desideria, toties ad vomitum reuersus, Dei, in te, extremam prouocas vindictam; vt tibi etiam singularia gratiæ præsidia, in peccati pœnam, subtrahat, téque tuis relinquat desideriis, tradátque te in reprobum sensum, vt facias ea, quæ non conueniant, qui repellis eius gratiam, eiúsque cognitionem negligis. Nam, vt ait Gregorius, [qui errant in Dei cognitione, iustè traduntur, vt errent pariter in agendis] tu ergo, ô peccator, qui mentem, & rationem diuinæ gratiæ regendam non submittis, cum Saule erroribus implicatus, exponis te omni vitio, ac impietati: tum quia,

Tradi in reprobum sensum quid est. Rom 1. Greg. 25. Mor. c. 9.

Digitized by Google

errante duce,mente ſcilicet,& ratione,errant comites:mens autem, & ratio noſtrarum actionum duces ſunt:tum quia recedens à Deo,recedis à virtute, & gratia : tum quia vbi non eſt cognitio Dei & timor, ibi dominatur effrænis concupiſcentia. Sicut ergo Dauid ſcyphum aquæ ex qua ſitibundus bibere ſolebat Saul, ab eius puluinari ſurripuit: ſic Deus ſuæ miſericordiæ fontes, ac beneficiorum cataractas obſtruens,illa gratiæ aqua, quæ in vitam ſalit æternam,te priuat,quo fit,vt aridus fias ; & ſicuti ſtipes, ſine ſucco,aut humore exſicceris. Verùm Dauidis clementia in Saulem nondum exhauſta, ſed cum clamore valido, ſicuti ſurreptam illi haſtam vigilum negligentiæ aſcripſit:ſic aquæ ſcyphum,ab eo ſublatum accidiſſe vigilum incuria denunciat:cuius vocem agnoſcens Saul:[vox, inquit,hæc tua fili mi Dauid?]qua Saul permotus,ac veluti pacem ſibi cum Dauide exoptans: [benedictus inquit tu fili mi Dauid,& quidem faciens facies,& potens poteris]quaſi dicat:diuina in te tanta eſt clemencia, vt quicquid velis,iuxta animi deſiderium,fiat!Et peccator ſubinde,quamuis omni ſpoliatus gratia paterna Dei voce nonnihil commotus,& ſuum peccatum,& Dei ſe miſerantis deſiderium agnoſcit, illíque benedicit, qui inconſtans animi motus, ad inſtar reconciliationis Saulis, cum Dauide, ſtatim euaneſcit. Sicut autem Dauid, ſcriptura teſte [in corde ſuo toties deceptus à Saule : ait,nónne melius eſt,vt fugiam?] nonne ſatius eſt me omnino à Saulis conſuetudine ſurripere, quàm vt toties mihi illudat: [fugiam, inquit,vt deſperet Saul ceſſétque me quærere, in cunctis finibus Iſraël.& ſurrexit,& abiit, & non addidit vltra quærere eum Saul]ſic Deus toties à peccatore, falſa veluti deluſus conuerſione,tandem in corde ſuo dicit, fugiam, neque tantum ſingularia gratiæ auxilia illi ſubtraham, ſed amplius minimè meis viſitabo ſanctis inſpirationibus huiuſmodi monſtrum : indura-tum enim eſt cor eius, fugiam igitur, vt deſperet, ceſſétque

Deus tãdem ſuam à peccatore gratiã in pœna peccati ſubtrahit.

1.Reg.27.

ceſſétque me quærere, & ſic abiens, peccatorem in peccati pœnam deſerit, & licet auxilio eum ſufficienti non deſtituat, non addit tamen peccator vltra quærere eum. Hæcque omnium malorum ſuprema pœna eſt, qua, vt dixi, in reprobum ſenſum peccator datur: quippe qui probat non probanda, & probanda improbat, qui iudicat, & probat mollitiem, fornicationem, vindictam, ebrietatem eſſe appetenda, & ſectanda adeo, vt eius mente, per peccandi conſuetudinem, excœcata, tandem iudicet, hæc ipſa vix eſſe peccata, eſſéque licita, qui gradus omnium miſeriarum eſt ſummus, & in hanc miſeriam labi permittitur, in præcedentium peccatorum pœnam, ita, vt peccatum ſubſequens, ſit præteritorum pœna.

Extrema peccatoris miſeria.

20. O extrema peccatoris calamitas! ô fuga illi luctuoſa! fugis, Domine, modò à peccatore & in æternum in eum conuerſus iræ tuæ furorem, in eum exeres [auferetur, inquit, zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius] ô Domine, quid amplius potes, quàm in nos non iraſci: nam [cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis] cùm iraſci deſinis, tunc maximam iram tuam in nos acuis [Si enim, vt ait Auguſtinus, magnæ miſericordiæ ſit nequitiæ impunitatem non relinquere, ne cogaris in extremo, in gehennam nos damnare, modò flagellis nos dignare caſtigare. Quanta enim pœna ſit ob delicta non puniri propheta Dauid luculenter demonſtrat: irritauit inquit, Dominum peccator. Quare ô Dauid? quid vidiſti? vidi peccatorem impunè luxuriantem, & exclamaui, irritauit Dominum peccator: quare hoc dixiſti? audi, inquit, quid ſequitur, ſecundùm magnitudinem iræ ſuæ non quæret: ideò nempe non exquiris, quia multum iraſceris, parcèdo cædis] ſed cædèdo parcis. Noli ergo [noli Domine, vt cum Hieremia deprecer, in patientia tua ſuſcipere me] puni me potiùs in hac vita pœna temporali, vt æternam ſubterfugiam, eò enim maius eſt reconciliationis argumétum quo acrior fuerit pœna, quod propheta tuus

Ezech. 16.

Aug. ſerm. 7. de verbis Domini.

Grauis pœna eſt ob peccatum non puniri.

Hierem. 15.

Iſaias

Isaias c.28.euidenter expressit dicens tribulationem super tribulationem,spem super spem,sic 70. manda remandate transferunt, quo igitur tribulatio ad tribulationem magis adiungitur,eò aliam magis spem supra spem iniici,& tunc demum posse peccatorem spem veniæ concipere cùm à Deo ob sua scelera flagellatur.Noli ergo Domine in patientia tua suscipere me sed statim pœna culpæ sit comes.Scio etenim Domine[scio quia non est hominis via eius,nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos] tu ergo me paterna correctione castiga , vt ambulem in via mãdatorum tuorum,& gressus meos in semitis tuis dirige. [Corripe itaque me,veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.] Scis Domine adeò me variis concupiscentiæ insultibus impeti,vt à via quam velim ingredi,cœco naturæ impetu abducar, ac proinde, quasi ebrius , ita in media Euangelij luce , cœcutiam, vt in omnem impingam vitiorum scopulum.Corripe igitur me sic vt à te longè me abduci minimè patiaris [veruntamen in iudicio]pœna nimirum temperata,qua castigatus corrigar , & non in furore æternæ me damnationi consecrando.

*Hierem.*10.

*Iob.*6.

21. Deprecor ergo cum Iob , vt nunquam mihi parcas, sed temporanea statim pœna mea corrigas delicta [Quis ergo det , vt veniat petitio mea,& quod expecto tribuat mihi Deus, & qui cœpit ipse me conterat,soluat manum suam, & succidat me,& hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.]In quem locum Grego.7.mo.c.7. cùm cõditor amorem suum erga nos per verbera non exercet quasi ad ferienda nostra vitia manum ligatam tenet: an non affectus sui manum ligauerat eùm peccanti populo dicebat:iam non irascar tibi.soluere ergo manum suam dicitur,cùm exercet affectum:idcircò regius vates postulat , proba me Domine & tenta me,quia eum sancti viri corruptionis suæ vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub

Magna cõsolationis loco Iob affligi hic ducit

manu

manu medici ad sectiones parant vt pacto vulnere virus peccati exeat.id quod idem Iob luculentius significauit subiungens: & hæc nisi sit consolatio vt affligens me dolore non parcat: electi quippe cùm perpetrasse se illicita nouerunt, & tamen perscrutãtes inueniunt quod nulla pro illis aduersa perpessi sunt in immensæ formidinis terrore tabescunt ne in æternum se gratia deseruerit, quos in præsenti vita mali sui retributio nulla castigat,& propterea feriri paterna correptione desiderant,& dolorem vulneris medicamenta salutis petant:rectè igitur ait Iob.hæc mihi sit consolatio vt affligens me dolore non parcat;ac si aptius diceret,qui ideò hic quibusdam parcit,vt eos in perpetuum feriat,ideò me hîc feriat,vt non parcendo in perpetuum parcat.O Domine licet non idem mihi proh dolor! cum sanctissimo illo viro conscientiæ testimonium, cui summa consolatio est, à te in hac vita affligi, cuius tamen cãlamitas tanta fuit,vt maior fuerit quàm eius demerita:vnde in medio afflictionum positus exclamat[vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui,& calamitas quã patior in statera quasi arena maris hæc grauior appareret: vnde & verba mea dolore sunt plena,quia sagittæ Domini in me sunt,quarum indignatio ebibit spiritum meũ & terrores Domini militant contra me] licet inquam non idem mihi cum illo conscientiæ testimonium, quia tamen tot scelerum mihi conscius sum, quæ ita mea superant merita,vt illa tanquam arena maris, cum his comparata sint;& quia optabat ille affligi, sciens, quod non parceres delinquenti: ideo non immeritò exopto, cum Iob, vt me hîc grauiter punias, ob tantorum scelerum magnitudinem,vt in futuro parcas.[Ingrediatur igitur putredo in ossibus meis, & subter me scateat vt requiescam in die tribulationis & ascendam ad populum accinctum nostrum.] Variis me ergo molestissimísque contere doloribus omníque huius vitæ pœna grauissima potius me afflige, quàm diris

Hab.c.

diris reſeruet inferni ſuppliciis. Corripe me ergo, corripe, non in furore tuo, ſed in iudicio, paterna ſcilicet correptione, vt ſic in hac vita, à te caſtigatus tandem reſipiſcam.

EXEMPLVM.

Gotſchal. ſermone Domini Reminiſcere.

22. Reuerendus Pater Gotſchalcus refert quendam morbo grauiter afflictatum; cui amici, vt ſuæ conſcientiæ maculas ſalutari pœnitentiæ ſacramento elueret, fruſtra perſuadere conati ſunt; imo ſalubre reſpuens remedium veluti in extremam efferatus rabiem auſus dicere, neſcitis me omnium mortalium peſſimum? Quid ergo confiteri prodeſſet, aut pœnitentiam iam ſerò inſtituere, cùm certò damnatus ſim? cumque incaſſum allantes ab hoc propoſito eum reuocare conarentur; ecce (quæ tanta Dei benignitas eſt) adfuit ſtatim deſperabundo Dominus Ieſus, cui ait [ſum ego Ieſus Chriſtus, qui tui cauſa crucem ſubij, cuius miſericordia longè tuas ſuperauit iniquitates. Quare bonam inſtitue confeſſionem, & tibi meam impertiar miſericordiam.] Sed miſer Dei contempſit monita. Inſtat tamen Chriſtus aperienſque, quo tegebatur, pallium, omnia ſibi vulnera noſtri cauſa inflicta oſtendens [ecce (inquit) quænam paſſus ſum tui cauſa, nolim te proinde perdere, cùm vt te ſaluem è ſinu Patris in hunc mundum deſcenderim. modò te peccatorum tuorum pœniteat] at ille obſtinato animo, & cum contemptu omnia ſalutis remedia reiecit. Quare Chriſtus ſui lateris ſanguine pugnum implens, in eius faciem illum coniecit aiens in die iudicij in conſpectu vniuerſorum hoc mei ſanguinis ſignum tibi modò impreſſum, contra te, vt efficax tuæ obſtinationis teſtimonium, ſtabit indicabítque omnia me tentaſſe, vt te ab iniquitatis cœno miſericorditer extraherem, & te id noluiſſe.

IN

IN DOMINICAM QVARTAM ADVENTVS,

Concio secunda.

THEMA: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Lucæ 3.

Patrum desiderium Messiam videndi nos excitare deberet.

1. VTinam flammantia illa antiquorum patrum desideria, nostra hodie corda, veluti gelu constricta, ad gaudia illa, quæ ex futuri Messiæ tantum recordatione, in suis pectoribus concipiebant, mirificè excitent! Vtinam, inquam, peccatorum nostrorum glacies, aliquo saltem igniculo, tenerrimi illorum in Christum futurum, amoris, præcordia nostra, penetrantis colliquescat! vtinam sub natiuitatis auroram, illud, quod sancti illi olim nobis sancta quadam æmulatione inuidebant, in nobis compleatur: [Et videbit omnis caro salutare Dei] sic, cum Isaia, ex interni gaudij vbertate in illa amoris ac lætitiæ verba statim erumperemus [gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis & indumento iustitiæ circundabit me, quasi sponsum decoratum corona] quasi dicat: ô quanto afficiendi gaudio, qui coram contemplaturi sunt Saluatorem, cùm non alio eos vestimenti genere ornaturus sit, quàm seipso, vti septuaginta intelligunt. [Induit me, inquiunt, vestimentum Iesum] id est, induit mihi Iesus seipsum, pro vestimento. Ad quem locum Paulus alludere videtur, illúmque clarè nobis explicare [scientes inquit, quia hora est iam nos de somno surgere] quibus verbis in nobis somno peccati sopitis resurgendi desiderium incitare conatur. *Isaiæ* 61. *Ad Rom.* 13.

Et

Digitized by Google

Et subdit[nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus] Ecce quomodo rigidam peccati gelu mentem salutis desiderio inflammare tentet, quo gaudia illa, quæ primoribus tantùm labris Isaias, ex recordatione solum futuri saluatoris delibauit,pleno hauriamus spiritu, ex præsentia ipsius breui,quem ipse diu anteà, futurum præuiderat. Sequitur. [Nox præcessit, dies autem appropinquauit] Ecce quomodo indicat per noui solis nimirum Christi ortum, tenebras ignorantiæ dissipandas! [In hac die, ait Gregorius Nyssenus,minui tenebræ incipiunt, noctisque modi augescente radio, ad defectum rediguntur.Mysterium natura exponit perspicacioribus,ac docet,quid sibi velit,quod in aduentu Domini dies crescit,nox decurtatur. Ego talia quædam dicentem mihi videor audire creaturam. Vides noctem ad summam longitudinem progressam esse, atque vlterius currere atque proferri desistere, & in contrarium resolui.Animaduerte quod improba peccati nox quoad eius fieri poterat aucta atque extremam nequitiæ magnitudinem assecuta, hodie vlterius progredi, ac sibi quasi possidendo vsucapere prohibita est,atque dehinc ad defectionem redigitur. Vides lucis radium diutius durare, & solem esse solito sublimiorem, animaduerte veræ lucis aduentum, quæ radiis euangelicis orbem illuminat] vnde infertur tenebrarum opera nobis abiicienda, & Christi arma induenda, vt sic eius ornati coloribus Christum induisse censeamur [Induimini Dominum Iesum Christum] parate vos ad saluatoris imitãda vestigia,induite,per sanctimoniam,ac mansuetudinem eius indumenta,vt cum gaudio saluator in suæ natiuitatis die, quasi fratres vos suscipiat.

Gregor. Nyss. oratione de natiuitate.

Nox peccati decrescit & gratia augescit.

2. Vtinam adeo in eius amorem noster inardesceret animus,vt interius in animæ cubilibus, & exterius in sancta nostra conuersatione eius sanctimoniæ vestimentis induti, in sanctitate & iustitia illi occurramus, vt non tantum spiritu omnes lætemur, sed

ſed animi etiam interioris lætitia, ſic exterius erumpat, vt præ nimio eius deſiderio cum Dauide exclamemus [cor meũ & caro mea exultauerunt in Deum viuum] renuit, inquit, conſolari anima mea.] Cur obſecro, Dauid? [quia memor fui Dei & delectatus ſum] adeo abſorbeor futuri Meſſiæ deſiderio, quoties mihi in mentem venit dulcedinis eius multitudo, vt omnem aliam reiiciat anima mea delectationem, malitque ſeſe quaſi illius inebriare tantummodò recordatione, quàm omnium rerum in præſenti vita delectatione perfrui. Hinc omnes nos ſecum inuitat, qui hactenus tenebris obſcuratum habentes intellectum, fluxis delectamur rebus, vt ad Chriſti naſcituri incunabula accedere feſtinemus [accedite] Chriſtum deſignans [& illuminamini, & facies veſtræ non confundentur] accedamus itaque, vt pleno hauriamus ore dulcedinis aquam de fonte ſaluatoris. Accedamus quia mitis & humilis corde; non improperabit beneficia nobis exhibita, non exprobrabit commiſſa in ſe peccata: puer enim benignus erit, qui benignè ad ſe venientes recipiet, imo præoccupabit eos, qui ad ſe feſtinare contendunt, vt theſauros cœleſtes illis impertiens, gratia diuites eos efficiet [ſcitis, inquit Paulus, gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.]

Pſ. 83. *Pſ. 66.* *Pſ. 33.* *2. Cor. 8.*

3. Duo in hac concione dicenda proponam: alterum quanto cum gaudio ſancti Patres ad ſalutare Dei, oculis ſuis contemplandum, anhelabant, atq; nos congaudeamus: alterum quanta eum præparatione in noſtræ animæ hoſpitium ſuſcipere debemus. Quod vt dilucidè ac cum veſtro ſingulari fructu præſtemus, præmiſſa Angelica ſalutatione, Spiritus ſancti gratiam, omnes vno ore efflagitemus. Aue Maria.

Cõcionis partitio.

PRIMVM PVNCTVM.

4. Quanta affectus lætitia Abraham cum hoc

Digitized by Google

Genes.22. Gaudio affectus Abrahã ob natiuitatis & passionis diem.

salutare Dei prophetico contemplaretur spiritu in filio suo Isaaco, (cuius gratia perplexus fuit cùm sibi illum Deus in holocaustum offerri præciperet) Christi sacrificandi typum gerente maximè, quando illius, iam à morte liberati loco arietem vepribus inhærentem cornibus sacrificandum diuina prouidentia arripuit, Christum significantem spinis aliquando horrentem, pro humani generis salute immolatum iri. Ad cuius magnæ lætitiæ diem, Christus alludens ait [Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est] exultauit quia vidit diem hunc, vidit natiuitatis diem, vidit & passionis, ac proinde duplici cinctus lætitia gauisus est. Ergo nobis multò magis lætandum quibus huius diei lætitiæ & exultationis, militia cœlestis breui nuntium deferet, & omnibus videndum proponet salutare Dei.

Ioann.8.

4. Reg.c.1.

5. Quanto affecta gaudio fœlix illa Anna, quæ paulò ante amaro animo orauit ad Dominum flens largiter, masculam ab eo prolem efflagitans, cùm salutare Dei per effectum animo tantùm conciperet. Nam cùm illi sterilitate laboranti Deus numerosam

1. Reg. 2.

concessisset prolem [exultauit, inquit, cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lętata sum in salutari tuo] O quantam amoris significationem mulier hæc in Deum ostendit, quia sterilis peperit plurimos! magnum quidem hoc miraculum ac ingens lætitiæ seges: quomodo ergo nobis lætandum, qui steriles à Dei gratia, non hominem sed Deum ipsum à Spiritu Sancto fœcundati, mẽte breui concipiemus, & operibus pariemus? Nonne ergo potiori iure dicere poterimus [exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætatus sum in salutari meo.] quem mente ac amore concepi, quem operibus peperi, quem in casto animi cubili foui iam breui coram videbo: exal-

Si Annæ lætandũ ob sterilitatis ignominiam sublatam, multò magis nobis lætandum diuina gratia impręgnatis peccati sterilitate sublata.

tatum

tatum igitur verè cornu meum in Deo meo. Nam per hunc fœtum, quem amore concepi, à peccati ſterilitate vindicatus, gratię vbertate exaltatus ſum, qui anteà monſtrum illud meis demeritis peccatum mente concepi, ac opere expleui, fio, inquam, deifer, ac proinde criſtas meas, præ magnitudinis meæ excellentia meritò exalto, proſtratis ante pedes meos inimicis, ac dilato, in laudem tanti beneficij, à Deo mihi præſtiti, os meum, & in ſalutari meo perpetuò lætandum.

6. Quãto affectus gaudio Dauid prophetico contemplans oculo ſalutare Dei tandem naſciturum, cui paulò ante ob Meſſiæ aduentantis longam moram lachrymæ fuerunt panes die ac nocte, dum illi quotidie ab impiis & incredulis opprobrij loco obiiceretur [vbi eſt Deus tuus?] ad quem ſitis, cui ſuſpiras, cuius deſiderio langues, eius ergo præuidens aduẽtum in has ignitas erupit voces [qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion] quaſi dicat, qui ſoles me longè facere à portis mortis, à peccati profundiſſimo lacu me eruens, quouſque tuum differs aduentum? cur veluti diſſimulans à nobis ortus tui ſplendorem abſcondis? Scio equidem per te ſalutare meũ de portis mortis me toties ereptum, cur itaque tuæ natiuitatis præco non fio [vt annunciem omnes laudationes tuas in portis Hieruſalem, quo omnibus electis ac deuotis amicis, ex me quanta ſit tua miſeratio innoteſcat? O ſi huius rei cura mihi, licet indigno committeretur: quomodo vocem meam exaltarem. [Exultabo tamen in ſalutari tuo:] nam licet aduentum tuum differas, ſpero tamen in illum diem me ſeruatum iri, vt cum cœleſti illa Angelorum militia tuæ natiuitatis præco efficiar. At cùm ex nimio animi deſiderio Chriſti aduentum longius præter expectationem protrahi videret; quaſi moræ impatiens, auxilium aliunde ſibi petit, quo velit nolit deſcendat [Quis, inquit, dabit ex Sion ſalutare Iſraël]

Pſ. 9. Quomodo Dauid anhelat vt natiuitatis Chriſti fiat præco.

Pſ. 13.

Ps.20. quis descendere ad nos faciet diu desideratum gentibus? [magna enim est gloria eius in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum: quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi.] Magna verè est gloria eius: an propterea, à te, eum auelli non finis ô Pater? cui ergo salutaris erit? [gloriam & magnum decorem impositi super eum] tuam illi contribuens substantiam, cuius participes nos fore spopondisti. vbi ergo promissi expletio?

7. Sed vbi sese Dauid veluti modestiæ limites excessisse vidit, sese ad rationis ac humilitatis reuocans normam, tantam animi licentiam, ex nimio tamen Christi videndi desiderio profectam, corrigit:

Ps. 61. [veruntamé Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea] quantumuis hostes fremant, méque quotidie grauibus vrgeant tentationibus, illud identidem repetentes: [vbi est Deus tuus?] tu anima mea tacita, & subiecta Deo obtemperes, quoniam ab ipso patientia tua. Nam breui mittet tibi auxilium de Sion. Sed rursus, veluti exorbitante incitatus Messiæ videndi amore, oblitus sui, ac tãquam tam longæ aduentus ipsius procrastinationis impatiens erumpit, quasi Deus misereri obliuiscereretur:

Ps. 105. [Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo] id est, adimple Domine beneplacitum illud, quo tibi complacuisti in electorum cœtu, quos elegisti ante mundi constitutionem, ex bona voluntate tua, in qua complacuit tibi dare pusillo gregi tuo regnum sempiternum, [visita nos in salutari tuo] visita inquam nos, vt æternæ prædestinationis beneplacitum impleas: visita nos quàm citissimè in Christo saluatore, iustificans nos à peccatis, per merita eius, ne longa aduentus Saluatoris mora animas nostras quasi quodam strágules suspendio? noli ardens earum desiderium longiore aduentus tui dilatione extinguere. Sed tandem veluti in desperationem ductus præ auida ac molesta

Nimia longa mora sanctis visa in dilatione Messiæ.

ſta Meſſiæ expectatione exclamat[Defecit in ſalutare tuum anima mea,& in verbum tuum ſuperſperaui]anima mea ita ſaluatori intenta eſt, vt ſui oblita penitus elangueſcat,in verborum tuorum expletionem ſuperſperans. Sed cùm necdum eorum videam effectum [defecerunt oculi mei] lachrymis ſcilicet [in eloquium tuum, dicentes quando conſolaberis me?] non ſuffecit illi corde, anima ac ore loqui, niſi ſuum etiam ardens deſiderium per oculos oſtenderet, qui [deficiebant aſpicientes in excelſum] obiicientibus illi plurimis,per irriſionem, [vbi eſt Deus tuus?Hæc recordatus ſum,inquit, ac præ nimio dolore effudi in me animam meam taindiu expectans ſalutare Dei.] *Pſ.118.*

8. Vnum tamen magnam ſpem mihi facit, quod in Idumæam extendere calceamentum tuum ſis pollicitus [in Idumæam extendam calceamentum meum]nam ſi in Idumæam,hoc eſt,in gentes,quæ te non agnouerunt,calceamentum,id eſt,humanitatem diuinitati vnitam, protenſurus es,cuius fide ſaluandæ ſunt: multo maiori ducor ſpe, nobile illud tuæ humanitatis calceamentum, ſub quo, auguſta illa diuinitas deliteſcit,in populum tuum electum prius extendendum,de quo ego vnus ſum; cuius fide ſaluari ſpero:extendes ergo calceamentum tuum:ſiue, vt vertit Pagninus, proiicies chirothecã tuam. mos enim fuit antiquis, Pagnino teſte, vt quotieſcunque rex quiſpiam, aut dux aliquam ciuitatem obſidione premeret,chirothecam,aut pugionem,aut aliud huiuſmodi intra ciuitatis mœnia proiicere, quo ſignificare volebat, ſe ab incœpta obſidione nequaquam abiturum, donec armorum vi vrbem expugnaret. Indignum enim eſſe iudicabat, pignus, quod in hoſtium manus veniret, illis capta ciuitate non eripere. Cuius rei cauſa propheta Dauid in ſpem maximam ſeſe erigit,ac de diabolo ſe omneſque nos victoriam reportaturos ſperat, cùm Deus ſuum calceamentum, ſeu chirothecam in Idumæam, id eſt, *Pſ.59.* *Spes Dauidis erigitur.* *Pagninus in theſ. linguæ ſanctæ.*

inter gentiles, qui diaboli tyrannide premebantur erat proiecturus, hac, inquam de causa in spem erectus non dubitauit Messiam breui venturum, totumque mundum, quem diabolus per maximam iniuriam possederat, expugnaturum. Quid enim indignius quàm proiecto suo calceamento, siue chirotheca, sua inquam humanitate, inter gentiles, nõ eam iterum ex hostium manibus, iisque debellatis eripere. Hinc tandem, præ tanti gaudij expectatione sibi acclamat: [expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum] quasi dicat, patienter, & cum fiducia, ô anima mea, quæ salutare Dei coram contemplari desideras, expecta auxilium, & consolationem Domini, viriliter age, roborare non armis exterioribus, sed spe certa aduentus Domini: confortetur cor tuum, quia sine dubio cùm sit fidelis & iustus, veniens veniet, & non tardabit. O si sancti illius prophetæ tam ardens fuit desiderium, vt Christum Domini natum videret, quibus amoris incensi facibus nos esse deberemus, qui verborum Dei impletionem Christum scilicet nobis natum, pro salute nostra passum, ac mortuum, propria vi resuscitatum, & ad Patris sui dextram triumphantis more sedisse, ad nostram credimus glorificationem.

Psal. 26.

9. At Isaia, vnde tantum de Messiæ aduentu gaudium animo concepisti? quid tibi à spiritu sancto, de huius fortissimi pugilis aduentu in secreto suggestum? ecce omnes arrectis auribus à te audire expectant, quid in secretiori trinitatis conclaui nobis intimandum, accepisti? eóque potius quod iamiam desolatione plenus huiusmodi mœstum ingeminauetis carmen [luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde, cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ, cùm cantico non bibent vinum; amara erat potio bibentibus illam] luctu itaque in citharam verso, noli nos diutius suspensos

Isaiæ 24.

tenere,

cenere; ecce ſtatim ſubdit] præcipitabit mortem in ſempiternum]Ecce primum huius pugilis egregium facinus,mortem, quæindiſcriminatim hactenus debacchata in omnes, iam viribus exciſis omnem exuiſſe ferocitatem conſtat [Et auferet lachrymam, ab omni facie] ecce ſecundum huius pugilis ſtratagema ! nam qui hucuſque obortis lachrymis acclamabant, partim præ nimis longa Meſſiæ expectatione, quotidie ingemiſcentes; partim præ nimia dæmonis poteſtate, qua tyrannicè totum pœnè genus humanum oppreſſit,breui ſaluatore in mundum edito,& parta de peccato, morte ac diabolo victoria,triumphantium more ingeminabunt:[ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.]Hinc ſubiungit, Chriſti aduentu omne ſublarum iri à Dei populo opprobrium:[Et auferet opprobrium populi ſui]Ecce tertium huius pugilis ſingulare facinus. Vt qui hactenus quaſi deriſi ob vanam, vt aiebant, Meſſiæ expectationem, iam ſublato illo opprobrio, ac dæmonis imperio profligato, ac opprobrio hoc in aduerſariorum capita recidente in ſpe certiſſima viuerent.quare Deum in noſtrum excitans auxilium [conſurge,inquit, induere fortitudinem ,brachium Domini,conſurge,ſicut in diebus antiquis.Nunquid non tu vulneraſti ſuperbum, percuſſiſti draconem] quaſi dicat, cur Domine tamdiu ſalutaris tui differs aduentum ? cur miſerationum tuarum antiquarum obliuiſceris?cur noſtris calamitatibus non ſuccurris? non vides quanta quotidie patimur mala, & tam longa filij tui aduentus dilatione ? non vides quomodo continuò nos variis diabolus infortuniis vexat? conſurge itaque,conſurge, ſicut in diebus antiquis,quando eius perfregiſti audaciam,quando eum à ſummo cœlo in tartari profundum præcipitaſti: induere fortitudinem brachium Domini , induere, inquam, fortitudinem , noſtra in tuam diuinam hypoſtaſim aſſumpta humanitate; vt cum eo in arenam

Iſaiæ 25.

Tres victorias reportaturum Meſſiam indicat Propheta.

Pſ.93.

Iſaiæ 57.

Chriſti aduentum maturari deſiderat Iſaias.

pugnaturus descendas vincásque; consurge, inquam, neque de die in diem in nostrum venire adiutorium differas: noli amplius illam tantæ moræ excusationem prætendere, nondum tempus tuum adueniſſe; noli, cum eo conflicturus, tergiuersari: brachium enim Domini infinitæ potentiæ es, quo crudelem illum tyrannum olim grauiter vulneraſti, quo è cœlo in infernum ſubdolum illum dracoPſ. 16. nem præcipitaſti: [Domine ergo præueni eum & ſupplanta eum, eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ] Exurge, inquã, Domine, neque amplius auxilium differas, præuerte ſæuientem in nos inimicum, qui inſtar leonis circuit quærens, quem deuoret, præuerte liuidos eius dentes, ne eos in nos infigat, & occidat, ſupplanta eum, id eſt, decipe eum mirabili prouidentia tua, efficiendo, vt dum putat ſe dentes infigere in iuſtorum animas, eos in ſeipſum infigat, eripe animam meam ab impio, à dæmone impietate pleno, ac vt hoc præſtes eripe frameam tuam, id eſt, poteſtatem nos affligendi ab inimicis tuis, ac ipſe veni, vt ſalues nos.

10. Cùm verò vterque & Dauid & Iſaias, ſic eius opem efflagitaret magna tandem aduentus eius concepta ſpe, & prophetico præuidens oculo, tres illas victorias breui effectui dandas, Iſaias exclaIſa. 52. mauit [Ecce Deus noſter iſte, expectamus eum, & ſaluabit nos]& ſubdidit[Exultabimus & lætabimur in ſalutari eius] qua excitatus lætitia tanto animi feruore, atque vocis contentione clamauit, vt omnes ſeſe ad Meſſiæ aduentum pararent [Sion regnabit Deus tuus, parabit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Recedite ergo, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Domini] & ſtatim conuerſus ad Deum, ac veluti præſentem intuens in terra natum Meſſiam, præ nimia cordis exultatione, laudes Deo decantaturum ſe ob tantum

mundo

mundo præſtitum beneficium gloriatur [Domine Deus meus es tu,& exaltabo te,& cõfitebor nomini tuo, quoniã feciſti mirabilia,cogitationes antiquas fideles]quas ſcilicet ab æternitate, de hominum ſalute concepiſti, opere hodie compleſti. O ſi tanta animi lætitia, propheta geſtiit, ob Meſſiæ aduentus deſiderium, quem tamen in carne videre non potuit;quanto animi gaudio corda noſtra exilire oporteret,cùm eum in terrâ, & cum hominibus conuerſari, ac tres illas victorias, per eum partas, viderimus.

Spes Hieremiæ in futurum Meſſiã oſtenditur.

11. Quid Hieremia quid tibi anima tua de hoc ſalutari Dei ſuggerit? iam tandẽ, obſecro,omni depoſita triſtitia iucunditatis carmen ingemina, ſatis ſuperque tuis indulſiſti lamentationibus, ſolus ſedens ac flens ſuper;Eccleſiæ typum, Ieruſalem ſcilicet,& amaro animo ſuſpirans, & eiulans [O vos omnes qui tranſitis per viam attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus] ſatis, inquam, huiuſmodi indulſiſti lamentis [hæc,inquit, recolens (licet triſtia ac infauſta)in corde meo in Deo ſperabo]propheti- co ſiquidem præuidens oculo naſciturum, qui his miſeriis finem tandem daret [pàrs mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum : bonus eſt enim Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum, bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.]

Threno. 1.

Threno. 3.

Gratia per prophetã ad gaudium nos inuitat.

12. Et tu Baruch quid ſolatij nobis adferre poteris ? an non tibi etiam Spiritus ſanctus,de ſalutari Dei, ſalutare aliquod verbum inſuſurrauit? Ecce hianti ore,oculis, ac vultibus in te conuerſis, tuam de eo ſententiam expectamus, licet mœrore exhauſtam Ieruſalem,quæ Eccleſiæ typum gerit, conquerentem inducas.[Nemo gaudeat,inquit, ſuper me viduam & deſolatam : à multis derelicta ſum propter peccata filiorum meorum, quia declinauerunt à lege Dei (ideo) exui me ſtola pacis, indui autem me ſacco obſecrationis, & clamabo ad Altiſſimum in

Baruch. 4.

diebus

diebus meis.] Audiamus luctuosam hanc Ecclesiæ cantilenam, in gaudij ac iucunditatis carmen commutatam[Animæquiores(ingeminas)estote filij,clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum. Ego enim speraui in æternum salutem vestram,& venit mihi gaudium à sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro.]Ecce quomodo nos Ecclesia,per prophetam, inuitat,vt ex intimo cordis desiderio, ad Deum clamemus, instar antiquorum Patrum eum excitemus, quo nobis, quàm citissimè, misericordia, ab æterno illo salutari nostro Dei filio,obueniat.O quàm fœlices illi,quibus in vita nihil iucundius, quibus nulla voluptas,quibus nullum gaudium,præ lætitiæ,ac iucunditatis futuri Messiæ recordatione! Et nos interim torpescimus! illi quod tamdiu ardentibus efflagitabant votis minimè sunt consecuti:at nos qui vix, vel minimam eius desiderij scintillam, in nobis experimur,salutare Dei mentis ac corporis oculis coram intuemur; ita tamen impietatis frigore congelascimus,vt nihil nobis liceat, de tanto cogitare beneficio. Væ ergo nobis,& in æternum væ, qui quod alij continuis lachrymis, ac clamoribus obtinere non potuerint,nos,nullis, quasi nostris impensis, acceptum, tam parui ducimus.

SECVNDVM PVNCTVM.

13. Secundo igitur loco (vt nos conformemur sanctis illis patribus,ne æternum illud væ in nos cadat)dicendum, quanta cum præparatione in nostræ animæ hospitio recens natum puerum excipere debeamus.Referũt philosophi naturales,animal quoddam cui nomen Armenius adeo sordes exhorrescere,vt potius mori eligat,quàm vel leui aliquam corporis partem macula inficere. Quare si quando eum canes infectantur, ille quo potest, gressu celerrimo suum petit antrum,in cuius vestibulo,si vel minimum inuenit næuum (licet vndequaque canum indagine cingatur, ac acerrimis petatur morsibus) potius di-

Armenij puritas.

laniari

ſaniari ſe,ac interfici permittat,quàm vt ingrediens, vel pedem ſuum ſordidum inferat: Hinc celebre illius dictum,[malo mori quàm fœdari.]Quid, obſecro,igitur de naturæ parente Deo, ac totius munditiei auctore, (in quo omnis perfectio)dicendum? ſi ipſe huiuſmodi naturæ inſtinctum animali rationis experti indidit,nonne adeo purus,& ab omni ſecretus contagione exiſtimandus, vt domum illam beatiſſimæ Virginis vterum,quàm ingredi ab æterno ſtatuit,ab omni etiam leui ſordium, vel ſuſpitione immunem ſemper ſeruauerit?Cùm itaque ſic de eo nobis iudicandum, nonne ingredi cuiuſpiam peccato infectam animam cohorreſcet, cum Spiritu Sancto teſte: [In maleuolam animam non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis.] Quid ergo ſi nos noſtram infectam peccatis conſcientiam ſentiamus? audebimúſne eum ad nos inuitare, cùm etiam neque ipſi ſanctitate conſpicui hoc tibi præſumant? [Nemo (inquit Iob) inter Sanctos immutabilis, neque cœli in cõſpectu eius mundi,quanto maius abominabilis,& inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem. Quam ergo habitationem Deo dignam præparabimus? [cœli cœlorum te capere non poſſunt]quantus ego ſum,vt poſſim ædificare tibi domum?

B.Virg.vter ab omni impuritate ſeruatus.

Sap.4.

Iob.15.

14. Vereor Domine,vereor, ſi tibi attentare velim domum fabricare,ne meum hoc opus, tanquam tanto hoſpite indignum reiicias: vereor,inquam, ne potius indigneris,ſi tãtam rem præſumam, cum omnes facti ſimus, vt immundi, & quaſi pannus meſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, vereor ne mihi, vt olim Iudæis,de te quaſi nimis viliter ſentientibus, ſi te ſub tectum meum inuitem exprobres:[cœlum ſedes mea eſt,& terra ſcabellum pedum meorum.Quæ eſt iſta habitatio?]quaſi eorum reſpondens tacito ædificandi propoſito [Quæ eſt iſta domus,quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ] exiſtimatiſne mea dignam maieſtate domum, templum

Iſa.64.

Iſa.66. Non enim digna Deo inter nos habitatio.

plum Salomonis? opus manuum hominum? non ita, non ita: si itaque mihi domum ædificare velitis, domus mea, cor cõtritum est, & humiliatum. [Ad quem enim respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu & trementem sermones meos.] Estne aliquis nostrum, qui tacitè secum aduentanti Domino locum, tanto hospite dignum, proposuit parare? videat etiam atque etiam, si pauperculus, si contritus spiritu, si tremens sermones eius: nam super huiusmodi humilitatis pauimentum, moles hæc augusta Deo extruenda, in qua tanquam in loco sibi proprio mansionem faciet. [Esto ergo humilis (ait Ambrosius) & quietus, vt in tuo Deus requiescat affectu: qui enim non requieuit in bestiis, multò magis non requiescet in pectore bestiali.] consideret, obsecro, qui se parare cupit ad Christum hospitiolo suo recipiendum hoc, quod sequitur de Sunamitide muliere, exemplum.

Ambr. hexa. l. 6. c. 8.

15. Legimus prophetam Elyseum sæpius ad cuiusdam mulieris ædes, vt cibum sumeret diuertisse; cuius sanctitatem tandem aliquando mulier animaduertens, ait marito suo: [Animaduerto, quod vir Dei Sanctus est iste qui transit per nos frequenter: faciamus ergo & cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cùm venerit ad nos maneat ibi.] dic ergo cum hac sancta muliere tandem [animaduerto quod sanctus iste est, qui per me frequenter transit: faciam ergo ei in medio cordis mei paruum cœnaculum, & ponam in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cùm venerit ad me, maneat mecum.

4. *Reg.* 4. *Elisæus vbi non vidit sibi paratum habitaculũ non hæsit.*

16. Cœnaculum hoc itaque tanta dignum maiestate nobis extruendum, grande quidem opus, licet in speciem, exiguum esse videatur: Dei enim structura est. At qua à nobis arte fieri poterit, vt tãtam Dei maiestatem exiguo hoc ac angusto concludamus tecto? Si enim eius creaturam Solem, qui centum sexaginta vicibus (vt Astrologi docent) sua terram superat

rat magnitudine, naturæ viribus exili comprehendi loco posse negamus; quomodo diuinæ naturæ immensitatem nullis locorum spatiis terminatam, siquidem cœlum, quod ipsius thronus dicitur, palmo concludit; terram verò, quæ scabellum pedum eius est, tribus digitis appendit, quomodo, inquam, tantam, sub nostri pectoris angustia immensitatem includere poterimus? [Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ!] Ecce tanta Dei nostri, cui cœnaculum parare attentamus, magnitudo est, vt immensa illa cœlorum vastitas, quæ tantum throni loco illi fuit, & terræ amplitudo, quæ in scabellum pedum eius collocata, palmo ac pugillo illius infinitatis comprehendantur; quis ergo locus quietis eius, cùm nullo comprehendi loco possit?

Infinitæ maiestati, quomodo dignam parabimus domum.

Isa. 40.

17. O, Domine, non humanum hoc opus, sed tuæ commensuratum omnipotentiæ, vbi ergo tantæ, ac tam nobili machinæ extruendæ imprimis area? vbi latomi? vbi operis inspector? Anima tua area mihi erit: latomus ipse ego: inspector Spiritus sanctus. Anima mea area! ô Domine hæc iam olim oppignorata est: cecidit in cõmissum, nisi ad præstitutum diem redimatur. Vbi ergo area? Ne sis sollicitus, me hæc tangit cura: Ego enim pretium exsoluam, ego eam redimam, non corruptibili auro, aut argento; sed immenso sanguinis mei pretio. O quanta tua dignatio! animæ meæ aream dæmoni iamiam in commissum casuram, cùm nemo tot talenta quibus oppignorata fuit, potuit dissoluere, tui pollicitis pretiosissimi sanguinis lytro redimere! O, quàm fœlix illa cogitatio, quæ me, vt tibi, Domine, domum fabricarem extimulauit. Nam quamuis id viribus meis, ac vniuersæ creaturæ impar omnino fuerit, quæ quasi in stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputata coram te, tamen gratia factum est tua, vt simul empta & redempta, ac purgata area, ipse tibi in ea mecum domicilium ædificare non dedigneris. Itaque

Anima huius domus area redẽpta Christi sanguine.

Isa. 40.

que cùm omnium rerum opifex sis, ac tui Patris sapientia, primos huius cœnaculi lapides, quo facilius, cæteris suo collocatis ordine, digna tuâ maiestate exurgat fabrica, loces velim.

Matth.11. *Psl.75.* 18. [Discite à me quia mitis sum & humilis corde:] Ecce cœnaculi duo primi lapides sibi arctissimè connexi. Mansuetudo & Humilitas. [Factus est in pace locus eius.] Ecce tertius huius cœnaculi lapis, Pax, quæ tanquam lapis angularis cæteras virtutes connectit. [In patientia vestra possidebitis animas vestras.] Ecce quartus huius cœnaculi lapis, Patientia, quæ veluti fortissima columna cui tota innititur domus omnibus resistit tentationum tempestatibus. [Super omnia autem charitatem habete quod est vinculum perfectionis:] Ecce charitas tanquam cæmentum, quo virtutes inter se connexæ inexpugnabiles redduntur. Sed, vt hoc cœnaculum firmo semper stare loco possit, opus est vt profundius eius fundamenta iaciantur, & interius certis fulciatur columnis, quas ipsa sapientia huic cœnaculo excidere prompto optat animo. Nam illius est domũ fulcire, cuius ædificare. Huius itaque domus, Dei ipsius sapientia fundamẽtum ex duodecim pretiosis lapidibus, vti cœlestis illa ciuitas Hierusalem fundata perhibetur in Apocalypsi, posuit, lapides verò quibus nostræ domus fundamentum coalescit duodecim sunt Spiritus sancti fructus, Charitas, gaudium, pax, patientia, lõganimitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia & castitas. Ecce quibus pretiosis virtutum lapidibus nostræ Spiritalis domus fundamentum constat, sed & columnæ septem adhiberi debent; quibus totius domus moles superinducta sustentetur. [Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.] Hæ sunt columnæ quibus cœnaculum hoc firma fultum basi stabilietur, septiformia diuini Spiritus dona, quo ad perfectissimum Christianæ vitæ culmen perducatur fabrica.

Luca 21. *Lapides cœnaculi.* *Coloss.3.* *Prou.9.*

19. Pri

19. Prima huius cœnaculi columna : Sapientiæ ſpiritus, quæ omnis perfectionis complementum eſt, qua fit vt homo, primam rerum omnium cauſam perfectè cognoſcens, ita ſuas inſtituat actiones, vt ab ea primi auctoris regula deflectere nolit, quòd à nemine præſtari poteſt, niſi ab eo qui perfectæ ſapientiæ veram iungat charitatem. Nam vt primam rerum cauſam ſapientiæ adminiculo agnoſcit; ſic per veram charitatem ad illam tanquam ad proprium ſuum finem omnia ſua dirigit.

Septem ſunt huius cœnaculi columnæ.

Prima Spiritus ſapientiæ.

20. Secunda huius cœnaculi columna: Spiritus intellectus, quo cum quis optimè in actione exercitatus eſt, multis de hoſte diabolo partis victoriis ab actione paulatim, ad illam vitæ contemplationem tendit, qua quis veluti à rebus corporeis abſtractus ſeſe in diuinorum myſteriorum abyſſum mergere anhelat.

Secunda Spiritus intellectus.

21. Tertia huius cœnaculi columna : Spiritus conſilij, quo Deus homini ſanum ſuggerit conſilium, contra omnia ſubdola diaboli, ſub ſpecie boni, conſilia, occultaſque eius technas, quibus iuſtum à ſuo ſtatu in perniciem trahere conatur.

Tertia ſpiritus conſilij.

22. Quarta huius cœnaculi columna : Spiritus fortitudinis, qua Deus electum ita ſua virtute cingit, ac robore ex alto induit, quo omnes trium inimicorum, mundi, carnis, & Diaboli inſultus facilè retundat.

Quarta ſpiritus fortitudinis.

23. Quinta huius cœnaculi columna : Spiritus ſcientiæ, qua Deus hominem donat, qui ex animo Dei voluntati ſtudet obſequi, vt ſine errore etiam in biuio poſitus, rectà ad cœlum contendat.

Quinta ſpiritus ſcientiæ.

24. Sexta Spiritus pietatis : qua cùm homo perfectè peccatis debitas apprehendit pœnas, ſalutari correptus timore, vitam piè ſanctéque inſtituere paulatim proponit, Deóque ſeruitutem, ac obedientiam in poſterum deuouens, eius in omnibus obſequi voluntati deſiderat.

Sexta ſpiritus pietatis.

25. Septima Spiritus timoris Domini : hæc columna

Septima ſpiritus timoris.

lumna in tantum se in altum effert, vt exporrecta primæ columnę summitatem attingat. [Initium enim Sapientiæ timor Domini.] quæ cæteras combinato nexu, sibi, & inter se coniungit. Timor enim ita hominem in Dei subiectione retinet, vt, eo permanente, nequeat confundi. Hinc cum B. Iob quærit, vbi sapientia inueniri possit, & quis intelligentiæ locus? tandem concludit, nusquam reperiri nisi in solo Dei timore. Quare Deum inducit illam sua veluti præferentem manu, & homini ostentantem: [Ecce timor Domini ipsa est Sapientia, & recedere à malo intelligentia.] quàm stabile cœnaculum, quod huiusmodi sustentatur columnis! Quæ tempestas, aut quis turbo, aut terræmotus illud poterit quassare? sanè multò minùs ruinæ obnoxium, quàm illud Moysaicum tabernaculum, quod sexaginta vndique circumseptum columnis fuit; quippe cuius columnæ non de ligno Cetim, sed de solidis Spiritus Sancti donis compositæ: Multo illo nobilius, cuius tectum non laminis vestitum tantùm argenteis, sed fuluo charitatis auro insignitum, huic enim operi diuinum charitatis culmen, ab illo Architecto Deo inductum est: [charitas enim operit multitudinem peccatorum.]

Prou. 1.

Iob. 28.

1. Pet. 4.

Tria cubicula Trino Deo in corde extruenda.

26. Sed vt lubentius hoc Deus cœnaculum ingrediatur, cubilia illi extruenda in quibus Augustissima illa Trinitas resideat. In corde itaque quod trianguli figuram gerit, tria Deo trino ponenda sunt cubilia. In primo eius angulo, Memoria nimirum ab omni purgata rerum inanium recordatione, in qua Patris sedes erit: Sicut enim ille filij principium, sic hæc, intellectus, dum reminiscendo discurrit, origo quodammodo est. Et verò non iniuria intellectus filio accommodatur, quippe qui per Patris intellectum gignitur. Voluntas denique quæ vtriusque potentiæ operationes sequitur; potentiæ enim appetitiuæ sequuntur apprehensiuas, detersa omni labe, Spiritui sancto, qui ex Patre & Filio procedit, designatur. O quàm arcta cubilia! quàm augusti hospites!

in

in quorum conſpectu inſulæ omnes quaſi puluis exiguus reputantur: Tamen quaſi velint noſtri cordis anguſtiis coarctari, ſuæ maieſtatis immenſitatem, noſtri amore, humanæ exiguitati attemperant. *Iſa.40.*

27. Sed vbi noſtri Elyſei lectus, quo lubentius nobiſcum commoretur? quis nobis eum ſternet? ſanè non alius, quàm irrumpens ex imo pectoris dilecti amor. Ecce quomodo iamiam tanta celeritate ex nimia amoris vi ſtratum atque ornatum glorietur: [Intexui funibus lectulum meum] nimirum triplici illo amoris funiculo, qui difficilè rumpitur: [ſtraui tapetibus pictis] ex Ægypto variis nimirum virtutum ornamentis: [Aſperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo] ſuaui nimirum bonorum operum odore: Hinc inardeſcit animus, vt inter vbera meæ virginitatis commoretur. [faciculus enim myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.] ô fœlix anima, cum ſponſo ſuo complexus! ô beata vnio inter Deum & hominem! ô cœleſtis diuinis exornatus virtutibus lectus, in quo Deus iuxta illud Sapientis. [Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ] requieſcit! Quanto, obſecro, cum dolore ſi per beatitudinis ſtatum liceret, ex hoc ſuo excuteretur lecto! Ecce quomodo clamat, dum eum, aduerſario eius in eundem, per peccatum, introducto, lectum, excutis [coāguſtatum eſt ſtratum, vt alter decidat, pallium breue, quod vtrumque operire non poteſt.] Licet cor noſtrum adeo ſit capax, vt Deum ipſum quodammodo recipiat, eumque ſui amoris quaſi tegmine cooperiat: ita tamen à Deo impletur, vt ſi alium cum eo velis corriualem habere, è ſuo decidat lecto, [quæ enim conuentio Chriſti ad Belial? quæ participatio luminis cum tenebris? quæ ſocietas fideli cum infideli.] O ſi quis Regem ſuauiter in lecto quieſcentem inde expellere, inimico eius introducto, vellet, quibus dignus tormentis iudicaretur! Ecce, inquit, Dominus] coanguſtatum eſt ſtratum, vt alter decidat] quaſi diceret; cor tuum ita impleo, vt neminem admittere

Lectus dilecto parādus.

Prou.7.

Cant.1.

Sap.7.

Iſa.28.

2.Cor.6.

Cor Chriſti lectus in quo ſimul cū dæmone eſſe nō poteſt.

mittere mihi corriualem possit, & pallium breue, amoris tui latitudo, ita arcta est; vt me simul, ac aduersarium meum operire non possit. Itaque si mihi cordis tui lectum straueris, si illum amoris tui stragulo cooperuisti, Dæmon inde eiusque Satellites, praua nimirum cogitationes abigantur. Quis, quæso, nostrum est, qui sub vno tegmine, cum leproso, aut pestifero iacere vellet, & tamen cum Deo dæmonem collocare non erubescimus?

Mensa sponsi conscientia sine dolo. Eccles. 2.

28. Mensa porrò nobis erit, nostræ conscientiæ planities, sine dolo aut fraude, per intentionē recta, per ambages minimè hiulca, simplex, non duplex, [væ enim duplici corde.] Mappa mēsæ sternenda, vitæ innocētia. Cibus vitulus saginatus, sacratissimum nimirum Christi corpus. Sella siue thronus in bonis operibus perseuerantia: Sicut enim sella à patrefamilias suo offertur hospiti, quò cum eo diutius conquiescat maneátque: sic in bonis operibus perseuerantia nobis à Deo concessa, vt cum eo semper conquiescamus maneamúsque. Sed ne sella vacillet, binç vtrinque manus adhibendæ, quibus securius sustentetur, vt Salomonis throno non sit inferior. Manus verò illæ Eleemosyna & Oratio, quibus in bonis operibus perseuerantia conseruatur. Sed ne fortè sedis mole, hæ manus tandem debilitentur, quatuor adiungendi leones, vti manibus throni Salomonis adhibiti sunt, qui suo robore & manus & sellam firmiter fulciant. Leones verò illi iugis sint quatuor nouissimorum meditatio, quæ si ob oculos semper habeamus, neque perseuerantiæ sella, neque eius manus vnquam vacillabunt. Denique sex huic sellæ, vt omnino persimilis sit illi Salomonis, gradus applicandi sunt, quibus sapientissimus noster Salomon Christus ad hunc suum thronum conscendat, hos verò gradus graphicè nobis Concilium Tridentinum ob oculos ponit. Primus itaque huius throni gradus Fides, qua diuina adiuti gratia omnia ea vera esse credimus, quæ diuinitus reuelata sunt siue scripta sint,

Sella perseuerantia in bonis operibus.

Sex gradus siue dispositiones requirit Con. Trid. ex parte adultorum vt iustificentur. sess. 6. c. 6.

siue

ſiue non,& imprimis illud: impium ſcilicet per gratiam iuſtificari,quæ nobis ex Chriſti meritis conceditur: Mortem item æternam impiis propoſitam,pro peccati ſtipendio; vnde ſtatim ſecundus exurgit gradus,Timor nimirum in voluntate, qui ex diuinæ iuſtitiæ conſideratione naſcitur,quia verò fides non ſolum Dei iuſtitiam, ſed & eius miſericordiam nobis conſiderandam proponit,hinc tertius conſequitur gradus Spes nimirum in voluntate, quæ voluntas,in ſpem erecta,diuinam conſequi miſericordiam ſperat, vnde quartus exurgit gradus, Amor nimirum, quo Deum tanquam omnis iuſtitiæ fontem: omnium bonorum auctorem diligere incipimus, ex quo enaſcitur quintus gradus, Odium nimirum, ac peccati deteſtatio.Denique ſextus,Dolor videlicet, quo ex animo dolemus nos Deũ offendiſſe,præ cęteris omnib. à nobis dilectũ. Et hic eſt vltimus gradus Contritio ſcilicet, qua poſita,ſtatim Deus tanquã in regali ſuo throno ſeſe in anima per gratiã collocat.

29. Denique adhibendum lumen: lampades ardentes in manibus veſtris ſint: Expectantes Dominum ad celeberrimas illas diuinæ naturæ cum humana nuptias contrahendas, & in altera manu bonorum operum faculas ex inflammato charitatis incendio accenſas,ſponſo ac ſponſæ præferamus,in altera ſpolia hoſtibus detracta, ac ſeptiforme Spiritus ſancti donum,in noſtræ fidelitatis ſignum oſtentemus. O quàm fœlix anima quæ ſic adornat aduenienti propediem ſaluatori ſuo thalamum! quanto cum gaudio ex virginis vtero, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo in animæ tuæ thalamum amore eius accenſæ diuertet, vt quæ hactenus attenta eius ſermonibus intendit, modò cum ſumma animi exultatione audiat. [Qui me diligit ſermones meos audit,& Pater meus diliget eum,& veniemus ad eum & manſionem apud eum faciemus.] *Lampades bonorum operũ in manibus præferenda.* *Ioan.14.*

30. Ecce tibi Domine extructum in animæ meæ meditullio cœnaculum, quod vt omni ex parte ab *Cuſtodes adhibẽdi ne da-*

Digitized by Google

mon fur expilet arariũ.

inimicorum impetu immune permaneat, opus eſt vt fortiſſimis eius portis continuos adhibeas cuſtodes,ne quando aliqua noſtra ſurrepente negligentia inimicus improuiſo irrumpat aduẽtu,tuumque opus euertens,tuis nos expilet donis : ſicut enim fur oſtij ſeras,præſertim ſi ligneæ ſunt, facilè perfringit,domumque maximè, ſi ſomno ſopiti ſint cuſtodes, expilat:ſic Dæmon virtutum fur , ac deprædator, animæ noſtræ ſeras, decreta nimirum, quibus peccatis reſiſtere ſtatuimus,ſi infirma ſunt,identidem tentat, donec illa labefactet , animæque ærarium Spiritus ſancti donis expoliet.

Simile.

Caſti Ioſephi exemplo docemur vigilare.

Gen.39.

31. Nobis ob oculos ponamus inſignem illum adoleſcentem Ioſephum , quàm firmis repagulis ſceleri fores occluſerit conſideremus. O quoties malus dæmon ſeras animæ eius perfringere tentauit. [Per ſingulos dies (inquit ſcriptura) & mulier moleſta erat adoleſcenti,& ille recuſabat ſtuprum:] cùm toties eius expugnare pudicitiam impudicæ meretricis impudenti conatui præclaro ſuo reſponſo indicauit , quàm obſeratum contra vitia animum habuerit:[Quomodo poſſum(inquit)hoc malum facere & peccare in Deum meum.] Ecce quàm vigilans fuit oſtij animæ ſuæ cuſtos , quàm fortes ſeras illi adhibuit, quæ omnibus diaboli technis , & importunis meretricis inſultibus violari nequaquam potuerint. Solent fures paupereulum aliquem ſubornare, qui iuxta diuitum ianuas ſedens miſerabilibus totam implet eiulatibus domum , quo eius miſeria quiſpiam permotus iubeat eum introduci, qui domus oſtium eiuſque ſeras obſeruat, quo intempeſta nocte, domeſticis profundè dormientibus, furibus , qui pro foribus anſam introeundi expectant ianuam aperiat, qui ingreſſi omnes domus diripiunt diuitias: Et dæmon ſimiliter carnalem ſubornat cogitationem,quæ prauis ſuis motibus , ita animæ ianuam pulſat,donec introducta , fures,id eſt, peccati conſenſum , opus ac conſuetudinem intromittat,

Cogitationes Diabolus ſubornat , vt poſt ſe delectatio cõſenſum extrahat.

quæ

quæ animi opes, vniuerſis mundi opibus, nobiliores diripit. Effœminata enim caro, tanquam mollis domina ſubornatam ad ſui interitum, præ crudeli commiſeratione intromiſit cogitationẽ, cogitatio cõſenſum, conſenſus opus, opus conſuetudinẽ, conſuetudo naturam, natura inſenſibilitatem, inſenſibilitas contemptum, contemptus deſperationem, deſperatio infernum: Ecce quot animarum fures, pro foribus animæ, præmiſſa in eam cogitatione, præſtolantur, vt ianuam per ſubdolam cogitationem, expugnatam ingrediantur. Videtis itaque quàm neceſſarium ſit, vt huius ſpiritalis domus ianuis adhibeamus cuſtodes, qui ſi diligenti indagine hanc cingant domum, ſurrepentéſque cogitationum fures in ipſo repellant introitu, licet grauibus agant inſultibus, aderit ipſe Deus, qui eos à tanta eripiat preſſura. [Ecce (inquit) cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.] O quanta Dei noſtri cura! Nobiſcum eris in tribulatione, erues nos à circumſtantibus, & ipſe arma & ſcutum apprehendes, veniens in adiutorium noſtrum? [lauda, itaque, Hieruſalem Dominum] verè Hieruſalem dicta pacis viſio huiuſmodi cœnaculum. [lauda (ergo) Deum tuum Sion.] Verè Sion, anima ſancta, in qua Deus tanquam in monte ſancto conquieſcit. [lauda (igitur) Deum tuum, quoniam confortauit ſeras portarum tuarum] vt nullus iam hoſtis eas poſſit infringere, aut dona illi Spiritus ſancti conceſſa nobis eripere. Hinc meritò ſubdit: [Benedixit filiis tuis in te, qui poſuit fines tuos pacem. [Quid ergo iam timendum illi cœnaculo, cui præ foribus, ſenſus tanquam vigiles excubias agunt, cuius exercitus in circuitu, Angelorum denſa agmina, Chriſto duce præeunte; Benedixit ergo meritò huius ciuitatis filiis caſtis, ac ſalutaribus (quæ in heroica exeunt opera) cogitationibus. Benedixit, inquam, filiis eius, cui pro finibus & pro mœnibus ipſa pax ſecuriſſima, & inexpugnabilis. *Pſ. 90.*

32. O quoties ſanctus ſanctorũ ad nos diuertit, vt *Chriſtus ſæpe nobiſcum*

panem comedere cupit.

huiusmodi cœnaculo sic omni ex parte comparato, panem nobiscum manducet! Ecce [ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum.] Nunquamne sensistis hunc diuinum ad animæ vestræ ianuam pulsum? Ecce quoties animæ vestræ auribus suauiter insusurrans, ignitis eam inflammans facibus, altis rerum cœlestium desideriis incendit, toties amoris nos pulsibus solicitat, vt sibi hactenus cordis ostia obserata, referentur! Motíne vnquam fuistis suauis Spiritus sancti illicéque susurri vt à cœno peccatorum, ad vitæ morúmque integritatem rediretis? hos non dubito Dei frequentes pulsus percepistis; sit tamen (proh dolor) vt ad eos obsurdescamus, ipso testante ac de nobis grauiter conquerente [Misi ad eos omnes seruos meos per diem consurgens diluculo, & mittens, non audierunt, nec inclinauerunt aurem.] Ecce Deus noster licet, vt ait Moyses [habitaculum eius sursum subter tamen brachia sempiterna,] vt nos suscipiat. [Quid enim (inquit Rupertus) habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna, quàm quod Christus ascendit in cœlum sedénsque ad dexteram Patris habitat sursum, & exinde porrexit brachia sua sempiterna sancti Spiritus dona] imo ab æterno in Patris sui sinu tanquam in proprio sibi habitaculo residens brachia suæ misericordiæ ita ad nos extendit, quibus ex abysso peccati nos subtrahat. Hinc ipse [Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ nesciebat me, & quæ non inuocabat nomen meum extendi manus meas] ita omnes vias intercepi, vt in me omnes vel nescij, vel imprudentes incurrerent, nec hoc contentus modò, sed expandens manus meas clamaui [Ecce ego ecce ego, bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto!] Ecce quot pulsibus vestræ animæ ianuas pulso, & vt fortius, ac perseuerantius pulsarem, ac aperire dignaremini vestra indutus carne fratrem me vobis exhibui.

Hierem. 7.

Deut. 33.

Rupertus in hunc locum.

Isa. 65.

Variis Dei ad animæ ostiũ pulsibus intrare tentat.

exhibui. Sed (proh dolor) quàm pauci pertinax conscientiæ pessulum peccati consuetudine, tanquam clauis tenaciter infixum remouent. Dæmon vix nobis oculo annuit, & statim ei cordis nostri ostia patescunt. Omni transeunti ostia pandimus; soli Deo clausa manent. Hinc ipse de nobis grauiter cõquerens ait: [Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.] Quis, obsecro, toties ingeminatos hos diuini Spiritus ad ostium cordis sui pulsus (nisi sepultus in peccati cœno iaceat) non persentiscat? Quis nostrum est qui viri illius sanctissimi nostri Helysæi transeuntis per nos Christi nimirum vestigia non animaduertat? O quoties nostræ salutis admodum solicitus pertransiens tacitis cor nostrum inspirationibus pulsat? Hæc causa est cur meritò nobiscum expostulat se toties à nobis repulsam pati, cùm tamen vix inimicus eius nobis conniueat, quàm pessulum ostio cordis nostri remouentes, eius sequamur ductum. Vix enim videmus mulierem, quin eam statim concupiscimus, vix quispiam nobis irascitur, quin continuò in vindictam exardescimus, vix dæmon sua nobis sequenda vestigia proponit, & dicto citius obtemperamus. *Isa. 65.*

33. At cùm nos Deus toties vehementibus exterius clamoribus ac tacitis etiam interius inspirationibus, inflammans vocat, tantum abest vt eum statim sequamur, vt etiam igniculis illis Spiritus sancti concupiscentiæ nostræ suppressis auiditate, eius clamoribus obsurdescamus, eiusque diuinas repellamus inspirationes. Hinc per nos frequenter transit cùm nullum apud nos quietis sibi locum inueniat. O quale væ nobis per Amos prophetam, per quos tam leuiter sine fructu transit noster Helysæus interminatur: [In omnibus (inquit) plateis planctus, & in cunctis quæ foris sunt dicetur væ, væ, quia pertransibo in medio tui dicit Dominus.] Planctus itaque erit in plateis omnibus, hoc est, in omnibus ani- *Dei clamoribus obsurdescimus.* *Amos 5.*

mæ potentiis,per quas Deus, tanquam per plateas² ad animæ nostræ cubile ingredi cupit,& in cunctis² quæ foris sunt. Solet enim Deus ipsa fortunæ bona² quæ extra nos sunt,in tanti mali vindictam,auferre. Sic erit vastitas exterius & pauor interius,quia Dominus transit,& non manet nobiscum.[Foris vastabit eos gladius,intus pauor.]

Deut. 32.

34. O si cum hac muliere tandem animaduerteremus,qualis ille sit,qui per nos toties transit, detineremus eum vtique. [Nonne cor nostrum ardens erat in nobis,dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas] aiunt discipuli , qui profecti sunt in Emaus, quem ab iis transire simulantem secum manere obsecrant,solicitant,vrgent : [Mane nobiscum Domine quoniam adueſperascit] cur ergo horum exemplo dum suaui eius inspiratione cor nostrum sese commoueri persentiscit non rogamus eum obnixè vt nobiscum maneat , ne sublato eius lumine nocturnis peccati tenebris inuoluamur. Imò si manere pigeat,luctatores egregios nos præstemus.Esto Iacob, luctare cum eo , fortius eum stringe, & dic [non dimittam te donec benedixeris mihi.]Dic etiã cum hac sancta muliere : Tandem [animaduerto quòd sanctus ille est,qui per me frequenter transiit:] Faciam ergo ei in medio cordis mei paruum cœnaculum,& ponam in eo lectulum, & mensam, & sellam,& candelabrum,vt cùm venerit ad me, maneat mecum.

Luca 24. Christus semel cõceptus cordis hospitio se præsentem ostendit.

EXEMPLVM.

35. In algore niuis quidam monachus Cisterciensis in Brabantia solus per deuia ambulans , puerum elegantissimæ formæ quasi triennem,magno fletu & eiulatu residentem inuenit; cui compassus equo descendit , & flentem complexus flere cum eo cœpit, & quærere quid haberet. Tacente autem puero ingemuit,quærens,vbi est mater tua?nũquid perdidisti matrem ? Ad cuius interrogata puer fortius eiulans tandem dixit:Heu me,heu me,quare non fierẽ? quare non

L.2.Apum.c. 1.par.13.spec. exem. 10. 2.distinct. 5. exem.31.

Digitized by Google

re non eiularem? Ecce vides quod egens ſolus in frigore ſedeo, & non eſt qui colligat me, & hoſpitium præſtet. mox monachus ſurgens, & puerum in brachia eleuans oſculatus eſt eum dicens: ceſſes flere dilectiſſime, quia ad hoſpitium portabo te, & faciam enutrire. Hoc dicens, cum puero equum aſcendere voluit, ſed puer de brachio tenentis exiliens repentè diſparuit, quia Chriſtus filius Virginis fuit. In terram igitur monachus cadens, flere, & eiulare cœpit acerrimè, & cùm diu ſic iacuiſſet eiulans, tandem quæſitus à ſeruo inuentus eſt, in equum leuatus, & ad hoſpitium ductus, quæſitus cur fleret, nihil aliud vna nocte dicere potuit, quàm heu me puer bone, puer pulcherrime, quare me dereliquiſti? cur abiiſti tam citò? cur te perdidi? Poſt hoc conſolationem recipiens rei euentum cuidam retulit, qui illis, per quos ſciui tantæ rei miraculum & piaculum ſtupendum patefecit. Quis enim hominum, ſine lachrymis audire poteſt, piaculum tale & tãtum, quòd filius vnicus Patri Deo, Deus exiſtens, hoſpitium in terra quærit, eget cibo, algore contrahitur, & præ abundantia iniquitatis, refrigeſcente charitate multorum, non ſit qui eum reſpiciat, hoſpitio cordis reficiat, Patris placiti benefica voluntate reuoluat, & foueat deuotionis ſinu, veſte contegat charitatis. Verè de eo S. Euangeliſta Ioannes ſcripſit; [In mundo erat, & mundus eum non cognouit, in propria venit, & ſui eum non receperunt.] *Ioan. 1.*

IN NATIVITATEM DOMINI

Concio prima.

THEMA. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Lucæ 2.

Prodigus Dei amor in electos.

1. QVot inundantia beneficiorum flumina, & gratiæ gratum facientis, tanquam à perenni

ni fonte,ex Dei nimirum quo ab æterno nos prosecutus est, amore, in electos quotidie emanant: qui adeò effusus esse solet, vt nihil sibi retinere videatur, cùm omnia in electos effundat. Hinc non satis illi fuit sese ab æterno(vt aiũt)ad intra cmunicassõe, nisi etiam,sese longè,latéque,ad extra,infinitis penè modis, communicaret. Vnde amor ille infinitus,ita ab æterno diuinam mentem quasi solicitabat, vt quantum fieri posset, infinitè etiam se, ad extra extenderet:quo effectum est,vt sese paulatim adeò diffundere cœperit, vt nihil illi tandem superfuerit, quod non plena manu in creaturam diffuderit.Tantum enim illius in nos amoris erat pondus, vt subsistere minimè potuerit, donec sese plenè cum creatura communicarit. Nam vt ait Augustinus [Amor meus pondus meum, eò feror, quocunque feror.] Hanc Deus, in hac amoris communicatione, affectionem sibi meritò ascribi voluit.Sicut enim amor humanus tantùm est animi pondus, vt eo omnes animæ potentiæ trahantur,quò ille vergit,donec sese penitus in amatum transformet,nihilque sibi retineat, quod amato non communicet, vt illud in eum Diui Augustini quadret [Anima magis est vbi amat, quàm vbi animat:] Sic neque diuinus amor (cuius ille æmulus)quiescere potuit, donec amato tantùm amoris signum ostenderit, quantus ipse amor in se esse potuit. [Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.] In quod donum, electis impertitum, ita omnem exhausit amorem, vt amplius quòd donaret, sibi non retinuerit.

Aug.li.3.cõfess.c.9.

Simile.

Ioann.3.

2. O quanta hæc diuini amoris in nos significatio,vt filium suum vnigenitum nobis daret,& ita daret, vt non satis ei fuerit nostri gratia, eum nostra fragili circundare carne, nisi etiam in ea carne, omnium peccatorum pœnas persolueret: cùm nostrà è contrario tanta sit ingratitudo,vt vnius peccati vmbratilem, ac breuissimam delectatiunculam, tanto sæpe præferamus dono; infiniti nimirum in nos diuini

Magna hominis ingratitudo.

uini amoris,ac omnium inde beneficiorum emanantium obliti infinita nos peccati malitia obſtringimus:cuius ſemel vinculo conſtricti,non niſi per infinitam Dei omnipotentiam poſſumus relaxare, tanta ſiquidem eſt peccati malignitas, vt non potuerit homo,eo obſtrictus,perfecta redimi iuſtitia, neque per angelum, neque per hominem, neque per ipſum Deum,niſi ſeſe exinaniendo formam ſerui acciperet; vt ſic Deus,homo factus,omnia penè noſtri cauſa ſuſtinens incommoda,ſuæ paſſionis virtute,cui infinitus valor à perſonæ dignitate acceſſit, infinitam illam, per peccatum, Deo illatam offenſionem compenſaret.

Homo perfecta iuſtitia redimi nō potuit niſi à Deo homine facto.

Chriſti paſſio infiniti valoris.

3. O Domine obſtupeo! cur cùm indigus minimè eſſes,neque noſtra indigeres amicitia, ſerui formam ſuſcepiſti?cur inſuper noſtrorum in te peccatorum pœnas in tuo corpore perſoluendas aſſumpſiſti?cur tuam veluti exuens diuinitatem,noſtris te induiſti miſeriis? Nonne,pater optime,alia ſuppeteret ratio nos redimendi, quàm vt vnigenitum tuum ſic naturæ noſtræ vnires,vt in eum illa olim in præuaricatorem Adamum irriſio, verè ſuo modo quadret? Ecce filius Dei,quaſi vnus ex nobis factus eſt,ſciens bonum ſibi debitum, gloriam nimirum corporis, qua ſeſe noſtri gratia ad tempus priuari voluit, & malum ſcilicet pœnæ, ſcientia (vt aiunt Theologi) experientiali! Nonne ex mera potuiſti miſericordia offenſam hanc remittere,potiùs quàm ſic filium tuū abiiceres?multa quidem licent, inquis pater Sancte, ſed non conueniebat, vt publicum peccatum, & in omnem redundans poſteritatem, impunitum abiret. Quare vt meæ fiat ſatis iuſtitiæ, humanam naturam in mei vnigeniti auguſtiſſimam hypoſtaſim aſſumi, illíque corpus miſeriis obnoxium, aptari volui, vt debitas, omnium peccatorum multitudini; pœnas, ſuo tempore,ab vnigenito meo exigam, ſed vt miſericordia, ſuo etiam non priuetur iure, peccatorem, hac mea filij humiliatione, & corruptione,meæ reſtituam

Gen.3.

Sūma Deus liberalitate & iuſtitia in noſtri redemptione vſus.

ſtituam gratiæ,ſic enim mundum diligo, vt filij meî natiuitate,ac paſſione,ſ rurſus eum innouem , ac ereptum ab inimici iuriſdictione, nouo poſſideam iure; vt non tantùm meus ſit per creationem;ſed nobiliori etiam titulo , pretio ſanguinis vnigeniti redemptum in æternum mihi deuinciam ? O quanta Dei noſtri dignatio!ô quàm ſtupenda hæc eius in nos miſeratio ! quàm inſolita eius charitas, qua ſuum vnigenitum noſtri cauſa humanis ſubiecit miſeriis!

Cõcionis partitio. Pere. in Danielem l.11. q.5.Baro. Appara. Anna. §.118.

4. Tria hac concione dicere decreui. Primum, cum quanta quaſi cura Sanctiſſima Trinitas ab æterno,ac, ſi tempora ſæcularia,vt Paulus loquitur,ſupputemus ab annis 4022 ex probabiliori ſupputatione,veluti in comitiis ſuper hoc arduo ſalutis noſtræ negotio ſederit.Secundum ; quo filius gaudio , ſententiam horum Comitiorum ſit executus , vt nimirum homo fieret,& cur homo factus,vt ſcilicet vniuerſus orbis ſibi proſcriberetur , & à diaboli tyrannide vindicaretur: ſic oſtendens dignationem ſuam, & dignitatem noſtram.Tertium,exigit , vt adeamus ipſum,quia ipſe ad nos acceſſit. Aue Maria.

Primum pũctum.

5. Et quod ad primum punctum quidem attinet, quamuis ad Annunciationis Beatiſſimæ Virginis myſterium ſpectare potius videatur:quia tamen,(vt prome loquar) concionatores toti tunc , & auditores etiam , (vt pro vobis quoque loquar) in Beatiſſimæ Virginis præconia meritò ſunt intenti ; & præterea; quia (vt eſt in præfatione hodiernæ miſſæ) viſibiliter, nunc primum Deum cognoſcimus,iure optimo, quod poſuimus,proſequemur. Eſtne ergo inter vos quiſpiam,qui me mente, cogitatione ac deſiderio in cœlum abeuntem , vt concilium illud grauiſſimum trium perſonarum,ſedentium per 4022. annos,vt dixi,ſuper noſtra cauſa,comitari velit?aſcendamus,obſecro , ſimul cominúſque quid in hoc concilio agatur,contemplemur:magnum planè conſilium (inquit Rupertus ſupra Geneſ.)de nobis peccatorib. habitũ eſt, omnis noſtra in medio cauſa poſita eſt.] Hic videbimus

Cur hodie quæ ad annunciationẽ pertinent dicantur?

debimus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum sedentem, de nobis acriter differentem, & quidnam in tanto negotio facere expediat quodammodo deliberantem. Pater sedet, cum suo consiliario, seuero sanè, & in nos admodum incitato, Iustitia scilicet: altera ancipitem gerente manu gladium, ad vindictam paratum: altera iustam præferente trutinam, qua penitissimas etiam, & abditas, omnium cogitationes ponderans iuxta cuiusque merita, ac demerita præmiis, vel suppliciis afficere festinat. Iuxtà quasi sedet Filius, totus ad Misericordiam compositus, cuius consiliarius nostræ causæ fauentissimus Misericordia, quæ altera manu scuto expositò, debitos nobis ictus excipit; altera, aperto nobis corde, amoris symbolum calicem scilicet capacissimum, Christi sanguine redundantem, propinat. Spiritus Sanctus, Patrem & Filium expansis infiniti amoris alis complectens tum Iustitia, tum Misericordia plenus, adest, vt Patris, & Filij ex æquo desiderium expleat: cuius consiliarius, vtriusque causæ æquus arbiter Charitas, quæ interposito Pacis sceptro Iustitiam & Misericordiam sibi inuicem concilians, palmam, victoriæ signum, vtrique offert, cum & Iustitia æquè, ac Misericordia tandem, ex concilij sententia, victoria sint potituræ. Adest insuper exactus ille scriba, qui omnia sincerè in æternis illis augustissimæ Trinitatis Archiuis illius cõcilij decreta perscribit: veritas nimirum, ab æterno ad hoc negotium ordinata: cuius [Testimonium] etiam vt ait scriptura: [fidele.]

Trium personarum concilium.

Iustitiæ descriptio.

Misericordiæ descriptio.

Charitatis munus.

Veritas huius concilij scriba.

Eccl. 31.

6. Audiamus igitur, quas ineant inter se ratiocinationes, quàm profundè differant, quàm dissonà in speciem loquantur, & quanta cùm Iustitia, ac Misericordia omnia tandem concludant. Ecce tibi pater æternus, ira incensus: [Non permanebit (inquit) spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Delebo eum à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli. Pœnitet enim me feciſſe hominem.] Subiungit Iustitia, Patris in nos furorem

Incipit concilij deceptatio.

Gen. 6.

Patris in nos iram incendit iustitia.

furorem incitans : [Principium verborum tuorum veritas?] Quare ſi velis , vt illa maneat in æternum, [Deleantur de libro viuentium & cum iuſtis non ſcribantur. Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes,quæ obliuiſcuntur Deum.] Nec ſe vltra continere Miſericordia potuit , ſcutum itaque manu ſumit , ictúſque in nos intentatos animosè retundit,& quaſi in extremos aſſurgens digitos , ſeſe cum clamore valido ad Filiú, graui tãquam ſopore oppreſſum,conuertit.[Exurge,inquit,Deus & iudica cauſam tuam.] Nonne factus es Domine [refugium pauperi : adiutor in opportunitatibus, in tribulatione? & excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino] Amoris. Et vt eſt Dei filius.[Pater etiam eſt in nos miſericordiarum,ac Deus totius conſolationis,]per manum,veritatem ſcribam apprehendit,.& ait : [In capite libri] omnium prædeſtinatorum [ſcriptum eſt de me vt facerem voluntatem tuam] omnes nimirum per me electos ſaluatum iri [elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem,vt eſſemus ſancti:] hæc enim eſt voluntas Patris electorum Sanctificatio. [Deus meus volui] quod tu voluiſti electorum ſanctificationem. [Et legem tuam in medio cordis mei]id eſt,rationis tuæ ordinationem ad bonum commune cordi habeo. Quare iuſtum eſt vt tu meam non deſtruas naturam,quæ eſt Miſericordiam miſeris exhibere , neque tuam,per me , explendam voluntatem , quæ eſt horum ſanctificatio , reuoces. Sed cùm ego natura ſim [Miſericors & miſerator , patiens & propitius peccatoribus]illorum miſerebor,alioqui neque miſericors, neque miſerator , neque peccatoribus propitius , neque tandem Dei Flius,cuius proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Quomodo, ô Pater,verum erit,[Gratiam & gloriam dabit Dominus?] non enim Angeli gratiam vnquam recuperare poſſunt, neque gloriam,quorum caſus reparari nunquam poteſt,quos iam diu in infernum præcipitaſti. Supereſt ergo,

Pſ.118.

Pſ.68.

Pſ.9.

Filij in nos miſericordiã miſericordia excitat.

Pſ.73.

Pſ.9.

Pſ.77.

2.Cor.1.

Pſ.39.

ad Eph.1.

1.Theſſ.4.

Filij Dei natura Miſericordia.Pſ.85

Pſ.83.

ergo, vt gratiam viuis adhuc in hoc ſæculo peccatoribus tribuas, & gloriam aliquam in futuro: alioquin veritas tua non manet in æternum.

7. Sed contra, Iuſtitia inſtat [quoniam] inquiens [Iuſtus dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.] Ex altera parte ecce Miſericordia Iuſtitiam premit: [Deus, inquit iudex iuſtus, fortis] non diffiteor; [ſed patiens; Nunquid iraſcetur per ſingulos dies?] quo dicto ſeſe ad Patrem conuertens exclamat: Reminiſcere, [reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & Miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.] Hinc Iuſtitia vehementiori clamore, quaſi Miſericordiæ obſecrationem obruens, validam ingeminans vocem, reclamat; [Iuſtitia tua iuſtitia in æternum, & lex tua veritas.] Dixiſti, inquit etiam Iuſtitia, ô Pater. [Anima quæ peccauit ipſa morietur.] Ergo ſi lex tua veritas: [plues ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulfur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Miſericordia replicat: non idem ait: [Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat.] Scio nolle illum, reſpondet Iuſtitia, peccatoris mortem, ſi conuertatur: [At Dominus de cœlo reſpexit, ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum vſque ad vnum] cui Miſericordia. [Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo Dominus, de cœlo in terram aſpexit, vt audiret gemitus compeditorum, & ſolueret filios interemptorum.] Audiuit & eorum miſereri pollicitus, [vidi, inquit, afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & ſciens dolorem eius deſcendi vt liberem eum.] Nó inficior: at vbi in terram deſcendit neque Iuſtitiam neque Miſericordiam, neque fidem in terra reperit, & veritas inde penitus profligata eſt. [Maledictum enim & mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit: propter hoc ait Dominus, lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in

Pſ. 10.
Pſ. 7.
Pſ. 24.
Pſ. 142.
Ezec. 18.
Pſ. 10. *Ezech.* 33.
Pſ. 13.
Pſ. 101.
Exod. 3.
Oſee 4.

in ea]itaque eorum gemitus,lachrymæ,clamores,ſuſpiria non ex vera cordis pœnitudine,ſed ex inflictæ pœnæ,ob tãta ſcelera,acerbitate,prouenerunt. Hinc Dominus de cœlo, in terram aſpexit, vt ſui vultus atrocitate, ac ſeueritate tanta caſtigaret flagitia:
Pſ.33. [vultus enim Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.]

8. O iuſtitia quàm tui es tenax iuris! quoties ad multorum necem patrem extimulaſti!neſcio ſanè (ſi cauſa cadam)quomodo verum ſit[Miſerationes Do-
Pſ.144. mini ſuper omnia opera eius]nam ſi ab origine mũdi, per ætates ſingulas cædes & vltiones, quarum auctor fuiſti, recenſere velim, nullum miſericordiæ locum reperiam, niſi hodie ſuo vtatur iure, & peccatorum miſereatur, imo neſcio, quî fieri poteſt,vt illud Dei ipſius elogium, verum ſit, ſi homini non
Pſ.30. pepercerit [Miſericordiâ Domini plena eſt terra.] Imò potius dicendum foret: iuſtitia Domini plena
Seuera iuſtitiæ cenſura. eſt terra ? Nonne ſeuera nimis illa Dei iuſtitia, qua luciferum,cum ſuis ſequacibus ob vnum cogitationis peccatum,in infernum præcipitauit ? Deus enim
2.Petr.2. (te ſolicitante) [Angelis peccantibus,non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradi-
Gen.3. dit cruciandos.] Seuera nimis qua Adam cum ſuis poſteris, ob vnius pomi vetiti eſum in tantas conie-
Gen.7. cit miſerias ! ſeuera nimis, qua diluuij inundatione
Gen.19. totum penè deleuit vniuerſum !ſeuera nimis, qua Pentapolim ob ſodomiticum peccatum, in fauillas ac cineres redegit ! ſeuera nimis qua vna nocte in
4.Reg.19. exercitu Sennacherib centum octoginta quinque millia interfecit ! ſeuera nimis, qua centum millia Iſraëlitarum à terra promiſſa excluſit! ſeuera nimis qua ducẽtos quinquaginta nobiles cum ſuis princi-
Num.16. pibus Dathan,Core & Abiron, viuos deſcendere ad infernos fecit ! quanta illa tua ſeueritas, vt non ſatis tibi fuerit ſententiam, in principes populi Iſraël, necis ferre,niſi etiam ex nimia ſeueritate eos, ídque
Num.25. ad cruciatus augmentum,contra ſolem ſuſpenderes, niſi

Digitized by Google

niſi ego interueniſſem illíſque veniam impetraſſem: vnde ad meam petitionem Dominus ita placatus eſt, poſtquam tamen tuo incenſus zelo viginti quatuor millia ob fornicationem interfeciſſet, ita, inquam, placatus eſt vt in meam, te quaſi inuita, ſtatim deſcenderet ſententiam. [Hæc omnia feciſti & tacui:] vbi inter tot Iuſtitiæ ſigna, Miſericordiæ veſtigium? *Pſ.49.*

9. Hæc omnia, vel vnico retundam reſponſo, ait Iuſtitia. Vnicum (te etiam iudice) peccatum adeo graue eſt, vt ſi in omnes quotquot vnquam fuere, ſunt & erunt; caderet, æternæ obnoxios damnationi conſtitueret: quippe quod infinitæ ſit malitiæ, ſuáque natura, ad Dei bonitatis deſtructionem tendat! Quid ergo merentur omnes hi, in quos ego ſententiæ meæ ſeueritatem fulminaui, qui tot onerati flagitiis, Deum ipſum quaſi è ſua maieſtatis ſede detrahere videbantur: & iniquus ferre videris decretum hoc in peccatores ſeuerum? neque exiſtimas in hac Iuſtitiæ ſeueritate Miſericordiæ veſtigium deprehendi? nonne, obſecro, tuo ipſius iudicio, ineffabilis illa Miſericordia, qua Deus hominibus peccantibus ſeſe veluti ſeruum præbuit? quis populum Iſraël per deſerta, in columna nubis & ignis deduxit incolumem? quis Michaelem Archangelum, vt iuſtorum ſeſe ducem exhiberet, ad homines miſit? quis primos parentes, ſua, à paradiſo præcipitatos, culpa, gratiæ reſtituit? Quod ſi adeo ego in eos, eorumque poſteros, vti in Angelos, fuiſſem ſeuera; eadem illos cum Angelis pœna mulctaſſem æterna, & nullum in his miſericordiæ veſtigium tua apparet ſententia? cui Miſericordia: Nonne parum hoc iam cæteris proderit hominibus, ſi illis deſit ſaluator? ſi [populus in tenebris ambulans lucem] illam, quam Iſaias pollicitus eſt [magnam] non videat? [ſemel locutus eſt Deus (ſcio) & duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.] Cùm itaque poteſtas illi ſit, & eius eum vrgeat Miſericordia, vt

Exod.13.

Magna in peccatores clementia.

Iſaiæ 9.

Pſ.61.

Digitized by Google

hanc exerceat poteſtatem, fieri non poterit quin miſeris ſuccurrat mortalibus. Imò etiamſi clauſæ ſint hactenus cœli ianuæ, non dubito tamen quin ab æterno decretum ſit, vt eas Filius Dei miſericordiæ claue aperiat. Hinc enim æternus Pater illi cœli clauem daturũ ſe ſanctè pollicitus: [Dabo (inquit) clauẽ domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat.] Imò replicat Iuſtitia. [Et claudet, & non erit qui aperiet] quibus igitur claudet? non Angelis, quibus clauſum eſt cœlum à peccati ſui exordio; ergo tantùm hominibus, quibus per gratiam Dei aliquoties illis panſum quodammodo fuit, qui tamen quotidiè ſuas iterantes iniquitates, in perpetuum claudere illud ſibi parant. Hinc [ſemel locutus eſt Deus, & duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine] Iuſtitia [quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.]

Iſaiæ 22.

ad Rom. 2.

10. Filius hanc, in ſpeciem, Iuſtitiæ ac Miſericordiæ tacitus ſecum admirans altercationem, tandem proloquitur, &, vt eſt Patris ſapientia paucis omnia concludere decernit: [Dominus (inquit) dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me (itaque) & dabo tibi gentes, hæreditatẽ tuam, & poſſeſſiones tuas, terminos terræ.] ſed ô quàm audax Iuſtitia! ſubdit enim [ſed reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.] cui filius, de more, miſericordiâ motus [Veruntamen (ait) Miſericordiam meam non diſpergam ab eis, neque nocebo in veritate mea.] Hanc longam ac ancipitem vtrimque diſceptationem, & in quam vergat partẽ Pater, quaſi ſolicitus ac dubius (vt humano more loquamur) videns: anguſtiæ, inquit, mihi ſunt vndique: hinc me premit Iuſtitia, illinc Miſericordia, & quæ vtrimque diſceptata in ſuis Archiuis, recondita eſſe veritas teſtatur: vnde ſimul vltionem expetit, & manſuetam correctionem [nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? mea eſt vltio & ego retribuam eis in tempore.] an non tamen

Pſ. 2.

Pſ. 88.

Miſericordia ac iuſtitia diſceptatio patrem quaſi perplexum reddit.

Deut. 32.

Digitized by Google

men Misericordiæ recordabor? quibus auditis, Pater sese ad Spiritum Sanctum conuertens, eius simul, veluti auxilium, & consilium in tam ancipiti iudicio postulat. Cui Spiritus Sanctus: quantum ad me, te, ex æquo, & Filium complector. Te itidem ô Iustitia & Misericordia pariter æstimo. Nam vti Pater me, sic Filius spirauit, & sicuti eadem cum Patre mihi natura, potestas & maiestas: sic cum Filio. Quare ne, si dem sententiam pro Filio, Pater, eiusque Consiliarius Iustitia offendatur, vel contra: ecce astat mihi cõsiliarius, qui, vti spero, iustissimam feret sententiam, qua vtrique Patri & Filio, ex æquo; fiet satis, & Misericordia Iustitiæ conciliabitur.

11 En tibi charitas ex pacis ore: breuis quidem eius sententia, sed sapientiâ plena: [Homo qui peccauit (ais Iustitia) ipse morietur. Nolo mortem peccatoris] ais Misericordia, & nisi saluetur homo, miserationes Dei, non erunt supra omnia opera eius. Vt itaque vtrique satisfaciam: [Moriatur homo, vt viuat homo: moriatur Christus, in quo morietur homo peccator: viuat cũ Christo, homo peccator, quia mortuus est in Christo: [Qui enim mortuus est (in illo) iustificatus est à peccato.] Qua sapientissimè sententia data, ab Angelis, vna voce acclamatum est [Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.] Tunc [Misericordia & Veritas obuiauerunt sibi.] Veritas nimirum veteris legis promissionum; & Misericordia nouæ, promissionum nimirum illarum expletio, hodie in mundo sibi obuiauerunt. Nam Christus ex Misericordia carnem assumens hodie natus est, vt ex veritate impleret antiquitus promissa. [Iustitia & Pax osculatæ sunt.] Nam hodie Iustitia apparuit, qua Patri, pro Adæ peccato satisfactio inchoata est, & Pax, qua generis humani Deo reconciliatio cœpta: quia [Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Veritas de terra orta est] id est, Christus de carne processit, quia de humili, & fœcunda Virgine Maria natus est. [Iustitia de cœlo prospexit] id est, iustifica-

Charitatis de tota controuersia, diuina sententia, Rom. 6.

Ps. 118.

Ps. 84.

Veritas, & pax, misericordia, & iustitia reconciliantur.

Digitized by Google

tio pœnitenti data. Ad hoc enim veritas hodie terræ orta, vt iuſtificarentur peccatores, Chriſtus quæ in ſuo corpore pœnas illis debitas perſolueret. Solem ex ſigno virginis egredientem libra, deinde Scorpius, poſtea Sagittarius excipit: ſic iuſtitiæ ſolem ex virginis vtero hodie prodeuntem diuinæ iuſtitiæ libra excipit, cui vt faceret ſatis exoritur: ſequentur Scorpij, poſtea Sagittarij in paſſione crudeles; ſed quia ſolis exorti hodie dies eſt: non paſſionis, meritò Angelus, qui, haud dubiè, Chriſto ſuam paſſionem auſpicaturo, mœſtitiam præ ſe tulit, quemadmodum in eius Reſurrectione lætitiam, dum in albis apparuit, cum militia cœleſtis exercitus, Chriſto hodie nato, Euangelizans, omni populo gaudium magnum venit. Atque hoc eſt ſecundum quod propoſuimus.

Chriſtus naſcitur vt iuſtitia ſatisfaciat.

Secvndvm Pvnctvm.

Secundum punctum. Prou. 8.

12. Secundo igitur conſiderandum loco quo gaudio tam ſuo, quàm noſtro filius executus ſit Charitatis & Pacis ſententiam. [Delitiæ] inquit [meæ] ab æterno [eſſe cum filiis hominum.] Maximæ itaque delitiæ, vbi ſuum vidit expletum deſiderium. Si quiſpiam, à patrio ſolo, in alieno plures abeſſet annos, vbi plurimos congregaſſet theſauros, cui ſi ſpes reuiſendi ſuos maxima affulgeret, quale, obſecro, illis, animo epulum parare proponeret, quo infinitas pene, vna refectione, diuitias, præ nimio ſuorum gaudio inſumere vellet, vt hac ratione, & ſuarum opum amplitudinem demonſtraret, & hoc epulo tam inſtructo, ſuorum animos, ſibi deuinceret: nonne, obſecro, quæ ad lætitiam, ſplendorem, ac maieſtatem ſpectant ad hoc contribueret epulum? O, quem diem, quoties animo ſecum reuolueret, quanto afficeretur gaudio, præſertim, ſi pro certo haberet fore aliquando! quale item ſic aduentanti è longinquo reciprocè amici in ſuis ædibus pararent conuiuium? Sic Chriſtus, ab æterno, præuidens hodiernum nobis exhibendum ſuæ diuinitatis ac humanitatis epulum,

Simile.

Magno cum gaudio charitatis ac pacis ſententiã Chriſtus executur.

omnes

Digitized by Google

omnes ſuas in vnum coaceruauit diuitias, vt hodie, vno epulo,ſed per omnem duraturo æternitatem,tibi ô homo illas exhiberet! quàm immenſa afficiebatur lætitia, quoties huius diei recordabatur,& ſemper recordabatur, vt delitias ſuas, carnem induere, nobis effici ſimilem reputaret,& quo familiarius nobiſcum ageret,ſuam nobis etiam carnem, & ſanguinem in epulum dare,ab æterno decreuerit.Hinc properè & lætanter venit.[Exultauit vt gigas,exultauit ad currendum viam.] Exultandum etiam nobis ad occurrendum ei, vt mutuis amoris ſignis vtrimque congratulemur. *Pſ. 18.*

13. Sed,ô Domine, quid cauſæ eſt,quod adeo nobiſcum eſſe delecteris! quid boni in nobis vides? [omnis caro corruperat viam ſuam.]Et tu tamen nobis per ineffabilem illam copulari anhelabas vnionem! Hinc cauſam noſtram apud Patrem, eiuſque iuſtitiam adeò vrſiſti,vt tandem illi ſatisfaciens Miſericordię recordareris.O homo,charitas me,ex qua totus confectus ſum, & Miſericordia vrſit, non veſtris quidem meritis, ſed mea clementia, ac bonitate incitatus,miſericordiæ recordatus ſum, vt vos redimerem:vnde mea factum eſt ordinatione,vt hominibus,ab Auguſto, conſcriptis naſcerer, vt veſtri etiam amore inter homines aſcriberer, vt & illi in meo etiam vitæ libro,ſcriberentur.Sola itaque conſcribendi orbem cauſa mihi fuit, vt à diaboli tyrannide vos vindicarem, licet Auguſtus aliud intenderet,& vt veſtræ aſcriberer ſocietati. *Geneſis 6.* *Magna Chriſti in nos charitas.*

14. Nonne hoc clarè nobis Diuus Gregorius ſignificauit?[Quid eſt,inquit,quod naſcituro Domino, mundus deſcribitur, niſi hoc quod apertè monſtratur:quod ille apparebat in carne, qui electos ſuos aſcriberet in æternitate?]Quemadmodum ergo exiit edictum ab Auguſto,vt deſcriberetur totus orbis:ſic ab Auguſtiſſimo Dei filio exiit æternum illud decretum, quo vniuerſum orbem ad cœleſtem deſcriptionem, profeſſionémque inuitaret.Huius verò deſcriptio *Greg.hom.8. in Euang.* *Simile.* *Deus homo factus vt ſibi nos conſcriberet.*

ſcriptionis, primos cenſores eſſe voluit Apoſtolos qui non pecuniæ,ſed baptiſmi,fidei, ſpei, charitatis, bonorumque operum tributa exigerent. Quare Beda [His inquit,cenſoribus, non ablatione pecuniæ ſubiectos, ſed fidei oblatione ſignare præcepit Dominus:Euntes in mundum,inquiens,vniuerſum, prædicate Euãgelium omni creaturæ]id eſt,omnem creaturam,vniuerſum orbem ; ad cœleſtem inuitate deſcriptionem.Exigendum tributum addit.[Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Ecce quale à nobis exigit tributum ! tributum, quod non in eius vertitur emolumentum,ſed in noſtram æternam fœlicitatem. Cui enim prodeſt,vt nos baptizemur, fidem viuam diuino inflammatam amore ſuſcipiamus, ſpe erecti in cœleſtia feramur, bonis incumbamus operibus?an Chriſto,qui bonorum noſtrorum non indiget an verò nobis ipſis,quibus,ob hæc,æterna continget,beatitudo ? Ecce qualia tributa à nobis Deus requirit, quæ nobis prius,ex eius libera donatione conferuntur, quàm veluti tributa illi perſoluuntur. Et vbi hæc perſoluimus, & quoties perſoluimus, in nos ipſos eadem rurſus magno cum fœnore refundit,& vt de fœnore certi ſimus, non ſicuti huius ſæculi Auguſti in perituris libris, nomina eorum, qui hæc tributa perſoluerunt,inſcribit,ſed in libro vitæ, & non ab aliquo mortali ſcriba, ſed ab eo,qui viram donare poteſt, immortalem. In manibus meis deſcripſi te.

Beda in Lucam. Marc.vlt.

Tributa quæ à nobis Chriſtus exigit nobis non illi vtilia.

Iſa.49.

15. Hæc verò deſcriptio prima,facta eſt ſub Præſide Eccleſiæ Petro,cui dictum [Paſce oues meas.] Quibus verbis magnus ille Auguſtus altiſſimi filius totius orbis oues eius commiſit curæ, vt quas ille in ſuo deſcriptas libro haberet, illas etiam in vitæ libro Chriſtus inſcriberet, & quas ille à ſuo excluderet libro, illas etiam Chriſtus à ſuo penitus deleret:[Deleantur,ait,de libro viuentium,& cum iuſtis non ſcribantur.] [Ibant (itaque) omnes vt profiterentur ſinguli in ciuitatem ſuam] an non nobis etiam

Ioan.21.

Prima deſcriptio à Petro facta.

Pſ.68.

Digitized by Google

etiam festinandum, vt in Ecclesia Romana, quæ nobis in terra propria ciuitas est, profiteamur, ac eius Vicario, tanquam Præsidi omne obsequium ac obedientiam palam præstemus, hæc est illa siquidem Bethlehem domus panis, panis, inquam, illius cœlestis, qui vitam tribuit manducantibus, in qua, qui ex familia veri Dauidis Christi sunt, profiteri debent, si vitam velint æternam consequi. Sed ô quàm multi in hac Dei domo Ecclesia Romana ad Bethauen, ad domum inquam vanitatis deflectunt! quàm multi hæreticorum popinas, vsurariorum officinas, sordidas luxuriosorum sentinas, ac prostibula petunt! [Ne ascenderitis] clamat propheta Oseas [in Bethauen] fugite obscuras hæreticorum popinas, in quibus mortiferum imprudentes venenum pleno haustu ebibere solent. Fugite iniquitatis domos, in quibus semper animis æterna mors latet in insidiis [Mors in olla, mors in olla] clamant prophetæ in fœdæ voluptatis olla, in luxuriosorum pectoribus mors æterna animis insidias struit; fugite ergo huiusmodi iniquitatis domos, fugite peccatorum officinas, fugite vanitatis habitaculum: nam vt subdit Oseas [sicut vacca lasciuiens declinauit Israël, vel vt septuaginta vertunt, sicut vacca œstro percussa insaniuit Israël.] Quemadmodũ enim boues œstro percussæ, ita vagari solent, quasi furiis agitatæ, vt neque consuetam bubulci vocem audire velint, neque in pascuis à bubulco assignatis manere, sed per montes ac syluarum deuia aberrare: sic homines hæresi, auaritia, luxuria, vanitate infecti veluti œstro quodam correpti neque proprij pastoris vocem audire volunt, neque in sacrarum literarum commentatione tanquam pascuis vesci, sed per mille errores, per mille auaritiæ anfractus, per mille salebrosos luxuriæ ac vanitatis saltus sese agunt præcipites, vt vix vnquam pastoris sui voce incitati à Bethauen ad Bethlehem redeant, cùm tamen æternus ille pastor, filium suum, vt eos tanquam suas oues

In Ecclesia Romana profitendum.

Multi à Bethlehem in Bethauen diuertunt à domo panis ad iniquitatis domum. Osea 4.

4. Reg. 4.

Simile.

colligat,foueat, ac cuſtodiat,hodie miſerit in ſimilitudinem carnis peccati, habitu inuentum vt hominem, quo huiuſmodi à Bethauen ad Bethlehem traduceret.

Noſtrie ſe Deus miſeriis obnoxiũ fecit libẽter, vt verum ſe hominem oſtenderet.

16. O Domine, quanta hæc tua dignatio, vt non tantum hodie naſci mortalis, tot obnoxius miſeriis volueris,ſed etiã ita noſtrum affectes nomẽ,vt toties libenter te hominem vocari velis, libẽter cum peccatoribus verſeris,libenter te noſtris immiſceas calamitatibus,libenter pœnis ærumniſque noſtri gratia te ſubiicias, vt ſic te verum declarares hominem,noſque fratres tuos.Imo tanto nos honore per tuam incarnationem afficere decreuiſti, vt ipſis etiã Angelis præferendi ſimus. Quis enim vnquam Angelorum tecum in throno ſedit? ſemper vel ſtantes vel miniſtrantes in tuo apparent conſpectu. Cùm te Iſaias in ſolio excelſo ſedentem contemplatus, Seraphin ſtabant. [Millia millium tibi miniſtrare,& decies centena millia tibi aſſiſtere] Daniel vidit. Princeps Raphael ſeſe fatetur ſtare coram te, cum cæteris Angelorum Principibus, & tamen per tuam incarnationem naturam noſtram in vno tecum ſolio collocaſti, & ad tam ſublimem honoris gradum nos tuæ conſortes, vt Leo loquitur, naturæ euehere ſtudes,vt in nobiliſſima illa tua regia,tot nobiliſſimis Angelorum principibus coram te ſtantibus, ac miniſtrantibus, nos in thronis ſublimes reſidere velis! [Sedebitis,inquis,& vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël] nec tantùm in thrõnis à te ſeparatis, ſed in eodem quodammodo tecum throno nos dignaris collocare! cuius in nos amoris ac eximiæ beneuolentiæ exceſſum mirum in modum extollit Apoſtolus.] Deus qui diues eſt in miſericordia, qui cùm mortui eſſemus peccato, conuiuificauit nos, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit nos,in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.] Hinc ex tua incarnatione tanta acceſſit homini dignitas, vt altius aſcendere non poſſit, & tantum amoris illi

Præferẽdi homines Angelis.
Iſa.6.
Dan.7.
Tob.12.
Leo ſer.1. de Natiuitate.
Angeli in cœlo ſtant,homines ſedent.
Matt.19.
Natura humana ad tã ſublimem locum aſcẽdit, vt vltra aſcendere non poſſit.
Eph.2.

argu

argumentum exhibuisti vt maius non valores,& tamen eheu! inter tot amorum incendia cor nostrum gelu depressum adhuc iacet!neque hoc amoris infiniti igne calefit, cùm tamen si homo altius perpenderet, intimam sui tecum coniunctionem; haud dubiè eius cor tanquam cera à facie ignis colliquesceret. Quæ enim maior esse potest, quàm, vt amoris glutino, non tantùm vnum tecum, iuxta illud Apostoli[volo pater,vt ficut nos vnum sumus,sic illi nobiscum vnum sint]fiat; sed etiam ineffabili humanæ naturæ cum diuina hypostasi vnione, homo fiat Deus,& Deus fiat homo!

Considerato infinito amore Dei in nos per hoc mysterium, ac etiã nostrũ in eius amorem exardescit. Cant. 8.

17. O Deus vis vnũ mecum,non tantũ per amorem, sed perintimam etiam naturarum in vna persona coniunctionem fieri! ô Deus absorbeor, inflammor,totus tui desiderio colliquesco!ô [quis det te fratrem meum iam sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam nemo me despiciat!] ô quis dedit te Deum meum, meum fieri fratrem! sed quid ego hoc demiror cùm ipse se esse fratrem meum gloriari incipiat[primogenitum inter multos fratres]se vocans! ergo cùm sis vnigenitus æterni Patris,& primogenitus matris meæ, licet æternus sis Deus,in tempore frater meus factus es. Quis ergo me despiciet ad tantum euectum cognationis titulum? Omnes creaturæ meam in te adorant naturam, carnem & sanguinem! quis ergo despiciet me, quem vniuersæ creaturæ, in te quodammodo adorant? caro tua,mea est,sanguis tuus, meus est, ossa tua,mea sunt, imo diuinitas tua: [vestra(enim ais) omnia sunt,vos Christi, Christus autem Dei!] Quis ergo me despiciet, cuius possessio tam grandis, vt omnia tua,mea sint! non æternus Pater despiciet sanè; cùm frater sim filij eius, non despiciet filius, qui me fratrem vocare non erubescit:[Dic,inquit,fratribus meis]non despiciet Spiritus sanctus, qui inter me & filium Dei hanc contraxit cognationem. Non angeli despicient, quia ex

Rom.8.

Omnes creaturæ naturã meã in Christo adorant.

1.Cor.3.

Matth 28.

Digitized by Google

quo Christus factus homo meamque in eo adorant naturam,tantùm abest,vt me dispicant,vt etiam præ reuerentia nolint à me honorari : [cane (inquit Angelus Iohanni)ne feceris: conseruus enim tuus ego sum & fratrum tuorum. Quis ergo me despiciet? non cæteræ creaturæ, non bos,non asinus , non alia creatura,quæ me,suum in Christo agnoscunt Dominum.Ex quo enim Dei filius humanam sibi copulauit naturam , naturali voce clamare non desinunt. [Ipse fecit nos & non ipsi nos.]Ecce quanta hæc ex Christi incarnatione ac natiuitate mihi obuenit dignitas , vt natura mea in Christo ita honoretur , vt omnes penitus creaturæ , tanquam suum creatorem hominem illum agnoscant! Quis ergo me despiciet, cuius natura in tantum sublimata, vt vna sit cum filio Dei hypostasis. Hactenus ostendi , qua filius Dei lætitia,tam sua quàm nostra, executus sit charitatis & pacis sententiam, illúmque hominem factum , vt vniuersus orbis conscriberetur,in quo ostendit summam erga nos dignationem suam , singularémque humanæ naturæ dignitatem.

Apoc.19.

Ps.99.

Tertium Punctum.

Tertiũ punctum.

18. Tertio iam loco paucis declarandum , quomodo ipse exigit , vt illum adeamus, quoniam ipse ad nos accessit. Parastis, vt spero, huic fratri vestro toto aduentu , apud vos,hospitium. Docui quidem aliàs modum ac rationem illi dignam construendi domum. Sed ô vtinam vrgeatis me , vt vos hodie iterum doceam , quò honorificè ad eum accedentes excipiatis illum hospitio ! vtinam illud vobis inardescat ardens desiderium , quod in Manue Sampsonis patre,filio sibi à Deo dando locum parandi,scriptura commemorat:Cùm enim ab Angelo eius vxori reuelaretur filius nasciturus , non suffecit Manue vxorem moneri,sed tanto nuncio mirificè exhilaratus ait : [obsecro Domine,vt vir Dei,quem misisti, veniat iterum,vt doceat nos,quid debeamus facere de puero,qui nasciturus est!] O quanta nos potius

Iudic.13.

cura

Digitized by Google

cura vrgere deberet, vt quid debeamus facere huic puero, qui hodie natus est, sciremus! Vtinam vir Dei aliquis iterum redeat, qui doceat nos quid faciendum cum hoc puero iam recens nato! Vultis à me scire, quid debeatis facere vt ad eum accedatis, & in vestræ animæ hospitium illum suscipiatis, ibique in perpetuum retineatis? Solicitè curate, vt prius quàm illum adeatis, omni virtutum ornatu, eius quidé gratia adiuti, in vestris animis ei sternatis cubile: Deinde cùm adest, continuò foueatur virtutum ac bonorum operum exercitio: Sed quoniam, proh dolor! tantùm abest, vt eius cubile ornemus, eúmque aliquando hospitio exceptum, bonis foueamus operibus, vt potius [cum eo tibia & tympanum, & lyra in conuiuiis nostris, & opus Domini non respicimus, nec opera manuum eius consideramus] ò si considereremus hoc singulare Dei opus: opus, inquam, singulare quod manuum suarum virtute perfecit, redemptionem scilicet plebis suæ, neque tibiis, aut tympanis, aut lyra, aut conuiuiis, ita mens nostra obrueretur, quin hoc tempore, opus Domini Christum nimirum incarnatum, & opera manuum eius, nostrã scilicet redemptionem solicitè attenderemus! [venite] ergo semotis trepudiis, & carnalibus epulis [& videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ] verè prodigia hodie facta [verbum caro factum] apparuit in terra, abstulit bella vsque ad finé terræ: pax enim omnibus hodie hominibus bonæ voluntatis annunciatur. [Venite ergo & videte opera Domini] neque ita nostris immergamur desideriis, quin præ reliquis, infixam semper cogitationem habeamus in illud hodiernæ diei opus, & in opera manuum Domini.

Priusquã ad puerum recens natum accedamus virtutibus instructũ cubile illi parandum.

Isa. 5.

Opus Domini Christi incarnatio: opera manuum eius nostra redemptio.

Ps. 45.

19. Scitis quid fecerit Tobias: cùm omnes iuuenes ac senes nobiles ac ignobiles, ad vitulos aureos, quos Ieroboam Rex Israël fecerat, confluerent, solus inuentus Tobias, qui Ierusalem ad templum Domini, numen cœleste adoraturus, profectus est. An solus,

Tob. 1.

Cum Tobia Ierusalem

adeundũ, vt ibi adoretur filius Dei.

lus,inter vos vnus, cæteris insánientibus ad trepudia,scurrilitates,lasciuias,ad calices æqualibus haustibus ebibendos,ad crapulam,velut ad vitulos concurrentibus, qui recens natum hodie nobis puerum adit,illíque seruit? O nolite, nolite, ad vitulos,ad nænias,ad scurrilitates, ad lasciuias,ad compotationes,ad turbas concurrere, sed properate ad stabulum hodie conuersum in veram Ierusalem, quippe quod factum hodie pacis visio,properate, inquam, ad stabulum, vbi derepentè Deo templum fabricatum est,ibíque inuisite Christum natum, & considerate [opus Domini & opera manuum eius. At dicet áliquis;quid socij, quid commilitones dicent? Ecce qui heri,qui superiori anno nobiscum insaniebat, vt sese hodie nostræ subtrahit societati! Huic tuæ prauæ cogitationi puer recenter natus,qui iacet in præsepio, patris sui voluntatem explens, respondeat: [Nonne in iis quæ Patris mei sunt oportet me esse?] respondeat aliquis Ionathas Sauli interroganti:[vbi est ille]scilicet Dauid? [Rogauit me obnixè,vt iret in Bethlehem, & ait, dimitte me,quoniam sacrificiũ solenne est in ciuitate mea, vnus de fratribus meis accersiuit me.]Nonne optima hæc responsio?vtinam sic,his diebus,discolis,vt Deo in templo,ac cubiculis nostris vacemus, respondeamus. Ille ad Bethlehem anhelabat à Bethauen reuersus,turbis vanitatis valedicens, iste ad domum cœlestis panis, crapulæ diuersorio relicto festinabat, hic ad templum Dei cœleste Numen adoraturus contemptis trepudiis, conuiuiis, lasciuiis conuolabat. Tempus sanè esset vt sic tandem respondeamus, tempus ex Bethauen in Bethlehem transeundi ad domum æterni conuiuij,à domo famis & miseriæ. Hic iacet adamantinis constrictus cathenis peccatorum,miser ac miserábilis præuaricator homo:ibi iacet cœlestis infans pãnis inuolutus,ac fasciis,tanquam charitatis funiculis colligatus,inter bouem & asinum,vt nos qui belluinos induimus mores funiculis charitatis ad se tra-

Luce 2.
1. Reg. 20.

Tempus est vt ad domũ æterni conuiuij à domo famis & miseriæ reuertamur.

hat

hat[tranſeamus] ergo cum paſtoribus [in Bethlehé, & videamus hoc verbum, quod factum eſt] vnus enim è fratribus noſtris nos vocat, infantulus nimirum, primogenitus inter multos fratres, nos vocat, nos inuitat, nos vrget; vt ad ſe veniamus. Nam ſolenne illi ſacrificium & conuiuium eſt: [Verbum enim caro factum eſt,& habitabit in nobis.] *Ioann.1.*

20. Venimus, venimus, puer Ieſu, ad tua feſtini incunabula, tuo, vti ſperamus,hodie aſcripti libro, nos enim identidem ad auguſtum vocas epulum. Vt enim panem Angelorum manducaremus, tu Angelorum Dominus factus es homo, factus es nobis in ſtabulo delicatum epulum;imo vt brutali noſtro appetitui cœleſte illud epulum accommodares, nobis iumentis in peccatorum ſtercore computreſcentibus,factus es (vt ait Bernardus) fœnum [Dominus (inquit)panis eſt viuus,de quo viuere debuit homo: ſed quia homo iumentum factus eſt, & panis factus eſt fœnum,vt vel ſiç viuat de eo. Quid ergo, vt ipſe ait,ita pietate plenum quàm quod Dei verbum propter nos factum eſt fœnum.] Ecce epulum in præſepio,Angelorum panis iis tantùm propoſitus,qui delicato ſunt ſtomacho! Sed quoniam nondum ex iumentis homines facti ſumus, tanta eius in nos pietas,vt panem in fœnum verterit, quod tamen mundorum animalium cibus tantùm eſſe debet, quo paſta cum boue poſſeſſorem ſuum,& cum aſino præſepe Domini ſui cognoſcunt. Vtinam iumenta ſaltem nos munda ſimus, qui hoc fœno digni iudicaremur, vt eo paſti cum boue noſtri poſſeſſorem & cum aſino præſepe Domini noſtri cognoſcamus! Vtinam in ſtabulum ingreſſi ſuper cœleſte hoc fœnum animæ noſtræ non nauſeent,ſed potiùs in admirationem raptæ,dum fœnum manducare nos putaremus,non fœnum,ſed ipſum Deum viuaci fide ſub panniculis latitare intelligentes, quodammodo comedamus.

Quanta pietas Chriſti qui nobis iumẽtis factus eſt fœnum.

Bern. ſer. 3. de circume. Et ſerm.1.de epi.

21. Cùm de pane illo Angelorum manibus confecto Moyſes loqueretur[apparuit, inquit in ſolitudine *Exod.16.*

dine minutum.] O singularem nostri panis vmbrã! verè hodie in Bethlehem apparuit minutum! Magnus Deus, paruus infans, pannis inuolutus, humili progenitus matre, in præsepio positus, & nobis in cibum exhibitus! Manhu? admirantes identidem Israëlitæ exclamarunt, viso in solitudine pane illo minuto, manibus tamen Angelorum confecto, Manhu, inquam, quid hoc est exclamarunt! meritò igitur minuto illo Angelorum pane, hodie in totius ciuitatis solitudine conspecto, in vili, inquam, ac omnibus destituto rebus stabulo cũ admiratione exclamabimus Manhu Manhu? quid hoc est? quis est minutus hic panis? quis est infans in præsepio positus, bestiis circumseptus? Manhu, quid hoc est, verbum abbreuiatum, panniculis inuolutum, in stabulo repositum, boue & asino circundatum? Manhu? quid hoc est? [Iste est (vt video) panis quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Verè hic est panis qui de cœlo descendit, & dat vitam se manducantibus. Hic est minutus ille panis nostræ humanitatis cineribus coopertus, & infinito charitatis igne, in accensa virginei vteri fornace excoctus, qui delitias nobis præber verbum caro factum. Ad hunc vocat nos panem Christus cum pastoribus, per internuncios Angelos, & vt transeamus à Bethauen ad Bethlehem clamat. Vocat nos à lutulentis concupiscentiæ cloacis, vbi hactenus diuini verbi pabulo destituti fame periebamus, ad Bethlehem, ad cœlestis panis domum, in qua nobis epulum illud infiniti pretij, verbum carnem factum exhibere, ab æterno cõstituit. Vocat nos per emissarias lachrymas, quibus cor suum, intra viscera sua, nostri amore, quodammodo colliquefactũ, & per oculos veluti in varios diffusum riuulos, vt cum diuini verbi epulo, ex corde etiam suo, tanquam ex perenni fonte amorum haustus ebibamus: [Hauriamus itaque cum gaudio aquas de fontibus Saluatoris.]

Figura. Magnus Deus breui humanitatis pallio circundatus minutus est ille panis qui in solitudine visus est.

Variè nos Christus ad se tanquam ad epulum vocat.

Isa.12.

22. Hæc est illa aqua, quam Rex ille Sanctissimus

mus Dauid tanto olim expetiit desiderio : [O si- 2. *Reg.* 23.
quis,inquit, mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethlehem iuxta portam.] O si quis nobis daret potum aquæ, è cœlo in mundissimam illam Beatissimæ Virginis vteri cisternam, delapsę!O si quis nobis daret haustum aquæ viuæ[omnibus, vt ait Sophronius, vitam infundentis ex sanctissima illa cœlestis vteri cisterna!]Ecce ardenti nostro annuens desiderio, puer nos vocat ad stabulum vbi fons ille perenni abundat aqua [qui sitit,inquit, veniat & bibat.] Eamus ergo, & è cœlo missam salutarem aquam hianti bibamus ore, eamus & hauriamus aquam hanc, quæ ex illa cœlesti cisterna, Mariæ vtero in stabulum defluxit, & si desit nobis tantus ad hauriendum animus nostro excitemus desiderio cum Dauide tres fortissimos viros, qui in Philistinorum castra erumpentes aquam hauriant. Excitemus,inquam,tres illos fortissimos pœnitentis pugiles, cordis contritionem, oris confessionem, ac operis satisfactionem:irrumpant in dæmonis castra, eius ærarium,peccatoris animam expilent, omnibus eius satellitibus, carnis nimirum concupiscentiis trucidatis,ad fontem ex petra scaturientem accedãt ac gratiæ aquam inde haustam,quæ salutarem nostrã sitim expleat deferant, & ne fortę operi diligentius non insistant identidem ingeminemus : O si quis nobis daret potum aquæ de cisterna quę est in Bethlehem iuxta portam,iuxta,inquam, Mariam Orientis portam,ex qua emanauit fons ille aquæ viuæ salientis in vitam æternam, & vna voce cum propheta dicamus[confitemini Domino & inuocate nomen eius,notas facite in populis adinuentiones eius.]

Sophronius Epist.
Ingens sitis animæ vt de Saluatoris aquis bibat.
Ioann. 7.

Isa. 12.

23. Ecce nos etiam Ioannes,qui ex hoc Saluatoris fonte pleno bibit haustu, tanquam certus missus nuncius,vt tandem accedamus,inuitat [De plenitudine,inquit, eius nos omnes accepimus] ó Ioannes Ioãnes omnes inquis,accepistis, quid si & nos accedamus,exhaustus ne penitus pietatis fons?[Imo,inquis,

Ioan. 1.

Similia.

quis,plenus eſt gratiæ & veritatis.]Sicuti enim fontium origo eſt mare:ſic virtutum ac gratiæ eſt Chriſtus Et ſicuti tot fontibus,ac fluminibus, è mari deriuatis eius aquæ non minuuntur; ſic tot virtutum ac gratiarum in omnes ſanctos fontibus ac fluminibus deriuatis, nihil de ipſo gratiarum fonte minuitur,ſed ita ſemper ſuperplenus eſt,vt continuis alueis virtutum ac gratiarum flumina foràs iuxta illud ſapientis emittat: [Deriuentur fontes tui foràs , & in plateis aquas tuas diuide. Hauriamus itaque cum gaudio de fontibus ſaluatoris:non deſint,qui haurire velint, quia fontes nunquam deerunt. Ecce enim quomodo ſtatim ab vtero egreſſus materno , duos è cordis fonte canales,binos nimirum oculos aperuit. Accurramus itaque feſtini , & hauriamus aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. Quid enim aliud ex fontibus ſaluatoris, quàm ſalus poteſt emanare:fontem quidem olim ægritudinis ac miſeriarum nobis aperuit Adam , & heu! de plenitudine eius omnes accepimus originis peccatum , accepimus morbos, accepimus miſerias, denique & accepimus mortem. At tu hodie nobis vitæ ac ſalutis fontem aperis , vt omnes filij Adæ ſeſe ab omnibus peccati maculis lauent. Quis ergo prohibet ne de plenitudine eius omnes etiam accipiamus, hauriamúſque ſalutem & vitam à Domino. Cùm ergo videamus te ligatum faſciis , manibus complicatis , & ex duobus quaſi oculorum alueis tot deriuari fluuios, quot lachrymæ,per genas, defluũt; quis prohibebit quo minus accedamus vt de plenitudine fontis tui ſalutem & vitam hauriamus. Accedamus ergo, accedamus, tot vocati nunciis , tot lachrymarum inuitati riuis, quibus & ſitim reſtinguamus , & animæ ſordes detergamus [fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum.] Ecce è loco ſummæ voluptatis , è Chriſti nimirum corde , in nos fluuij & fontes deriuantur , vt paradiſum noſtrarum animarum,in quibus puer Ieſus commorari exoptat,cœleſtibus

Fons gratiarum Chriſti nunquam minuitur.

Prou.5.

Gen.2.

ſtibus irrigaret aquis. Quare cùm nos per Angelos, per lachrymas ac per gratiæ ſuæ ſtellas, cum Regibus, ad cœleſte epulum ac cœleſtes aquas, inuitemur, ad puerum recens natum acceleremus, eíque cum iiſdem Regibus Charitatis aurum, orationis myrrham offeramus, vt illi per charitatem copulati, ſuaui orationis odore pergrati, mortificationis myrrha, carne ſpiritui ac Deo ſubiecta, vnum cum eo ſimus, vno eodémque cum illo veſcamur epulo, ex vno eodémque perenni beatitudinis fonte in æternum bibamus: tanti myſterij, tanti epuli incarnati verbi ſemper hic memores, ac opus hoc Domini diligenter quotidie conſideremus corde, ore, & opere, verbum carnem noſtri cauſa factum, & opera manuum eius, redemptionem nimirum plebis ſuæ agnoſcamus, omnibus declaremus, notáſque faciamus in populis omnes adinuentiones eius.

Ex corrupto Ada fonte miſerias, ex Chriſti corde ſalutē hauriemus & vitā.

EXEMPLVM.

24. Quidam Monachus quadam vice in choro ſtetit, cùm cantaretur [Incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria virgine & homo factus eſt:] quibus decantatis, alij fratres ſeſe humiliter inclinauerunt, tanti memores beneficij; ille verò erecto collo, ſui ac ineffabilis huius beneficij oblitus ſtetit, neque vllum reuerentiæ ſignum tanto Deo, pro ſe incarnato exhibuit. Cui aſſiſtens diabolus inſignem infringens alapam: ô ingrate, inquit, monache, quomodo ſic ſtas erecto collo? cur non te inclinas coram tuo creatore eius mentionem fieri audiens cum cæteris tuis fratribus? Nónne audis quòd cantatur? Non audis quod Deus pro te factus eſt homo? O, ſi propter me miſerum tantum feciſſet, illi me in perpetuum inclinarem.

Speculum exem. diſ. 9. exem. 75.

Digitized by Google

IN NATIVITATEM DOMINI

Concio secunda.

THEMA: *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Lucæ 2.

Ardens desiderium patrum suspirátium Christi in carne præsentiam.

1. QVanto cum desiderio, simul ac lamentabili querimonia, sancti olim patres, Messiam toties sibi promissum, ac desideratum expectarunt! quot lachrymas, sanctus ille propheta Dauid, die noctéque fudit, dum suum, aliorúmque ardens desiderium, nimis diu, protrahi videret, eóque magis, quod quem ipse toties venturum prædixerat, quasi spe omni præcisa, veluti nũquam venturũ opprobrij illi loco tam longè expectationis Messiæ impatientia, adacti, plurimi in faciem obiicerent. [Exprobrauerunt mihi inimici mei, dum dicunt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus.] Hoc adeo eius afflixit animum, vt mœsta identidem, ac queruloſa voce, in lachrymas irrumperet: [Fuerũt mihi, inquiés, lachrymæ meæ, panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus:] vbi est, inquiunt, ille Deus tuus, ad quem sitis, cui suspiras, quem toties venturum pollicitus es? [Virgam virtutis tuæ, dixisti, emittet Dominus ex Sion] vbi illa virtutis Dei virga? nondum ex radice Iesse erupit? cur ad lætitiam cœlos, & exultationem terram, & ad commotionem mare, eiusque plenitudinem prouocas? cur exultare omnia ligna siluarum à facie Domini, ad præsentiam videlicet conditoris incitas? quia veniet, inquis, Dominus redempturus orbem terræ in Misericordia. O quoties nos eludis his pollicitationibus! [Deus, inquis, manifestè veniet!] O mora affligens animum! Vbi expectatio gentium? vbi gloria Israël? siccine nos tuis affligis promissis? Et hoc cùm tibi obiicitur, lachrymæ, tibi, tuæ, fiunt quotidiani, vt asseris, panes? talia obsecro, sint tua desideria, quæ Messiæ aduentum

Ps. 41.

Ps. 49.

tum vrgeant, quæ ad feruentiſſimas te moueant poſtulationes, quæ ad largam lachrymarum profuſionem te prouocent, quæ ex imo pectore ſuſpiria, gemitus, & ſingultus eliciant! fiant verè tibi lachrymæ, quotidianus panis, qui licet reficiat, tamen Meſſię aduentus ſitim non extinguat, quin potius eam magis excitet, & accendat! Sint ergo tuæ lachrymæ panes, non aqua, vt quo plus fleas, tanto magis in te, flendi ſitis accendatur, vt toties nobis promiſſum, tuis Meſſiam lachrymis, adducas.

2. Quoties alij triſtes præ longa Meſſiæ aduenientis procraſtinatione ingeminabant [rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet ſaluatorem!] Quoties alij illud Iſaiæ conclamabant: [Vtinam diſrumperes cœlos & deſcenderes, aquæ arderent igne] nos qui ad inſtar aquæ frigidæ, amoris ardore ac præſentiæ Meſſiæ gaudio inflammaremur, quoties alij [Inclina cœlos & deſcende] vna voce repetebãt. Oſtende præſentiã tuam ac potentiam, non horrendo tonitruorum fragore, non fulgurum coruſcatione, non fulminum euibratione, quibus mortales conſternari ſolent, ſed appareat benignitas tua & humanitas in terra, quibus amore potius, quàm iuſtitiæ tuæ horrore ſuperba hominum corda tandem allecta, tuæ ſeſe maieſtati libenter ſubdant: diſcántque tuo exemplo vitam moréſque corrigere: ſed ô Patres ſancti liceat mihi cum Eſdra hoc ſuadere: hodie [dies ſanctificatus eſt Domino Deo noſtro, nolite lugere, & nolite flere: ſed ite ite, comedite pinguia & bibite mulſum, & mittite partes eis, qui nó præparauerunt ſibi] id eſt, nobis miſeris, [quia ſanctus dies Domini eſt: & nolite contriſtari. Gaudium etenim Domini eſt, fortitudo noſtra.] Sed eheu! quod illi cum lachrymis ac feruentibus deſideriis ſe præparantes expectarunt: Ecce nobis hodie, proh dolor! præ eius deſiderio minimè lachrymãtibus, aut in eius aduentum ſuſpiriis, gemitibus, aut lamẽtabili querela haudquaquam nos præ-

Iſa. 45.

Pſ. 143.

2. Eſdr. c. 8.

Parum nos paramus vt pueri recenter natum inueniamus.

parantibus, tenerrimè offertur. [Inuenietis (inquit Angelus) infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. [O vtinam cum Bernardo, Patrum ignita considerantes desideria, Messiæ aduentum expectan-

Bern. serm. 2. in Cant. tium, confundamur & compungamur. [Ardorem, inquit, desiderij Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam, frequentissimè cogitans, compungor & confundor in memetipso, & nunc vix contineo lachrymas, ita pudet teporis, torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus sanctis accenderat desiderium promissio.] Excitentur ergo æstuantia in nobis desideria, ex imo cordis ignita erumpant suspiria, cor ipsum diuino accensum igne cum propheta exclamet: [Exquisiui te

Psal. facies mea, faciem tuá Domine requiram] oculi nostri interiores qui in animæ facie sunt, tuam præsentiã in carne requirunt, cætera omnia fastidiunt: itaque faciem tuam, Domine, requiram: hoc semper nostrum studium erit, vt conspectum tuum quæramus, non tantum, vt in alia vita vultum tuum reuelata facie intueamur, sed in hac etiam vita, hoc vnum satagemus, vt nos misericordiæ oculo respicias, & respiciendo illumines, ac in tui amorem accendas: quod si fecerimus, inueniemus [infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.]

Concionis partitio. 3. De his Euangelij verbis in hac Christi natiuitate tria dicam. Primum quomodo immensus Deus, & olim terribilis hodie breuibus coarctatus pannis, in mansuetum agnum & desiderabilem arcum conuersus, cœlum Patremque amoris ac misericordiæ sagittis, expugnauit, eiusque thesauros nobis rapiendos exposuit. Secundum; de pace nobis, cum Patre, vberibusque in nos gratiæ fluminibus. Tertium denique, quomodo infiniti thesauri, sub vilibus panniculis absconditi, participes esse possimus; si prius spiritus sancti gratiam obtineamus, Maria deprecante, ac nobis manu è tabulo annuente

annuente, vt ad gratiarum thesaurum citò explicandum accuramus. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Simile.

4. Ad primum pergamus [Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positũ in præsepio!] O stupẽda Dei verbi exinanitio! Quod cœli capere non possunt, breuibus coarctatur panniculis! Quemadmodum longiora verba, scribæ velociter scribentis, solent abbreuiari: ita Deus, maximum suum Verbum, & æternitati commensuratum, in humana natura, veluti in candidissima papyro scribens, (vt ait Rupertus) abbreuiauit. [Inscripta, inquit, est hominis naturæ, perfecta verbi natura.] Hinc Bernardus [verbum, ait, fecit Pater abbreuiatum: vultis nosse, quàm longum, quàm breue fecit! Cœlum, inquit, hoc verbum, & terram ego impleo! Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio est, & pannis inuolutum.] Ecce quomodo maximum, & longissimum verbum, scriba velociter scribens æternus Pater, abbreuiauit! [Inuenietis (enim) infantem pannis inuolutum!] nunquam aliàs Dei verbum, ita abbreuiatum legimus, vt inuolutum pannis, intra præsepis angustias, quasi compingeretur! quod super solium excelsum, & eleuatum Isaias vidit, quod fulgurans, tonitruans, & minas spirans in monte Moyses, vidit, quod totum terrarum orbem horrendo diluuio obruens vidit Noe, quod igne, ac sulphure, cœlitus emissis Pentapolim in cineres ac fauillas redigens vidit Loth, de eo hodie, omni deposita, seueritate, nobis Angelus dicit [Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.]

Rupertus 16. annis 1.

Bern. serm. 1. de Natiu. Maximũ & longissimum Dei verbum abbreuiatur.

Isa. 6.

Ex seuero vindice factus est infãs misericors. Exod. 20.

5. Multi olim de nimia Dei seueritate, conquesti sunt: quippe qui suorum verborum tonitruo, ad se aduentantes, adeo percellere solebat, vt morituros statim se existimarent, si ad illum propius accederent: hinc Israëlitæ, eius perterriti voce, ad Moysen conclamabant [loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.] At

Qui olim ſeuerus hodie amabilis factus.

hodie nobis dicitur [Inuenietis infantem] in quo omnes ſapientiæ ac ſcientiæ Dei theſauri abſconditi ſunt, à quo longè abſunt illa verborum tonitrua, ſed qui potius flebili nos voce ad ſui commiſerationem prouocans, lachrymis, ac ſingultibus, cui nondum, per ætatem loqui licet, nobis acclamat: [ô vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte,ſi eſt dolor]imo ſi eſt amor,ſicut amor meus! Et quos olim irato vultu à ſuo arcebat conſortio, hodie illos amabili inuitat aſpectu, ſéque tanquam clementiæ,ac amoris, quo illam antiquam ſeueritatem ac in nos iram compenſaret, immenſum theſaurum, ſub panniculis latitantem, nobis expilandum, proponit! Olim ſeſe leonem, quaſi ferocientem,exhibebat: hodie ad agniculum inuitamur manſuetiſſimum, ac ad infinitum omnium diuitiarum theſaurum [Inuenietis infantem pannis inuolutum] prouocamur!

Threm.1.

6. Olim omnes diuinæ iuſtitiæ arcus intentos habebat,quibus ardentes in peccatores vindictæ ſagittas, ne huic approximarent theſauro collimabat [ſagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti] quos tamen hodie, pro clementiæ illius theſauri monetæ ſigno, in benignos ac manſuetos arcus conuerſos videmus, per quos, amore ſuo ebrias, in nos conuertat ſagittas, quibus cor hactenus altè in terram defoſſum,ſaucium tandem, ſeſe ſurſum palpitando erigat, ad infinitum illum bonorum omnium theſaurum, deprædandum! [vide arcum (ait Eccleſiaſticus)& benedic eum,qui fecit illum:valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo.] Nonne infans iſte, in ſtabulo poſitus, benedictus arcus, ille eſt, cuius duo cornua,diuina perſona,ac humana natura ſunt, cuius chorda eſt,harum,inter ſe,vnio.Hæc verò cornua,in nos hodie conuerſa ſunt, vt ardentes amore ſagittas, in corda inimicorum regis, intorqueat, quo in nobis, inimico Regis, peccato interfecto,ac gratiarum theſauro à nobis expilato, in ſanctitate,

Iſa.5.

Seſe nobis exponit tanquã ditiſſimũ theſaurum expilandum. Eccl.43.

ac

Digitized by Google

ac iustitia coram illo in posterum viuamus.

7. Huius rei olim typus, Iris illa extitit, quæ in circuitu sedis erat smaragdinæ visioni similis, per quam, Dei Misericordia, & infinitus in nos amor, è thesauro suo, depromptus, designatur; vt hinc inter Deum, & Noe, quasi fœderis, ac misericordiæ symbolum poneretur. Hanc verò Dei ambire thronum, Diuus Ioannes vidit [Iris, inquit, erat in circuitu sedis] cuius ambitu, infinita Christi charitas, ac Misericordia, quę sese ad omnes penitus extẽdit significatur. Et sicuti Iris variorũ colorum, eorumq; pulcherrimorum, specié, præ se fert: ita huius cœlestis arcus, adeo multiplex in nos auri charitatis ac Misericordiæ effectus est: vt dicere possimus: paruulus Dominus & amabilis nimis, & misericordiæ eius non est finis. Et sicuti Iris arcus figuram gerit, in cœlum intenti: ita arcus noster, suas amoris, ac misericordiæ sagittas, è stabulo in cœlum nobis hactenus clausum vertit, vt ipsum cœlum atque adeo Deum Patrem nobis expugnet, vincatque: hinc his hodie saucius sagittis, exclamare cogitur [vulnerasti cor meum soror mea sponsa] id est, incarnati verbi natura; diuina soror diuinitati Patris æqualis. Humana sponsa deitati ineffabili vnione in verbo coniuncta quasi vno verbo dicat: fili mi incarnate [vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui] Ecce quomodo cœlestis Pater mundo hucusque iratus, amoris Iesu sagittis veluti confossus, se vulneratum exclamet, ac tanquam potenti sagitta, vno filij sui oculorum ictu, ac vno cordis eius desiderio, penitus saucium, vt humani generis redemptionem (ô thesaurum ab æterno desideratum) vehementer sibi in votis esse, puero Iesu, è stabulo sagittas, in eum conglomeranti, declaret!

Iris fœderis ac misericordiæ symbolũ.

Apoc. 4. Figura. Similia.

Amoris sagittas è stabulo Patris cor vulnerat puer Iesus. Cant. 4.

8. Hæ sunt illæ sagittæ potentis, quæ nunquã frustra redeunt: [sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis: [sic infantis huius sagittæ, potenti eius manu, licet ad-

1 Reg. 1. Similia.

huc faſciis colligata,amoris arcu intento,nunquam inanes redeunt: Et ſicuti miſericordiæ eius non eſt numerus: ſic ſagittarum, è ſtabulo iactarum hodie, quibus Patris pectus identidem ferit, nequaquam eſt numerus. Porro ſicuti gladius Saul, non eſt reuerſus inanis: ſic diuini verbi gladius, ab hoc infante ex humanitatis vagina eductus, tanto Patris pectus ictu percuſſit, vt miſericordia veluti ebrius, ita eius intima penetrauit, vt miſericordiæ nobis portas, patefaceret. Nec mirum: tot in eum etiam cœleſtis hic puer,Miſericordiæ, ac amoris ſagittas emiſit,quot in mente cogitationes habuit,vt meritò crinium multitudini,ac ſubtilitati(dum dicitur,vulneraſti cor meum in vno crine colli tui) tot in Patrem emiſſiones, Charitate ardentes, comparentur. Hinc tot in nos amoris etiam, ac miſericordiæ ſagittas cœleſtis retorquet Pater, vt ſicuti,præ nimio noſtri amore, puer Ieſus, quaſi ebrius colliqueſcere videtur: ſic ille noſtri etiam amore, quaſi langueſcens, ac tanto ſaucius diuini gladij ictu, ſagittarumque amoris ac miſericordiæ vulneribus, totum in nos ſuæ miſericordiæ fontem deriuat [Benedic ergo eum,qui fecit(huiuſmodi)arcum] quo,deuicto cœlo, atque adeo æterno Patre, nobis ſuis ſagittis, miſericordiæ oſtia pãdit. Benedicat ergo anima noſtra Deum Patrem, Deum filium, Deum Spiritum Sanctum,qui inter nos & ipſum hodie arcum hunc, pacis ſymbolum in ſtabulo conſtituit.

Amoris ſagittas infans condenſat in patrem.

Simile.

9. Arcus ſanè valdè ſpecioſus eſt, in ſplendore ſuo. Nam ſicuti Iris triplici ſplendeſcit colore, cæruleo,viridi, & rubeo:ita ſpecioſus noſter arcus eodem triplici coruſcat colore.Nam cœruleo,qui cœleſtis color eſt diuinus puer, iuxta illud Apoſtoli [ſecundus homo,de cœlo cœleſtis] ſplendeſcit: viridi etiam gaudet, per vitæ innocentiam,ac gratiarum pulchritudinem: rubicundo verò, octauo ab hinc die, fulgebit; vbi ſuo aſperſus ſanguine, quaſi mane rubeus cruentæ paſſionis diluuium inchoatum

1.*Cor.*15.

Puer Ieſus triplici coruſcat colore,cæruleo, viridi & rubeo.

enuncia

enunciabit: hinc ſponſa minimè eum abſolutè rubicundum, vſque ad paſſionem vocat, vbi penitus in ſanguinis ſui diluuio immerſus totus rubeus erit, ſed modò partim candidum, partim rubicundum eſſe dicit: [dilectus meus candidus & rubicundus] verè valde ſpecioſus arcus iſte, in ſplendore ſuo! accedamus ergo ad hunc cœleſtem arcum, ac amoris eius ſagittis confoſſi, acclamemus [vide arcum, & benedic eum]ô anima mea! [Qui fecit illum, valde ſpecioſus eſt, in ſplendore ſuo] verè benedicere oportet illum, qui arcum hunc, è cœlo, in terram miſit, vt æternæ Pacis, inter Deum & nos æternum ſit fœdus. Verè benedicere illi debemus, qui hunc fecit arcum, cuius ſagittis cœlum, Paterque quaſi victus miſericordiam ac amorem, quæ in cœlo hactenus, tanquam theſauri abſconditi detinebantur, in terram tranſmittere, quodammodo coactus ſit, vt iam verè dicere poſſimus [Miſericordiâ eius plena eſt terra.]

Cant. 5.

Puer Ieſus ſuis amoris ſagittis cœlũ Patrémque expugnauit, nobiſq; eius miſericordiã ac amorem adſciuit.

10. Olim tanta ſeſe oſtentabat maieſtate ſublimis in ſuo reſidens ſolio, ita, vt nemo pene, præ eius magnificentia accedere ad eum auderet. Hinc magnus ille Iſaias, nequaquam, dicit: acceſſi ad Dominum: ſed [vidi Dominum ſedentem, ſuper ſolium excelſum, & eleuatum.] Hodie non dicitur: venite, & videte in excelſo poſitum throno, Regem maieſtatis, ſed venite, & videte Deum infantem, denarium diurnum, non inter Cherubinos collocatum, ſed inter ſtupidas, ac ruſticas beſtias, non eleuatum in ſolio excelſo, ſed repoſitum in præſepio, non maieſtate plenum, ſed humilitate deſpectum. [Venite ergo & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.] Nonne prodigia Deum hominem? maieſtatem ſub panniculis! ſapientiam inter beſtias! quem cœli capere non poſſunt, anguſto incluſum ſtabulo! qui ſedet ſuper Cherubin, in fœno iacentem videre. Venite ergo, & inuenietis hic tantorum numiſmatis gratiæ fluminum natricem fontem, infantem nimi-

Pſ. 32.

Iſa. 6.

Dei exinanitio.

Pſ. 45.

rum,pannis inuolutum & positum in præsepio.

Quàm horribile incidere in manus Dei.

11. Olim adeò graues Dei erant manus,vt horribile fuerit , Paulo teste, in eas incidere. Has sensit sanctus ille, & à Dei ore laudatus , Iob , qui diuinis onustus flagellis exclamauit,[Miseremini mei,miseremini mei, saltem vos amici mei , quia manus Domini tetigit me.Hinc alio loco tactus, manuum eius grauitatem expertus, eum obsecrat, vt sese à duobus abstineat, ne alioqui timore perterritus, à facie eius sese abscondere cogatur.[Duo tantùm ne facias mihi,& tunc à facie tua non abscondar : manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat.]Ecce quomodo,ab ipsis sanctissimis viris olim,timebatur:nunc verò hodie inuitamur,vt eum non terribilem,sed mansuetum,non vindictam interminantem, sed osculum pacis præbentem,audiamus, amplectamúrque [venite,inquiens , & videte opera Domini, quæ posuit pródigia super terram!] Deum ante terribilem,infantem modò mitissimum;minas olim spirantem, ac vindictam : Misericordiam modò,ac pacem veluti pecuniariam arrham , vltrò offerentem: manus olim ad verbera extendentem , fasciis modò colligatas : timorem suo olim,vel aspectu incutientem,infantili voce modò adblandientem,audaciámque vobis addentem. O fœlix sæculum, quo qui ex vtero ante Luciferum genitus [factus ex muliere,factus sub lege,vt nos,qui sub lege eramus redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus,]vt cœlestibus nos ditaret Misericordiæ , gratiæ ac amoris thesauris, Venite ergo , [Inuenietis enim infantem pannis inuolutum,& positum in præsepio.]

Iob.19.

Iob.13.

Deus olim terribilis,hodie factus infans mansueissimus.

Galat.4.

Gen.3.

12. Ecce ille,qui paradisum olim ingressus,vt in primos nostros parentes , ac in omnem eorum posteritatem mortis sententiam fulminaret,illósque ex illo amœnitatis loco extruderet,Angelo versatilem, ac flammeum gestante gladium, quo aditum, in paradisum illis,ac nobis prohiberet; hodie, quasi pœnitentiâ ductus,nostri omnium eiectionem, suis de-

Qui olim in vindictã pronus,hodie ad misericordiã propendet.

flens

flens lachrymis,illos & nos, veluti redemptione inuenta, ſuæ amicitiæ reſtituere conatur? reuocata in nos mortis ſententia, ipſe pœnas, noſtris debitas peccatis,ſubire paratus! Ecce quomodo hodie iacet in præſepio,manibus ac pedibus colligatis,qui olim furore quodammodo percitus,ob hominum ſcelera, totum terrarum orbem diluuio obruit, ex ſuo ſacratiſſimo pectore,tanquam ex perenni fonte,ad noſtra delenda peccata opulentum gratiarum diluuium emittit! Ecce quomodo ille, qui tanto olim furore incenſus, viuos Core, Datan & Abiron ad inferos præcipitauit,aureum pacis ſceptrum hodie vniuerſo offert mundo!Ecce quomodo ille,qui olim tanquam horribilis leo,ſuo rugitu,mortales terrefacere ſolebat,& tanquam leæna,raptis catulis,in rabiem,quaſi verſus,omnes deuorabat peccatores [Ego,inquit, quaſi leæna Ephraim,& quaſi catulus leonis,domui Iſraël]hodie tanquam manſuetiſſimus agnus, aureo id indicante vellere,amorem ſpirans,ac omni depoſita ferocitate,tanquam gallina,expandens alas ſuas deargétatas,vt nos ſuos pullos,à tartareo illo coruo tueatur!Ecce quomodo ad patrem,vt ad ignem conuerſus,quaſi liqueſcens metallum,vbertim fleat,nobis miſericordiam, & pacem efflagitans! quomodo ad matrem etiam eius piiſſima ſugens vbera,fleat,vt illa nobis fratribus ſuis, mater plena miſericordiæ porrigat! quomodo denique ad nos fleat,vt ſuo nos fletu permoueat, qui olim flagellis, dura hominum corda,conabatur permouere. Hactenus oſtendimus quomodo immenſus Dei filius, qui olim voce fulminabat, aſpectu terrebat, minas & vindictas ſpirabat, homo tandem factus breuibus fuerit inuolutus pannis in ſtabuli anguſtiis veluti coarctus, voce gratioſus, aſpectu amabilis, amorem & miſericordiam ſpirans, veluti ſpecioſus arcus ſagittis ob amorem ac miſericordiam, ebriis, cœlum Patrémque expugnauerit, eiúſque theſauros rapiendos expoſuerit: iam verò de pace nobis cum Patre conciliata

Gen. 6.

Num. 16.

Oſee 5.

liata dicendum, ac vberibus in nos gratiæ, ac misericordiæ deriuatis fluminibus.

SECVNDVM PVNCTVM.

Secundum punctum.

Pacificus Christi ad nos ingressus. 1. Reg. 16. Figura.

13. Secundum huius concionis punctum, paucis nobis expediendum. Cœlo itaque Patréque expugnato, pacéque inter nos, & cœlites composita, pacificum suum ad nos ingressum declarat. Cùm Samuel in Bethlehem iret, Dauidem in Regem vncturus, non per consuetam ciuitatis portam ingressus est, secum vitulum, de armento, Deo sacrificandum deferens. Qua re insolita, ciues commoti, Samueli seniores populi perturbatis occurrunt animis, ab eóque solicitè scisciantur: dicentes, pacificus ne est ingressus tuus? quasi dicerent; cùm per consuetam ciuitatis portam non es ad nos ingressus, infaustúmne aliquod per hoc significare portentum, venisti? bellúmne, an pacem denuncias? quibus ille: [pacificus: ego enim ad immolandum Domino veni:] nónne omnia pacis insignia me gerere videtis? licet enim consuetam ciuitatis portam, non sim ingressus; tamé arma manibus nequaquam præfero, solus ingressus, nullo instructus exercitu: ecce manu dextra pacis vitulum fero; sinistra verò vas olei, aut thuris, vt Domino sacrificem. Definite ergo bella timere, definite mirari insolitum meum ingressum, cùm pacem, non bellum denunciaturus venerim: sic hodie, Christo, qui non per eandem portam, per quam olim ingredi solebat, ingressus est, occurrere possumus, ab eóque scisciari: [Pacificúsne est ingressus tuus?] antequam enim humanam indueret naturam, ab exordio mundi, vsque ad eius natiuitatem, vix vnquam ingressus est aliam, quàm iustitiæ portam. Tanta etenim hominum olim flagitia extiterunt, quippe, quòd omnis caro corruperit viam suam] vt misericordiæ, ac amoris portam sibi clauserint; iustitiæ interim, & inferni aditu semper ad vindictam paratæ expanso [propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum, absque vllo termino.] Hodie tamen Chri-

Olim iustitiæ portam ferè semper Deus vt puniret ingressus, modò verò misericordiæ portam ingreditur vt parcat.

Isa. 5.

stus

ſtus inſolitam pacis ac miſericordiæ portam ingreſſus, iuſtitiæ, ac inferni portam quodammodo clauſit. Occurre illi ergo, & dic, ô puer Ieſu [pacificúſne eſt ingreſſus tuus?] venísne, vt de noſtris peccatis vindictam ſumas? an potius, vt pacem nobis adferas? Ecce tibi, omnibus, puer Ieſus, pacis ſignis, reſpõdet: [Ego ad ſacrificandum Domino veni:] ego, vt peccatis veſtris medicinam faciam, per hanc pacis, & miſericordiæ minimè conſuetam portam ingreſſus ſum. [Ego donans vobis omnia delicta veni, delens quod aduerſus vos erat chirographũ decreti, quod erat contrarium vobis, & ipſum per meam paſſionem, de medio auferam, affigens illud cruci, & expolians principatus, & poteſtates, traducam confidenter palàm triumphans illos, quos diabolus hactenus, ſuis detentos vinculis, in peccati carcere habuit, in memetipſo. Pacificus ergo per miſericordiæ, ac quieti amoris portam ingreſſus meus eſt, néque ſalutarem hoſtiam, pro omnium peccatis, ſponte mea offeram. Hinc non armata manu, licet cœleſtibus circunſeptus Angelorum agminibus veni, ſed pacem omnibus bonæ voluntatis oblaturus. Hinc humanitatis meæ manſuetam vitulam, mecum ad ſacrificandum duxi. Inſuper etiam miſericordiæ oleũ, ac pietatis viſcera, vt me ipſum, tanquam perfectiſſimum holocauſtum tándem aliquando, in ara crucis, pro vobis, Patri offeram. Pacificus ergo ingreſſus meus; nolite timere, ad ſacrificandum Domino veni, ad redimendum, hoc ſacrificio, genus humanum veni, veni ad effundenda in vos miſericordiæ & gratiæ meæ flumina; veni ad gloriæ ſempiternæ aperiendam vobis cœli ianuam, vt omnis pacificus gratiæ meæ hîc fluuio expletus, æternæ gloriæ vbertate, perpetuò in cœlis ſatietur. *Coloſſ. 2.*

14. Nilus, vt ait Plinius, inundans, Ægyptum vbertate ditat. Nilus enim dicitur quaſi limum trahens, qui fœcunditatem facit. Et Dei filius humanitatis limo (formauit enim Deus hominem de limo terræ) *Gen. 2.*

terræ) humanum genus ad increméta frugũ iuſtitiæ, & gloriæ meſſem hodie fœcũdauit. Hinc cataractis diuini amoris, pacis, ac miſericordiæ modò apertis ingens in totam terrã amoris, pacis, ac miſericordiæ per huius limi aquæductum fluuius dimanauit, cuius variæ ſcaturigines diuerſorũ hominum corda abluẽtes, illa gratiarũ vbertate complent. Hinc pace, inter Deum ac hominem conciliata, tandem aliquando miſericordiæ recordatus, immaculato humanitatis limo, adeò animæ noſtræ terram fœcundam reddidit, vt diuini verbi fame ſublata, miſericordiæ, ac gratiæ vberrima meſſis expectanda ſit. Ægyptus, vt ait Plinius, in duodecim cubitis creſcentis Nili, famem ſentit, in tredecim etiamnum eſurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt: quindecim ſecuritatem: ſedecim delitias: immenſus ille Dei amoris, miſericordiæ, ac pacis Nilus, ſic ſeſe etiam habuit. Nam antequam naturam noſtram Dei verbum indueret, diuino amore, ac miſericordia, quaſi ad duodecim cubita excreſcentibus, totus mundus magnã ſentit famem, non, vt ait Propheta [famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei,] ac conſequenter cœleſtis gratiæ, amoris, miſericordiæ ac pacis famem; & hoc in naturæ lege. Poſtquàm verò in lege ſcripta, vſque ad tredecim cubita excreuiſſet, etiam tum totus eſuriit mundus. Nam licet plures à Deo miſſi prophetæ, ac ſancti viri, qui ſcriptam legem, non tantùm docerent, ſed præclaro etiam vitæ exemplo in ſe illam exprimerent, adeò tamen populus Dei miſericordiæ ignarus fuit, vt pauci admodum legem obſeruarent. Nondum enim cœli ianua patuit, neque à ſe Deus miſericordiam, & pacem, in terram dimiſit, quia nondum vnigenitum ſuum carne circundari, in cœleſti virginis thalamo, placuit. Hinc propheta Dauid, quaſi conquerens, de Dei clementia, qui ſuam miſericordiam in cœlo adhuc concludi quodammodo voluit, exclamat [Domine in cœlo miſericordia tua] quaſi diceret:

Plin. l. 5. c. 9. Sicut aqua Nili paulatim excreſcẽs tandem delitias parit: ſic immenſus diuini amoris, miſericordiæ, gratiæ ac pacis Nilus paulatim vſque ad delitias creuit.

Amos 8. In lege natura adhuc mũdus magnam diuinæ gratiæ ſentit famem.

Pſ. 35. In lege ſcripta adhuc eſuriit.

ceret:ô Domine,nobis iuſtitia tua tantum apparuit, miſericordia adhuc cœlum incolente! dimitte igitur è cœlo ſancto tuo miſericordiam, vt iuſtitiæ attempet rigorem, dimitte vnigenitum tuum, panem illum cœleſtem, qui pace inter miſericordiam, & iuſtitiam cõpoſita,omnes ad ſe recurrentes ſatiabit, quo nondum è cœlo dilapſo, totus adhuc mundus eſurit. Sed vbi ad quatuordecim diuinæ gratiæ, miſericordiæ, ac pacis cubita Nilus aſcendit,toti attulit mundo hilaritatem, quod hodierno die Chriſto nato perfectum eſt:Hinc Angelus[Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie ſaluator]cuius in terram aduentu, diuinæ gratiæ, miſericordiæ, ac pacis Nilus,ad quatuordecim excreuit cubita. Cùm Auguſtus paulo poſt Iulium Cæſarem interfectum, ex Apollonia rediens, Romam ingrederetur, ante Chriſti quidem natiuitatem; hora diei circiter tertia repente liquido, ac puro cœlo circulum in ſpeciem cœleſtis arcus orbem Solis ambiiſſe Oroſius aſſerit,quaſi vnum eum Auguſtum ac potentiſſimũ, ſolúmque clariſſimum in orbe monſtraret, cuius tẽpore venturus eſſet, qui ipſum Solem mundúmque totum feciſſet & regeret, vniuerſóque mundo gaudium adferret. Sed eius inter nos per triginta tres annos, conuerſatio, miracula ac virtutes ita omnes æterni illius Nili tandem cataractas aperient:vt fluminis impetus, cuius hactenus aquæ in Patris ſinu, quaſi in ſuo alueo detentæ, lætificaturus ſit ciuitatem Dei, omnem nimirum animam, quæ in humilitatis veluti valle illius impetum deſuper, magno cum deſiderio, expectabit: [omnis enim vallis implebitur]omnis ſcilicet humilis anima, diuina gratia ex illo flumine deſurſum illabente implebitur;ac ſuo tempore ſecuri, Deo dante, de noſtra ſalute erimus, vbi cum illo vſque ad decimumquintum cubitum, ad locum nimirum vnde primam ſuam traxit originem, qui eſt æterni Patris ſinus aſcenderimus.

Chriſto nato gratia,miſericordia ac pacis Nilus ad quatuordecim excreuit cubita.

Chriſti conuerſatione, miraculis,ac virtutibus æterni illius Nili impetus gratia,miſericordia ac pacis vſque ad decimum quintum cubitum excreſcet.

Vbi

Tandem ad decimumsextum excrescente Nili gratiarũ inundantia æternis fruemur deliciis.

Vbi tandem positi cum hodierno infantulo Christo ad sedecim gloriæ cubita excrescentes, summo bono adepto & Deo amato æternis fruemur delitiis. Hæc sunt illa gratiarum flumina, quæ de eius ventre fluitura Ioannes asserit. Hinc itaque aureum gratiarum fontem, Phisonem nimirum, thesauri magnitudinem indicantem hodierno die in stabulo è petra [petra autem erat Christus] emanantem accedere angelus monet [inuenietis, inquit, infantem pannis inuolutum & positum in præsepio. Audistis quomodo composita pace inter nos & patrem vberioribus gratiæ ac misericordiæ fluminibus nos ditarit.

Ioan.7.
Gen.2.

Tertium Punctum.

Tertiũ punctum.

15. Videamus iam tertio loco, quomodo ingentis thesauri sapientiæ ac scientiæ Dei, clementiæ, amoris, innocentiæ, misericoediæ, pacis, gratiæ ac gloriæ, qui sub vilibus latitat panniculis participes esse hodie possimus [inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.] Quod si gratiarũ, quæ in recondito infantis Iesu humanitatis thesauro repositæ sunt, participes esse velimus, dum adhuc infantulus, dum panniculis inuolutus, manibus ligatus sese tueri nequit, hunc expilemus thesaurum, qui hodie nobis prædæ loco exponitur. Infantulum se quidem Iesus simulat, & vili humanitatis pallio, diuinitatis thesaurum tegit. Si eum penitus intueri velimus, septam vndequaque fortitudine in eo augustam reperiemus maiestatem. Ligatum quidem se præbet, vt se nulli iniuriam aut vim inferre velle, neque sibi illatam propulsare significet. Videt tamen perfectè omnia, & singula considerat, licet adhuc imbellem nobis sese infantem exhibeat. Solus ex animantibus leo recuruos vngues habentibus, simulátque natus est videt: qua quidem in re longè superior leone infans iste cuius ille symbolum fuit: non enim in ortu solùm, sicut leo, sed in ipso sui etiá conceptus instanti adeo perspicaci intellectus lumine præditus fuit, vt diuinam perfectè viderit essentiam

Infinitus gratiarum latet thesaurus hic sub vilibus pannis.

Digitized by Google

sentiam:[Deum enim nemo vidit vnquam:vnigenitus,qui est in sinu Patris (qui nimirum diuinam vi- *Ioan. 1.*
[illegible]essentiam quatenus homo) ipse enarrauit.] Sicut ergo per humanitatem enarrauit: sic etiam per humanitatem debuit esse in sinu Patris: cùm autem à *Cyrill. Alex. l.1.in Ioan.*
primo conceptionis suæ momento in Patris fuerit sinu,non potuit non videre diuinam eius essentiam. Videt ergo & sanctam nostram in expilando diuini thesauri ærario audaciam, eáque maximè delectatur.Si ergo sapimus, dum sese omnino inermem ac *Christi thesaurus expilandus, dum se imbellem ac inermem simulat.*
imbellem simulat, quo nos ad spolium audaciores reddat, tacitis ingrediamur vestigiis secretum eius conclaue, viua eius diuinitatem fide apprehendētes, infanti gratiarum spolia detrahamus. Ad quod nos inuitat subtilis illa aquila Iohannes, qui in cœlestibus hanc prædam quasi diuini ingenij vnguibus arripiens in terram detulit omnibus impertiendam: [In principio erat verbum.]Ecce præda![Et verbum *Ioannis 1.*
caro factum.]Ecce prædam arripit! [Et habitauit in nobis.] Ecce ad terram defert! [Et de plenitudine eius omnes accepimus.]Ecce prædam diuidit!

16. Insuper inuitant Angeli: [Inuenietis infantem pannis inuolutum & positum in præsepio.] O *Angeli inuitant nos vt hoc gratiarū ærarium expilemus.*
quantus gratiarum thesaurus in hoc humanitatis gazophylacio deliteſcit!quàm pretiosa hic gemma, quam,vt quis reperiat, omnia sua vendat,& comparet eam.Sed [procul ab vltimis terris pretium eius.] Vnde ergo emi poterit? Ecce tibi è præsepio infans *Vna lachryma pretium huius thesauri.*
respondet: vna lachrymula.Fierine potest,vt tantus gratiarum thesaurus vna emi possit lachrymula? ô lachryma omnipotens cuius dignum præmium solus Deus! O lachryma filij Dei animam inebrians! verè ab Isaia & rectè dictum [Inebriabo te lachryma mea Hesebon & Eleale, quoniam super vindemiam tuam,& super messem tuam, vox calcantium irruit.] Quamuis Isaias ciuitatibus Amorrhæorum loquatur: ad puerum tamen Iesum, qui velut inter Amorrhæos, peccatores scilicet natus, quos suis *Isaiæ 16.*

deplorat lachrymis, flebilem hanc hodie querelam meritò conuertam [Inebriabo te lachryma mea] ô verè Eleale Dei holocaustum, infantule Iesu, [inebriabo te lachryma mea] ô verè Hesebon ciuitas Amorrhæorum, infantule Iesu, peccatorum refugium, in quo Amorrhæi tuti esse possunt si ex Amorrhæis, interfecto peccato, vèri fiant Nazaræi, id est, sanctificati. [Inebriabo te lachryma mea, quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam] mei causa non vox calcantium irruet, sed Iudæorum impia falx, & impio torculari tuæ humanitatis vineæ botros calcabunt. vnde vinum illud germinans virgines, ex quinque corporis tui dolij erumpens epistomiis, vniuersam, sua virtute, carnem salubriter inebriabit; cuius prægustatione, in tua breui circumcisione ego peccator inebriatus, ad te accedere audebo, & plena manu è tuo thesauro, maximè mea, te, lachryma inebriato, refertas gratiarum thecas rapere. Nam te video omnibus expositum veluti prædam, video iacentem inter bestias, in vili repositum stabulo: video tamen, fidei oculis, sub tui pectoris angustia, immensas contineri diuitias. Video paucos ad tam diuitem gratiarum thesaurum festinos accurrere!

Vnica pœnitentis lachryma puer Iesus inebriatur.

17. Quid ergo obstat, quo minus, semotis arbitris, ac corriualibus, in cœleste illud omnium diuitiarum gazophylacium irruam, maximè tot inuitatus amorum argumentis [Inuenietis, inquit Angelus, infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.] iam cessarunt fulmina illa, quibus à suo arcebat olim consortio peccatores, iam versatilis ille gladius, quo Angelus in paradisum prohibebat accessum, in Misericordiæ vaginam reconditus. Ecce stabulum in cœlum conuersum, patentibus vndique ianuis. Quis ergo prohibebit, quo minus ingrediar? Hic tumentes iræ fluctus ac indignationis in petram Christi humanitatem illisos video, video in cœlesti stabulo olim ferocientem leonem iam in agnum

Facilè est rapere gratiarum thesaurũ Christum præsertim ex deposita ferocitate.

Digitized by Google

agnum manſuetiſſimum conuerſum. Sicut enim ſol dum leonis ſignum obit, ardentiſſimus & noxius eſſe ſolet animantibus, cuius exceſſus, cùm in virginis ſignum ingreditur, temperatur; ita Deus olim antequã in virginis vterum veluti ſol ingreſſus eſſet, quaſi leonis ſignum obiens, ita ſuæ iuſtitiæ radios in belluinos hominum mores, terribilis immittebat, vt eorum ſcelera ardentibus iræ ſuæ flammis deuorans, eos cateruatim ad tenebras extruderet ſempiternas, ſed vbi in propitium Virginis ſignum ingreſſus eſt, & Verbum caro factum eſt; ita ſtatim omnis ille iuſtitiæ furor mitigatus eſt, vt derepentè ex ferociſſimo leone, in manſuetiſſimum agnum mutatus ſit. Quid ergo obſtat, quo minus ingrediar, vt tanti theſauri particeps efficiar.

Simile.

Deus ante incarnationẽ, terribilis leo, poſt incarnationem manſuetiſſimus agnus factus eſt.

18. Sed, heu! obſtat cordis mei durities, obſtant conſtricta peccati gelu animæ meæ viſcera, quæ tanti theſauri deſiderio minimè commouentur. Sed quid? nihil adeo durum, quod nõ emolleſcere, excepto noſtro corde, aliqua ſaltem arte poſſit. Quid enim ferro durius? ſed & [hoc, ait Chryſoſtomus in aquis diu immerſum ſæpe molleſcit.] Quid adamãte compactius, & ſanguine tamen hirci diſſoluitur, & tamen nos neque lugentis pueri lachrymis molliores effecti, ad diuinitatis eius petram illiſi (vti ferrum aquæ diu aſſuetum, facilius lapide rumpitur) frangimur, neque cœleſtis illius hirci ſanguine, pro peccato populi breui mactandi emolleſcimus. Hinc ipſe, vereor, in tanti criminis vindictam, ſuam nobis abſcondens diuinitatem, complicatis manibus, ac faſciis conſtrictis, ſuas etiam nobis ſubtraxiſſe opes, ac opem, declarat; vt quorum cauſa, ad hanc ſeſe dimiſit miſeriam, eorum tamen cordibus in ſui cõpaſſionem minimè commotis, omnes diuitiarum theſauros ſubtrahens, ab iis etiam, benignam ſuam faciem abſcondat [Abſcondam, inquit, faciem meam ab eis, & cõſiderabo nouiſſima eorum.] O quàm deploranda huiuſmodi nobis cõminatio, vt ille, qui ea

Chryſoſt. Homil. 9. ad populũ Antio.

Nihil durius peccatoris corde.

Leuitici 9.

Deuter. 32.

de causa natus, vt faciem suam nobis ostenderet, fideique lumine suam diuinitatem nobis spectandam offerret, nisi nostra obstaret ingratitudo, modò eam abscondat, tacitè secũ quasi considerans, quæ nostris debeantur nouissimis pœnæ: & qui manus suas, alioqui misericordiæ plenas, ad omnes terræ fines porrigere decreuit, vt thesaurorũ suorum singulos participes efficeret, eas veluti à nobis subducens complicet, ad instar lugentium, & abdita secum meditãtium supplicia, ingratis breui infligenda, nisi quàm citissimè, præoccupemus huius pueri faciem antequam in seuerum iudicem ac vindicem euadat.

Christus duris peccatoribus opes & opem, faciem ac diuinitatem abscondit.

Epilogus cũ præcedẽtium recapitulatione.

19. Fauorem itaque eius citò ambiamus, sanctóque dolo, iam conuersis in ipsum animis tantam maiestatem, sub tenella adhuc ætate latitantem circumuenire aggrediamur, ac nobis diuinũ gratiarum thesaurum, in quo altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, clementiæ, amoris, innocentiæ, pacis, gratiæ & gloriæ propositũ, vilibusque hodie panniculis inuolutũ, rapiamus, præsertim cùm ipse se nobis, quasi imbellem puellum, inermem, fasciis ligatum sponte expilandum præbeat. Audistis enim quomodo ipse vobis specioſus factus arcus, qui ardentes in æterni Patris pectus amoris ac misericordiæ sagittas collimauit, vt infinitum hũc è cœlo, in terram thesaurũ dimitteret: audistis quomodo in nos intentum olim arcũ diuinæ iræ ac vindictæ vltrices emittentẽ sagittas, in cœlũ mutatis eius vltricibus sagittis in amoris, misericordiæ ac pacis, cõuertit: audistis quomodo dẽposita omni seueritate Pater tandem de cœlo in terrã suam misit misericordiã, eoq; vsque excreuisse donec inundans gratiæ diluuio ad instar cœlestis Nili, vsq; ad sedecim dubita excresceret, audistis denique quomodo ad hunc gratiarum thesaurum ab ipso infante Iesu eiusque Angelis inuitati, vt vna lachrymula illum vobis vel emere, vel surripere possitis. Quid ergo obstat, quo minus tanti thesauri desiderio inflammati, ad refertum hoc diuitia

uitiarum cœlum ingrediamur, & immensam illam, sub humanitatis velamine, absconditam gazam rapiamus. Non nos stabuli vilitas à tanto arceat bono, non infantis cunæ nequaquam hic cœlestem latitare thesaurum, oculis nostris ingerant, non vagiens in præsepio puer, cœlorum diuitias apud se minimè esse persuadeat, sed Angelos potius auscultemus [inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio] inuenietis immensum thesaurum, sub abiectis absconditum panniculis. Nam quemadmodum Moyses vultus splendorem, quem Paulus gloriam vocat, velo texit vt cum Israelitis liberiùs loqueretur; ita vnigenitus Dei filius infinitam naturæ suæ gloriam, humanitatis velamine operuit, vt inter nos habitaret. Hunc ergo inuenietis iam infantem pannis inuolutum: Vt vos sine maiestatis horrore sibi infinitum bonorum thesaurum surripientes familiarius excipiat. [Nam si Moysi, vt ait Chrysostomus, opus fuit velamento, quod eius gloriæ magnitudinem obumbraret, vt Iudæis spectabilem se redderet, quonam pacto nos, ex luto, & terra facti, diuinitatem ferre possemus? at non sic velo se Verbum operuit, vt nihil lucis fulgeret, quin potius sic humilitatis opera cum operibus maiestatis permiscuit, vt in humilitate maiestas ipsa emicaret.] Hinc illud Hieronymi: [respice cunas Christi? vide pariter cœlum, vagientem in præsepio intueris infantem? sed angelos simul auscultas laudantes: Herodes persequitur, sed adorant Magi: ignorant Pharisæi, sed stella demonstrat: baptizatur à seruo, sed vox desuper Dei, intonantis auditur: aquis mergitur, sed columba descendit.] Videtis quomodo Dei vnigenitus in sui humiliatione hæc commiscuit opera, vt se hominem simul ac Deum esse significaret. Et ne diuina in iis maiestas emicans suo fulgore nos à se arceret, humilitatis operibus temperatam exhibuit. Ingrediamur ergo & de plenitudine eius omnes accipiamus.

Ne nos maiestas terreat gloria illa humanitate velo occultauit.

Chryso. ho. 11. in Ieann.

Hieron. ad Eph. 3.

EXEMPLVM.

Innocen. tertius ſerm. de Annunt. Dionyſ. Car. ſer. 7. de Natiu. Chriſti. Bernardinus de Buſto ſer. 1. de parturitione Mariæ.

20. Oroſius & Innocentius Papa in vrbe Romana in ipſa Natiuitatis nocte aquæ fontem in oleũ commutatum referunt, quòd magna copia in Tibrim fluebat, quo loco hodie excitata Baſilica quæ Sanctæ Mariæ vltra Tibrim nomen obtinuit. Olim ſiquidem quædam ex Sybillis prædixerat, vbi olei fons emanaret, tunc naſciturum Saluatorem mundi. Quid, obſecro, fons ille olei nobis deſignat aliud, quàm quod in Chriſti natiuitate miſericordiæ eius flumina præter ſolitum, pleno alueo in mundum decurſura erant? quo oleo, oneroſum veteris legis iugum, quaſi putridum redderetur, lege noua miſericordiæ oleo inuncta, vſque ad ſæculi finem perduratura, iuxta illud Iſaiæ [in illa die auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computreſcet iugum à facie olei.]

Iſa. 10.

IN NATIVITATEM DOMINI

Concio tertia.

THEMA. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Lucæ 2.

1. VNigenitus Dei filius è Patris æterni ſinu ad nos dilapſus, in noſtro hodie exilio, & quaſi ſuburbio commoratur: tantus enim eius in nos amor, vti Damaſcenus teſtatur, vt non per aliũm quàm per ſeipſum nos redimere voluerit [tantus, inquit, Domine in me tuus amor fuit, vt non per Angelos, aut vllam aliam creaturam ſalutis meæ negotium obieris, verùm vt primam fictionem; ſic etiam inſtaurationem ipſemet efficiendam duxeris] & quid mirum? [In ipſo enim vita erat, vti Ioannes teſtatur:

Damaſc. or. 1. de Natiu.

ad

ad ipsum ergo spectabat mortuum hominem pristinæ restituere vitæ, vt sic viuus homo, quem imitaretur in terris coram haberet [homo enim, vt ait Augustinus, sequendus non erat, qui videri poterat. Deus sequendus erat, qui videri non poterat: vt ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quē homo sequeretur Deus factus est homo] [exulta ergo, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel] magna sanè exultationis seges hodie nobis exoritur, Dominus enim in medio nostri consistit, vt se ipsum nostri amatorē & defensorem exhibeat. Iste est Sabbathismus populo Dei, vt ait Apostolus, relictus in quo anima læta requiescit, & in mediis huius mortalitatis laboribus interiorē pacem & solidum cordis gaudiū inuenit: Exulta ergo & lauda habitatio Sion, quia hodie magnus in medio tui apparuit: magnus, cuius magnitudinis non est finis! magnus, qui licet sub exiguo terræ pugillo contentus, tribus tamen suis digitis, vastam terræ molem appendit, & librat in pondere montes, & colles in statera] magnus ergo est, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis,] qui parvulus hodie, nostri gratia factus & amabilis nimis, cuius māsuetudinis non est finis. Meritò igitur Angelus intonat [euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator.]

Aug. ser. 52. de diuersis.

Per se nos Deus redimere voluit, vt quem in terra sequeremur, haberemus.

Isa. 12. Hebr. 4.

Isa. 40. Magnus Dominus.

2. [Retrò rediit Sol, inquit Ecclesiasticus, & addidit regi vitam.] licet de Ezechia Rege id intelligatur, tamen nostro negotio quadrat: cùm ergo iaceret grauissimo oppressus morbo rex ille, cui Deus totius terræ imperiū tradidit, homo, inquā, non alius ad eū medicus quàm ipsum Dei verbum è cœlo venit, vnde meritò dicere possumus: [retrò redīt Sol, & addidit regi vitam.] Nonne, obsecro, retrò quodāmodo iustitiæ Sol rediit, cùm Verbum caro factū est, quippe qui in hac admiranda quodammodo quasi metamorphosi, se ipsum exinaniuit, formam serui accipiens: sed addidit regi vitā; homini, inquā, tum gra-

Eccl. 48.

In Christi descensu homo vitam inuenit.

tiæ,tum gloriæ ſempiternã reſtituit vitam.Decé gra-
Iſa.38. dibus retrogreſſus eſt Sol ille in horologio Achas in ſignum reſtituendæ ſanitatis regi Ezechiæ:ſic noſter etiam Sol,in ſignum vitæ,nobis reſtituendæ per nouem Angelorum choros, veluti per noué gradus retrorſum ad decimum vſque gradum ad humanam nimirum naturam venit,ac ardentibus gratię ſuę radiis hominem peccato penitus rigidum calefaciens ad gratiæ vitam reuocauit.Non immeritò igitur Angelus hodie ingeminat[Ecce euangelizo vobis gaudium magnum , quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator.]

Chriſti Natiuitas ex matre ſimilis fuit æternæ illius Natiuitati ex Patre.

3. Sed vt in hoc vnigeniti Dei filij deſcenſu nihil appareat humile in hoc vnico ſtupendo miraculo omnium ſuorum operum miracula includi voluit. Nam hæc Dei filij ex matre Natiuitas , æternæ illi, qua ex Patre naſcitur,teſte Auguſtino,perſimilis fuit [in Patre,ait,impaſſibilitas,in matre incorruptibilitas,in Patre perpetua diuinitas,in matre æterna virginitas:ex Patre inuiſibiliter,ex matre viſibiliter, & incomparabiliter ex Patre , atque incomparabiliter ex matre. Quia incorruptibiliter in illa Natiuitate patré Deum habet ſine homine matre; in iſta matré habet virginem , ſed hominem non habet patrem.]

Aug. ſer.18, de tempore.

Chriſtus Trinitati ſimilis.

Porrò quéadmodũ(vt ait Innocentius)in admirabili trinitate,tres ſunt perſonæ,in vna ſubſtantia ſiue natura : ita in Chriſto tres ſunt ſubſtantiæ in vna perſona.Sicut ergo in trinitate ſunt tres perſonę in vnitate ſubſtantiæ ; ita fecit vt tres ſint in Chriſto ſubſtantiæ in vnitate perſonæ, vt ſicut trinitas perſonarum non diſtinguit ſubſtantiam, ita trinitas ſubſtantiarum,nõ diſtinguit perſoná.Hæ verò tres in Chriſto ſubſtantiæ caro,anima, ac diuina natura in vnica perſonæ vnitate copulata. Eccè omnium miraculorum vertex tui cauſa , ô homo, exhibitus ! [ſumma enim , vt ait Bernardus , illa trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem opus mirabile, inter omnia , & ſuper omnia opera ſua. Verbum enim &

Innoc. ſer.2. de Natiu.

Bernard.ſer. 3.vigilia Natiuitatis.

anim

anima & caro in vnam conuenere personam: & hæc tria vnum, & hoc vnum tria: non cõfusione substantiæ sed vnitate personæ.] Ecce quanta miracula, quanta prodigia, quanta bona nostri gratia sub panniculis in præsepi delitescunt! Quid ni ergo Angelus identidem insonet. [Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator.]

4. Quatuor præcipuè causas Christi descensus, & nostri gaudij, paucis hodie declarabo. Prima est vt se ipsum tandem in ara crucis pro nobis offerret. Secunda vt naturam humanam per peccatũ vacuam sua impleret gratia. Tertia electorum prædestinatio. Quarta humanæ naturæ exaltatio. Sed prius spiritus sancti assistentiam per illius interceſſionem implorabimus, quæ his causis singulari modo cooperata est. Aue Maria.

Prima causa gaudij, Christum pro peccatis nostris in ara crucis offerendum.

5. Quanta, obsecro, gaudij seges, certò scire, nostri gratia, Deum hominem hodie natum, vt nos à diabolica, qua hactenus premebamur tyrannide, in libertatem filiorum Dei vendicet, idque stupendo modo sese nimirum tandem in ara crucis cœlesti Patri in holocaustum, pro peccatis nostris offerendo. Hinc ad hoc ab æterno destinatus non prius in materno conceptus vtero, quàm ad hoc etiam breui perficiendum à Spiritu Sancto, in Sacerdotem consecratus est. Nouem verò mensibus in virginea quasi instructus sacristia, hodie progreditur primitias breui celebraturus in cruce: considerate ergo illum iam coram per tres gradus ad altare, vt sacrificet, paulatim conscendentem præsepis, circumcisionis & in Ægyptum fugæ, quibus ascensis, tres alios, vt crucis aram attingat eum oportet peragere, horti nimirum, flagellationis, & coronationis gradus, loco enim eminentissimo collocata est, in monte scilicet Caluario. Hinc ipse [Cùm exaltatus fuero] per hos sex gradus ad excelsam crucis aram [traham omnia ad me ipsum] quasi diceret, in sublimi crucis altari

Per sex gradus Christus ad crucis aram ascendet. Iohannis 12.

positus huius mundi principem diabolum rebus omnibus spoliatum foràs eiiciam,& omnia quæ possidebat omnes scilicet homines tanquam eius spolia ad me traham meáque efficiam. Hinc igitur vnigenitus Dei filius homo factus est vt Deus homo pro humano genere satisfaceret. Deus siquidem mori non poterat;homo verò qui mori poterat satisfacere minimè volebat:quare Verbum caro factum est, vt & mori posset & satisfacere. Hinc Anselmus. [Ad hoc,inquit, valuit in Christo diuersitas naturarum, & vnitas personæ, vt quòd opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret diuina,etsi diuinæ minimè conueniret, exhiberet humana.Et non alius atque alius,sed idem ipse esset,qui vtrumque perfectè existés,per humanam solueret, quod illa debebat, & per diuinam posset, quod expediebat.] Ecce prima ac princeps causa verbi incarnandi & maxima vniuersi gaudij seges. Hinc Angelus non sine ratione eo nato acclamauit, [Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator.]

Verbum caro factum est vt pro homine satisfaceret. Anselmus l. 2.cur Deus homo.cap.18.

6. Licèt omnes verbi incarnandi ac nostri gaudij causæ in præcedenti reperiantur, fusiùs tamen prosequendas duxi alias huius mysterij ac nostræ lætitiæ causas.Secunda igitur eius descensus in mundum causa,vt naturam humanam per peccâtum gratia penitus vacuam impleret. Sicut ergo vt vacuum aliquod natura impleat, mira facit,leuia deorsum magno rapit impetu; grauia verò sursum tanta attollit celeritate, vt grauitas nihil eorum ascensum impediat:sic Dei filius mira gessit, vt naturæ nostræ vacuum impleret: leuia deorsum magno rapuit impetu. Quid enim spiritu leuius? omni enim expers mole,vbi vult spirat. Deus autem spiritus & ab omni corporis mole alienus, ex altissimo cœlestis Patris sinu ad præsepis vsque humilitatem descendit, non spatia traiiciens, nec amittendo quòd erat sed assu

Secunda descensus eius ac nostri gaudij causa, gratia donatio. Simile.

Digitized by Google

assumendo, quod non erat corpoream induens molem [exinaniuit semetipsum formam serui accipiés] vt hoc naturæ nostræ vacuum gratiæ abundantia impleret. Nam[propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia nos diuites essemus.] Grauia etiam sursum,tanta rapuit celeritate, vt grauitas eorum assensui non obstaret. Humanam enim naturam,corporeo grauatam pondere,adeo sublimiter euexit, vt quo sublimius ascenderet non habuerit, cùm in Dei ipsius altitudinem fuerit sublimata [Deos enim, vt ait, Augustinus,facturus,qui homines erant,homo factus est,qui Deus erat.]Omnes siquidem suæ naturæ participes in hoc suo descensu effecit. Vnde Diuus Leo in nos exclamat, qui semel consortes facti diuinæ naturæ in veterem vilitatem degeneri conuersatione redimus. [Agnosce,ô Christiane, dignitatem tuam : & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum. Reminiscere quod erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen, & regnum.] Ecce ergo ô peccator quomodo natura tua in diuino verbo exaltata diuinæ naturæ particeps efficeris, agnosce ergo dignitatem tuam, & ne vnquam committas, vt gloriæ tuæ maculam, degeneri in posterum conuersatione inducas, vt inter illos Deos sis, quos facturus, homo factus qui Deus erat.Quo tanti gaudij cum iis hodie socius sis.[Ecce euangelizo vobis gaudium magnum,quod erit omni populo,quia natus est vobis hodie saluator.]

Philipp. 2.

2. *Corint.* 8.

Augusti. ser. 12. *de Natiuitate.*

Diuinæ naturæ consortes sumus. Leo ser. 1. *de Natiuitate Domini.*

7. Quàm potens huius gratiæ virtus, qua Deus hodie naturæ nostræ vacuum impleuit, inde facilè colligere poterit,quod natura,quæ alioquin Deo infensissima fuit, fugata iam peccati caligine ita illi maritet, vt eam sponsam suam vocare minimè dedignetur, sibique illam adeo copulet, vt vnum quodammodo cum illo fiat, iuxta illud Apostoli. [Qui adhæret Deo vnus spiritus fit cum eo.] Quemadmodum

Magna vis gratiæ.

1. *Corint.* 6.

Augustinus l.21.de ciui. cap.4. Simile.

modum enim, vt testis est Augustinus, magnes, (quem ipsemet Augustinus oculis vidit,) tantæ fuit virtutis, vt iuxta se positos cuiusdam ferreæ cathenæ annulos à se inuicem solutos ordine ad se traheret; primus enim à magnete ita afficiebatur vt per communicatã sibi vim secundum alliceret, secundus verò tertium, & sic deinceps vsque ad vltimum cathenæ annulum, donec omnes simul inter se occulto quodam vnionis modo annecterentur: sic instar illius Magnetis diuina gratia omnium hominum dissolutos animos, quasi cathenæ annulos quos Deus gratiæ olim vnione, inter se, in primæua eorũ institutione, copulauit, inueniens, suæ iterũ hodie gratiæ viæ inter se connectere volens, primum ad se huius cathenæ annulum Christi nimirum humanitatem, in filij sui incarnatione traxit, in cuius virtute, cæteros omnes, in ipso Deo & inter se charitatis vinculo hodie vnire studet, eósque insignem de nouo cathenam instaurare, vt sicuti ille, cùm Patre, & Spiritu sancto, per naturæ identitatem exiitit vnus Deus: sic nos cum illis, per gratiæ ac charitatis vnionem, vnum efficiamur. O quanta gaudij seges, hæc animorum vnio, quæ hodie à puero Iesu in stabulo posito inchoatur. [Ecce, ego Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator.]

Tertia incarnãdi verbi ac nostræ lætitiæ causa electorũ prædestinatio. Hieremiæ 31.

8. Tertia incarnandi verbi, ac nostræ lætitiæ causa electorũ prædestinatio. [In charitate, inquit, perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans] hæc verò eius charitas in eo sita est, quod ab omni æternitate quosdam prædestinauerit, & pro omnibus carnem suscipere, & mori statuerit. Hæ sunt illæ cogitationes antiquæ quarum memoriam Deo quasi ingerere volens propheta Dauid exclamauit. [Reminiscere miserationum tuarum Domine & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt] recordare Domine te ab æterno Misericordem fuisse, nec solum misericordem sed etiam misereri solitum; & viscera paterna exhibere

Ps. 24.

Digitized by Google

exhibere erga electos tuos, proinde cùm hoc tibi proprium & naturale ab æterno sit, mitte nobis vnigenitum tuum, vt electos tuos, per varias mundi partes dispersos in vno secum charitatis vinculo copulet. Has verò miserationes quasi breui explendas Isaias videns, Deum cœli magnificat, eiusque nouo nomini Iesu, breui imponendo ex toto corde confitetur. [Domine Deus meus, inquit, es tu, & exaltabo te & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. amen] Antiquæ verò cogitationes sunt hodie ex parte completæ. Nam perpetua illa charitas, qua prædestinatos dilexit, hodie in hoc puero Iesu palam apparuit. [Cuius actum tota Ecclesia (vt ait Rupertus) suspirans vna voce in canticis ait; osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.] Ob hunc verò actum, ô animæ sanctæ, quæ Incarnationis desiderio exardescentes exclamabatis, [Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te & iam nemo me despiciat] modò videtis expletum. Nam, vt ait Rupertus [factum est quod optauit Ecclesia, venit dilectus atque omnium gratiarum delibutus vnguentis, in secreto virginalis vteri cubiculo, diu desideratum osculum dilectæ porrexit. O animæ ergo sanctæ, hodie foris in mundo, in carne, in stabulo, matris suæ & vestræ sugentem vbera videtis illum, quem tot hactenus lachrymis, suspiriis, singultibus desiderastis. Meritò igitur Angelus vobis suauissimè canit, [Ecce Euangelizo vobis gaudiũ magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator.]

Isaiæ 25.

Rupertus Canticorũ 7.

Canticorũ 8.

Rupertus Canticorũ 7.

9. Ingredimini, ergo, ingredimini electæ ab æterno animæ, ac vno ore cõclamate, [Osculetur me osculo oris sui.] Et vbi hoc diu desideratum osculum à puero Iesu acceperitis, suauissima vbera eius amoris lacte plena considerate, [meliora enim (ait sponsa) vbera tua vino] quæ diuino turgida sunt lacte. Sicut enim vbera mulieris appetente partus tempore

Canticorũ 1.

S *iuke*

pore ſolent turgeſcere, quæ ſtatim prole in lucem edita diſtenduntur,quæ quoniam præcordiis, atque adeo ipſi cordi inſident, matrem in filium amoris admonent,fœtumque ſuo vt nutriat lacte: ſic diuino amore erga nos, quaſi partu, ab æterno, concepto, ac per filij ſui incarnationem iam quaſi in lucem properante, duo eius veluti benignitatis ac humanitatis vbera ita ſurgeſcere,præ amoris lacte,cœperunt, vt plena omnino ac turgida extiterint, quæ hodie, prole in lucem edita, amoris lacte diſtenta, ad nouum humani generis fœtum educandum inardeſcat, vt quos ſibi ab æterno prædeſtinauit, diuino vberum ſuorum lacte, præ reliquis enutriret.De his vberibus ait Paulus [apparuit hodie benignitas,vel, vt Græcè dicitur φιλανθρωπία.i. (amor hominum)& humanitas ſaluatoris noſtri Dei] Ecce duo eius vbera, quæ electis ſuis filiis in præſepio exhibet,ad quæ ſugenda inuitamur.Magna ſanè benignitas[hinc effulget quod figméti ſui,id eſt,hominis, vt ait Damaſcenus,imbecillitaté Deus non contempſit,ſed lapſi vicé doluit, eique manũ porrexit.] Magna etiam eius humanitas hodie apparuit. [Non enim liberaretur humanum genus, teſte Auguſtino,niſi ſermo Dei dignaretur eſſe humanus, nam & homo ille dicitur humanus, qui ſe exhibet hominem, & maximè qui hoſpitio ſuſcipit hominem. Si ergo humanus dicitur, qui in domo ſua ſuſcipit hominem, quàm humanus eſt, qui in ſe ipſo ſuſcipit hominem?] cuius rei gratia Angelus hodie cum iubilo decantat [Ecce euangelizo vobis gaudium magnum,quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie ſaluator.]

Duo vbera diuino lacte plena ſuis electis puer Ieſus porrigit.

Alterum humanitatis vber.

ad Titum 3.

Damaſcenus l. 3. fidei c. 1.

Auguſt. ſer. 8. de verbis Apoſtoli.

10. Vultis & vos alterius illius vberis diuinũ lac ſugere? vultis eius in vos benignitaté audire,audite, obſecro,à mellifluo illo Beati Bernardi ore,qui cœleſte illud lac ab ineunte ætate, ex benignitatis eius vbere ſuxit:[ludebã,inquit, ego foris in platea,& in ſecreto regalis cubiculi ſuper me ferebatur iudiciũ

Alterum benignitatis vber.

Bernardus ſerm. 3. de Natali.

mortis.

Digitized by Google

mortis. Audiuit hoc vnigenitus : exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, flés quod morte dānatus esset seruulus. Quid facturus sum? ad-húcne ludā, & deludam lachrymas eius?] Ecce quāta hæc benignitas saluatoris nostri, vt nobis ludētibus & in secreto Dei iudicio æternæ mortis sententiam incurrentibus, vnigenitus Dei filius, serui assumens formā, suis lachrymis corā Patris iustitia profusis, sententiā in nos iamiā æternæ mortis ferendā suspēderet. Nonne hæc Dei benignitas admiranda? Quid ergo facturi nos sumus, si sic Dei filius nostrum suis lachrymis defleat lusum? quid, inquā, facturi sumus? seriam nos Niniuitarum imitari pœnitentiā oportet qui regem suum sacco vestitū, aspersō cineribus capite, ieiunantē imitati sunt. Christum nobis, inquam, ex præsepi suo declarantem exemplo, pœnitentiæ modum imitari nos oportet, vt sicuti nobis sese benignum hodie exhibet: sic nos eius benignitatem ad nostram conuertamus salutem, ad quod præstandum, suauissimum Angeli nuncium magno cum desiderio accendere debet [Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator.]

Magna Christi benignitas.

Ieue 3.

11. Vultis etiam suauissimum alterius eius vberis humanitatis, inquam, lac degustare [apparuit, inquit Bernardus antè potentia in rerum creatione, apparuit sapientia in earum gubernatione, sed benignitas misericordiæ, nunc maximè apparuit in humanitate, potestas subiectionem, maiestas exigit admirationem, neutra imitationem, quousque angustata est misericordia in sola Angelorum parte, iuxta illud Psalmistæ, Domine in cœlo misericordia tua & veritas tua vsque ad nubes terram vniuersam condemnans & aëreas potestates, dilatet misericordia terminos suos, attingat à fine vsque ad finem fortiter, disponens omnia suauiter. restrictus est Domine iudicio sinus tuus, solue cingulum tuum & veni miserationibus affluens]

Alterum humanitatis vber.

Bernardus ser. 1. de Natali.

Psal. 35.

Sapientia 8.

affluens] Ecce hodie cingulum hactenus iudicio reſtrictum diſcingit, ac ex humanitatis & benignitatis vberibus, miſerationibus vndique affluentibus, in nos omnium gratiarum flumina, pleno immittit alueo, vt qui hactenus lactis diuini inopia laborabamus, pleno hodie hauſtu illud ex eius vberibus emanans ebibamus, ad quæ ſugenda è præſepio Chriſtus ad nos modò clamat, qui electis aſcribi cupimus: venite, properate, ô fœlices animæ, ad hæc mea ſugenda vbera, venite, inquam, lachrymis, ſuſpiriis, ſingultibus à me inuitatæ, venite, nam fœlices quæ mea vbera animæ ſuæ labiis admouebunt. En ad hoc vos inuitat Angelus [Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie ſaluator.]

Puer Ieſus ad ſuæ ſugenda vbera nos inuitat.

12. Quemadmodum alimentum in aliti ſubſtantiã tranſire ſolet: ſic diuinorũ vberum lac in ſugentis tranſibit ſubſtantiam. Et ſicuti alimenti proprietates & cõditiones in aliti etiam naturam recipiuntur; ſic horum proprietates in animæ ſubſtantiã, quæ illa libẽter ſugit, ſolent transferri, ita, vt quicunq; ad hæc benignitatis ac humanitatis vbera identidẽ ſugenda accurrere velint, cœleſtium etiam vberum conditiones ita imbibituri ſunt, vt dij quodammodo efficiantur [factus eſt enim Deus homo, vt ait Auguſtinus, vt homo fieret Deus] imò factus eſt Deus homo vt homo fieret homo: homo, inquam, qui cùm in honore eſſet, non intellexit, & comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. factus eſt ergo Deus homo, vt huiuſmodi homo, qui ad belluinos degenerauit affectus, fœdæ carnis illecebris, rationem obſcurauit, voluntatem penitus in ſenſualitatem commutauit, cœleſtis fieret homo, belluinis exutis moribus, rectam rationem, veluti ducem ſequens, carnis illecebras aſpernans, ſenſualitati valedicens, vt ſic ex bruto homo, ex homine Deus, quodammodo efficeretur. Magna ſanè hæc benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri, ſed ecce quid

Diuini lactis cõditiones in ſugentem tranſeunt. Similia.

Aug. ſerm. 9. de Natiuitate.

Deus factus homo vt ex bruto homo, & ex homine Deus fieret.

Digitized by Google

quid insuper apud Oseam. [Ego, inquit, quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quòd curarem eos : in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.] Siccíne Sanctissime puer nobis factus nutritius, ex præsepi clamas, vt tuæ benignitatis ac humanitatis ybera pleno sugamus anhelitu? siccíne nos ad tuæ diuinitatis, amoris, ac charitatis plena ybera, licèt infans matris tuæ adhuc ipse sugas, inuitas? nutriam te, inquis, ac veluti vteri mei partum in brachiis meis, ne in peccati rupem impingas, portabo te, & [ero tibi quasi exaltans iugum.] Graui quidem hactenus iugo premebaris, hoc tamen hodie, cum suaui amoris iugo, mea commutaui natiuitate, ac proinde in funiculis Adam traham te in vinculis charitatis. Non te amplius in morem belluæ timore, ac plagarum funiculis, vti populum aliquando duræ ceruicis Israëliticum traxi, sed amoris, charitatis ac beneuolentiæ funiculis traham te. Quare sublato iam graui veteris legis iugo à tuis ceruicibus, nouę legis amore ac misericordia plenæ, iugum tibi hodie applico, quo non corpora, sed corda alligari solent. Declinasti enim ad nos electos tuos, tuam sub humanitatis velo maiestatem obumbrans, ac verbum carnem factum in cibum nobis apparas exclamans [ego feci, ego feram, ego portabo & sanabo] ego electorum causa summam diuinitatis maiestatem cum summa humanitatis vilitate summi amoris glutinæ arctissimè associaui, vt idem Christus Deus sim, & homo, verbum infans, puer sapiens, ego feram proinde acerbissimas peccati pœnas, vt Patri, pro vobis satisfaciam, ego portabo meis humeris graue crucis pondus, vósque ab antiquo illo parentis vestri Adæ peccati vobis vulnere inflicto, sanabo. O quanta hæc dignatio, qua considerata cum Augustino intimo cordis affectu dicam [non satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui, ô Deus, super salutem generis humani] non sine causa ergo

Osea 11.

Puer Iesus nobis factus nutritius.

Nõ more belluarum timoris ac plagarum funiculis, sed filiorũ more amore & charitate nos ad se trahet.

Isa. 46.

Aug. l. 9. confess. c. 6.

O hodie

hodie Angelus ad lætitiam & gaudium electos inuitat intonans [ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Saluator.]Hæc de tertia descensus eius causa, nostræque lætitiæ,electorum prædestinatione.

Quarta incarnãdi verbi ac nostræ lætitiæcausa. Hebr.1.

13. Quarta incarnãdi Verbi,ac nostræ lætitiæ cãusa hominis exaltatio , qui Patris æterni vnigenitus fuit &[splendor gloriæ & figura substantię eius,portans omnia verbo virtutis suæ , sedens ad dexteram maiestatis in excelsis] modò exinanitus , omnibus penè nostris subiectus miseriis, quasi impotens, obscurus, abiectus, hodie natus est mulieris primogenitus , qui ab æterno æterni Patris vnigenitus fuit. Hinc vilibus inuoluitur panniculis,cuius vestimentũ lux inaccessibilis,& infinitę glorię splendor.Hinc in pręsepe reclinatur,cuius[sedes cœlũ,& terra scabellũ pedũ eius]ô Dauid cœlos olim inclinari optabas,vt Dei filius descenderet [inclina (exclamans) cœlos tuos & descende] ecce [inclinauit cœlos & descendit] imò non cœlos , sed hodie ipsum Deum virgo in præsepio inclinauit [reclinauit eam in præsepio(ait Euangelista)]cuius rei olim figura elegans ille puer Moyses extitit,qui scirpea fiscella inclusus in fluminis ripa locatus est. Sic Christus pulcherrimus infans à matre sua in humili præsepio reclinatus,in ripa, id est , initio laborum iam locat. O stupendam ac post hominum memoriam inauditam inclinationem!ô inclinatam majestatem!ô sublatam ad Deum vsque nostram humilitatem ! Ecce eum qui sedet super Cherubim , qui ponit nubem ascensum suum , qui ambulat super pennas ventorum, quomodo nostræ prouectionis amor in præsepio reclinauit! [Totus verè , vt ait Bernardus , nobis datus, totus in nostros vsus expensus] Verè enim nullus vnquam homo alteri homini ad seruiendum traditus , ita proprius illius fuit, ac Verbum illud æternum Patrísque imago & vniuersis hominibus, & singulis tributus,concessus,donatus est. Vnde Isaias

1.*ad Tim.*6
Ps. 143.
*Ps.*17.

*Exod.*2.
Figura.

*Ps.*103.
Bernard ser.
3.*circumcis.*
Quãtus Dei descensus vt nos ascendere faceret.

in

in ſpiritu exultans, oculo prophetico hanc Dei humiliationem noſtræ exaltationis cauſa, futuram prę-
uidens, exclamat [paruulus natus eſt nobis & filius datus eſt nobis] Hinc hodie Angelus ad gaudium, ac lætitiam nos prouocans ſuauiſſimè canit. [Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus eſt vobis hodie Saluator.] *Iſa. 9.*

14. Eſtne hoc, ferculi illius aureum reclinatorium, præſepe, quod ſapientiſſimus Rex Salomon olim tibi, ô Deus, feciſſe dicitur? Verè aureum reclinatorium pueri Ieſu præſepium, quod ardenti charitatis auro ita ſplendeſcit, vt in ſui admirationem ſimul, ac amorem tres Magos ab Oriente attraxerit, vt quem in eo cœleſtis illa virgo charitatis incenſa igne collocauit, imò inclinauit noſtri ardens amor, vt nos qui miſerandum in modum in peccati cęno proſtrati iacebamus, ad diuinæ naturæ participationem quodammodo erigeret, coram intuerentur, ſéque in eius natura ſublimatos viderent, qui hactenus peccato ſuperbiæ proſtrati iacuerunt [exaltauit enim ſe, inquit Auguſtinus, homo, & cecidit, humiliauit ſe Deus, & eum erexit. Humilitas Chriſti quid eſt? manum Deus homini iacenti porrexit. Nos cecidimus, ille deſcendit: nos iacebamus, ille ſe inclinauit: apprehendamus & ſurgamus, ne in pœnam cadamus.] O ſtupor quomodo diuina ſe maieſtas inclinauit vt nos iacentes erigeret! ô prodigia! ô nunquam audita metamorphoſis! ô fili Dei! ô ſuauiſſime infantule! ô magne Deus abſcondite! quò te vexit amor, quò te traxit pietas? quò te præcipitauit miſericordia? Ecquis infantem & infantem Deum non amet in præſepio paleiſque recumbentem ſui cauſa? [Infantia, inquit Chryſologus, quam barbariem non vincit? quam feritatem non mitigat? quam duritiam non reſoluit? quid non amoris expoſtulat? quid non affectionis extorquet. Sic ergo

Ieſu præſepe aureum reclinatorium.

Aug. li. 1. de Symbolo.

Chryſologus ſerm. 158.

Digitized by Google

Omnibus modo amorem noſtrum ſibi Ieſus expoſtulat.

naſci voluit,qui voluit amari.] Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia hodie natus eſt vobis Saluator.

4.Reg.4.

15. Miſit olim Eliſæus propheta famulum ſuum cum baculo vt mortuum puerum ad vitam reuocaret,ſed fruſtrà. Vnde ipſe coactus ad puerum ſuſcitandum venire, qui quòd famulus non potuit, ſtatim perfecit. O quot vnigenitus Dei filius ad nos famulos miſit, miſit enim Abrahamum, Iſaacum, Iacobum,Dauidem,Moyſem cum baculo,id eſt,cum virtute miraculorum,pluréſque alios: at nullus horum homini mortuo vitam reſtituere valuit, vnde neceſſarium fuit,vt ardentiſſimo flagrans amore noſter Eliſæus, vnigenitus Dei filius deſcenderet, vt hominem peccato mortuum ad vitæ gratiam reuocaret. [Incubuit, inquit Scriptura (ſcilicet Eliſæus) ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe & calefacta eſt caro pueri] O ſtupenda imitatio!diuinum enim verbum ſeſe veluti incuruans, non tantùm ſuper hominem mortuum incubuit, óſque quaſi ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius poſuit;ſed quod mirabilius eſt, ipsã hominis naturam, manus, os, oculos, animam,corpúſque aſſumpſit. Hinc calefacta eſt caro hominis multò præſtantiori calore illius Eliſæi,ac ardẽti charitatis flamma,calefacta eius anima ad gratiæ vitam reſtituitur.O admiranda hominis exſuſcitatio!ô ſtupenda filij Dei inclinatio! ô auguſta hominis in diuinam hypoſtaſim ſubuectio! quod non potuerunt famuli,dominus perfecit.Puer Eliſæi typum habuit, vt ait Auguſtinus, Moyſi, miſit enim Moyſem Deus cum baculo in Ægyptum: ſed baculus ſine Chriſto flagellare Ægyptum potuit, de peccato verò liberare vel reſuſcitare non potuit: opus erat, vt qui baculum miſerat, ipſe deſcenderet, baculus ſine Eliſæo nihil valebat, quia crux ſine Chriſto nihil poterát.

Quàm ſtupẽdo modo Dei filius hominẽ peccato mortuum ad gratiæ vitam reuocauit.

Aug.ſer.206

Digitized by Google

poterat. Inclinauit se Elisæus, vt puerum resuscitaret, humiliauit se Christus, vt mundum in peccatis iacentem erigeret. Videte quantum se vir ille perfectæ ætatis contraxit, vt paruulo mortuo & iacenti congrueret. Quia paruuli eramus paruulum se fecit Christus, quia mortui iacebamus prius se medicus inclinauit. Quia nemo potest iacentem erigere, si se noluerit inclinare. [Ecce euãgelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator.]

16. O infans sapientissime! quid hæc sibi volunt prodigia! vt nos peccato mortuos excitares, tuam inclinasti quodammodo maiestatem. Verè, vt ait D. Thomas, permiscuisti mira humilibus, vt humiles sublimes faceres, fœmineo enim sexu te cõcipi passus es [sed hanc humilitatem nascendi, virginalis matris (vt ait Beatus Maximus) sublimat integritas, & quamuis natus, fœmineo, vt infans, lacte pascereris, tamen vt rerum potens virgineis nutriris vberibus: vilissimis circundaris pannis: sed hi panni noua stella radiante honorantur à Magis & exultantibus Angelis venerantur.] Nate Dei, quanta hæc tua clementia, vt vsque ad præsepe, fœnum, pannos te inclinares, vt vsque ad cœlum, Angelos, imò verbum Patris nos sublimares. Ingrediamur ergo ô Sponsa, Sponsa, ô Ecclesia, Ecclesia, ô animæ sanctæ, neque pannorum vilitatem, neque stabuli indignitatem perhorrescamus, cùm & nostri gratia sese ad hanc dimiserit humilitatem, & tot coruscet miraculis in stabulo, quot humilitatis gradus, è cœlo descendens peregerit. Hinc Ambrosius [ex vtero, inquit, Christus funditur, sed coruscat è cœlo, terreno in diuersorio iacet, sed cœlesti lumine fulget, nupta peperit, sed virgo concepit, nupta concepit, sed virgo generauit. Quòd si ætas ignara operis fuit, profectò Deus erat, qui diuinitatis operibus exercebat carnis ætatem.] O puer Iesu, si non verbis, cùm nostri causa infans fis, signis saltem

D. Thom. 3. p. qu. 28. art. 2. ad 2.

D. Maximus homil. 3. de Natiuitate.

Quãtis Iesus coruscat miraculis.

Ambr. in c. 2. Luc.

indica; quid sibi hæ volunt prodigiosæ imitationes? cur iaces inter bruta animantia, qui sedes super Cherubim? cur tibi in diuersorio minimè locus, cuius cœlum sedes, & terra scabellum pedum tuorum? cur primogenitus factus mulieris, qui vnigenitus ab æterno Patris fuisti? cur formam serui induisti, & quasi furis charactere in tua circumcisione notari desideras, qui [non rapinam arbitratus es
Philipp. 2. te esse æqualem Deo?] Cur inuolutus panniculis, qui amiciris lumine veluti vestimento? cur in præ-
Psal. 9. sepio reclinaris [qui sedes super thronum & iudicas iustitiam.]audite, obsecro, sapientissimi infantis stupenda responsa. Inter bruta animantia, qui medius sum inter Patrem, & Spiritum sanctum, nasci volui, vt cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, iuxta illud prophetæ [in
Habacuc 1. medio duorum animalium cognosceris]hominibus, quorum causa ad hanc me proieci vilitatem me abiicientibus, in propria enim veni, & mei me non receperunt, neque mihi locus in diuersorio, quem cœli cœlorum capere non possunt: vt vos ex mundi diuersorio in cœlum hactenus vobis clausum, breui meæ crucis virtute aperiendum, transferam. factus etiam sum primogenitus mulieris, qui ab æterno æterni Patris sui vnigenitus, vt te qui diaboli per peccatum primogenitus fuisti, fratrem meum, qui vnigenitus Dei sum, ac Patris mei adoptiuum filium, per amorem, facerem. formam insuper serui mihi indui, ac quasi furis charactere notari desidero, vt te mancipium diaboli, & meæ diuinitatis furem, in libertatem filiorum Dei vindicarem. præterea panniculis inuoluor, qui lumine veluti vestimento amicior; vt tibi innocentiæ, ac immortalitatis vestem, quam per primi parentis præuaricationem amisisti, recuperarem: porrò in præsepio reclinatus sum, vt meo humili in præsepe descensu, te ex summa peccati miseria, ac mundi paupertate, ad cœlestes delitias

Breuiter perstringit infans Iesus per quandam priorum recapitulationem causas sui descensus ac nostræ lætitiæ.

tias, ac diuitias promouerem, vt itaque paucis omnia concludam: ego, qui non rapinam arbitratus sum, me esse æqualem Deo, formam serui induens, exinaniui meipsum, vsque ad stabulum, vsque ad panniculos, vsque ad bruta animantia, vt vos qui in peccati fœtente stabulo tanquam iumenta in stercore suo computrescebatis, ad cœlestis patriæ aulam inueherem, vt vos qui scelerum vibicibus, ac vulneribus & iniquitate, quasi diploide cooperti eratis, innocentiæ stola, ac pulcherrima gratiæ trabea induerem, vt vos qui vita & moribus bruta referebatis animantia, ex brutis homines facti, in sancta altaris mensa, posthac cœlesti incarnationis meæ epulo pasti, ad æternam Patris mensam, inuitemini, in qua omnes qui meam velint modò humilitatem imitari, diuinæ participes naturæ, [Inebriabuntur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potabuntur.] hæ sunt præcipuæ mei descensus ac vestræ lætitiæ causæ: vnde vos Angelus meus hodie ad singulare inuitat gaudium, [Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator.] *Ps.35.*

17. O Ecclesia Ecclesia! ô animæ sanctæ mecum congredimini videre prodigia hæc, quæ nostri causa fecit Dominus super terram. Ecce nos è stabulo non verbis, sed factis inuitat, vt viso hoc admirando spectaculo suam imitemur humilitatem! Ecce [iam clamat exemplo, quod, vt ait Bernardus, postmodum prædicaturus est verbo,] & licet [nondum (ait) loquitur lingua, quæcunque tamen de eo sunt, clamant, prædicant, euangelizant: ipsa quoque infantilia membra non silent: in omnibus mundi iudicium arguitur, subuertitur, confutatur.] O sponsa, sponsa! ô Ecclesia, Ecclesia! ô animæ sanctæ, mecum ergo tandem stabulum petite; ecce iam Maria clamat: *Licet nõ verbo, factis tamen puer Iesus ad sui nos vocat imitationem. Bernar. ser. x. Bern. ser. 3.*

Ieſum è ſinu ſuo ſuper fœnum (omnis caro fœnum) collocans, quaſi eum nobis offerens! Ecce Ioſeph clamat, Ioſeph, inquam, qui primus, poſt virginem, cœleſtem infantem, è virgineo prodeuntem thalamo in præſepio vidit, primus poſt illam adorauit, primus cœleſtis mannæ è cœlo deſcendentis dulcedinem guſtauit: primus poſt illam eum oſculatus: primus poſt longiſſimam noctem orientem vidit ſolem: primus poſt illam cœleſtes eius excepit radios: primus poſt illam in ſinu fouit. Identidem itaque clamat, vt tantorum nos cùm illo participes ſimus beneficiorum. Ecce etiam bruta clamant dum ſua illi offerunt obſequia! Ecce clamant omnia! ó ſponſa, ſponſa! ô Eccleſia, Eccleſia! ô animæ ſanctæ ingrediamur properè & audiamus vno nos clamore omnia inuitantia. Ecce clamat ſtabulum, clamat præſepe, clamant panni, clamat paupertas, clamat humilitas, diuitias ſpernite: vanam mundi gloriam pedibus conculcate: ſuperbiam, auaritiam, omnémque effugite inſolentiam, clamant omnia eius pœnitentiam, clamant miſericordiam, clamant amorem, clamant Chriſti imitationem. Hæc eſt vnica Dei humiliationis cauſa, in qua cæteræ continentur, vt nos, qui per ſuperbiam ex paradiſo cecidimus, per omnes humilitatis gradus ad priſtinum reuocaret ſtatum. [Quis enim, vt ait Bernardus, videns Deum cœli paruulum factum, vltra apponat magnificare ſe ſuper terram; intolerabilis impudentiæ eſt, vt vbi ſeſe exinaniuit maieſtas, vermiculus infletur & intumeſcat.] Ingrediamur itaque ô ſponſo, ſponſa! ô Eccleſia, Eccleſia! ô animæ ſanctæ, inuitamur enim ab Angelis, inuitamur à puero, inuitamur à Maria & Ioſepho, inuitamur ab aſino & boue; inuitamur ab omnibus: Ecce quomodo quaſi vna voce omnes nos inuitent, per Angelum, creaturæ! [Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt

Omnia clamant & inuitant nos ad Ieſu imitationem.

Bern. ſer. 1.

vobis

vobis hodie ſaluator: & hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum & poſitum in præſepio.] Hic nos eum contemplaturos omnes clamant, ad cuius contemplationem cum illis, ego vos etiam inuito, vt oſculum illud, quod hactenus ſuſpirantes deſideraſtis, eius dulciſſimo ori identidem in præſepio infigatis; vt ſic quaſi ſingulari arrha æternæ beatitudinis ab eo accepta, æterni gaudij ſitis participes.

EXEMPLVM.

In ſpeculo Exem. verbo dilectio. Collector ſpeculi.

18. Erat quædam virgo nobilis quatuordecim annorum, quæ beatæ Virgini valde erat deuota: hæc glorioſam Virginem rogabat continuè ſeptem annis, vt ſibi dignaretur oſtendere filium ſuum. Quæ cùm in vigilia Natiuitatis Domini orationis cauſa ſola capellam intraſſet, apparuit ei virgo pulcherrima, tenens filium in manibus, & allocuta eſt virginem Dei. Accipe filium meum, & lude cum eo. Quæ gaudens fecit: cui puer: diligiſne me? & illa: omnino. Et ille: quantum? tunc illa: plus quàm corpus meum. Cui puer: ſi diligis me? & illa: plus quàm cor meum. Et Ieſus ait: quantum plus corde tuo diligis me? Et illa; neſcio dicere, ſed ipſum cor loquatur. Quo dicto, ſtatim cor eius, præ amore ſciſſum eſt. Tunc beata virgo accepta anima eius in concentu Angelorum deduxit in cœlum. Ad cantum verò Angelorum familia cucurrit, & virginem mortuam inuenientes, odore inenarrabili ſunt repleti. Et fratres prædicatores qui aderant cor eius aperientes ſciſſum inuenerunt, & in eo ſcriptum aureis literis: Diligo te plus quàm me, quia tu creaſti, redemiſti, dotaſti me.

IN FESTO S. STEPHANI protomartyris,

Concio prima.

THEMA: *Positis genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset obdormiuit in Domino.* Act. 7.

Æmula virtutis inuidia.

ÆMula semper virtutis inuidia, ac bonis moribus inimica. Cùm enim D. Stephanus [Plenus gratia & fortitudine signa magna in populo faceret] tanto in eum odio infima de plebe quisquiliæ, quidam de synagoga Libertinorum exarserunt, vt triplici eius gloriam telo configere ac labefactare decreuerint; Disputatione, falsorum testium productione, ac denique infami lapidatione. Sed Deus, cuius bonitas tanta, vt nunquam suos deserat, sed potiùs ancipiti ingruente pugna sese in athletarum suorum membris contra hostes armet, iuxta illud Pauli, [An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus]siue, vt Chrysostomus, [præliantis in me Christi] triplici accinctus telo, eorum cœlitus audaciam perfregit, vbi enim surrexerunt, vt cum eo disputarent, ecce diuinitus ancipiti retunduntur telo sapientiæ, ac scientiæ, qua derepente Stephanus à Deo donatus. Sed cùm nihil hoc telo effeciissent, secundum multo periculosius venenata cuspide falsorum testium totis in eum viribus intorquent, [qui eum accusabant in Deum, Moysen, legem & templum blasphemiæ.]Sed pari facilitate, in mendacij auctores, Deus hoc etiam telum retorsit. Nam intuentes in eum omnes qui in concilio sedebant, videbant faciem eius tanquam faciem Angeli, quo solo adspectu mendacia aduersariorum confutauit, licet

2. Cor. 13. Chrysost. ho. 28. in 2. Cor. 13.

Act. 7.

Digitized by Google

licet interroganti principi Sacerdotum; si hæc ita se haberent de singulis satisfecerit.

Stephani animi magnitudo.

2. Sed cùm illis aliud nihil supereſſet, seséque ab eo victos indignarétur, audientes sapientiæ illius eloquia [diſſecabantur cordibus & ſtridebant dentibus in eum] quasi iam illum animis lapidantes; quibus forti ac generoso animo, noua diuinitus virtute indutus, reſtitit, duritiam cordis, & sanctorum necem, sæuitiam exprobrans, & quod Spiritui sancto semper reſtiterint, & vt ferocientes eorum animos timore aliquo magis cohiberet exclamauit dicens, [Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.] Quo ſignificauit Dei auxilium contra illos præſtò fore. Illi verò obdurato animo exclamantes voce magna, ac quasi blaſphemiam abhorrentes [impetum in eum fecerunt, & eiicientes extra ciuitatem lapidarunt.]

Charitas in inimicos.

3. Inſuper dum nihil proficeret, amoris sui in eos telum contorſit pro se & ipſis orans: pro ſe, ne paſſio sua prolongaretur, ſed ſtatim ad ſtantem Dominum anima auolaret. Hinc ex intimo cordis affectu ait, [Domine accipe ſpiritum meum.] Pro ipſis, ne peccatum illis hoc imputaretur: vnde [poſitis genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.] O quanta hæc amoris flamma ex ardenti cordis camino erumpens! pro ſe orando ſtetit; ſed pro ſeſe lapidantibus in genua poſuit: pro ſe tacitè orauit; pro illis voce magna exclamauit, sui magiſtri in inimicos amorem imitatus, qui vbi in manus Patris ſpiritum ſuum commendaſſet, [cum lachrymis (vt ait Paulus) & clamore valido] intonauit, [Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.] Quem heroicum actum ſtatim, vbi Stephanus perfeciſſet. [Obdormiuit in Domino: Beati ergo mortui qui in Domino moriuntur, requieſcunt enim à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.]

Heb. 5.

Apoc. 14.

Concionis diuiſio.

4. Duo dicam. Primum ob 4. cauſas peccatores proſperitate frui Deum permittere, prima eſt vt

omne

omne in ſpeciem ſibi obſequium præſtitum compenſet. Secunda vt Deum bonorum omnium datorem agnoſcant. Tertia vt in futuro pœnæ tarditati tormentorum magnitudo reſpondeat. Quarta vt paruí illa faceremus, quæ nobis æternæ vitæ fœlicitatem pręripiunt. Secundum: Deum permittere improbos in electos ſæuire ad probationem & meriti augmentum. Sed prius Spiritus ſancti gratiam, per virginis interceſſionem vnanimes efflagitemus. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Sancti mirãtur cur impij proſperãtur.

5. Quanta in ſpeciem, admiratio ſanctos olim occupauit, cùm coram oculis peccatores, qui ipſos affligebant, proſperare animaduerterent. Hinc Hieremias quaſi cum Deo diſputationem inſtituens, prouidentiæ erga bonos & malos obſtupeſcit velut inæqualitatem. [Iuſtus (inquit) quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: veruntamen iuſta loquar ad te, quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus, qui prævaricantur & iniuſtè agunt. Plantaſti eos, & radicem miſerunt, proficiunt, & faciunt fructum. Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Et tu Domine noſti me, vidiſti me, & probaſti cor meum tecum.] videtis quomodo ſancti viri Hieremiæ opera, qui in materno ſanctificatus vtero fuit, proſperantibus tamen peccatoribus, ſeuero ſubiiciantur ſcrutinio, ipſéque in tribulationis fornace probetur, illis ſaltem ad tempus impunè abeuntibus, quæ omnia admirans de hac inæquali, in ſpeciem, ſorte, cum Deo diſputationem iniit, quaſi prouidentiæ eius curſum redarguat, qui tamen à Deo tandem inſtructus, vmbratilem tantum proſperitatem, breui præcidendam, eorum eſſe agnouit.

6. Ab ipſomet itaque Hieremia huius rei cauſam intelligamus. Tu ergo, Hieremia, nobis diuinæ prouidentię, quam impugnare videris, rectitudinem, à diuino edoctus ſpiritu, iam patefacias velim. Tuam igitur hac de re cenſuram audiamus. [Prope, inquis,

es tu ori eorum,& longè à renibus eorum] quasi diceres:cùm tu Domine prope fis soli illorum ori,dum te ob temporaria collaudant bona, quia [peccator confitebitur tibi, cùm benefeceris ei] & longè fis à renibus,à mente ac cordis eorum affectu:iuxta illud [populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me] cur fictam illorum deuotionem rerum prosperitate compensas, cùm potiùs digni sint graui pœna,qui te solùm labiis honorant: sed erro à tuo edoctus spiritu: non est enim cur vmbratilem illorum prosperitatem admirer,cùm tanta sit tua benignitas,v nullum, in speciem, præstitum tibi officium irremuneratum relinquas,quæ vna est ex causis cur impiis, iustis pauperie aliquando laborantibus,liberaliter terrena impertis.Cùm itaque pessimi quique vmbratilis saltem virtutis aliqua præstent opera,tanta est Dei beneficentia, vt illa,licet gratiæ & consequenter æternæ beatitudinis præmium non mereantur; terrenarum rerum copia compenset: quoniam igitur labiis tantùm,& non vero cordis affectu,te summum bonum,quærunt,temporanea ista, quasi parui momenti,illis, ob hoc nudum labiorum obsequium; nobis,qui non labiis tantum,sed te, ex toto corde quærimus, alium longè excellentiorem prosperitatem prouides,tui nimirum æternam fruitionem. Verè ergo nosti tu,ô Deus meus, iustos, & sanctos tuos, quos tibi tribulationum certamine, tanquam difficili partu concipis, & paris, cùm tamen peccatoribus,tanquam abortiuis dicas:[Nescio vos,discedite à me operarij iniquitatis.]At verò nos misericordiæ oculis respiciens in afflictionis fornace positos,probas.Et si quid scoriæ nostris adhæreat operibus,ignis feruore,ac tribulationis flamma detergis,vt veluti speciosa vasa, peccati rubigine penitus consumpta,cœlesti mensæ præsentemur. Vnde sapiens. [Aufer (inquit) rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum]plantasti quidem eos, & radicem miserunt: sed tanquam inferno aptas tandem

Psal. 48.

Marci 7.

Prima causa cur impij prosperari permittuntur, quia Deus nihil irremuneratum relinquit.

Matt. 7.

Prouerb. 15.

dem victimas illos cõsecrabis. [Congrega,ais enim, eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis] quasi diceret sepàra ac sepone impios,à iustis,quos veluti victimas statui mactandos, & cędendos,destinatos gladio,& neci,tanquam meę iustitiæ sacrificium & victimam futuros. Ecce prima causa cur Deus impiis mundi huius crepundia tribuat,vt nihil scilicet,quòd aliquam virtutis speciem habet,suo careat præmio, iustósque in tribulationis fornace exerceat; vt illis,tandem aliquando impietatis suæ præmium,inferno tanquam execranda ostia deuotis,recipientibus,iusti æternæ beatitudinis brauium consequantur.

Sanctis cœli ianua aperta, impiis clausa.

7. Hæc iusti, & impij sortis diuersitas hodie in Stephani ab lapidantium Alexandrinorum,Libertinorum & Cyrenæorum præmiorum diuersitate apparet. Stephano enim & labiis,& corde,pro se,ac illis Deum deprecãti,ianua cœli aperta, Christus sese illi cõtemplandũ obtulit ad dextram Patris sui gloriose residentem;his qui tantum externam quandam zeli speciem præ se tulerunt, sibi cœlestis gloriæ ianuam claudentibus, ac æternæ mortis stipendium commerentibus [stipendia enim peccati mors.]

Iob indignatur impij prosperitatẽ. Iob. 21.

8. Iob præterea suæ ætatis peccatorum prosperitatem,quasi indignans,ad Deum conuersus,in hunc modum,cum eo disseruit:[Nunquid cõtra hominem disputatio mea est,aut meritò non debeam contristari? quare impij viuunt? subleuati sunt, confortatique diuitiis,semen eorum permanet coram eis,propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum: domus eorum securæ sunt,& pacatæ,& non est virga Dei super illos: bos eorum concepit,& non abortiuit, vacca peperit, & non est priuata fœtu suo: egrediuntur quasi greges paruuli eorum,& infantes eorum exultant lusibus] quasi dicat,mihi disputatio cum homine non est,sed cum Deo,de mea iustitia,& meæ innocentiæ testimonio contendo; quam cùm ille testatam vobis non faciat, meritò contristor: cur

cur me tanta patiente mala, ac innocentiæ meæ teſtimonium mea reddente conſcientia, impij digna morte atque digno ſupplicio non pereunt? cur ex omnibus plagis, & periculis illi frequentiſſimè euadunt incolumes, me innocente, mœrore ac triſtitia contabeſcente? ſubleuati ſunt fœlicitate ac diuitiis inſoleſcentes. Quid ergo, ſi impiis Deus vitæ curſum, & filum præcidere ſolet, vt præſenti ſupplicio eos compeſcat atque illorum improbitatem puniat, quare modò multi, non ſolum viuunt improbè ſimúlque fœliciter, verùm etiam fœlicitate ad improbitatem & ſcelus abuti permittuntur, factique indies deteriores de quibus ſcriptum eſt. [Exultant in malis & conſeneſcunt in malo.] Confortati ſunt diuitiis, ac honoribus, ſuóſque liberos in gradu, officio, principatu, & loco ſeſſionis & firmitatis collocatos coram ſe vident; & propinquorum, ac nepotum turbas, ex voto, in his mundi crepundiis proſperare cernunt, domus eorum ab omni timore ſecuræ, ſumma quadam tranquillitate, ac fœlicitate omnis timoris experte, perfruuntur: boues eorum, vbi ſemel conceperint, nihil ſiniſtri illis, vti non rarò ſolet prægnantibus, accidit: egrediuntur quaſi greges paruuli eorum laſciuientes, & exultantes, ſine diſciplinæ fræno, vnde fit, vt omnia illa vitiorum ſemina, cum quibus naſcuntur ſtultitiæ, petulantiæ, iræ, ſuperbiæ, cum ipſa quoque ætate creſcant & adoleſcant: infantes enim, qui ſuæ libidini & petulantiæ ſenſim permittuntur totos ſe in adulta ætate luſibus & indecoris ſaltationibus, cantilenis quoque atque muſicis impudiciſſimis, & corruptiſſimis ſocietatibus tradunt: [eſt enim, vt ait Plutarchus, vigor illius ætatis incontinens voluptatum, laſciuítque & fræno opus habet, & qui ætatem iſtam, non magna opera regendam ſuſcipiunt, imprudentes animo licentiam, qua ad flagitia feratur concedant.] Et huiuſmodi impunè ſic laſciuire permittis, me ſubdito tot miſeriis: imo permanent ſicut oues æternæ

Eccleſ. 11.

Plutarchus

næ,vt ſeptuaginta vertunt [impios diuturnam vitam viuere,ac pecudum more propagari,& procreationibus æternitatem æmulari Deum permittere Origenes aſſerit.

Origenes ſic locum illum interpretatur.

9. Sed à te ô ſanctiſſime vir Iob,qui diuinam ſic prouidentiam, in ſpeciem, perſtringis quòd impiis animæ ſuæ tribuat deſideria; quid tandem de horum exitu ſentis, & quænam cauſa tantæ impiis indulgentiæ?ecce in primis nobis,eodem loco, de infœlici eorum exitu cenſuram ſuam declarat, ſubdit enim ſtatim: [Tenent tympanum & cytharam & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt] Ecce videtis,& parentum ſimul, ac filiorum hîc luctuoſum deſcribi exitium:parentes ſiquidem veluti tibicines, & præcintores pueros ſuos circumſaltantes,& luſibus exultantes choreas ducere docebant, ita vt ad voluptates & filiorum ſcelera ipſi exemplo præire, ipſóſque ad voluptatis ſtudium allicere & excitare cenſerentur, his itaque tot tantiſque vitæ libidinoſis oblectamentis, nunquam interrupto fœlicitatis curſu, omne ſuum æuum tranſigentes, beati ſibi videbantur; ſed in puncto ad inferna ita deſcendunt, vt tanquam ponderis grauiſſimi mole oppreſſi ad ipſum terræ centrum in ictu oculi præcipites ruant, aſcenderat enim in cœlum illorum ſuperbia, petulantia,luxuria;ſed diu in ſublime erecti nequiuerunt conſiſtere;nam quod violentum eſt,neque perpetuũ, neque diuturnum eſſe potuit. Ergo peccati,& improbitatis pondus grauiſſimum, potuerunt aliquandiu induſtriæ, & humanarum artium machinis euehere in ſublime,ſed minimè tamen figere,& confirmare. [Aliquando tandem grauabit illos iniquitas ſua,& corruent,& non adiicient vt reſurgant.]

Gaudiũ impij luctus ſequitur.

Peccati pondus.

Iſa.2.20.4.

10. Nolite ergo, quaſi dicat, in conſideratione diuinorum iudiciorum titubare. Licet enim illa nobis denegentur, quæ Deus liberaliter ſuis tribuit aduerſariis, nobis tamen infinita bona, illis infinita mala

Sanctiu infinita bona reſeruantur.

mala reseruat. Quemadmodum benignus Rex suis subditis rebellibus, & à sua curia ac regno per inobedientiam & defectionem pulsis, alimenta ad vitam sustentandam aliquando tribuit, vt hac benignitate tandem prouocati, facti pœnitentes resipiscant: sic Dominus impiis ac hostibus suis, licet per inobedientiam à sua cœlesti curia, ac Dei regno pulsis, bona tamen hæc minima, aurum, argentum, amplas possessiones impertit, vt aliquando depressos hactenus in terra oculos sursum eleuent, & datorem agnoscant, illique à quo omne bonum euenit, sese toto corde subiiciant, quæ est secunda causa cur Deus impios prosperare permittit, eósque beneficiis cumulat, eorum peccata dissimulans, vt sic tandem variis diuinæ misericordiæ obsequiis deliniti, à pessima iniquitatis via pedem referant, sin minus [in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur] nam qui nunc in tempore calamitoso seruatur ab ærumnis, seruatur quidem ad grauiora futuri sæculi supplicia; ideò enim ab istis temporalibus seruatur, vt in futuras longè grauissimas incidat sua culpa calamitates, & qui nùc à præsentibus subducitur, adducitur procul dubio in sempiternas [thesaurizat enim sibi iram in die iræ] sit ingens quidem supplicíorum & tormentorum thesaurus, cùm non statim rependitur impiis, diuitias misericordiæ Dei ac longanimitati inspernãtibus debitum supplicíu.

Simile.

Secũda causa vt bonorũ datorem agnoscant.

Rem. 2.

11. Quid ergo, ô Iob, à diuina prouidentia tibi cæterisque electis expetis audite, obsecro, eius postulationem [quis det, vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus: & qui cœpit ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me? & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolor, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.] Mirabilis hæc, ô Iob, tua deprecatio, admiranda petitio, an forte, vt à tanta libereris calamitate, qua afflige-ris, hanc Deo ingeris petitionem, vt sic cum morte, tuæ tranſeant miseriæ, aut potius, vt diuinæ

Magna consolatio afflicti.

ſagittæ,quarum indignatio, vt ais, tuum ebibit ſanguinem , adhuc ita in te emittantur , donec omni eo, quod in te vitioſum ac impurum fortaſſe ſupereſſet,penitus deterſo,potenti miſericordiæ manu,ab omni te affectu terrenorum Deus excindat:bene noſti,ô vir ſanctiſſime, affligendo Deum electos ad ſalutem reuocare , quos ita exterius tribulationibus exagitat , vt interius viuant ! quàm altè ô virorum ſapientiſſime philoſopharis ! rectè philoſopharis Deum occidere , vt viuificet : percutere , vt ſanet , & idcircò foris verbera adhibere , vt interius patientiæ gratiam augeat. Solis motus in obliquo circulo cauſa eſt , vt ait Ariſtoteles, generationis , quia ſi ſemper directè ſuper hemiſphærium noſtrum luceret, adeò aridam terram efficeret , vt redderetur ſterilis. Ad hoc etiam noſtrum negotium ſpectat, quod Plinius aſſerit frigora ſcilicet tempeſtiua arborum firmitati , & generationi plurimum conferre,quæ alioqui blandientibus ſibi tempeſtiuis Auſtris deficiunt: eodem penitus modo nobis obtingit , quibus nimia proſperitas rerum omnium affluentia , ac longa ac firma valetudo plurimum officit,ac in noſtris operibus tantam cauſat ſterilitatem,vt omnem penitus merendi vim illis ſæpè adimat,cùm aduerſitas rerum penuria, ac corporis infirmitas plurimùm nobis proſit , noſtróſque mentis oculos ſæpè aperiat,nóſque inſtiget ad meritoria opera facienda.

Ariſt.li.2.de generatione.

Plin.l.7.

Rerum proſperitas officit.

Multum prodeſt tribulatio.

12. Nónne hoc hodie in D. Stephani pernobili triumpho parta de inimicis victoria , per patientiam , & longanimitatem clarè videmus , tantùm enim abfuit,vt ob lapidantium crudelitatem ac furorem, aut ob acerba lapidum vulnera, quibus totû eius corpus cruentabatur,aliquid de ſua in Deum fiducia remiſerit,vt potius in hoc luctuoſo tribulationis certamine , lapidibus in omnes ſui corporis partes veluti grandinum nimbo inſilientibus, in ſpé firmã erectus,vno oculi ictu in ſui auxiliũ,cœlo derepente

pente expanſo, filium Dei à dextris Patris ſui ſtare quodãmodo cogeret,& quò magis corpus lapidibus obruebatur;eò etiam magis mentis eius feruor,& in inimicos charitas augebatur: illud philoſophi Anaxarchi re ipſa vſurpans. Ille enim iuſſu Anacreontis Regis in pila quadã lapidea tortus genus illud tormenti contemnens ingeminat:[Tũde, tũde tyranne, nam vas confringis, Anaxarchũ autem intus latentẽ non lædis]huiuſmodi,inquã,victoriæ partæ de ſe lapidantibus ingeminantẽ triumphalem Pæana audire videor:Tũdite,tundite tyranni, nã vas confringitis, Stephanum autẽ intus latentem non læditis: quantumuis in me ſæuire contenditis, exterius tantũ me lædere poteſtis,interius verò animã, in qua cœleſtes gratiæ theſauri latent,attingere, aut lædere minimè poteſtis!frangitis quidẽ exterius terrenũ hoc corporis vaſculum; ſed me theſauro intus exiſtente expilare non valetis, & vt intelligatis me pluris facere animæ veſtræ ſalutem,quã omnes corporis mei cruciatus:ecce inter lapidũ imbres, ardentiori pietatis ſtudio,pro ſalute veſtra deprecãs,poſitis,ſũma cũ reuerẽtia,& veſtræ ſalutis amore incenſus,humi genibus exclamo[Domine ne ſtatuas illis hoc peccatũ.]

Laertius l. 9. c. 10.

Anaxarchi robur animi in tribulatione.

Stephani animi robur.

13. Eſt fons in Sicilia, Pomponio Mela teſte, quem vulgò ſolis fontem appellant, cuius eſt hæc admiranda proprietas:in feruore quippe diei frigidiſſimus,media autem nocte,calore flagrat & mirabiliter feruet:cui perſimilis Stephanus,qui in feruore lapidantium ita frigidus extitit, vt ne vnum ex iræ feruore contumelioſum illi verbum exciderit, qui tamen media aduerſitatis nocte lapidibus obrutus;ita diuini ſimul amoris ac lapidantium ſalutis calore flagrauit,& mirabiliter efferbuit,vt ſua ignita oratione Saulũ Eccleſiæ pepererit, ſibique tantæ patientiæ ac longanimitatis æternæ beatitudinis præmium commeruerit.

Magna Stephani patiẽtia.

14. Inſuper propheta etiam Abacuc cum Deo, quaſi iniuriarum ſibi illatarum exaggerans mul-

Abacuc. 1.

Conqueritur Abacuc de sua miseria & impiorum prosperitate.

titudinem, disputat [vsquequò Domine, inquit, clamabo & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & iniustitiam contra me] & subdit [quare non respicis super iniqua agentes & taces deuorante impio iustiorem se] quasi si dicat, quamdiu, quamdiu, Domine, ad te clamabo? Ecce vim, quæ populo meo inferenda est, vociferari me vrget, vrget me semper electi populi tui calamitas, hinc clamo ad te semper, vt illam auertas, & heu! nihil proficio. Sed si me auditurus non eras, neque ego precibus meis quicquam eram profecturus, quare mihi tanta mala ostendebas, vt viderem, quod auertere non poteram, & maiori dolore cruciarer, quare cùm tibi omnis iniquitas displiceat, ac nullo modo videre, id est, probare possis, quæ mala sunt, & iniusta: quare non respicis super iniqua agentes? quomodo ferre potes Chaldæos homines pessimos, instrumentum esse iustitiæ tuæ, & deuorare atque consumere Iudæos, qui licet peccatores sint, multò tamen iustiores Chaldæis? hoc me malè ergo habet, quod per peiores nos punias, peccauimus quidem, sed tu redde nobis quicquid tibi placet, nó per hostes, sed per te ipsum plecte nos: quare non respicis videlicet, vt punias inimicos nostros? quare sustines videre ipsos, quod dum facis, videris eorum vitam, & facta approbare?

Abacuc 3. Diuina vindicta in impios qui iustos vexant.

15. Sed tu etiam ô sanctissime propheta Abacuc, qui Deum arguere videris, quòd non statim vindictam de iis qui iustiores se opprimunt, sumit, quid tandem de iis sentis, [In fremitu, inquit, tõculcabis terram] ecce quomodo terrenos, qui nihil nisi terram sapiunt, qui pedibus suis iustiores se conculcarunt, diuinæ iustitiæ veluti pedibus in tartara conculcandos dicat! & subdis [& in furore obstupefacies gentes] tantam diuinæ iræ in impios severitatem futurum asserit, vt inter æterna positi tormenta, Deum quasi in furorem versum obstupescant, & hæc omnia eue-

nient

nient illis in præteritorum peccatorum vindictam, quæ est tertia causa, cur Deus impiis in bonos debacchari permittit in hac vitâ, vt in futuro pœnæ tarditatem tormentorum magnitudine compenset. Flagella quidem præsentis vitæ, quibus impij electos castigant, nec multa esse, nec diu durare possunt: nam sicuti gaudium hypocritæ est ad instar puncti, sic tristitia iusti, & flagella quibus in hac vita corripitur breui huius vitę termino circumscribuntur, flagella verò peccatorum multa, & infinito duratura tempore sunt. Hæc suppliciorum disparitas à Ieremia propheta pulcherrimè adumbratur [Quid vides Ieremia? virgam, inquit, vigilantem ego video] deinde subditur [quid vides?] cui Ieremias [ollam succensam à facie Aquilonis] Quid, obsecro, huiusmodi visiones aliud sibi volunt, quàm supplicia & flagella, quibus homines Deus castigare solet, nobis indicare, alios scilicet iustos percutit Deus in hac vita, sed tenera correctionis virga, quæ citò frangitur, & in ignem conijcitur, percutit laboribus, calamitatibus, iniurijs, ipsa etiã aliquando morte temporanea. Sic Tobiam leni virgę ictu oculorum cœcitate ad breue tempus percussit: sic Dauid persecutionis ictibus, & Iob calamitatibus multis tanquam ingeminatis flagellis paternè castigauit: sic etiam hodie B. Stephanum lapidum veluti imbre obrutum, ac cruenta interfectum morte, suóque purpuratum sanguine, persequẽtiũ manibus statim ereptũ in suas Christus suscepit manus, & pro momẽtanea huius vitæ tribulatione æternũ in sublimitate gloriæ põdus illi tribuit.

Tertia causa cur Deus impiis impunè permittit, in bonos debacchari vt in futuro vindicta tarditatem pœnæ magnitudine compenset. Iusti afflictio breuis. Iere. 1.

16. Supplicia verò futura, & æternæ inferni calamitates, quæ obstinatos & impœnitẽtes peccatores manebũt ollę succensę à facie Aquilonis meritò prophera cõparauit, quid.n. aliud olla succẽsa significat, quã æterna illa in succẽsa inferni fornace tormẽta, à facie Aquilonis, vnde validissimꝰ vãtus exsufflari solet, ne ignis ille, ac tormẽta sempiterna igne cõfota, in perpetuũ minimè extinguantur, quare damnatis

Æterna inferni tormenta.

hanc perpetuam Deus calamitatem reſeruatam oſtendens, horrendum hoc æternæ miſeriæ fulmen in eos tandem intorquebit [Ite maledicti in ignem æternum.] Sed quid ô ſanctiſſime propheta Abacuc iuſtis in hac vita peregrinantibus deprecaris? vt fugiant tormentorum illorum furorem? [Ingrediatur, inquit, putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat] quaſi dicat: veniant in me omnia mala, ita vt ſi neceſſe fuerit oſſa mea putredine impleantur, & caro mea vermibus ſcateat; dummodò hic à peccatis meis expier, & in die illo ſeueriſſimi iudicij ſecurus ſim, & ad eorum ſecuritatē adiungar, qui cum Chriſto regnant in cœlo. Sic ergo in hac mortali vita iuſtos doloribus confici exoptat, vt eorum acerbitas oſſium medullas penetrans, in vermes ac putredinē conuertat. quorſum ô propheta? [vt aſcendant ad populum accinctum noſtrum] vt ex iis ſint quos Deus accinxit, & armauit, vt fœliciter contra omnes hoſtes & diaboli tentationes pugnarent.

Matt. 25.

Iuſtus affligi optat.

17. Vnus ex his proculdubio fuit eximius ille Chriſti athleta Stephanus, qui inimicos ſuos falſis eum criminibus oppugnantes, ac primò quidē execrandæ in Deū ac Moyſen blaſphemiæ apud populū inſimulantes: ac multa aduerſus locos ſanctos, & ſacra eorū inſtituta diſſeruiſſe calumniantes, penitus euicit; diuino enim quodā claritatis lumine circūfuſus, ſolidis argumentis è ſacro petitis eloquio Chriſtum eiuſq; gratiā eis aperuit, & inflammato ſpiritu perfidiā, & in inſtituto ſcelere pertinaciam exprobrāns, illis interim immani, & ferina quadam rabie debacchantibus, furori illorum patientiā, odio beneuolentiā, minis mortis contemptionē, terrori vitæ deſpicientiā oppoſuit. Hinc effectum eſt, vt perfidis Iudæis, & in ſcelere pertinacibus, toto animo ad cædem ſpectantibus ille admirabili charitatis ardore incenſus, nunc eos, vt fratres intuens, nunc vt patres demulcēs, omnē eorū rabiē incaſſum mitigare contēdens, tota mente Deo intētus, Spiritus ſancti gratia plenus:

Stephani magna patientia & longanimitas.

Exemplum apertum vidit.

plenus: Ecce, inquit, video cœlos apertos & Christũ diuinitatis gloria mirificè fulgentem à dextris virtutis Dei, meæ causæ patrocinio fungentẽ intueor, vt me post difficile hoc certamen eius gratia susceptum ad populum accinctum nostrum susciptat. quare cùm voce magna & pietatis plenissima exorasset genibus prostratis, Domine ne statuas illis hoc peccatum, in dulcem veluti mortis resolutus soporem placidè in Iesu vlnis requieuit.

Dauid visa impiorum prosperitate fere scandalum est passus. Ps. 62.

18. Porrò propheta Dauid de se fatetur, cùm iniquorũ videret prosperitatẽ, scandalum pene se passum, & quasi de Dei iustitia ac prouidẽtia dubitasse: [Mei autẽ, inquit, penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorũ videns.] Ecce quomodo sancti Iob, Ieremias, Habacuc & Dauid de Dei iustitia, ac erga iustos ac iniustos prouidentia in speciẽ videntur titubare. Sed tu, ô Dauid, quẽadmodum cæteri illi sancti suam tandẽ de huiusmodi impiorum prosperitate ac de iustorum aduersitate censurã dederunt, quid tu etiã tandem de hac diuinæ prouidentiæ erga iustos & impios inæqualitate iudicas. audite eius censurã [veruntamen propter dolos posuisti eis] ob dolos, inquis, quibus vsi sunt erga proximos, vt suas multiplicarent diuitias, quos in dolos vertisti eis maiores. Nam per dolos lucrati sunt pecunias, aut agros, aut pretiosa quælibet, sed per eosdẽ dolos imprudẽtes ipsi æternæ vitæ iacturam fecerunt. Ecce quarta causa cur Deus dolis ac fraudibus impios in speciẽ prosperare permittit, vt nobis sint exẽplo, illa parui facere, quæ nobis æternæ vitæ fœlicitatẽ præripiũt: imo penitus detestari bona dolis ac fraudibus acquisita, quę nos in æternæ damnationis abyssum præcipites agunt, & vt omnino illa execremur, tantum abest, vt diu illis illa vmbratili fœlicitate frui permittat, vt sæpe in ipso prosperitatis exordio, vel saltẽ progressu deorsum præcipitet, subdit enim statim propheta [deiecisti eos dum alleuarentur] Ecce quo-

Ps. 62.

Quarta causa cur Deus permittat impios prosperare vt nobis sint exemplo, quã ob mala peccata in æternum puniũtur.

modo in ipsa alleuatione ruinæ pateant, quia [dum gloria falsa (vt ait Gregorius) subnixi sunt, à gloria vera euacuantur.] Hinc [deficientes quemadmodum fumus deficient.] Sicut enim fumus ascendendo deficit, & sese dilatando euanescit: sic videlicet fit cùm peccatoris vitã præsens fœlicitas comitatur. Quia vnde ostenditur vt altus sit, inde agitur vt non sit: [facti] ergo [sunt in desolationẽ, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.] De iustis verò subdit [Tenuisti manũ dexteram meã, & in volũtate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram.] O sapiẽs & plusquã humana responsio! ô iusta diuinæ prouidentiæ defensio! Impij, vt videtis, sæpe prosperantur, vt cadant, prosperãtur, vt propter dolos & iniquitates suas, prosperitatis suæ finẽ citò videant, vt dum sese insolentius supra alios efferunt, miserabilius & luctuosius suæ damnationis ruinam suis intueantur oculis, prosperantur, inquã, vt æternam calamitatem; post falsam prosperitatis speciem magis persentiscant, & suam clarius agnoscant ingratitudinem.

Greg. in illud psal. 36.

Simile.

Psal. 72. Impij prosperantur vt cadant.

SECVNDVM PVNCTVM.

19. Quòd verò in electos insæuire improbi, vti in Stephanum Iudæi, permittantur, quod secundo loco dicere proposui, in eorum fit probationem & meriti augmentum, ac virtutum cumulum. Quemadmodum enim horologium suis artificiose rotis instructum, nisi tamen certa rotis pondera respondeant, nequaquam ordinatè progreditur: sic iustus veluti insigne ab eximio illo artifice Deo horologiũ, necessariis humanæ vitæ potentiis, sensibusque tanquam rotis compositus, si tamen persequtionum, tentationum, ac laborum ponderibus destituatur, tantum abest, vt vitæ suæ curriculum fœliciter percurrat, vt potius tanquam malè temperatum horologium corruptis moribus interim animè inordinatè dispositi ac intemperati, indicibus importunè so-

Iusti probantur. Simile.

nans,

Digitized by Google

nans, suo malo exemplo cæteros inficiat ac diripiat.

20. Sic prosperitatis tempore sanctissimus ille propheta Dauid suæ vitæ licentia tanquã malè temperato horologio incõgruè sonans se & Bersabæam infecit ac decepit: id indicat disertis verbis Gregorius. [Quis] inquit [sanctior Dauid, qui cùm Saulis persecutione vrgeretur, non solum persequutorem occidere non voluit, sed ipsi persecutori, cùm occidere posset, pepercit. Verùm vbi deuictis hostibus pressuris caruit, homicidiũ adulterio incautè securus adiecit?] filius eius Salomon proprietatis etiã tempore tanquã malè sonans horologium sapientiæ indicem, in stultam vertit idololatriam. [Nam, vt ait idẽ Gregorius, Salomon, qui post tantã Sapientiam vsque ad idololatriam cecidisse describitur, nihil in hoc mũdo, prius quàm caderet, aduersitatis habuisse memoratur, sed concessa sapientia funditus cor deseruit, quod nulla vel minima tribulationis disciplina custodiuit.] Non sic diuinum illud à cœlesti artifice Deo diuinè fabricatũ horologium Stephanus, cuius veluti virtutum rotæ diuina gratiæ vnctione, ad omnes externas virtutum actiones effectæ celeres, iustis persecutionum ponderibus attemperatæ, non sic, inquã, sicuti Dauid eiusq; filius Salomon, tãquam malè tẽperatum horologiũ retrouerso perfectæ vitæ indice peruersè sonuit, sed exposito semper morũ vitæq; integritatis indice; qui virtutũ internarum quasi rotarũ reuolutioni, ex æquo respondens, per externas virtutum actiones, ita semper bene sonuit, vt sonus temperato responderet horologio, & externus actionum virtutum index, internis animi virtutibus, ac externæ doctrinæ sono etiam responderet.

Prosperitas sæpe causa ruinæ.

Greg. in Ps. 50.

Greg. in Pastorali part. 3. admonit. 23.

21. Vultis hoc cœleste à Deo cõpositum suisque instrumentis affabrè instructũ horologium paulisper contemplari? mirabilis ille ac insignis artifex Deus diuinum nobis proposuit horologium, scilicet suum vnigenitum, ad cuius virtutum ac doctrinæ veluti

Christus horologium bene sonans.

ſonum omnes vitæ noſtræ actiones attemperamus [omnis enim Chriſti actio noſtra eſt inſtructio.] Aliud hoc inferius, perſimile tamen in initio Eccleſiæ fabricatum nobis expoſitum voluit, Stephanum nimirum, ne ſi fortè cœleſtis illius horologij Chriſti, inquam, virtutum ſono noſtræ vitæ curſum dirigere pigeat, domeſtici ſaltem Stephani, nimirum vitæ integritatis ac virtutum heroicarum actiones, veluti bene temperati horologij ſonos diligenter attendamus. Quàm verò hoc domeſticum horologium Stephanus ſimile cœleſti illi horologio ſit inde apparet. Nam ſicuti Chriſtus à primo conceptionis ſuæ inſtanti repletus gratia: ſic Stephanus licet longè inferiori modo Chriſti diſcipulis aſcriptus, plenus fuit gratia & fortitudine: Et ſicuti Chriſtus miraculorum ſplendoribus, ſic Stephanus ſtupendis coruſcauit prodigiis [faciebat enim prodigia ac ſigna magna in populo:] Et ſicuti Chriſtus blaſphemiæ criminis incuſatus & damnatus ex eo quod dixerit [Tu dixiſti. veruntamen dico vobis, à modo videbitis Filium hominis ſedentẽ à dextris virtutis Dei] quo dicto Princeps Sacerdotũ ſcidit veſtimẽta ſua, dicens: blaſphemauit,] & populus acclamauit [reus eſt mortis] ſic Stephanus accuſatus blaſphemię in Moyſen & Deum, lapidibuſq; obrutus, quod cœlos apertos & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei ſe vidiſſe fateretur, & ſicuti, vt Chriſtum falſis criminibus accuſarent, falſos etiam teſtes Iudæi adhibuerunt; ſic, vt morti traderent Stephanum, falſis eum criminibus ac teſtibus obruerunt. [Et ſtatuerunt falſos teſtes qui dicerent, homo iſte non ceſſat loqui verba blaſphemiæ, aduerſus locum ſanctum & legẽm:] Et ſicuti Chriſtum crucis tormentum ſubiturum, extra ſanctam ciuitatem abduxerunt; ſic Stephanum extra ciuitatem eiicientes lapidarunt. Et ſicuti Chriſtus ab Angelo confortatus, ſanguineo ſudore purpuratus in horto Gethſemani; ſic Stephanus ſuo conſperſus ſanguine, non ab aliquo Angelo, ſed

Stephanus horologium cœleſti illi ſimile.

Act. 6.

Matth. 26.

Act. 6.

Stephanus Chriſto ſimilis.

sed ab ipso Angelorum Domino, à dextris virtutis Dei stante, non tantùm confortatus; sed sui certaminis præmium, cœlestem nimirum gloriã breui ab eo obtinuit. Vidistis horum duorum horologiorum consonantiam, audite etiam eorum in sono & præludij dulcedine conformitatem. Ecce, vt ex *Actor. 7.* Stephani diuino cordis veluti horologio, suauissimo temperatum concentu, extremæ horæ præludium! [Domine Iesu suscipe spiritum meum,] ô *Luc. 23.* quàm conforme illi æterni Patris filij extremo concentui extremæ mortis horæ, veluti dulcissimo præludio! [Pater in manus tuas commendo spiritum meum.] Hoc verò Stephani horologij præludium, quàm stupendus sequitur sonus [positis enim genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum!] admirandum cœlestis illius *Luc. 22.* vnigeniti Patris Filij horologij sonum imitans [clamans Iesus voce magna ait, Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.] Ecce quomodo D. Stephanum in ardenti tribulationis fornace probatum, veluti cœleste horologium Deus effecit; virtutum quasi rotis instructum, persecutionis ponderibus temperatis, ac diuina gratiæ vnctione delinitis, perfectæ vitæ morúmque integritatis indice, per externas virtutum actiones, palam proposito, & in iustitiæ solem intento, sono suauissimo iniuriæ condonatæ, ac pro lapidantibus feruentissimæ deprecationis merita sua auxisse, ac æternam commeruisse gloriam videmus, cui si alioquin prosperitatis aura ac pacis semper fauisset præ Dauide, ac Salomone sese liberius contra Dei præcepta efferre, & insolentius cadere potuisset.

Similia. Confirmatur etiam aliis exẽplis prosperitatem causam esse ruinæ aduersitatũ fœlicitatis.

22. Vberem enim segetem, ipsa vbertas prosternit, fructuum copiâ arborum rami franguntur. Vini robustissimi virtute firmissima rumpuntur vasa. Tunc incipit luna deficere, cùm omnino plena est: sic, vt ait Seneca, animis euenit, quos immoderata prosperitas rumpit, qua non tantùm in aliorum iniuriam, verùm

Digitized by Google

verùm etiam in ſuam vtuntur. Nonne proſper diuitiarum ventus infauſtam illam diuitis epulonis nauem in barathrum plenis velis impulit? E contrario aduerſus paupertatis flatus Lazari puppim ad ſecurum lymbi portum incolumem perduxit, donec in Abrahæ ſinum ſuas exoneraret merces? [Diuiti (inquit Chryſoſtomus) nauis erat plena mercium , ac ſecundo nauigabat vento, verùm ad naufragium feſtinabat, eo quod onus nolebat circumſpectè ponere.] ac de Lazaro ſubdit, [Cùm fluctus eſſent tam multi, vt viciſſim alij ſuper alios Lazarum impeterent: non tamen demerſum eſt nauigium , ſed perinde ac ſi in fornace poſitus, veluti perpetuo rore refocillaretur, ita philoſophabatur infœlix fœlicitas, quæ diuitem ad æternam infœlicitatem traxit, fœliciſſima fuit infœlicitas, quæ pauperem Lazarum ad æternam duxit fœlicitatẽ.] Sic diues ille, cuius horrea plena, vbi ſuam ad multos annos porrigere fœlicitatem putauit , omnibus ſtatim euerſus bonis, præcipiti ventorum flatu ad ortum nauigauit? Sicuti ergo iniquis , proſpera aliquando tribuit Deus , in peccati pœnam, vt amplius eos puniat: ſic & iuſtis aduerſa, vt ad arduum perfectionis cliuum ſemitam illis commonſtrans , eos tandem ad cumulatiorem gloriam ſic extollit, vt non deiiciantur.

Chryſ. hom. 1.

Lucæ 12.

23. Sicut enim pondera rotis, iuſta proportione reſpondere debent: ita [fidelis Deus, vt non patiatur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum.] Si enim, inquit Sanctus Ephrem, homines ſuis iumentis non plus oneris imponunt, quàm ferre queant, multo minus hominibus plus tentationum imponet Deus, quàm ferre queãt: rurſum ſi figulus vaſa ſua igne excoquit eo vſque, dum ritè coquantur, nec ante ea eximit ne minus cocta, aut ſolida ſint, nec rurſum vlterius ea finit in igne, ne adurãtur, fiantque inutilia: multo magis idem faciet Deus , vt igne tentationum eouſque nos coquat, dum percoquat, & perficiat, vlterius verò tentationc

Simile. 1. Cor. 10. Ephrem in illum Pauli locum. Deus facit cum tentatione prouentum.

tatione aduri & conſumi nos non ſinet.] Non enim nos obrui permittit, ſed paulatim, iuxta vires, per victoriam acquiſitas, maiora ac maiora ſubminiſtrat certamina, donec tandem ad difficilem perfectionis verticem nos perducat.

Ezech. 47. Figura declaratur tribulationum proventus.

24. Hoc in illo admirabili flumine ſubter limen domus ad orientem egreſſo ac in templi latus deſcendente ſignificare Deus voluit. Cùm enim vir quidam egrederetur ad orientem, qui habebat funiculum in manu ſua, quo vbi menſus eſſet mille cubitos aquæ, traduxit Ezechielem prophetam per aquam vſque ad talos, rurſus menſus eſt mille, & traduxit eum per aquam vſque ad genua, & menſus eſt mille, & traduxit eum per aquam vſque ad renes, & menſus eſt mille, ſed adeò intumuerunt aquæ profundi torrentis, vt Ezechiel pertranſire non potuerit, & eduxit eum vir ille & ad ripam torrentis cõuertit, cui dixit: ſuper torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum fructiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, quia aquæ eius de ſanctuario egrediuntur, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.] Ecce quàm graphicè nobis ob oculos perſecutionum cum prouentu typum expreſſum propoſuit, quo indicat tentationes & certamina cum fœnore, iuxta gratiæ, ac virium mẽſuram augeri, neque illis obrui, ſed, vbi tanta in nos tentationum moles inſurgere contingit, vt iis ſubrui videamur, ita cœlitus nobis opem à Deo ferri vt ex tanta perturbationum abyſſo erepti, in tuta tandem ripa collocemur, vbi noſtratũ tentationũ dulciſſimo fructu lubeat nobis delitiari. Quid enim aliud nobis ſignificatum per aquas illas, quæ non pleno alueo, ſed ſubter limen domus ſuauiter decurrerunt in orientem, voluit, quàm perſecutionum aquas adeò ſemper fore depreſſas, ac temperatas, vt in noſtra ſit poteſtate (ſubſtrato tamen nobis cœleſtis gratiæ lumine) eas inoffenſo pede perurrere, oborto præſertim nobis iuſtitiæ ſole,

qui

qui ſuis nos radiis illuminat ; donec tribulationis aquas,per gratiæ limen fœliciter tranſeamus.Quomodo enim nocere poſſunt aquæ , quæ prius in templi latus , in quod perſecutionis aquæ prius irruunt, impetunt , quàm in nos influant,ex quo ſingularem aliquam ſanctitatem ac virtutem imbibunt, qua nos poſiti vtrimque inſecuritatis ripa tanquam irrigatæ diuino rore arbores,diuinam quandam fructificandi virtutem haurimus , vt nobis certum ſit tantum abeſſe,vt tentationum & perſecutionum aquæ nos ſubruant,vt potius,qui tanquam ſteriles arbores anteà extitimus, fructiferæ reddamur ; quia de ſanctuario egrediuntur,de diuina nimirum prouidentia,quæ in pondere & menſura omnia electis euenire aduerſa curat.

Adeſt Dei auxiliũ tribulatiõ.
Pſ. 68.

25. Hinc licet ad collum vſque (vti in Stephani lapidatione vidimus) intumeſcentibus tentationum ac perſecutionum fluctibus iamiam mergi videamur ; ita nobis illa auxiliatrices porrigit manus vt nos non[demergat tempeſtas aquæ,neque abſorbeat nos profundum , neque vrgeat ſuper nos puteus os ſuum] has diuinæ prouidentiæ auxiliatrices manus ſibi porrigi Petrus ſenſit valido iactatus vento , & ſtatim quaſi mergendus , clamauit enim ad Ieſum: [Domine ſaluum me fac.Et continuò Ieſus extendés manum apprehendit eum.]Ecce quomodo in media collocato tempeſtate & fluctibus quaſi iamiam obruendo porrexit Chriſtus manum , & de præſenti eum ſubmerſionis periculo liberauit. Et verò de ſe Paulus teſtatur ſibi datum angelum Sathanæ ſtimulum carnis,qui eum colaphizet,ne reuelationum magnitudine inſolentius extolleretur , qui adeo eum vexauit,vt ob continuam eius moleſtiam,ter Dominum rogaret vt à tam acri & moleſta carnalis ſtimuli agitatione liberaretur:cui reſponſum [ſufficit tibi gratia mea.]Ecce gratiæ limen Paulo ſubſternitur vt tumentem ſalebroſis aquarum fluctibus carnis torrentem incolumis tranſeat, cum ingenti meritorum

Matt. 14.

2. Cor.12.

2. ad Cor. 4.

Digitized by Google

rum prouentu [quod enim in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ : supra modum in sublimitate(non physicè,sed moraliter & meritoriè)æternum gloriæ pondus operatur in nobis.] Ecce gratiæ ac gloriæ augmentum , pro tribulationis momentaneo , pro leui passione in hac vita Christi gratia susceptа æternum gloriæ pondus in cœlo nos manet. Sic Machabæis,sic Petro & Paulo , Vincentio,Laurentio lapides,sartagines,equulei,gladij, cruces,ac tormenta omnia præ cœlesti gloria erant, quasi tribulationis momentum respectu infiniti temporis,quasi pluma vel bulla leuissima respectu cœli, vel vniuersi alicuius plumbei vel potius aurei,quasi punctum,respectu totius mundi: [venale habeo, inquit Augustinus , quid Domine ? regnum cœlorum quo emitur ? paupertate regnum : dolore gaudium: labore requies: vtilitate gloria: morte vita, scriptum est enim, Beati pauperes , beati qui persecutionem patiuntur,propter iustitiam;quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Aug. in Psal. 93.

Venale est regnum Dei.

26. Aristoteles morti proximus animæ immortalitatem asseruit , animaduertit enim quod in præsenti vita mali sæpe sæpius prospero viuebant cursu, vidit etiam bonos laboribus , ac calamitatibus contundi,ex quo scitè vnum è duobus intulit , vel quod iniustus sit Deus(quod natura abhorret audire,)vel quod futuram expectare vitam debeamus , in qua iusti remunerandi,& peccatores suppliciis torquendi.[Plantasti eos,& radicem miserunt]sed statim sibi propheta respondet. [Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis] vbi Hieronymus. [Non parua consolatio est,quod quasi pecora saginantur ad victimam.] Quemadmodum itaque bouem,aut arietem optimis saginare pascuis solemus , vt iam pingues macello consecrentur : sic Deus peccatorem suis indulgere voluptatibus sinit, quem tandem peccatorum saginatum iniquitatibus infernali deuouet macello,in æternum mactandum:

Vnde Aristoteles animæ immortalitatem asseruit?

Hieron. in illum locum Hieremiæ. Simile.

& con

è contrario iustum hic paterna castigat virga, vt tanquam tritura expurgatum triticum cœlesti in cœlo mensæ reseruet. Hinc Gregorius, [Sancti (inquit) præsentem pœnam lucrum putant: quia per hanc æternam euadere non ignorant[Magna itaque, vt ait Augustinus, misericordia misericordiam in præsenti, non consequi.]

EXEMPLVM.

27. Sub extrema Reginæ Elizabethæ tempora vxor cuiusdam lanionis capta, quod Sacerdoti vitæ necessaria tribueret, seque in omnibus Catholicam ostenderet, quæ coram iudice adducta an sese diiudicandam iuxta duodecim virorum opinionem, ac sententiam postea iudicis submitteret, respondit se nulla ratione id commissuram vt innocens & indemnis nocentes coram Deo vel coram iudice sui gratia fieri velit: cui iudex, inuolutum obscuritate sermonem explices: illa ad hæc si submisero me censuræ duodecim virorum, meque indemnem ac innocentem censeant grauem incurrent pœnam, sin verò censeant huiusmodi reum mortis esse, diuinæ legis præuaricatores constituuntur, qua cautum est insontem non interficere, insontem verò esse, qui Dei Sacerdotem sustentat, aut illi fauet tota scriptura commemorat, ex cuius ore legem nobis requi-
Malachiæ 2. rendam Spiritus sanctus docet[labia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirent ex ore eius] cúmque constanti animo, ac imperterrito pectore in hoc proposito pedem figeret, de more Anglorum vt pressura vitam suam finiret adiudicata. Hinc in carcerem abducitur insequenti die moritura. Sed nocte intempesta iudex ad eius animum ac in fide propositum labefactandum maritum eius, qui hæreticus fuit, cum prolium grege, submisit, cum certa spe veniæ si Reginæ voluntati dicto audiens esset. quare vbi maritus & proles illam cum lachrymis vrgerent rogarentque vt se à tam infami mortis genere vindicaret, suorúmque mœrori ac extremæ

neces-

necessitati succurreret, mariti dilectissimi ac charissimorum pignorum misereretur, tantum abfuit, vt ad latum vnguem à firmo animi proposito deflecteret, vt potius, sublatis in cœlum oculis, & deinde depressis ac coniectis in mariti ac prolium vultus, in hæc constantis animi verba prorumperet: O marite dilectissime, vósque pignora mea charissima, nihil mihi post Deum vestra incolumitate antiquius: veruntamen si omnes vos simul in hoc vtero meo concluderemini, pro Dei honore ac gloria, pro populi ædificatione, & pro æterna animæ meæ salute obfirmato animo pressuram illam cras subirem, vt plures vna victima vno mortis genere Deo consecraremur, quo responso attoniti, tanquam desperatam relinquunt: illa verò sequenti die fronte hilari, mundioribus induta vestibus, tanquam ad nuptias ad locum supplicij prouehitur, quæ supina coram tota multitudine horribile spectaculum expectante, & admirante humi prostrata, donec paulatim veluti trocleis quibusdam ingens dimitteretur pondus, hæreticis interim illi acclamantibus, vt à pertinaci animi proposito resiliat, sed frustrà: nam illa explicata fronte, pacatis sensibus, oculis in cœlum coniectis, sine gemitu, sine singultu, sine vllo doloris sensu grauissimum suscipit pondus, quod tanto cum ossium stridentium fragore ac concussione illam contriuit, vt à tota circumfusa hominum multitudine stridor ille & fragor, non sine horrore simul ac admiratione exaudiretur. præsentē enim pœnam, vt ait Gregorius, lucrum putauit, qui per hanc æternam euadere non ignorauit.

IN FESTO S. STEPHANI protomartyris,

Concio ſecunda.

THEMA. *Poſitis genibus clamauit, voce magna dicens, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, &c.* Actorum 7.

Efficax oratio actioni cõiuncta.

1. NIhil potentius igneo orationis globo, ex inflammato corde veluti ænea fiſtula exploſo, præſertim ſi arduæ virtutis heroicæ actioni coniungatur. Quid enim hæc duo ſibi copulata non efficient? igneus enim orationis globus, incenſus charitate, veluti puluere, ex humilitatis fiſtula, collimato puræ intentionis oculo, emiſſus, ita ſtatim tanta celeritate fertur, vt veluti in momento cœlos penetrans, auguſtiſſimæ Trinitatis pectus feriat, ac in

Eccl.35. explodentis ſententiam, ac deſiderium trahat. [Oratio enim humiliantis ſe, cœlos penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur; & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.] Huiuſmodi fuit igneus ille Stephani orationis globus, qui ſe perfectè poſitis genibus, coram Deo deiiciens vehementer humiliauit: cuius efficax, ac feruens orationis globus, præ ſocordia minimè humi repſit, ſed omnia viſibilia & inuiſibilia tranſcendens Altiſſimi ſolium pertigit, vbi non quieuit, ſed veluti igneus ſubſultans globus, à Patris pectore in Filij & Spiritus Sancti pectus inſiliens, ſollicitare nõ deſtitit, quouſque optata extorſit & pro voto omnia recepit. Nam Pauli, ac aliorum forte conuerſionem impetrauit. Si huic iam ignito orationis globo heroicæ virtutis actionem tanquam oblongam ac vibrantem haſtam coniungas, quid deerit. Nam ſicuti ille certò ferit eminus

ictu

ictu scopum: Sic hæc arduæ actionis veluti hasta cominus vibrata, haud dubia præsentes cuspide penetrat.

2. Qui terrenam Ierusalem instaurabant vna manu faciebant opus, & altera tenebant gladium; sic Stephanus, qui cœlestem sibi Ierusalem fabricare voluit, vna manu faciebat opus, & alia manu gladium tenebat: cùm alternis vicibus lapidantium saluti impensius & suæ instabat: nam lapidantium conuersio cœlestis Ierosolymæ est ædificatio, cuius structura ex indigestis ac impolitis Iudæis politos in ordine digestos ac viuos lapides effectos superponere studebat, cùm ab iis orationis veluti lima & dolabra crudelitatis, inuidiæ, mendacij, doli ac fraudis vitia præcidere, & eos virtutum pulchritudine decorare conabatur: feruens verò oratio ac rerum cœlestium ipsi obiectarum contemplatio, acutissimus eius gladius, cuius præsidio munitus, non solùm immanissimos Dei hostes vultu suo splendente terruit, eorúmque in se conflictas calumnias confutauit, verùm illis etiam Saulum, tanquam insignem prædam, eripuit. 2. *Esdr.* 4. 7.

Stephanus vna manu faciebat opus & alia tenebat gladium.

3. Videtis quibus instructus armis strenuissimus Christi athleta Stephanus, in hoc anceps certamen descenderit: non enim sufficit illi hostes salutifero ac charitatis incenso orationis globo, ac ardua heroicæ virtutis actione aggredi, nisi etiam altera manu diuini verbi gladium, præferente, altera hostibus salutis æternæ opus faciente, ex illis perpolitos cœlestis structuræ ac viuos diuinæ gratiæ lima lapides efficere conaretur, vt quemadmodum expansa cœli ianua, se inter ardentes amore Seraphinorum viuos lapides statim collocandum vidit; sic illos pœnitentiæ veluti dolabra exsculptos, suo etiam ordine, inter cœlestes aliquando collocandos pararet. O vtinam sic nos semper instructi huiusmodi aggrediamur pugnam, quibus, non tantùm est colluctatio aduersus corporis inimi-

cos,neque aduerſus carnem , & ſanguinem , ſed ad-
Epheſ.6. uerſus etiam Principes , & poteſtates , aduerſus rectores tenebrarum harum, ita vt cùm illi oculatiſſimi ſint,nos tamen quaſi in tenebris,verſantes minimè illos videamus,neceſſéq; ſit proinde veluti Anadabatarũ more, qui clauſis oculis digladiabãtur, cũ illis pugnare,quos ſi velimus ſuperare(nõ enim certamus pares cũ paribus) iiſdem cum Stephano ora-
Exemplo Stephani actione & oratione contra hoſtes pugnandum. tionis ac actionis armis inſtructi eſſe debemus , cuius exemplo,tam corporis , quàm animæ hoſtes expugnare diximus , cui illud præclarũ apud Suidam elogium ſingularis Iobi virtutis, paucis mutatis,attribuendũ.Stephanus verè magnus ille,& generoſus veritatis pugil,primus aperuit gymnicũ illud, ſpectante cœlo,certaminis ſtadiũ. Hic aduerſarios omnibus congreſſibus proſtrauit,hic plagis ad ipſa oſſa penetrãtibus acceptis permãſit inuictus,hic ſuo purpuratus ſanguine æternæ gloriæ coronã meruit:hũc neq; mors proſternere ita potuit,neque ab hoſtibus lapidibus obrui, quin omnibus quaſi inuitis , cœlo aperto , Ieſum à dextris patris ſui glorioſum adhuc viuus videre potuerit.hic primus,poſt Chriſtũ,martyrij certamine diabolo victo , de improbis ſuis hoſtibus triũphauit,nõ victor in Olympiis,aut Nemęis, aut Iſthmiis, aut Pythiis aut certaminibus cæteris, quæ arrogantibus Græcorum ſermonibus celebrãtur, ſed pro Dei gloria animarũq; ſalute ſpectaculũ horrẽdũ&inuſitatũ,Deo,Angelis,hominibus factus.

Cõcionis partitio. 4. Duo dicam.Primum de B.Stephani orationis efficacia. Secundum de eiuſdem pro hoſtium ſalute cum Deo concertantis efficaciore vi,prius inuocato Spiritus Sancti auxilio,per Sanctiſſimæ Virginis interceſſionem. Aue Maria.

Quæ efficax Stephani oratio. 5. Primo conſideremus loco ignitæ orationis globum B. Stephani,eiúſque efficaciam , qui ab impiis licet afflictus , adeò tamen Spiritu Sancto plenus fuit,vt & Dei ſibi aſſiſtentiam, ac cœlos aperiri, virtutémque Dei ſibi paratam in tam periculoſo certa

certamine promeruerit, qua corroboratus de ſalute lapidantium magis, quàm de ſua vita ſolicitus, huiuſmodi ignitum in auguſtiſſimæ Trinitatis pectus orationis globum exploſit [Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum] cuius globi feruentis vi, & Sauli, qui in omnium lapidantium eum manibus lapidabat, conuerſionem impetrauit. Hinc de hoc Stephani ardente deprecationis globo agens Auguſtinus, verba, ait, iſta, audiuit Saulus, audiuit ſubſannans, ſed irriſit, & tamen ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc graſſabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur] & alibi: [Si Sanctus Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non habuiſſet, ſed ideò erectus eſt Paulus, quia in terram inclinatus, exauditus eſt Stephanus.] Quàm verè Chryſoſtomus [nihil (inquit) eſt homine probè orante potentius.] Quid, obſecro, potentius, quid efficacius, quid penetrabilius illo tuo, ô Stephane, charitatis igne, inflammato orationis globo? eóque potentior, efficacior, penetrabilior, quod ex imo pectoris incendio accenſus, pro perſecutoribus, corde veluti ſecundo globo ſubſequente, exploſus ſit. Vnde ne tam perfectæ orationis præmium diutius differretur, ſtatim in cœlum receptus es, vix enim eam perfeciſti, cùm in Domino fœliciter obdormires.

Aug. 94. de diuerſis.

Aug. ſerm. 1. de Sanctis.

Chryſoſt. ho. 58. in Matt.

6. Efficax quidem fuit ignitus orationis Ionæ, in ventre ceti, ad Deum ſuſpirãtis globus, vnde & ex ventre ſuo, immanis ille piſcis, Ionam in aridam euomuit. Efficax fuit igneus ille orationis Ioſue globus, quo Solem ac Lunam in medio firmamenti ſtare coëgit! Efficax fuit zelo inflammatus Eliæ orationis globus, quo cœlum, ne plueret annos tres, & menſes ſex clauſit: & quo rurſum illud aperuit, pluuiámque dedit, & terra fructum ſuum: Efficax fuit incenſus viuendi amore Regis Ezechiæ orationis globus, quo ex portis mortis,

Iona 2. Subiectis efficacis orationis exemplis Stephani oratio efficaciſſima oſtenditur.

3. Reg. 17.

Iſa. 38.

ad vitam reductus est! Efficax fuit flammeus ille trium puerorum orationis globus, quo effectum est, vt ipsis in Babylone flamma ignis in flatum roris conuersa sit: efficax præterea fuit ardens ipsius Pauli orationis globus, quo cum fractis vehementi tempestate omnibus penè nauis armamentis, se & ducentos septuaginta sex, ex præsenti submersionis periculo liberauit! Efficax insuper fuit Moysis orationis globus, quo Deo manus, ne ad vindictam eas, pro arbitrio suo, extenderet, quibusdam quasi flammarum reuolutionibus, ac catenis illigauit. [Cur Domine, inquit, irascitur furor tuus contra populum tuum] & quasi eius manibus vinculum iniiciens, illique imperans ait [quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.] Ecce quomodo ligato quasi imperat! Ille verò ostendens se Moysis oratione ligatum: [Dimitte me (inquit) cur manus mihi ligas? Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos] Ecce quomodo ligatus solui cupit, qui enim dixit: [dimitte me] ostendit se ligatum, & qui desiderat vindictam sumere, nec potest, ostendit se cupere dissolui: [Quando dixit: Dimitte me, ostendit se (teste S. Hieronymo) teneri posse, ne faciat, quod minatus est: Dei enim potentiam serui preces impediebant:] Imo cùm neque eum dissoluere, neque vt vindictam sumat Moyses velit, cor Moysis quasi largitione emollire tentat: subdit enim: [Faciam te in gentem magnam] si scilicet dimiseris me. Sed cùm neque obsecrationibus, neque largitionibus eum potuit flectere, victa quasi admirabili Moysis in populum misericordia, & statim eius ira subsidit; sequitur enim [Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus est aduersus populum suum.]

Dan. 3.
Act. 27.
Exod. 32.
Hiero. Epist. ad Gauden.

Efficacissima Stephani oratio qua cœli, cœlites &

7. At verò nemo horum tantam cœlo vim intulit, vt illud orationis globo aperiens vnigenitum Patris, qui alioqui à dextris Dei sedet, surgere quodammodo compelleret, quod tamen Stephanus ora-

tionis

tionis suæ globo effecit, qui tantam sensim vim accepit, quia nimirum in Deum pro persecutoribus venia impetranda, explosus, vt cœlo, cœlitibus,ac Deo simul quandam intulisse violentiam videretur. Nam [cùm esset plenus Spiritu sancto intendens in cœlum] mentis nimirum oculos, incredibili Deo fruendi incitatus desiderio,ac singulari incensus cupiditate veniam persecutoribus impetrandi, antequam toto impetu flammantem amoris globum sursum euibraret [vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei] quare tanquam de parta triumphans iam victoria [Ecce ait,video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei] ô si Stephanus, animi tantum desiderio intendens in cœlum, illud aperuerit, & Iesum in sui auxilium stare fecerit, & vt atrocis peccati veniam lapidantibus tribueret,excitarit,quid,obsecro, effecit,cùm etiam præeuntem affectum, igneo quodam amoris globo, ex intimo cordis ardore explosо, multiplicauit? quo, obsecro, putatis peruenisse ? audite in cœlo quasi iam expugnato, & in prædam Stephano dato veluti expugnatorum clamores, crebra à victrice eius manu amoris vulnera recipientium [vulnerasti cor meum, sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui] Ecce quàm vehemens igneus iste globus, qui etiam effecit,vt immensa illa maiestas quodammodo clamaret,seque grauiter,vel vno oculi ictu,vel vno minimo cordis eius desiderio,veluti condensatis globis, vario amoris vulnere sauciam agnosceret.

ipsum Deum quodammodo expugnauit.

Cantic.4.

8. Quod intelligens Stephanus, & globum, & ictum duplicat, & [positis genibus] vt sit[quo certius scopum attingat,& ex lapidum concussione veluti ex cilicibus concepto igne, tanto fragore orationis tormentum explodit, vt omnes cœlos cœlestesque concutiens penitius Trinitatis pectus, quàm antea peruaserit. Nam [voce magna clamauit, Domine ne statuas illis hoc peccatum] quo ictu, solito

Efficacissima oratio pro inimicis fusa per Stephanum.

grauius, Christi maiestas, veluti saucia, quasi moribundi instar, ac deficientis animo auxilium implo-
Cantic.2. rantis, omnibus acclamauit cœlitibus [Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo] ac tandem velut amoris vulnere colliquescens in Patris sinum coactus sit quasi recumbere, seque abscõdere, ob crebras globorum emissiones, & totius cœli continuam successionem. Tanta enim eum cœlestesque omnes inuasit (vt more humano loquar) admiratio, dum hominem, ex fragili compositum figmento, lapidibus obrui audirent, eosque veluti ignitos globos, ab ipso exilientes, orationis vi, in cœlum euibrari, vt Christus in sinu Patris, quasi recumbens, quo eius reciperet Spiritum, inimicisque grande hoc peccatum non exprobraret, excitaretur, & simul cum illo cœlites omnes, in eius occursum turmatim occurrerent. O quanta hæc Stephani orationis vis; vt non tantum ipsos cœlestes, in sui rapiat admirationem, sed Christum etiã, ex alto suæ diuinitatis contemplationis somno excitatum, ac homi-
nis voci obedientem eius deprecationem exaudire quodammodo coëgerit! O quanta tuæ, ô Stephane, orationis vis, vt non modò diuina illa maiestas, eam statim exaudiat, sed etiam, vt ad eius prolationem, non secus, ac si ingens flammarum vis eius pectori admoueretur, suam ipsius animam, præ illius ardore
Cantic.5. colliquefactam fateatur. [Anima mea, inquit, liquefacta est, vt locutus es. Surrexi] stantem enim vidit eum Stephanus, [vt aperirem dilecto meo pessulum ostij mei. Aperui] quem vbi amoris vlnis excepit,
Cantic.2. exclamauit [Dilectus meus mihi, & ego illi] ô quot complexus tunc, & oscula inuicem interuenerunt! ô quoties illud Canticorum inter vtrumque geminatum est [Osculetur me osculo oris sui.]
Cantic.1.

Stephani oratio suam accepit efficaciam à Christi in cruce oratione.

9. Audistisne vnquam hominis orationem tantum apud Deum præualuisse, vt vno impetu cœlũ, cœlites, ac Deum ipsum expugnaret? Verè hanc accepit vim ab illa Christi oratione, (quam modò inter

crepi

crepitantes lapides imitatus) qua excellentior, efficacior, nobilior nulla esse potuit. Nam vt ipse Christus pro suis persecutoribus orans, [exauditus est (vt testatur Paulus) pro reuerentia sua:] sic hodie oranti Stephano pro inimicis, cœli aperti, Deus ad misericordiam Saulo præstandam commotus, & Stephani, ab angelis, in cœlum anima suscepta est. vnde colligendum nobis cœlorum ianuam pacificæ orationi pandi, & maximè, si pro inimicis fusa sit, quam contentiosis, & veniam inimicis minimè deprecantibus, clausam esse, non licet dubitare. *Hebr. 5.*

SECVNDVM PVNCTVM.

10. Secundo dicam loco, quanta sit vis viri pacifici orationis, cum Deo certantis, de venia inimicis consequenda. Aliæ quidem orationes cœli ianuã pulsant: at huiusmodi statim veluti excluso ab ingenti tormento, globo, illam quasi perfringit ac aperit. Aliæ Deum ad commiserandum mouent: huiusmodi verò vehementi impetu, ac ingenti cordis desiderio, tanquam igneus subsiliens globus violentiam illi quodammodo inferens, misereri cogit. Aliæ charitatis magna præ se ferunt indicia: huiusmodi se totam ex charitate compositam, non obscuris declarant argumentis, vti illa fuit Stephani: licet enim inimicorum in se furentium inexplebilem, fraterna correptione potius auxisset, quàm diminuisset crudelitatem, de sua tamen in eorum salute procuranda, solicitudine nihil remisit; sed positis etiam genibus, vt suam in illos charitatem magis declararet, feruentius ignitum orationis globum in Dei pectus, eorum gratia, explosit: cui propterea illud Canticorum non immeritò applicari potest: [Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris:] tanta enim animæ huius in Deum rectitudo semper perstitit, vt quo magis persecutionum flagellis premeretur, eius corpus, & ipse pro se illud, quasi radices in terra figens inclinaret, & positis genibus flecteret, eo altius ad instar palmæ, mentis

Efficacitas orationis pro hoste fusa, omniũ aliarũ superat vim.

Cantic. 7.

Similia.

Meritò Stephanus palmæ comparatur.

tis dum orat eleuatione erigeretur: & ſicuti palmæ folia gladioli ſpeciem præ ſe ferunt: ſic huius orationis verba, quaſi acutiſſimis armata in hoſtes gladiis, licet adamantina eorum corda, nõ emolliuerint, ita tamen ad omnia ſibi per amorem ſubiicienda aptiſſima erant, vt Dei pectus penetrantia, eum in illius raperent amorem. Rectè itaque ſtaturæ palmæ comparatur, [cuius rectitudo (vt ait Beda) eſt bonæ operationis, quæ ad terrenam concupiſcentiam incuruari deſpiciens, totum ſe ad cœleſtia promerenda ſuſtulit.] Hanc etiam nos rectitudinẽ habere Apoſtolus iubet: [ſtate (inquit) in fide, viriliter agite.] Deinde vt palma in inferioribus aſpera, in ſummo autem pulchritudinem, & fructus ſuauitatem oſtendit: ſic Stephanus orans, aſperos hic in inferioris ſui parte, pro Deo labores tulit, lapidibus obrutus, ſed pulcherrimos, ac ſuauitate plenos, in ſuperiori ſcilicet ſui parte fructus extulit, quia gaudens in preſſuris, & exultans cœlos ſibi apertos vidit, & filiũ Dei à dextris virtutis Dei ſtantem, qui ita eum animauit, vt breui martyrij palmam conſequuturum ſe ſperaret; Sicut itaque palma manus victricis teſſera eſſe ſolet, qua etiam olim victores coronabantur: ſic hodie victrici manu illam Stephanus præferens, gloria & honore coronatus eſt. [Et palmæ in manibus eorum] palmas, inquit Gregorius, in manibus tenere eſt victorias in operationibus tenuiſſe, cuius operationis palma ibi tribuetur, vbi iam ſine certamine gaudebit] de ſtatu enim huius vitæ illud Ezechielis dicitur [Ante frontes pictura palmarum] pictura, inquit, palmarum, nam hic plerumque ſanctos viros mira agere, & virtutum ſplendoribus collucere videmus; ſed hæc nõdum palmæ ſunt, ſed pictura palmarum, quia de iis foris oſtenditur, quales apud omnipotentem intus habeantur. Ante ergo frontem, cœlo aperto, pictura hæc palmarum Stephano propoſita, vt ipſam palmam hoſtibus deuictis breui raperet.

Beda.

1. *Cor.* 16.

Simile.

Apoc. 7.

Greg. ho. 17. *ſuper Ezechielem.*

Ezechi. 4.

Licet

11. Licet verò omnes sancti in victoriæ signum palmas manibus in cœlo gestent, id tamen maximè cõuenit martyribus ac inter præcipuos glorioso Protomartyri Stephano: quippe, qui difficiliora bella gessit: quod enim difficilius, quã pro se lapidantibus positis genibus, ex intimo cordis affectu magna cum voce ad Deum clamare: Domine, ne statuas hoc illis peccatum? Est ergõ (vt D. Ambrosij verbis vtar) generoso huic protomartyri hodie in cœlo palma, suauis ad cibum, vmbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ, atque ideo non marcescit palma, quia martyris victoria non marcescit, iuxta illud Psalmistæ, Iustus, vt palma florebit. *Licet palma omnibus martyribus debeatur, Stephano tamen maximè qui difficiliora gessit bella. Amb. ser. 24.*

12. Præterea sicuti palma, præ cæteris, celsitudinem quandam acquirit, ad quam quidem, non nisi centenos post annos peruenit, dactylos tum saluberrimos, tum suauissimos tunc profert; sic Stephanus orationis, pro inimicis fusæ virtute, ad tantam perfectionis celsitudinem breui peruenit, vt rectè in eum illud Sapientiæ quadret [consummatus in breui expleuit tempora multa] florensque ac suauissimis meritorum dactylis, semper grauescens, in cœli portu huiusmodi nobiles fructus exonerans, cùm æterna beatitudine commutauit. Et sicuti palma diurnitatem quandam temporis, cum quadam fructuum fœlicitate adipiscitur; sic Stephanus æternitatem sibi cum beatitudinis fœlicitate, suorumque fructuum perpetua dulcedine, illa heroicæ orationis virtute, commeruit. Sicuti etiam teste Plinio [gaudet riguis, totóque anno bibere, neque quidem contenta est solis pluuiis: sic Stephanus cœlestibus semper gaudebat gratiæ riguis, totóque vitæ suæ decursu, de perenni saluatoris fonte gratiarum latices pleno haustu bibebat, neque quidem contentus erat solis illis ac ordinariis cœlestis gratiæ pluuiis, quæs quilibet sanctus cœlitus suscipere solet: sed tot gratiarum scaturigines è cœlo hauriebat, quot lapides in omnium *Cætera conditiones palmæ Stephano applicantur.* *Sap. 4.* *Plinius l. 13. c. 4.*

nium lapidantium manibus, ſanguinis eius ſcaturigines in cœlum inſilire efficiebant. Et ſicuti ſolis, auctore etiam Plinio, amantiſſima palma, ob humorum affluentiam. Sic Stephanus ſolis iuſtitiæ amãtiſſimus, ob cœleſtis gratiæ affluentiam, hinc plenus Spiritu ſancto erat. Denique ſicuti fœmella palma per maſculæ vmbram ab oriente ſole contecta conſeruatur: ſic Stephanus ſub vmbra alarum Chriſti tanquam ſponſa in ſui ſponſi ſinum incumbens à denſo lapidum imbre ne vulnus animæ infligerent contegebatur. Et ſicut botrus, vt vinum proferat prius in torculari calcandus ac premendus: ſic Stephanus ſui corporis botrum lapidantium preſſura ſubiecit, donec ad inſtar magiſtri ſui, ſanguinis calicem Deo Patri, pro perſecutorum ſalutè, obtulerit, propitiatorium.

Plin. l. 17. c. 44.

Matth. 5.

Cantic. 1. Tanta Stephani charitas vt ne quidem ſanguine proprio extingui potuit.

13. Tantam ſanè in inimicos ſic orando Stephanus charitatem oſtendit, vt [aquæ multæ] imo multus ſanguis [non potuerint extinguere eam] non enim inimicorum crudelitas, non crepitantium lapidum nimbus in eius irruens caput, non diffluens vndique ſanguinis riuus, non Sauli in omnium manibus eum lapidantis præpoſtera ſolicitudo, non denique ipſa mors, vel minimam eius ſcintillam extinguere potuerunt: ſed quo magis aquæ iſtæ perſequentium, & ſanguinis riui, per totum corpus diffluentes augebantur, eo magis Stephanus ſupereminens, pro eorum ſalute orabat. Sicut enim arca Noë, quo magis aquæ increſcebant, eo altius aſſurgebat, ac illis ſupernatabat [flumina enim non obruent eam, fortis enim vt mors dilectio.] Hinc ſponſa tantum ſui ſponſi admirans in inimicos charitatem, vt ipſa, præ cæteris, ea prius frueretur [botrus, inquit, Cypri dilectus meus mihi, & ego illi] quaſi dicat, quandoquidem adeo profuſa ac prodiga ſponſi mei charitas ſit vt etiam in inimicos ſeſe extendat botrus cypri, vel, vt eſt in Hebræo, racemus copher erit mihi, qui præterquam quod & ſuauiſſimum odorem

Simile.

Simile.

ſpar

ſpargat, tali eſt naturæ, vt ſi illi granum accendas, & in lampadem aquæ plenam iniicias, in medio aquæ ardeat & flammas ſpargat: ſic botrus noſter Stephanus vitæ integritate, ac morum fragrantia eximius, tantas charitatis flammas ex ſe euomuit vt potius inter perſecutionum ac tribulationum aquas conflagraret quàm extingueretur.

Viſo Stephani exemplo neme ſeſe vindicare debet.

14. Quis ergo viſo tam præclaro diſcipuli exemplo, ac ſingulari orationis eius, pro inimicorum ſalute fuſæ virtute, ſibi propoſita, manus in poſterum ad vindictam extendere velit, cùm ille in ſui ſanguinis balneo immerſus, tanta arderet flamma vt exclamaret, Domine ne ſtatuas hoc illis peccatum!] Hinc Auguſt. etiã exclamat: [Tu ô Chriſtiane quæris vindicari de aduerſario tuo, qui tibi forſitã iniuriam fecit? æſtuas, furis, anhelas, feſtinas vindicari? attende Chriſtum medicum ægritudinis tuæ, attende redemptorem animæ tuæ, propter te pependit in ligno, & nondum eſt vindicatus, & tu vis vindicari, & non vis tantum, & talem magiſtrum imitari? ideo pati voluit, vt tibi patientiæ ſuæ demonſtraret exemplum. Vide pendentem & tibi de ligno, tanquam de tribunali præcipientem audi precantem: Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.] Et ne fortè nobis impoſſibile videatur Chriſti, in hac re, imitari exemplum, Stephani eius diſcipuli, qui hanc ab eo lectionem, ex crucis pulpito perfectè didicit, præclaram animi magnitudinem, ac in condonandis iniuriis fortitudinem idem ſanctiſſimus Pater proponit. [Ecce (inquit) Stephanus lapidatur, ſic conſtitutus quaſi ante oculos noſtros! Ecce membrum Chriſti! Ecce athleta Chriſti! ſuſpice illum, qui pependit in ligno, crucifigebatur ille, iſte lapidatur, ille dixit; Pater ignoſce illis, quia neſciunt: iſte quid dicit? audiamus illum, ſi forte, vel ipſum imitari valemus: primò B. Stephanus ſtans orauit pro ſe, & ait, Domine Ieſu accipe Spiritum meum. Deinde genua flexit, & flexo genu ait: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum,

Aug. ſerm. 2. de ſanctis.

Aug. ſerm. 2. de ſanctis.

tum, & hoc dicto obdormiuit. Fœlix ſomnus & requies vera. Ecce quid eſt requieſcere? pro inimicis orare. Ergo chariſſimi ſi non poteſtis imitari Dominum, imitemini conſeruum.] Nonne ergo huiuſmodi oratio tota ex charitate compoſita, ex pacifico Stephani pectore fuſa, tanquam igneus, ex maximo tormento, globus explosus cœlos aperuit, cœlites in admirationem traxit, Deum vicit, Saulo veniam impetrauit. O quàm meritò illud Laurentij Iuſtiniani lachrymarum encomium huiuſmodi quaſi omnipotenti Protomartyris orationi tribuendum ſô lachryma, inquit ille, humilis, (ô inquam oratio humilis) tua eſt potentia, tuum regnum: tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accuſatoribus ſilentium imponis: non eſt qui te ad Deum accedere vetet: ſi ſola intres vacua non redibis. Quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium virginis, aperis cœlum, fugas diabolum.]

Iuſtin. in l. ligno vitæ.

EXEMPLVM.

Simon ordinis prædicatorum in ſuis ſermonibus qui manu ſcripti in bibliotheca S. Marci Florentiæ.

15. Magiſter Simon Berti refert quendam occidiſſe fratrem cuiuſdam nobilis, & cùm non poſſet effugere manus ipſius ipſum ad vindictam quærentis, facti pœnitens ſalutari confeſſionis ſacramento patratum homicidium expiauit. Deinde ſeſe Deo commendans cum prudenti deliberatione & ſponte nobili illi ſeſe die veneris ſancto obuiam iuit & ad ipſius pedes prouolutus fune è collo ſuſpenſo veniam rogauit mortis, quam fratri eius intulerat: & præterea, vt vitam ſibi donaret amore Dei & Ieſu Chriſti, qui eo die paſſus erat, pro nobis; viſa tanta humilitate ſecura de ipſius clementia nobilis ille compunctus eſt, & illi condonauit, pro amore Chriſti, vitamque largitus, & ipſum amplexatus, & oſculatus dixit: Vade in pace frater, Deus tibi remittat in cœlis, ſicut tibi remittit in terris. Sed audite magnam mercedem, quam Deus retulit; pro tam heroico facto, ipſius amore deſignato, ſequenti nocte apparuit Chriſtus in viſione & ait: quoniam heri amore

mei

mei condonaſti inimico tuo, noueris me animam fratris tui occiſi, hac hora, è purgatorio liberaſſe, & inſuper animam Patris tui, ex eadem pœna exemiſſe, & ambos mecum duxiſſe in gloriam cœleſtem: quin etiam hæc ſuperaddidit, te inuito ad octauum diem, vt relicta huius mundi miſeria, poſſis gloria cœleſti frui, & ſic factum eſt. Nam octauo die poſt, bene præparatus requieuit ſanctè in Domino. Ecce grandis fructus, qui colligitur condonando inimicis. Quare non remittendo poteſt credi animas diutius cruciari in purgatorio. Ex Seraph. Bazio in ſuo hortulo exemplorum tit. poſteriore de dilectione inimicorum, exemplo vnico. Speculum exemplorum de remiſſione iniuriarum, exemplo ſecundo.

IN FESTO S. STEPHANI protomartyris,

Concio tertia.

THEMA: *Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Act. 7.

1. INter cæteras præclaras, cœleſtis doctrinæ, lectiones, à Chriſto, in ſublimi crucis pulpito prælectas, è præcipuis fuit, ſingularis illa in ſuos perſecutores charitatis demonſtratio, cum clauis affixus, opprobriis ac iniuriis laceſſitus, pro eorum ſalute apud Patrem mirè ſolicitaret. [Pater (inquiẽs) dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt] hanc, diſcipulus eius Stephanus, prælectionem, ita auidè arripuit, vt eandem ipſe inter crepitantium lapidum nimbum nobis repeteret [poſitis enim genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.] O imcomprehenſibilis magiſtri charitas!

Præclara lectio Chyſoſt. in crucis pulpito orare pro inimicis. Luca 23.

Digitized by Google

charitas ! ô discipuli incredibilis imitatio ! ô magistri misericordiæ abyssus ! ô discipuli diuinæ misericordiæ inaudita æmulatio!ó magistri infinita clemẽtia ! crucifigitur ab inimicis , & tamen pro eorum salute exclamans orat, vt nimirum quod verbo docuit [orate pro persequentibus & calumniantibus vos] id nunc , ex crucis pulpito , exemplo doceat [Pater (inquit) dimitte illis:non enim sciunt quid faciunt.] Sequitur discipulus: lapidibus ab inimicis obruitur , & tamen pro iis magna voce exclamans orat [Domine ne statuas illis hoc peccatum] vt scilicet , quod magistri sui exemplo didicit , dicentis [Pater dimitte illis,]id ipse,suo etiam doceat exemplo,orans:[Domine ne statuas illis hoc peccatum.] ô quàm singularis & magistri , & discipuli hic charitatis actus ; ille distractis in cruce membris , distentis corporis neruis, artubus solutis, manibus & pedibus clauis inhumaniter perfossis , probrosis affectus blasphemiis,inter hæc tamen omnia, tantum abest,vt murmuraret,vt irascceretur,vt ignem è cœlo dimitti iuberet , quibus hostes absumerentur, vt terram aperto ore illos deuorare , & viuos absorbere imperaret, vt potius veluti incredibili affectus beneficio exclamaret[Pater dimitte illis.] iste similiter blasphemiæ in Moysen , ac legem commissæ, falso accusatus, è ciuitate velut mancipium eiectus, rabidis veluti canibus cinctus, mordacibus impuræ linguæ sannis exceptus , ac crepitantium lapidum nimbo expositus , ac suo purpuratus sanguine , tantum tamen abfuit, vt murmuraret, vt irascceretur,vt diris illos deuoueret,vt potius , singulari velut affectus beneficio , prælectam sibi à suo magistro lectionem , magna voce , suo etiam doceret exemplo [Domine(inquiens) ne statuas hoc illis peccatum.]

Matth.5.

Præclara discipulis magistri sui in condonandis iniuriis imitatio.

2. Romani olim , vt auctor est Bernardinus de Bustis , veri amici amorem in tabella depingere sic solebant : iuuenem pulcherrimum , capite detecto, veste abiecta , & aspera indutum , in cuius fimbria

Bernar. in suo rosario. Veri amoris emblema.

insci

Digitized by Google

inscriptũ VITA, & MORS, in frõte verò ipsius, ÆSTAS & HIEMS, latere vsque ad cor aperto, vulnus digito demonstrantem: in corde ipso, hæc verba exarata habentem: LONGE ET PROPE. In primis, verus amici amor, veluti pulcherrimus iuuenis in picturâ demonstrabatur, quia verus amor, aureo charitatis ardore, coruscat, quæ temporis mutationi minimè subiicitur, sed in eodem semper statu pulcherrima perseuerat, veste aspera circundatus iuuenis apparebat, quia verus amor, aspera quælibet ac dura proximi gratia subire semper paratus, & quia capite detecto, omnem excludit simulatum amorem, cùm verus amor sese ad omnes manifestare debeat. Quid verò pulcherrimo illo emblemate fimbriæ vestimenti inscripto, Vita nimirum & Mors, aliud significatur, quàm quòd in toto vitæ decursu, ac in ipso mortis articulo sincerus amor perseueret, sicuti & altera illa inscriptione; Æstas & Hiems; tam in prosperitate, quàm in aduersitate amorem semper proximis exhibendum: latus verò vsque ad cor apertum innuit, ex puro corde, ac animi visceribus, amorem hunc proficisci debere: vulnus digito ostendere, est amorem, qui in corde sedem habet, exterius charitatis operibus, quasi digito demonstrare: verba deniq; illa Longè, & Prope, huius amoris latitudinem designant, quippe qui tam in amicos, qui prope nobis sunt, quàm inimicos, qui longè à nobis sunt, sese extendit.

Veri amoris signa in Stephano.

3. Hanc sanè singularis amoris picturam, viuis exornatam virtutum coloribus, insignis ille cœlestis pictor Deus, in Stephani perfecti amoris demonstratione, quasi in expositâ omnibus tabellâ, exsculptam voluit. Nam in primis, quid pulchrius eius erga inimicos amore, charitatis flammas, vndique in lapidantes euomente, qui tantum abfuit, vt illis in eum dentibus stridentibus, ac è ciuitate eiicientibus, diminueretur, vt potius incrementum susceperit, quod verò amor illius aspera quæque,

dura,& indigna amici ſui, Chriſti gratia, pertulerit,nihil clarius; cùm enim Chriſti fidem liberè fortitérque annunciaret, ac eam miraculis confignaret,in ſe maleuolorum impetum immeritò mouit, qui tamen ab incœpto minimè deſtitit,donec, ob Chriſti fidem, lapidibus obrueretur, interim manifeſtans ſincerum ſalutis omnium amorem, quippe qui indiſcriminatim, flexis ger bus, pro omnibus orauit [Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.] Quòd verò amorem hunc in vita & morte ſemper oſtenderit,eius in vita prædicatio, & prodigioſa in morte amoris inimicorum ſignificatio, voce magna, pro eorum ſalute deprecans manifeſtum facit. Vnde & tempore proſperitatis miraculis & prodigiis glorioſus,& etiam aduerſitatis tormentis ſubditus ineffabilem in inimicos dilectionem declarauit, quæ ex imo cordis affectu & animæ viſceribus proceſſiſſe, vulnerato charitatis iaculo, & aperto amoris globo, corde, exterius hodie operibus,quaſi digito demonſtratur,vſque adeo, vt ſeſe amoris flammas vndequaque ſpargens, tam in amicos quàm in inimicos longè latéque dilataret!

Concionis diuiſio.

Tria in hac concione dicam. Primum orationem pro inimicis fuſam hominem quodammodo in Deum conuertere.Secundum, quomodo huiuſmodi Stephani claritatem ipſi conſequi poſſimus. Tertium denique quàm ſegnes ſimus Chriſti diſcipuli, & quàm mali Stephani imitatores in condonandis inimico iniuriis. Quod vt magno amoris impetu à nobis præſtetur, Spiritus ſancti gratiam, interueniente Beatiſſimæ Virginis deprecatione, per ſolitam Angeli ſalutationem, flexis cum Stephano genibus,efflagitemus. Aue Maria.

Oratio pro hoſte fuſa hominem in Deum quodammodo transfert.

PRIMVM PVNCTVM.

4. Quod primo dicendum loco ſtatui, eſt huiuſmodi orationem Stephani, pro inimicis fuſam, tantam habere vim, vt hominem quodammodo in Deum

Deum transferat. Aliæ quidem orationes ex charitate profectæ, vt in ipsam Dei imaginem, & similitudinem transformamur, nos disponunt: hæc verò Stephani oratio supereminenti condita charitate, in ipsos inimicos sese extendens, hominem quodammodo in Deum commutat, cuius præcipuum erga homines actum nos imitari facit. Nonne à Domino Moyses Deus Pharaonis constitutus, quòd sua in inimicos mansuetudine, in se Dei, ad viuum, imaginem exprimeret? Data namque illi potestate miracula operandi, vt Pharaonem variis affligeret plagis, summa eum lenitate, ac mansuetudine est aggressus, quo in malitia perseuerante, licet varias ei immisisset plagas, statim tamen quasi pœnitenti eas subtrahebat, expectans eius tanquam misericordiarum Deus, veram pœnitentiam. Nam cur alioqui se ab illo improbo toties deludi permisit? cur toties ei pepercit? cur non post primam aut secundam peccati iterationem, de eo supplicium sumpsit? nonne quia Deus Pharaonis erat, cui proprium semper misereri & parcere. Cùm ergo Moyses Deus esset Pharaonis, à Deo constitutus; ita statim, quasi diuinam induit naturam, vt qui tanquam homo pauperem illum, & sibi alioqui amicum, ac proximum die Sabbathi ligna colligentem, lapidare iussit, cum Pharaone alioqui inimico, tanquam Deus mitius ageret, eumque ad pœnitentiam potius, quàm ad vindictam quæreret. Ecce Moyses, qui ante, vt homo, iustitiæ seueritatem in proximum exercuit, factus veluti Deus pater fit misericordiarum: sic hodie Stephanus, positis genibus, pro inimicis deprecans, ex homine Deus, quodammodo factus est, cùm nihil Deo magis proprium, quàm misereri & inimicis parcere. *Num.* 15.

Magis miranda Christi in Cruce pro inimicis

5. Dum in cruce Christum pendentem, flagellis attritum, vulneribus toto corpore concisum, clauis transfossum, spinis coronatum, riuis vndique san-

Digitized by Google

oratio, quàm eius in omnibus tormentis patientia.

guinis madidum, incredibili animi magnitudine ac patientia prædituin Centurio videt, non tam ob tantam animi magnitudinem ac patientiam Deum esse agnoscit, quàm inter tot tormenta, pro inimicis mirè deprecantem filium Dei esse confitetur: [verè filius Dei erat iste.] Non igitur filij Dei tot subiectis tormentis (cùm hæc potiùs diuinæ naturæ repugnent) patientiam ita miratus; non quia terra contremuit, illo moriente, non quia sol obscuratus est, non quia velum templi scissum, non quia omnes creaturæ, quasi pulla induti veste, suum luxerunt conditorem, ita eum commouit, sicuti ardentissima illa è diuino pectore in Patrem suum euibrata orationis sagitta, qua inimicis veniam impetrauit, vnde exclamauit, pectus suum percutiens; [verè filius Dei erat iste,] cuius naturam hodie imitatus Stephanus, Deus meritò & æterni Patris filius quodammodo vocandus est, cuius ingenium ad misericordiam semper propensum, hac singulari charitatis in inimicos demonstratione retulit.

Marc. 15.

6. Imò sine hoc amoris symbolo, Dei nos esse filios penitus negamus. Parum enim nobis profuerit omnia nostra, Christi causa, in pauperes erogare; Parum profuerit fidei nostræ viuacitate montes transferre; parum profuerit corpus nostrum igni deuorare, si hoc charitatis symbolo, quo filij Dei à filiis diaboli discriminantur, careamus. [Diligite (inquit ipse) inimicos vestros] Ecce filiorum Dei tessera! nam subdit, [vt sitis filij Patris vestri.] Duabus rationibus ad inimicorum nos inuitat dilectionem: altera, ex similitudine cum Deo sumitur: [diligite, ait, inimicos vestros] vt sitis tanquam similes Patri vestro, per quandam filiationis proprietatem. Quid verò illustrius quàm Dei gerere similitudinem? quid nobilius, quàm vt nos simus filij æterno Patri similes, eiusque in nostræ animæ quasi fronte, clementiæ, ac misericordiæ imaginem ferre, neque ab illo vnquam in condonandis

Matt. 5. Dei filiorum nota, Inimicos diligere.

Digitized by Google

nandis iniuriis degenerare. Cùm ergo Pater noſter inimicos etiam diligat, illiſque benefaciat, ſi filij eius ſimus, quod ille facit, faciamus. Quòd verò inimicis ſuis benefaciat, Chriſtus perſpicuè declarat [Solem, inquit, ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, pluit ſuper iuſtos & iniuſtos] neque tantum ſolem hunc materialem oriri facit, ſed charitatis etiam ardorem omnibus ita tribuit, non probis ſolùm; ſed improbis quoque, vt nemo ſit [qui ſe abſcondat à calore eius,] præter eos, quibus in æternum abſconditus eſt Sanctiſſimæ Trinitatis vultus: licet non eodem modo ſuæ charitatis radios in probos & improbos extendat, iuxta illud Auguſtini: [Amicitia (inquit) non anguſtis finibus terminanda eſt. Omnes enim, quibus amor & dilectio debetur, amplectitur: quamuis in alios propenſius, in alios ſuſpenſius inclinetur. Peruenit autem vſque ad inimicos, pro quibus etiam orare præcipimur. Ita nemo eſt in genere humano, cui non dilectio, etſi non pro mutua charitate, pro ipſa tamen communis naturæ ſocietate debeatur.] Et ne deſit vlla nobis charitatis in inimicos conditio, quo minus filij Patris noſtri Dei eſſe poſſimus, non tantum vult nos eos diligere, ſed quia dilectio in corde imprimis eſt, inde verò in ora & opera profluit, vult nos præterea ore & lingua, pro illis orare [orate (inquit) pro perſequentibus & calumniantibus vos] deinde operibus benefacere [Benefacite iis qui oderunt vos] altera ratio ex difficultate, præſtantia, mercede & præmio dilectionis inimicorum depromitur [ſi diligitis (inquit) eos qui vos diligunt] amicos veſtros & propinquos, quo propterea digni præmio ſitis? at ſi quiſpiam, vt hodie Stephanus, ex intimo cordis affectu ſuos diligat perſecutores, pro mercede cœlos ſibi apertos, videre promerebitur, & æterni Patris filius, atque adeo Deus quodammodo conſtituetur. Ecce quomodo oratio pro inimico fuſa cœlos aperit, & orantem quaſi Deum efficiat.

Pſ. 18.

Aug. Epiſt. 121. ad Probam c.6.

SECVNDVM PVNCTVM.

7. Secundo dicamus loco quomodo nobis hanc in inimicos charitatem consequi possimus. Licet naturæ nostræ, peccato infectæ, inimicos diligere repugnet; tamen si velimus apud nos seriò perpendere summum inde nobis gratiæ ac gloriæ cumulum obuenturum, si iniuriam nobis illatam, æquo feramus animo; non tantùm facilè illos amore prosequemur; sed libenter etiam, cum Stephano, omnem nobis factam iniuriam illis condonabimus. Licet enim ipsi nihil minus cogitent, quàm sua inimicitia summum hoc nobis præstare beneficium; ita tamen fit, velint, nolint, vt per illam lubenti toleratam animo, vitam consequamur æternam. Quemadmodum enim ignis, quò magis sua voraci acrimonia in germanum aurum agit; eo illud purius, & à scoria purgatius reddit: sic inimicus licet in nos omnia attentet inferre mala; si ea æquo feramus animo, tantùm abest, vt nobis noceat: vt potiùs nos purificet, & ab omni peccati scoria mundet: ideò ait Dominus [Beati estis cùm maledixerint vobis, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me; gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis] nonne ergo diligendus est, vt ait Augustinus, potiùs quàm odiendus, qui nobis dat æternas opes?]

Simile.

Matt. 5.

Aug. ser. 59. de Tempore.

Omnes iniurias cõcoquere certæ filij Dei notæ.

8. Ardentis charitate animi est & certa filij Dei conditio iniurias, obloquia, calumnias, opprobria concoquere, iisque potius ali, quàm ea in suiipsius perniciem conuertere. Sunt quædam, vt ait Plutarchus, animalia, quæ plurimùm stomacho valent, quæque corporibus sunt saluberrimis etiamsi serpentes & scorpios edant. Nam eos natiuo stomachi calore concoquunt. Sunt quæ & saxis etiam & testis aluntur: huiusmodi nos animantia esse oporteret, quibus ardentes charitate stomachi ita essent, in quibus omnes iniuriæ, omnia opprobria, omnes contumeliæ facilè concoquerentur: adeó qu-

fortes ſ

fortes; vt serpentibus & scorpionibus detrahentium nimirum linguis corroborarentur; imo charitatis calor in nostris animæ stomachis adeo vehemenſe esse deberet, vt saxa, testas, imo etiam & ferrum consumat. Huiusmodi hodie stomachum charitate ardentem Stephanus habuit, quo ipsa etiam saxa facilè concoxit, eáque in pulcherrimas coronæ suæ gemmas conuertit. Huiusmodi stomachos habuerunt Paulus, Petrus, Andreas, Ignatius, omnésque Christi martyres, qui tot gladios, tot ferrea vincula, tot equuleos, tot sartagines, tot sagittas & cruces concoxerunt, è quibus splendentes sibi coronas fabricarunt. At nobis adeo delicati sunt stomachi, adeo debiles, frigidi ac nauseabundi, vt ne minimum quidem verbulum, ne minimum conuitium feramus, quin statim, veluti fastidiente stomacho, illa in auctorem retorquentes patientiæ corona neglecta, omnia simul pectoris venena in eum euomamus. [Qua ergo fronte (vt ait Augustinus) vel qua conscientia, cum omnibus sanctis partem in æterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi, in rebus minimis, non acquiescimus?] Sicut ergo solis ardor nubes penitus dissipat, cœlíque faciem hilarem reddit, sic charitatis, ex ima pectoris nostri fornace erumpens incendium, omnes in nos iniuriarum illatas nubes absumere debet, ac conscientiæ faciem inimicis serenam reddere. Sed heu! sicuti noctis frigiditas nubes fouet, & auget; sic cordis nostri gelu iniurias retinet, & quasi nubes in superiori animæ parte augens cimmeriis tenebris totam obscurat animam. [Nubecula enim parua (vt ait scriptura) quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis.] Heu! hoc sæpe nobis contingit, ecce enim nubecula, hoc est, minima iniuria, vel verbulum aliquod asperum, aut contumelioſum de mari, de amaro nimirum, turbulento & salso hominis corde exit, & ecce cœli nubibus

Aug. serm. 61. de Tempore.

Similia.

3. *Reg.* 18.

obtenebrantur, ratio ſcilicet ac mens iræ ac indignationis, quaſi nube obſcuratur, & ſtatim totum cœlum, tota hominis anima turbinibus, ventis, pluuia ac grandine, verborum tonitruis, iniurarum vindicta, mixta conturbatur, vt nox quædam obſcuriſſima in anima orta, magnam portendat breui ſubſequuturam calamitatem.

Qui inimicũ odit ſeipſum interficit. Similia.

9. Quæ obſecro, maior calamitas, quàm ſe ipſum penitus perdere, & in propria deſæuire viſcera? Nam ſicut apis vindictæ cupida aculeo pũgens euiſcerata moritur: ſic homo vindictæ cupidus, vbi mordacis linguæ infigit aculeos, ſtatim eius anima moritur; imo licet ſub amaro cordis velo vindictæ machinationes celet; ita tamen eius animam lancinant, vt antequam foràs prodeant, auctorem enecent. Quamobrem optimè Philo Iudæus [cogitationes, inquit, irati partus ſunt viperarum.] Sicut enim vipera à proprio interficitur partu: ſic huiuſmodi vindictam ſpirantes, viperæ ſunt, quæ à propriis cogitationum ac vindictæ machinationum partubus interimuntur. Heu! vtinam ſeriò huiuſmodi ſecum cogitent, præmij magnitudinem, quod eos manet, qui omnes ſibi iniurias illatas, ſtomacho charitate ardenti concoquere aſſueſcunt, tunc ſicuti apertis Stephano cœlis, Dei gloria tanquam præmium ſtatim illi danda, propoſita eſt; ſic illis eandem prouenturam certum foret.

Non inimicus ſed eius natura nobis communis diligenda.

10. Deinde licet difficile admodum ſit inimicos diligere: ſi tamen velimus eorum attendere naturam, quæ nobis, cum illis, communis eſt, & eodem nobiſcum caro redempta eſt pretio, Chriſti nimirum ſanguine, facilè eos diligeremus; licet à praua naturæ propenſione exorbitantes peccati actus profectos odio proſequi debeamus. Duo enim in inimico conſideranda, natura ſcilicet, iuxta originem ſuam recta, & procedente tempore, per peccatum infecta, redempta tamen Chriſti ſanguine. Deinde ipſum peccatum, non à Deo; ſed ex prauæ voluntatis diſpoſitione

Digitized by Google

sitione exortum; quorum alterum amare; alterum odio habere tenemur. Vnusquisque enim (vt ait Augustinus) iniquus homo, in quantum iniquus est odio habendus est, in quantum autem homo est diligendus est, vt illud quod in eo rectè odimus, arguamus, id est, vitium; quo possit illud quod in eo rectè diligimus, id est, humana natura, ipsa emendato vitio liberari. } Sicut igitur pia mater, quæ pium filium sibique in omnibus obtemperantem habet, si illum in furorem verti videat, séque ab illo iniuriis onerari, non ideo illius personam odio habebit: quippe quæ ad expellendam ægritudinem vndequáque medicamenta quærit, vt eum morbo eximat: sic licet iniurias nobis illatas tanquam inimici peccatum odio habere debeamus, personam tamen eius, quæ eundem nobiscum Patrem in cœlo sibi vindicat, amare oportet. Similiter sicuti duo in igne considerari possunt, ipse nimirum ignis, & fumus eius: hunc autem fugimus, illum amplectimur, quia ille nobis dissentaneus, iste consentaneus. Quare si quãdo fumi acerbitate vexati, ab ipso igne recedimus, id non ignis odio, sed fumi tantum exacerbati molestia facimus: quo fit, vt oculis quasi defluentibus, ignem penitus extingui malimus, quàm eo, tanto cum oculorum dolore frui. Sic duo sunt in inimico, eius nimirum persona, & peccatum: illam verò amare, hoc detestari debemus: quia illa Dei opus, hoc diaboli: quare si quando peccati fumum ac molestiam detestantes ab ipsa iniuriæ persona abhorrere videmur, id non ex personæ eius odio, sed ex peccati acerbitate procedere oportebit. Et licet consuetudinem personæ euitemus, id tantum fit, ne eius societate inficiamur. Diligendi itaque sunt inimici, non vt inimici sunt, sed vt Christi sanguine redempti, ac eiusdem nobiscum beatitudinis capaces, alioquin nihil nobis profuerit, quicquid, vti putamus, in Dei gloriam facimus, quin etiam illas incurrimus maledictiones, quas propheta Dauid prænunciauit infœ-

Aug. l. 19. contra Faustum c. 24.

Similia.

licem illum Iudam incurſurum, qui ex maleuolentia heri ſui proditor extitit:nam vbi triginta illi maledictiones interminaretur,cauſam ſubiungit. [Pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam cum proximo ſuo.]Nam[iudicium ſine miſericordia illi,qui non facit miſericordiam.]

Pſ. 108.

Iacob. 2.

Simile. Venenũ hoc, vindicta appetitũ, è noſtris pectoribus extirpãdum formicæ exemplo.

11. Vt ergo venenum hoc, vindictæ ſcilicet appetitum, penitus è noſtris pectoribus extirpemus, formicæ naturam imitemur, quæ cùm triticum in ſua includit horrea,ſingula grana, naturæ impulſu, interius rodit, vbi virtus productiua latet, ne alioqui terræ humore fœta germinent; ac ſic ſuo priuetur alimento: ſic nos rodere oporteret illam cordis noſtri partem,in qua inuidiæ,ac diſſenſionis productiua vis reſidet, ne aliquando iniuria laceſſiti foràs erumpat, ac in nos ipſos tanquam ſeueriſſimus tortor deſæuiat. Inuidiam igitur ferram animæ meritò Socrates appellat,Baſilius animæruginem,Chryſoſtomus tineam cordis, & nos diſſenſionis matrem, quæ nos in inimicos armat:cùm tamen quiſque apud ſe cogitare poſſit inimicorum tela in nos dirigi, vel ob peccata noſtra, vel vt meritum patiendo augeamus,vel vt probemur, an verum ſimus aurum, ex quo conflari poſſint in tribulationis fornace vaſa electionis, vel vt eorum correpti perſequutionibus, à prauis reſipiſcamus operibus.

Simile. Perſecutione an genuini Chriſti filij ſimus agnoſcitur.

12. Aquila illius eſt ingenij,vt ſtatim recens natos pullos ad ſolis radios applicet;quos autem oculis inconniuentibus illius iubar intueri deprehẽdit, tanquam genuinos agnoſcés, fouet,amplectitur,nutrit:ſin retundantur oculi,tanquam degeneres, & ſibi ſuppoſititios reſpuit, atque è nido ſuo præcipites detrudit. Gemmarij etiam ad Lydij lapidis examen gemmas & aurum reuocant,ne colore decepti euanidas tantum gemmas, ac adulterinum deprehendant aurum? Sic Dominus eo conſilio perſequutionum furore exagitari nos permittit, vt probet an filij eius libenter patiendo, genuini ſimus, & vt ſic

pro

probati magis, ac magis eius incendamur desiderio in ardenti persequutionis flamma purificati. Illa enim veluti fornax ardens, vitiorum nostrorum ligna in cineres quasi conuertens, ita virtutum aurum purificat, vt nihil insit peccati scoriæ. Et quemadmodum ignis quantumuis magnus flabellis accenditur magis: ita charitatis ignis ipso persequutionum flabello magis inflammatur, vt animam quasi subiecto rogo in ignem vertat: sic Stephani patientiam Deus voluit exerci, vt ex persequutionis fornace, in vas pretiosissimum suę exhibendum mensæ exiret: Et nos, si filij eius genuini simus, nunquam deerit nobis patiendi materies: [Tanquam] enim [aurum in fornace probauit illos] nimirum quos in honoris vasa conflare sibi statuit, eos prius in persequutionis fornace excoqui permittit. [Ecce ego conflabo, & probabo eos.]

Simile.

Sap. 3.

Hier. 9.

13. Sed, vt certò nobis constet, an ex iis simus vasis, quæ sic probata diuinæ seruantur mensæ, nobis ob oculos vas illud ex charitatis auro conflatum, Stephanum, inquam, proponamus, eiusque soliditatem, non in perferendis tãtum iniuriis, sed etiam in prosequendo persecutores amore, ac beneficiis, consideremus, & ad illius soliditatis examen, tanquam ad Lydium lapidẽ nos reuocemus, vt ne fortè aliquo bonorum operum colore decepti aurea existimemus nostra opera, cum tamen ex scoria tantum conflata, auri duntaxat imitentur colorem. Nulla enim maior nostri probatio, an filij Patris nostri simus, quàm si amemus, vti ille, inimicos, & pro persequentibus nos, oremus. Sic sese hodie æterni Patris filium, magistri sui exempli memor, Stephanus probauit, qui lapidibus obrutus exclamauit: [Domine ne statuas illis hoc peccatum.]

Si Stephani soliditatẽ in perferendis iniuriis imitemur filij Dei esse comprobabimur.

Tertium Punctum.

14. Tertio denique loco consideremus quàm segnes simus discipuli illius, cœlestis Christi magistri,

Nõ in inimicum sed in

Deum nos castigantē oculi cōiiciendi.

giſtri, & quàm mali diſcipuli eius Stephanii ſimus imitatores. Proh dolor! nihil minus in mentem noſtram venit, quàm hæc ſublimis magiſtri ac diſcipuli imitatio, accepta enim iniuria ita cœco quodam animi impetu ad vindictam ſumendam ferimur, vt pigeat cœleſtis illius Chriſti nobis prælectæ doctrinæ vel mentionem coram nobis fieri, vel noſtri condiſcipuli nimirum Stephani in condonandis iniuriis imitari promptitudinem, quaſi ab inimico & non à Deo feriremur. Oculos, obſecro, ſaltem in puerorum conſuetudinem coniiciamus, vt nos doceant, non in inimicos; ſed in Deum potius, à quo hæc flagella plerúmque emittuntur, oculos ac vultum conuertere. Arripit pater virgam, vt filium ſuum caſtiget; puer verò non in virgam, ſed in patrem oculos coniiciens, manibus erectis, ac metu perculſus, veniam deprecatur, vt nimirum patris furorem, ſuo aſpectu ac lachrymis mitiget: ſic nos in æternum Patrem, accepta iniuria, oculos coniicere, & non in virgam, in ipſam nimirum iniuriam conuenit. Hac enim cœleſtis Pater, tanquam virga vtitur, vt nos puniat. Sed proh dolor! in virgam potius, in inimicum, & non in Deum caſtigantem, oculos coniicimus, ſed tanta Dei benignitas eſt, vt tamdiu nos percutiat, donec ab inimico, ad ipſum, nos corripientem oculos conuertamus.

Simile.

Similia. Deus nos percutit non inimicus.

15. Quemadmodum enim pueri, vnum, velatâ facie, ioci cauſa, decumbere faciunt, quem incerto ordine percutiunt, quouſque percuſſorem diuinet ab eo ſciſcitantes: quis te percuſſit? ille malè coniiciens reſpondet Petrus, illi, falleris; ſæpè autem malè diuinando fatigatus, ac verberibus agitatus, tandem aliquando in percuſſorem incidit: Sic nos Dei verberibus ſubſternimur, donec agnoſcamus, quis nos percutiat, ſed cùm malè diuinando toties nos ab inimico percuti iniuriosè arbitramur,

mur, verbera ſemper Deus ingeminat, donec tandem tot agitati flagellis, cum Paulo in terram, vno diuinæ palmæ ictu, proſtrati, verum agnoſcentes percuſſorem exclamemus: [Quis es Domine?] tunc demum percuſſore agnito trementes, ac ſtupentes, cum eodem Paulo dicimus: [Domine quid me vis facere?] agnoſco errorem, tu es qui me percutis, tu es qui tunſionibus ac preſſuris me velut indigeſtum ſaxum perſequutoris lima, dolare, ac perpolire vis, vt in cœleſti tuo ædificio, tanquam viuum, ac charitatis auro exornatum, lapidem, in medio ignitorum lapidum colloces. Vtinam ſic tandem aliquando iniuriis laceſſiti, non inimicum, ſed Deum nos caſtigantem diuinemus, vt ſic omni ex animo rancore depulſo, nos diuinæ ſubiicientes diſciplinæ, inimicum veluti Dei inſtrumentum, quo, noſtra puniat peccata, vtitur, conſideremus, eique Chriſti ac Stephani exemplo condonantes, ex ſincero animo ingeminemus [Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum] cùm certò nobis perſuadere debeamns, iniuriis nos, veluti malleorum tunſionibus, cœleſti fabricæ veluti viuos lapides adaptari. *Act.* 9.

16. Cherubinos illos, qui in Sanctis Sanctorum præcipua templi parte collocati erant, ex auro, malleatoris opere, Deus fabricari iuſſit [Duos] inquit Moyſi [Cherubim aureos & productiles facies:] Sic quos Deus in præcipua cœli parte collocare ſtatuit, malleis perſequutionis ita contundi permittit, donec patientiæ, humilitatis ac charitatis virtutes ex verberum ſciſſuris, tanquam ex ſciſſo artificiosè thorace, micantes gemmæ erumpant. Quis ergo nolit tunſionibus, ac preſſuris poliri, quo tanquam lapis viuus, inter illos cœleſtes, ac ignitos lapides Cherubinos, collocetur? quis perſequutionum verberibus ſcindi non exoptet, vt inter purpuratos ſanguine martyres, aureo charitatis coruſcet ſplendore, quorum *Simile.* *Exod.* 25. *Tũdi nos oportet, vt lapides velut viui, inter Cherubinos collocemur.*

Prin

Princeps, è ſublimi crucis cathedra, Chriſtus ad id nos inuitat, ego, inquit, tot ab inimicis impetitus maledictis, tot irriſionibus vexatus, tot cæſus verberibus, tot aculeatis confoſſus ſpinis, tot affectus calumniis, vt cò tandem miſeriarum redactus viderer, vt non homo, ſed vilis terræ vermis haberer, ac in ignominioſam actus crucem, totus è ſolis pendere vulneribus, vt ſacri corporis diductis plagis, quatuor illa ſacra flumina, quaſi quatuor fontes, pleno alueo, in terram ſanguinem fundere exhauſtis corporis venis apparerent, & ſi quando vulnerum in pedibus dolorem mitigare conabar, brachiis me ſuſtentando, ita manus dilacerabantur, quibus incumbebat tota corporis moles, vt nulla dolorum eſſet mitigatio, & ſi quando etiam manibus vellem ſuccurrere, pedibus innitens, tanto cum ſpaſmo amplificabantur vulnera, vt ex iis meus defluereꝛ ſanguis abundantius, inter quæ tamen tormenta mihi idoneum elegi quaſi ſuggeſtum, vt hanc viam haud ſegniter vobis calcandam docerem, ignominioſam ſcilicet crucis aram, ex qua lectionem hanc vobis prælegi: [Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt] & tamen adeò ſegnes eſtis, vt nihil minus, quàm hanc prælectionem diſcere velitis.

Quia Deus præcipit inimicos diligere vires etiã ad hoc ſuppeditabit.

17. Et ne fortè putetis Dei hoc eſſe tantùm opus, ac humanam tranſcendere virtutem, ac proinde de vobis non attentandam, in eum coniicite oculos, qui vobis præcipit, vt hanc lectionem arripiatis, vt hoc propoſitum vobis exemplum ſequamini [ego dico vobis] & non alius, cuius virtute hæc præſtare facilè poteritis, ſi alius quidem, præter me, dixiſſet, deſperare fortaſſis poſſetis: ſed [ego dico vobis] qui nunquam mandata impono, niſi ſimul etiam idonea ad ea perficienda præſcribam media, quæ tanta gratiæ meæ perfundere ſoleo dulcedine, vt etiam cum iucunditate fiant, licet primo aditu conanti perdifficilia videantur. Ego quidem laborem fingo in præcepto, vt inde colligam, quis verus ſit mei præcepti

Pſ. 93.

ama

amator. Ne ergo in ipso cohorrescatis aditu, ego auxiliatrices oneri manus subiiciam ne vos eius pondere pressi succumbatis. Hoc ille sensit, qui mea repletus gratia [in Deo meo transgrediar murum] exclamauit. *Ps. 17.* Hoc ipsum sensit, qui confidenter dixit [omnia possum in eo qui me confortat. Ego ergo dico vobis] qui suprà naturæ vestræ vires potentiam meã attollo, quo vnico verbo [fiat] cœlum terrámque creaui, qui leprosum hoc verbo [volo] sanaui, qui sputo cœcũ, qui attactu mortuos, qui aspectu etiam animas à peccati morte ad gratiæ vitam reuocaui, qui gratiam facienti, quod in se est impendo [Ego ergo dico vobis.] *Philipp. 4.* *Gen. 1.*

18. Et ne fortè perfectissimi Dei perfectionem imitando, consequi desperetis, oculos in hominẽm purum, Stephanum coniicite, qui statim ac audiit hanc à me lectionem, in arduo crucis pulpito, prælectam, ita auidè arripuit, vt latum ei nimis hoc mãdatum appareret, & quæ fuit naturæ via nimis arcta, ampla statim gratiæ, ac dilectioni fieret. Quare noluit discipulus committere, quin lectionem, quam à me didicerat, toti manifestaret mundo, ac proinde, flexis genibus, crescente in eo charitate, voce magna exclamauit: [Domine ne statuas illis hoc peccatum.] Videtis ergo quantum profecerit, ex vnius lectionis auditu, sedulus, ac attentus discipulus! [Ego, ergo, dico vobis] vt inimicos sic diligatis, alioqui sicuti cœlum Stephano apertum vidistis, qui, pro inimicis orauit: sic iis clausum, qui hoc meum præceptum neglexerint videbitis: [Si enim non dimiseritis, neque Pater vester dimittet vobis peccata vestra] dimittite ergo proximo denarium, & ego vobis decem millia talenta dimittam. Denarius illata tibi à proximo iniuria, si conferatur, cum ea, quæ mihi per peccatum irrogatur. Dimittite ergo denarium, & talenta hæc omnia vobis dimittam. En vobis de hoc chirographum, legite: [Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester

Ne videatur hoc impossibile in Stephanum coniiciendi oculi.

Matth. 6.

ſter cœleſtis peccata veſtra: ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis] ergo ſi ſapitis, dum vobis talis ac tam liberalis offertur condonatio, eam citò acceptate, ne ſi ſemel clauſero theſaurorum meorum thecas, tunc ſeriùs clametis, & non exaudiam, pulſetis, & non aperiam, audiatíſque aſperum hoc verbum, quod veſtras aures tinnire faciet: [Extendi manus meas, & non fuit, qui aſpiceret, vocaui & renuiſtis, deſpexiſtis omne conſilium meum; ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit.]

Prouerb. 1.

EXEMPLVM.

Ex li. de viris illuſtribus ordinis Ciſtercienſis.

19. In Cœnobio Clareuallis quidam vir religioſus mitis, ac humilis corde extitit, qui nunquam quibuſlibet iniuriis prouocatus, ad impatientiam erupit. Hic firmiter ſtatuit oraturum ſe toties pro fratribus, quoties iuſtè vel iniuſtè proclamaretur, qui quadam vice per fauces cuiuſdam nemoris ſolus tranſiit, vbi in manus incidit latronum, & omnibus rebus ſpoliatus. Quibus abeuntibus ipſe orationi inſtitit, vt hanc eis impietatem Deus remitteret: interim ex latronibus vnus, nutu Dei reuerſus, & fratrem illum, à longè ſubſequutus curioſius obſeruabat, & videns eum orationi diutius inſiſtentem, celeri curſu, ad ſocios reuertitur, percutiens pectus ſuum, & dicens: væ nobis miſeris, & damnatis, en moriemur omnes, qui hunc tam ſanctum hominem, tam malè tractauimus. Hic ex quo receſſit à nobis, non ceſſat orare, cum gemitu, & lachrymis pro nobis ſuis inimicis. Quo audito latrunculi illi compuncti ſunt corde, redeuntéſque illi adhuc in oratione flexis genibus omnia reſtituunt, ac tanti delicti veniam impetrant. Frater verò Saluatori immenſas referens gratias, de prædonum compunctione, magis quàm de receptione ſpoliorum, gauiſus eſt, ac pro tantæ virtutis præmio cœleſti

lesti curia veluti, de eius aduentu solicita, concurrentibus infinitis penè sanctorum millibus, illíque obuiantibus in cœlum, cum triumpho receptus est.

IN FESTO S. IOHANNIS Euangelistæ,

Concio prima.

THEMA. *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius.* Ioan. 21.

Quãta amoris vis. 1. *Reg.* 18.

1. TAntus fuit in Dauidem Ionathæ amor, vt eius anima, scriptura teste, quodã amoris glutine cũ Dauidis anima copulata fuerit. [Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid] quem adeo dilexit, vt vna in vtroque anima esse videretur. [Nam dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.] Et ne vnquam, vt fit, procedente tempore, eius in eum amor deferueret, se tunica sua, qua erat indutus, expolians, illam reliquáque sua vestimenta Dauidi donauit, vt quoties in Dauidem intueretur, toties amorit sui in eum recordaretur tenerítudinem. At si conferamus hunc reciprocum Ionathæ ac Dauidis amorem, cum eo, quo sese mutuò Christus & Iohannes complectebantur, multis hunc, illum superare partibus, perspicuè intelligemus. Nam imprimis, quoad amoris vinculum, illud, vtriusque morte, saltem interueniente, dissolutum est: hoc verò morte nequaquam disrumpi potuit, sed sicuti in hac mortali vita mutuis se amoris facibus inflammabant: sic in beata illa vita, qua vterque corpore & anima fruitur, longè maioribus amoris incendiis ex mutuo aspectu inar-

Amor naturalis cũ morte euanescit.

S desc unt.

Amor ſpiritalis etiã in patria perſeuerat.

deſcunt,vt quorum in vita,vna quaſi vtrique anima; ſic eadem in cœlesti vita perſeueret?[Qui enim adhæret Deo (ſcilicet per amorem) vnus ſpiritus ſit cum eo:] Deinde vt nunquam Chriſti in Iohannem amor excideret, non veſtem vnam, ſed duplicem, quaſi ſingularis amoris indicium illi contulit, qua præſtantiorem à Patre in hac vita aliis ordinariè communicandam nunquam accepit,vt nimirum hac indutum,tanquam ſe intuens, ardenti illum amore complecteretur.

1. *Cor. 6.*

Magnus Chriſti in Iohãnẽ amor.

2. Præcipua huius generis veſtis,quam à Patre accepit Dei filius,eſt illa nuptialis, cùm naturæ noſtræ in virgineo vtero deſponſaretur, regia ſcilicet illa charitatis trabea, qua indutus Deus dilectionis à Paulo appellatur, cuius coruſcatione in monte Thabor collucentem Pater ſuum eſſe agnouit filium:[Hic eſt(inquit)filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui.] Eiuſmodi etiam charitatis veſte ſuum hodie diſcipulum Dei filius cõdecorari voluit:[Diſcipulus quem diligebat Ieſus] cuius anima hac cœleſti ornata veſte aliam illi perſimilem, quæ ex puriſſimis Beatiſſimæ Virginis ſanguinibus diuino contexta artificio quodammodo ſuperinduit: nam Mariæ filius ſingulari modo factus, ſingulari etiam eius affectu veſtitus eſt. Alia eum præterea Chriſtus veſtiuit matris nimirum ſuæ virgineo amicto,inquiens: [Mulier ecce filius tuus:deinde diſcipulo: ecce mater tua,& accepit eam diſcipulus in ſuam.] Ecce iam Chriſti diſcipulus duplici chatitatis ac virginitatis indutus veſte,quod præcipui amoris fuit argumentum!Hinc ſicuti ex virgineo prodire tabernaculo veritas voluit: ſic etiam de virginali Iohannis anima quaſi genita iuxta Ruperti ſententiam dicitur.[Ecce(inquit)veritas carnem de virgine aſſumens,eadem de virginali Iohannis anima generatur, vocem corpoream induens, vt pro nobis contra hæreticam prauitatem dimicet.]Sicuti etiam ex virgineo illo pectore flamma illa cœleſtis Chriſtus

2. Cor.13. Amor veſtis nuptialis.

Matth.17. Hac induit Chriſtus Iohannem.

Iohan.19.

Matre ſua Iohannẽ veſtiuit.

Digitized by Google

stus erupit, quæ sui amoris incendio peccatorum gelu liquefecit: sic Iohannis veluti facula in eiusdem virginis pectore quasi concepta erumpit, ac suo nos amoris calore incendere conatur. Quid enim aliud loquitur, quàm cœlestem amorem? quid aliud scribit, quid aliud à nobis efflagitat, quàm cœlestes charitatis flammas? vt enim taceam Euangelij eius & Epistolarum, quas conscripsit, ardentes amoris flammas, cùm Ephesi vsque ad vltimam senectutem moraretur, nec posset, vt ait Hieronymus, in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas nisi hoc: [Filioli diligite alterutrum.] Quare non immeritò duplici sua eum induit Christus veste, quem duplici castitatis corporis ac mentis ab ineunte ætate ornamento conspicuum vidit.

Hieron. in comment. Epist. ad Galat. cap. 6.

3. Duo in hac de sancto Iohanne Euangelista concione dicere statui. Primum quatuor euidentissima Christi in Iohannem amoris signa declarabo. Secundum ex iisdem nos signis discere posse an Christus nos itidem diligat, & verum pariter Christi dilecti simus. Quod vt vobis dilucidè proponam, gratiam simul Spiritus sancti, Beatissima Virgine interueniente, efflagitemus. Aue Maria.

Iohannes amorem spirat.

PRIMVM PVNCTVM.

4. Nemo sanè mortalium, vel suspicari potest, quanto Christus Iohannem sit amore complexus, nisi audeat in se suscipere alta Christi cordis incendia rimari, & infiniti amoris eius vim perscrutari, quod nemo vnquam hominum nedum Angelorum ausus attentare. Ingens quidem fuit Dei amor in Moysen, quem cũ ad suum admitteret colloquium, ita vtrimque coruscantibus fulgentem radiis frontem eius suo consortio reddidit, vt rectà oculorum obtutu Iudæi in eam intendere non auderent: qui tanquam amicus cum amico in montis vertice, secreta cum Deo tractabat, quod summi amoris diuini in Moysen argumentum fuit [loquebatur autem

Magnus fuit Dei amor in Moysen, sed maior Christi in Iohannem.

Digitized by Google

Exod. 13. Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.] Aliquoties scimus hoc quidem Moysi concessum: Iohanni verò quotidie, quauis hora, quouis momento, neque tanquam amicus cum amico, sed tanquam mater charissima cum filio charissimo, Christus cum eo agere solitus; vnde dilecti nomen, præ cæteris, ob inuit.

1. Reg. 13. Secundum amoris Christi in Iohannem signum quod eum amorem conceperit, peperit, nutrierit.

5. Ingens fuit Dei amor in Dauidem; [Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei vt esset dux super populum suum.] Imo quæsiuit Dominus hunc virum Iohannem, non iuxta cor suum, sed in medio cordis sui, quem singulari amoris generatione concepit, amore peperit, ac tanquam nutrix in sinu suo amoris vberibus lactauit; in cœna enim Iohannes super pectus Domini, quasi infans vteri eius recubuit, quod nemo alius ex Apostolis, alieno præsertim tempore, ausus est facere, Christo nimirum, ob passionem ingruentem, maximè solicito, ac ob sui discipuli Iudæ defectionem perplexo, imo aliis, & Apostolis rei insolitæ stupore attonitis, tacentibus Christum interrogauit, quis esset qui eum traderet. Natura enim amoris ea est, vt nesciat opportunitatem captare, cùm opportunitatem semper sibi habere agendi cum amato, verus amor existimet. Quod non ignorans Christus, hanc sui amorosam discipuli audaciam, æqui bonique consuluit; illique, tanquam proprium quiescendi locum, suum pectus libenter præbuit. Vnumquódque enim naturæ impulsu ad destinatum sibi locum festinat. Sicut ignis, à natura suâ leuis, sursum fertur, & terra suo pondere, ad imum deprimitur: Sic res quælibet, à natura inditam sibi qualitatem habet, qua veluti prudenti duce, ad suum centrum, seu locum proprium dirigitur. Quid mirum igitur si Iohannes in Dominicum pectus, veluti in proprium sibi locum incubuit, cùm etiam cuilibet homini innatum sit, eo tendere, vbi naturæ suæ conditorem reperiat, & multo magis illi

Verus amor opportunum sibi semper cum amato agere putat.

Simile.

Quodlibet naturæ duce suum petit centrum.

id

id consuetum sit, qui supernaturali eius cognitione ac amore imbutus est. Hinc Augustinus: [Amor meus pondus meum : eo feror quocumque feror] pondus hoc amoris adeo Iohannis animam inquietauit, vt nusquam quiescere potuerit, donec sibi proprium quietis locum in Dominico pectore inuenit, cui incumbens Euangelij fluenta (vt ait Hieronymus) tanquam ex proprio fonte pleno hausto bibit. Quanta hæc Christi amoris in Iohannem ostensio, vt non modò in suum eum pectus incumbere, sed etiam tanquam sui vteri infantem, ex sacro suo pectore mysteriorum intelligentiam, tanquam cœleste lac haurire permitteret. *Aug. l. 13. c. 8. confess. c. 9.*

Cæteris omnibus altius ascendit.

6. Hoc cœlesti mysteriorum lacte in sinu Christi fotus, ac corroboratus, cæteris omnibus altius ascendens, ad instar aquilæ, libratis vtrinque charitatis, ac castitatis alis, ad ipsa altissima Trinitatis mysteria penetrauit. Ingressus enim tacito contemplationis motu Christi pectus, omnia in eo latentia charitatis charismata scrutans; ita illis inhæsit, donec Christi potentia, in altum sublatus, quæ ille, in Patris sinu collocatus, didicerat, ebiberit. Hinc ipse [vnigenitus filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit] Christus ergo, qui & filius, & vnigenitus Dei est, ac proinde in eius sinu requiescit, ex suo pectore, omnes sapientiæ ac scientiæ thesauros expromens, omnia Dei consilia, præ cæteris, mihi enuntiauit, quo amoris signo, quid euidentius. *Iohan. 1.*

Animi mundities Dei amicitiã cõciliat, acieq; ingenij exacuit.

7. At cur obsecro solus Iohannes, inter cæteros Apostolos, hoc amoris gaudet priuilegio? cur aquilæ nomen sortitur? cur tam altè conscendit, vt alij eum consequi non possint? quia solus, vt ait Beda, in Christi pectus recubuit, tanquam qui voluptates carnales aspernatus, Christi vocem à nuptiis euocantis, sequi maluit, quàm eo neglecto, suæ indulgere cupiditati: [qui enim diligit munditiam *Beda. to. 7. in hom. Euan.*

Prouer. 24. cordis, habebit Regem amicum.] Quod verò aquilæ nomen sortitus altius cæteris contemplationis alis, obscura penetrauerit mysteria, illibata eius virginitas effecit. Philosophi enim rationem reddunt, cur aquila inter cæteras aues obtutus suos directè in ardentes Solis radios infigat: Quia nimirum adeo temperatum in oculis humorem habet, vt ad instar Chrystalli sine vlla alterius humoris externa commixtione facilè cum sui perfectione radios in se solis directos patiatur. Et Iohannes cæteris virginitatis nitore purior, vt qui cum Christo à puero puritatis auctore, à vigesimo ætatis anno, Hieronymo teste, educatus, sine vllius impuritatis admixtione; virgo cum virgine vitam beatè traduxit, ab omni carnalis concupiscentiæ voluptate abhorrentem, iugum castæ disciplinæ ab adolescentia portauit, & sic in illius veræ aquilæ Christi Domini pectus recumbens, suæ mentis obtutus, in altissima illa Dei mysteria, cæteris fortius infigere meruit. O diuinus amor, quantum efficis in anima castitatis cultrice.

Iohãnes plurapenetrauit prophetis & Euãgelistis.

8. His igitur amoris & castitatis sublimibus libratus pennis, multo altiùs, quàm reliqui omnes Prophetæ, sua vaticinia orsus est: imò volatus sui sublimitate ipsos etiam Euangelistas, qui sapientiæ magnitudine Prophetas superarunt, supergressus, ad ipsius diuini verbi naturam, in altissimo, ac penitissimo Patris sinu residentis pertingens, eam nobis, cæteris omnibus, perspicacius explicauit. Quid, obsecro, non sublime, non excellens, non magnificum, ab illius ore prodire potuit, qui ex ipsius Iesu pectore, in quo erant omnes thesauri diuinæ sapientiæ ac scientiæ Dei reconditi, altissimam diuinorum cognitionem hausit? Naturales Philosophi tradunt, pullum ex ouo cordi proximo excluſum magis participare de ipsius aquilæ

Simile.

virtute,

Digitized by Google

virtute, quàm cæteros: Quid ergo mirum si Ioannes Christi cordi per amorem proximus tantam ab eo virtutem hausisse credatur, vt præ cæteris pleno (vt aiunt) hausto illa secretorum Dei recondita mysteria bibisse censeatur, & [ex cœlesti (vt ait Petrus Damianus) gazophylacio summam sapiétiæ ac sciétiæ, vnde nostræ paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditaret, traxisse] ex illo, inquam, nobis ærario diuitiarum copias effudisse, vt in communem totius mundi salutem bene prodigus erogaret, quid mirum, inquam, illum qui super fontem perennis vitæ recubuit, vt semper manantia fluenta diuinæ doctrinæ hauriret, & eadem nobis postmodum præfixo certi temporis articulo propinaret, magnum videlicet paradisi fluuium, qui ex principali sui fontis origine profluens, & vberiore cœlestium charismatum inundatione procedens, squalentia deserta humanarum mentium irrigat, & ad proferenda bonorum operum tanquam nouarum frugum germina vberrima fertilitate fœcundat, cæteros omnes cognitionis mysteriorum sublimitate superasse?] Et cùm aquila volatus sui altitudine cæteras superet aues, quid mirum si hic pullus tanquam ex ouo cordi proximo excluſus Christi æquilæ córroboratus virtute, cæteris altius conscendat. O amoris diuini virtus!

Petr. Damia. serm. 1. de excellentia Ioan. Euang.

9. Auceps per aëra volitantem Ardeam videns, altiusque nubes (iuxta illud Virgilij) [atque altam supra volat ardea nubem] penetrantem, quem manu tenet accipitrem in eam emittit, sed illa altius ascendens sese in nubes sublimius recipit, accipitrisque quasi irridens conatum, tuto nubis loco sese collocat: vnde sua frustratus spe accipiter, ad manus aucupis, anhelo redit pectore. Auceps vero indignans, à pusilla aui accipitrem superari, eo robustiorem, ac celeriorem detecto oculorum velo, eadem via falconem submittit, qui tandem volatus sublimitate, etiam superatus, re infecta, reuertitur.

Simile. Virg. Georg. 1. Isaias æterni patris verbum instar accipitris insequens non assequitur.

Quod animaduertens aquila, quæ inanes eorum cõnatus, à longè prospectat, concussis alis, in prædam inuolat, vnguibusque illam implicans, ex alto nubis vertice, in terram defert, dilaniat, ac suis diuidit pullis: sic animarum auidus idemque amantissimus auceps Spiritus sanctus, generoso illi accipitri Isaiæ prædam ostentans, diuinum scilicet verbum, inter altissimas Trinitatis nubes, alas illi perspicacis mẽtis adaptauit, vt ad instar accipitris prædam insequeretur, qui sublime in altam verbi contemplationem raptus, prædam quidem vidit: [Vidi Dominũ sedentem super solium excelsum.] Sed statim sese præda, ab eius conatu eripiente, ait [vidi eleuatum] Ecce non attingit, ac proinde quasi inanis ac prædæ capiendæ spe frustratus, præ admiratione exclamat: [Generationem eius quis enarrabit?]

Isa.6.

Isa.53.

Immissi in Dei verbi prædã Matthæus, Marcus, Lucas tanquam generosi falcones minimè ceperunt, neque Paulus.

10. Sed, en tibi tres falcones, vno simul impetu, pernici volatu, tantum quantum possunt elapsam ab Isaia prædam, per varias circuitiones ac nubium anfractus insequuntur. Sed licet, indefesso alarum remigio, in abditissima nubium sese eleuarent, prædam tamen penitus non comprehenderunt, quamuis pennas fugientis prædæ decidentes, in signum grandis victoriæ, in terram detulerint. Hi enim tres falcones, Matthæus, Marcus, & Lucas, qui quasi plumas verbi attingentes, humanæ duntaxat generationis seriem contexuerunt. Sed & nobilissimus falco Paulus, cuius oculi licet ob ferocientis animi licentiam à Deo ipso squamarum velo obducti fuerant, deterſis tamen animi squamis; ita mentis aciem intendit, vt cæteris omnibus, altiùs ascendens, vibratis ingenij alis, omnes cœlos penetrarit. [Scio (inquit) hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.] At prædam non apprehendit: Audiuit enim tantum, quasi alarum transeuntis prædæ sonitum: [Arcana verba, quæ non licet homini loqui.]

2. Cor. 12.

11. Verum

11. Verum ecce tibi veluti è Dominici pectoris nido, magnifico alarum ſonitu Regia illa Aquila Ioannes erupit, qui ſenectute licet ingraueſcente, tamen aquilæ ſimilis apparuit, nam vt Auguſtinus ait [cùm aquila roſtrum præ ſenio nimis creſcere, & ſuperiorem eius partem immoderatius inflecti, ac curuari videt, adeo vt cibum capere non poſſit, illud ad petram ſolet allidere, ac extenuare, atque ita penitus renouata, priſtinum pennarum nitorem recuperat.] Et Ioannem Spiritus ſanctus, Epiphanio teſte, recuſantem Euangelium annunciare ob metum & humilitatem, illud in ſenecta ipſius coëgit conſcribere, ille etenim ob ſenectutem impotens, os ſuum tantæ prædæ veritus admouere, recordatus tamen illud olim pectoris Chriſti petræ alliſum, ſtatim non ſibi tantum præclarum ingenij reſtitutum ſenſit acumen, ſed cœleſti imbutus vigore, in ſui deſcendens humilitatem, diuinis fultus alis, ſeſe erexit, & prædam illis quatuor falconibus veluti elapſam inſequi parauit. Vt enim volucres, antequam ſeſe in ſublime efferunt, alas, corpuſque demittunt, & forſitan ipſo roſtro ad colligendum impetum humum tangunt: ſic noſtra hæc aquila Ioannes per ſuæ vilitatis conſiderationem ſeſe dimiſit, antequam volaret, ac longo ieiunio roſtrum ſuum adaptans, ac ſpiritalibus collectis viribus, ſublimi volatu æthera tranſiliit, omnes in terra quaſi reptantes relinquens, aëra & nubes audenter penetrauit, eoque vſque volatu pertigit, donec omnes cœlos ſuperuectus, verbum quod terræ defuit, ſuæ intelligentiæ perſpicacitate, licet procul adhuc remotum, intuitus, quaſi prædæ capta intonaret: [In principio erat Verbum.]

Regia aquila Ioannes prædam inſequitur.

Aug. in illud Pſ. 102. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Simile.

Epiphan. hæreſ. 51.

Simile.

Ioannis 1.

12. Subſiſtit tamen prædæ arripiendæ difficultate, quod eam in Patris ſinu abſconditam eſſe videret. [In arduis (enim) poſuit nidum ſuum.] Hinc illa quaſi è manibus lapſa Ioannes veluti reſiliens mœſta

Prædam aſſecutus ad terram detulit. Iob 39.

exclamat voce: [Et Verbum erat apud Deum.] Tàtæ tamen prædæ illectus præſtantia, etiamſi repulſam ſemel atque iterum pati videretur, reſumpto animo altius aſſurgens ſeſe excitauit, nec tantum pernicitate ac volatu alios ſuperauit Euangeliſtas, ſed ſemetipſum quoque ſuperans ingeminauit. [In principio erat Verbum.] Si enim (vt ait Gregorius) aquila cum tribus aliis adiuncta quatuor animalia memorantur, mirum quomodo deſuper ipſorum quatuor eſſe deſcribitur, niſi quia Ioannes per hoc quod in principio verbum vidit, etiam ſuper ſemetipſum tranſiit. Nam niſi & ſe tranſiſſet verbum in principio non vidiſſet, cumque illud vidiſſet Deum eſſe agnouit. [Et Deus (inquit) erat Verbum.] Et quia Deus, tanto intelligentiæ impetu aquila noſtra ferebatur, vt in prædam irruens, Deum in verbo, & verbum in Deo tenaciter comprehenderit, quod in terram deferens victrici triumphans voce, præ gaudio exclamauit: [Verbum caro factum eſt.]

Prædam ad terram delatam ſuis diuidit pullis.

13. Ecce quomodo aquila noſtra Ioannes, de ſublimiſſimo diuinitatis montis vertice, leui volatu, in profundiſſimam humanæ carnis vallem deſcenderit, ſpiritales altiſſimæ contemplationis pennas relaxans [Verbum caro] intonuit [factum eſt, & habitauit in nobis.] Ecce nobis ob oculos diuini verbi prædam poſuit. [Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti, plenum gratiæ & veritatis.] Ecce prædæ præſtantia. [Et de plenitudine eius omnes accepimus] Ecce quomodo pullis diuidat prædam. O diuini vis amoris!

Felix ille qui in Ieſu pectore nidũ ponit.

14. O quàm fœlix illa auis, quæ in pectore Ieſu nidum collocat! quomodo ditatur ſpoliis, quomodo ingreſſa diuinum Chriſti cordis conclaue amoris oſculo veluti ingenioſa claui omnia eius cordis arcana prædatur. Incubuit ſuper pectus Domini, & fluenta Euangelij de ipſo Dominici pectoris fonte, pleno epotauit hauſtu, cùm cæteri tantùm, è ſcripturæ

ſcripturæ riuulis, myſteriorum arcana, veluti guttatim ſugant. Hic ingenioſo amoris iaculo Chriſti penetrans cor, fixo ſpiculo eius animam quodammodo rapuit, ex qua omnes hauſit reuelationes. Non mirum ſi latro ianuis apertis, & reſerata theſauri theca, ærarium expilet: at ei, quod multis obſeratum eſt clauſtris, quomodo fur appropiet? glorioſus ille latro Thomas diuinum quidem theſaurum furatus eſt, altam nimirum Dei cognitionem, intellectus lucem, fidemque viuidam Chriſti diuinitatis, vnde exclamauit: [Dominus meus & Deus meus.] Verùm Ioannes ſubtiliſſimus latro, cùm adhuc ærarij oſtia vndequaque obſerata eſſent (nondum enim cùm Chriſti pectori incubuiſſet claui perforarunt eius manus, aut pedes, nondum flagella per totum eius corpus feneſtras aperuerunt, nondum dira lancea ad cordis intima aditum patefecit) multo altius Thomâ penetrauit, cui tot aditus ad Chriſti penetralia patefacti, multóque maiorem prædam ingenioſus noſtræ aquilæ amor, cui nullus eſt latro, in indagandi ſubtilitate, comparandus, tulit: ita enim ſeſe ſenſim inſinuauit, vt quaſi relicto proprio corpore, ſeſe repente in amati pectus ingeſſerit, ac reciproco amoris telo, in eius cor immiſſo, omnia illi ſurripuerit ſpolia, quibus auctus, ad proprium rediit corpus, licet adhuc æquè in amati animo ac ſuo viuat.

Simile.

Ioan. 20.

15. O vtinam tales ſimus nos latrones! vtinam amor noſter ſibi collocet ſedem in Chriſti pectore, proculdubio inde facilè ad penitiora ſibi aditum reperiret. Thomas, aperto latere, Chriſti cor penetrauit, ibique animæ ſuæ nidum fecit. Ioannes, clauſo latere, ſeſe tamen in Chriſti penetralibus abdidit. Hoc potuit amor. Nobis apertum eſt Chriſti latus, ſi gratia viuamus: clauſum, ſi peccato mortui ſumus. Si ergo gratia viuamus, cur hæremus in pectore? cur iuxta latus otioſi ſedemus, cùm pateat nobis aditus

Cum Chriſti latus ſit nobis apertum, illud ingrediamur vt cum Thoma & Ioanne diteſcamus.

ad

ad penetralia? Cum Ioanne ergo ex pectore in Christi cor subtili amoris claue ingrediamur, ac diuinæ sapientiæ, ac scientiæ ærarium expilemus. Cur saltem cum Thoma, patentibus nobis, ad eius penetralia, ianuis, non introimus? pulsu non est opus, patent enim vulnerum ianuæ, ostiarius ingressum non impedit, non ergo ad morem pauperum ad ianuam sedeamus, sed tanquam nobiles, cœlestis palatij, aulam hanc Christi pectoris ingrediamur, vt cum Ioanne ac Thoma ingressi, ex infinito illo diuitiarum Dei thesauro diteſcamus, fidem, spem & gratiam augeamus. Si peccato mortui, cur nos non applicamus Christi pectori, cuius calore reuiuiſceremus? si enim tanta Elisæi fuit virtus, vt super mortuum prostratus suo eum calore viuificarit; quantò magis is, qui viuifico Dei pectori incumbet gratiæ viuificantis calore, à morte ad vitam resuſcitabitur.

Tertium huius amoris signū quod & viuus & mortuus semper sit Christum secutus. Simile.

16. Tertium huius amoris signum, quod nunquam penè ab eius potuerit auelli conspectu, sed vsque adeò est eum secutus, vt eius societati ad crucem etiam vsque seipse adiunxerit. Quemadmodum enim Heliotropium Solaris herba, & Soli, vt depingitur, persimilis, cum Sole; à quo maximè augmentum & virtutem sumit, quantumuis nubilo die ac nocte semper sese circumagit; sic Ioannes, qui sicuti verum Heliotropium in Christi pectore, tanquam in fertiliſſimo infitus solo creuit, à quo veluti à vero Sole, virtutum ac gratiarum augmentum sumens, ita sese cum vero iustitiæ Sole semper circumegit, vt quò se verteret Christus, eum Ioannes insequeretur, non secus ac armiger principis Ionathæ, qui Dominum suum per ardua montium prærupta sequutus, donec inimicos prosterneret. [Ascendit Ionathas manibus ac pedibus reptans, subsequitur magno labore armiger] Ioannes enim verus Christi armiger magistrum suum etiam vsque ad montis Caluariæ verticem insequitur, ac crucis cum eo patibulum amoris affectu conscendens, cum Christo ita crucifixus,

1. *Reg.* 14.

Simile.

Digitized by Google

fixus, vt cum Paulo dicere possit [Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi] ita enim Ioannes amore Christum prosequutus, vt in eius vulneribus, & non in se vixisse videretur. Hinc factū existimarem vt neque in feruentis olei dolio vreretur, neque venenum haustum ei nocuerit, neque dolores in morte (vt aliqui affirmant) senserit, eò quòd in dilecti sui pectore, eiúsque vulneribus è suo corpore translatus anima viueret, quo amoris miraculo quis vnquam efficacius vidit, nam effectum est amoris magnitudine, vt corpus Ioannis quodammodo sine anima viueret. Ecce quomodo nostrum Heliotropium ita Christi amore crescens sese cum illo circumegit donec instar hederæ in terra reptantis crucis arbori adhærescens, eousque sese extenderit quò in crucis arbore Christus, neque vnquam ab eius societate dimoueri potuit neque viuus, neque mortuus. *Gala. 6.*

17. Ea inest vis Magneti, vt graue sursum suo contactu ferrum eleuet: & tanta diuino illi Magneti Christo vis, vt omnia ad se grauia attrahere possit: [Cùm exaltatus fuero à terra, omnia trahaam ad me ipsum] Ioannem virtutis suæ contactu ita post se traxit, vt etiam ipsam crucis arborem cum illo conscēderit. Horologij solaris index Magneti affrictus nūquam potest quiescere nisi Septentrionem respiciat, quippe cui vis quædam occulta, quæ cum quadam constellatione in Septentrione talem societatēm cōciliat, vt nunquam ille quietem inuenire queat, nisi conuersus ad illas septem stellas quæ triones dicuntur, à quibus Septentrio dicitur: sic Ioannes diuinitatis magnete attactus, nunquam potuit quiescere nisi ad illam conuersus, qui tanquam septem stellas miro ordine in se collocatas, septem Spiritus Sancti dona comprehendit. O vtinam huiusmodi Heliotropia nos simus! vtinam cum iustitiæ Sole circumacti, omnes nostras actiones in eum dirigamus! vtinam humiles simus hederæ, vt Christo adhærescentes *Similia.* *Ioan. 12.* *Magnes ferrum & Christus Ioann. cor traxit.*

tes ex noſtræ humilitatis contemplatione in iuſtam excreſcamus arborem,quæ delicato Dei palato fructus præbeat! vtinam ferrum efficiamur, magnetis diuini attactu affectum; ſic enim ſurſum corda noſtra ferrea ſubleuarentur. Vtinam veri virtutum indices internæ mentis noſtræ,vt horologij pulſus ordinatos,morum modeſtia,vitæ integritate,ac viuido virtutum exemplo proximis manifeſtemus! vtinam nunquam cor noſtrum conquieſcat, donec in meridie ad illam ſeptiformis gratiæ conſtellationem conuerſum, ſeptemplici Spiritus Sancti dono coruſcet.

Quartum amoris ſignũ, quod illi moriens præcipuum amoris pignus reliquit.
Pſ.88.
Luc.23.

18. Quartum amoris ſignum, quia moriens proteſtamento præcipuum amoris pignus Ioanni reliquit. Nam cùm in lecto crucis moribundus iaceret, ſua diſtribuit ſingulis electis bona, iuxta illud Pſalmiſtæ[Diſpoſui teſtamentum electis meis.]Vbi Patri animam legauit dicens, [in manus tuas commendo Spiritum meum.] Nam illi præcipuum hæreditatis debebatur pignus:cæteris quaſi mobilia ſua; corpus & ſanguinem Apoſtolis, crucem peccatoribus, omnibus denique ſingulare ac ſuæ vitæ exemplum, ac paſſionis ſuæ merita, ac ſatisfactiones communes eſſe voluit: vnicam autem & precioſam terræ Margaritam,in qua omnes cœli theſauri delituerunt,dilecto ſuo Ioanni Mariã legauit, dicens:[Ecce mater tua!] & matri,[ecce filius tuus!]Quibus verbis,& Ioannem de facto, miro quodam modo, filium Virginis effecit,& Mariam Ioannis matrem.Cùm enim verba eius æquè tunc operatiua fuerint, ac cùm vnico vocis imperio vniuerſa creaſſet,non dubito,quin hoc loco, illis hæc vis impreſſa fuerit, qua matrem Ioannis Mariam, & filium Mariæ Ioannem effecit, ſubdit enim [& ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.]Vnde liquet eum,qui Chriſti frater anteà per adoptionem fuit, ac conſequenter matrem adoptiuam habuerit Mariam, ſublimiori iã modo Mariam habere matrem,& Chriſtum fratrem. Et ſanè ſi nullum

Digitized by Google

lum foret amoris Christi in Ioannem argumentum, quàm hoc vnicum, quod nouo modo matrem suam, præ cæteris Apostolis, eius matrem effecerit, sufficeret, vt amoris priuilegio supra cæteros eueheretur.

19. Cùm Iacob testamentum conderet, filiorum singulis suam tribuit portionem, & præter cætera, ob singularem in Ioseph amorem, aliam etiam illi dedit portionem, quam ipse gladij sui potentia Amorrhæis rapuit: sic Christus suum faciens testamentum sub mortem, sua diuisit bona, & præter cætera, portionem illam Ioanni reliquit, quam vi gladij sui, ab Amorrhæo diabolo vindicauit, virginem nimirum illibatam, quam ab omni peccati labe conseruauit. Neque mirum virginem virgini tributã. Cùm enim Deus ab æterno Virginem filio suo in matrem eligere constitueret: sic etiam eius virginitatis custodem semper habituram virginem ordinauit. Proinde peculiari modo, à cæteris educari debuit, qui Christi singulari modo frater futurus, ac matris custos & filius. Quare non alio nutricis lacte corroborari debuit, quàm eo, quo Spiritus Sanctus Christum infantem ablactare voluit, vt eodem nutriti, quamuis dissimili ratione, gratiæ spiritalis lacte, similes quodãmodo natura, moribus ac educatione essent. Christus verò tanta animi teneritudine eum, præ cæteris complexus est, vt in sinu recumbentem gratiæ inde lac sugere permiserit, vnde tantam hausit mysteriorum cognitionem, vt etiam Angeli ab eo, teste Chrysostomo, multa didicerint. Quomodo ergo Christus huiusmodi non diligeret? quomodo suam ipsi matrem è viuis excessurus non committeret, quem tot sibi cognationis vinculis copulatum esse agnouit, quem suorum secretorum veluti fidum in tantum adhibuit, vt super omnes mysteria, ac secreta sua ei reuelaret, vt meritò aquila illa esse credatur, quam olim Ezechiel cæteris animantibus eminere vidit.

Simile. Gen. 48.

Virginẽ quã gratia sua à diaboli tyrãnide vindicauit virgini Ioanni seruandam dedit.

Ezech.

SECVNDVM

SECVNDVM PVNCTVM.

Primum diuini amoris signum quod nos ab æterno in mente habuit.

20. Iam tempus est, vt ad secundam huius concionis partem veniamus, in qua hæc in nobis amoris signa reperiantur ostendere decreui. Licet igitur tanto digni amore non simus, quanto Ioannes, ac Moyses, quorum alter Christi dilectus, alter Dei amicus ac adeò familiaris fuit vt vterque tanquam frater cum fratre & amicus amico, sic cum Deo ageret, licet, inquam, tam expressa diuini amoris ac familiaritatis signa in nobis minimè inueniantur, quoniam indignos eius intima familiaritate ac singulari amore morum corruptela nos reddimus, diuinis tamen non caremus inspirationibus, quibus Deus se familiarem nobis reddere conatur, quod sanè maximum est maximi illius erga nos amoris argumentum: imò vt ait Paulus [vocauit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra sed secundùm propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora sæcularia] quo significatur (vt ait Chrysostomus) diuini amoris immensitas, vtpote, qui nos ante mundum, ante omnia tempora ab æterno in mente sua habuit, quique de vnoquoque nostrûm in particulari studiosè, & solicitè cogitauit, vnumquemque adamauit, cuique per Christum suam gratiæ mensuram decreuit & prædestinauit, quam Christus veluti solicitus ac amantissimus pater, quantum in se est, ita singulis impertitur, vt quilibet Dei dilectus censeri debeat.

Nos etiã diuinis amoris signa non caremus.

2. ad Tim. 1.

Secũdũ amoris Christi in nos signum, quòd nos generet, foueat nutriat, educet.

21. Secundum diuini amoris argumentum in nos est, quod singulari vnumquemque generatione sibi parere, ac in suo sinu fouere, nutrire, educare conetur. Interroget itaque vnusquisque conscientiam suam inquiens: Dic mihi anima mea vbi posuisti nidum tuum? vbi habitas? in quo affixum cor tuum? vbi tuus thesaurus? an cum Ioanne in Christi pectore, an potiùs in fœdis prauæ concupiscentiæ sordibus? an depressum in cista iacet? fateare ingenuè & ne verecundare veritatem eloqui: nam [cõsolatur Dominus populum

populum suum: & pauperum suorum miseretur.] dic ergo quod sentis [dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.] ô falleris, falleris anima mea! [nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te] ô quanta hæc consolatio, vt dicat se maiori nos amore prosequi, quàm vlla vnquam mater filiam, aut filium vteri sui, sit prosecuta. Quæ enim vnquam mater filij sui imaginem, vt eius semper recordaretur, suis manibus ignito ferro inuri voluit? at hic descripsit te, ignito amoris penicillo in manibus suis, vt nunquam tui obliuiscatur. Qui ergo in manu eius est descriptus, facilè eodem amoris penicillo, te etiam pectori inscribet: imo non tantùm pectori, sed cordi etiam. Ne verearis igitur eius pectori ad instar Ioannis incumbere, cùm te etiam ad vbera sugenda inuitet [Ad vbera, inquit, portabimini,] neque mireris ad vbera eius te portari: cùm, te etiam & in vtero ante portarit [portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua] ergo & mater nobis est, quæ nos genuit, & nutrix nobis est, quæ nos vberibus lactat; imò aliam nobis supponi nutricem haud patitur. Nam addit [vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram, ego portabo & saluabo.] O quantus iste amor! Quid Domine non suffecit tibi, quòd me vberibus tuis lactes? non satis me super genua tua velut vteri tui infantem collocasse, mihique adblandiri quo modo si cui mater blandiatur! non satis meam tuis manibus insculptam habere imaginem, sed etiam in vtero tuo portare me vis, vt nescias me respuere, sed velut mater prægnans, licet nolit, non potest tamen, non portare, non nutrire, non fouere, quem in vtero gestat fœtum, nisi ipsa matris officio desit, vel sese sponte inedia conficiat. Videtis itaque quomodo nos ad vbera inuitet, quo-

Isa.49

Isa.66.

Isa.46.

modo nos in vtero geſtari, quomodo manibus inſcribi deſideret. Sed prius cum Iohanne in Chriſti pectus recumbendum, vt amoris complexu fœtus concipiatur, amore nutriatur, foueatur, & meritoriis operibus ex ſingulari amore profectis, ita educetur, vt Deum tanquam patrem ſuum referat.

Tertium diuini amoris in nos ſignũ reciprocus noſter in ipſum amor.

22. Tertium diuini amoris in nos ſignum, ſi reciproco ſemper amore, Chriſto, vti Iohannes, adhæreſcamus, & veluti heliotropia, cum iuſtitiæ Sole, ſiue in aduerſis, ſiue in proſperis circumagamur, ac mentis oculo in illum ſemper defixo, ita à Spiritu Sãcto in eius gloriam rapiamur, vt iam omnia creata deſpicientes, cum propheta identidem ingeminemus: [Quid mihi eſt in cœlo?] quid pulchri, quid pretioſi eſt quod appetamus in cœlo? [aut à te quid volui ſuper terram?] quid pulchri, quid pretioſi eſt, quod appetamus, & à te expectamus ſuper terrã? nihil creatum inuenimus, quod nobis ſatisfaciat, nihil in quo cor noſtrum penitus acquieſcat, neque in cœlo, neque in terra, quia te ſolũ habere deſideramus. Pſ. 72. [Mihi igitur adhærere Deo bonũ eſt, ponere in Domino Deo ſpẽ meam.] viderint alij quid eis bonum ſit, nobis certè bonũ eſt, vtile, iucũdũ, honorificũ adhærere Deo: & quoniã adhęrere per viſionis beatificæ amplexũ in hac vita non cõceditur: bonũ tamen nobis nunc eſt ponere in Domino Deo ſpẽ noſtram, illi per ſpẽ adhærere, & in ſpe perfectæ adhæſionis interim gaudere, neq; ad latum vnguẽ, ab eius amoris amplexibus recedere, ſed directa ſemper oculorũ acie in eũ veluti in ſcopũ, in quẽ amoris ſagittas collimemus, quotidie intẽdamus, donec in ſeptẽ ſyderũ cõſtellationẽ, in 7. S.S. dona intuẽtes cõquieſcamus.

Quartum diuini amoris in nos ſignũ ſi cum Maria iucamur, foueamur.

23. Quartũ denique diuini amoris in nos ſignũ, ſi nobis etiã, ſicuti Ioanni, matrẽ ſuam Chriſtus cõmẽdauit, illámq; vti Ioannes, intimo cordis affectu foueamus, vt ſicuti illi, ſingulari modo mater effecta, ſic nobis ſingulari amoris titulo mater etiã efficiatur, vt hoc nobis ſit certiſſimũ in nos diuini amoris argumentum.

mẽtũ. Cõmissam itaq; suo modo, nobis Christi matrẽ esse quis negabit, cuius quotidie honoré ac dignitatẽ contra hæreticorũ obtrectationes tuemur! eã itaque sic nostræ curæ cõmissam, tanquã viduam in nobiliorẽ animæ nostræ partẽ amore confotam introducamus, vt ardẽti cordis affectu tanquã nouo spõso gaudeat. O vtinã sic affectus noster te ita penitus cõplectatur MARIA, vt per intimũ cordis amorẽ noua filiationis relatio inter nos & te gignatur. Sed te saltẽ in cordis nostri cubile introducemus, vt tui gratia, filius tuus benedicat nos. In domo Elisabeth, tribus mẽsibus te cõmorante, benedixit Dominus Elizabethã, & omnem domũ eius. Introducemus ergo te vt hanc nobis benedictionẽ impetrare non dedigneris. Arca testamẽti in domũ Obededõ introducta, Dominus benedixit omnia eius: Quidni ergo, nos cũ Dauide accingamur, vt ab illa domo, te verè Arcã testamẽti in nostri cordis domũ, adducamus? Ecce nobis nũciatur, quod benedixerit Dominus Elizabethã ob tuã præsentiã, nunciatur quod in cruce moriens, te ô nobilissima testamẽti Arca Ioannis custodire tradita eũ benedixerit, nunciatur quòd benedixerit Obededõ domum ob præsentiã Arcæ testamẽti; tui ergo causa nos Dominus benedicat, peccatis ex anima pulsis, suam nobis gratiam impertiendo. Nam ficuti Arca Dei in templum introducta idolum Dagon in terram prostrauit: sic tu cœlestis Dei Arca in animæ nostræ delubrum, vbi tot sunt idolorum genera, quot, præ Deo, illicita amplectitur desideria, introducta, omnia penitus in terram corruent, & nos ex abũdãti misericordiæ tuæ penu, vitæ æternæ alimenta hauriemus, nam illud gratia superplenum superfluet in nostræ animæ sinum, Deo procurante misericordiæ alimenta, sicut & Ioannes, cuius penuarium gratia plenum, suis etiam nobis meritis ac precibus spiritalia gratiæ alimenta impetrabit. *Luc. 1.* *2. Reg. 6.*

24. Vtinã hæc quatuor diuini amoris signa, in vestrũ singulis, qui me hodie audiũt, reperiãtur! vtinam

Multi Christo abortum procurant.

eius amoré,ac intimâ familiaritaté cũ Moyſe ac Ioanne impetremus ! vtinã vteri illius fœtus vitæ noſtræ integritate meritò eſſe cenſeamur! ſed heu licet aliquando per gratiã in eius veluti vtero gignamur, fit ſæpiùs, vt quaſi abortũ illi procuremus:Nã quãuis proſperitatis tépore,diuina etiã gratia aſpirante cõcipi tanquã genuini Chriſti fœtus videamur, ingruẽte tamẽ aduerſitate, tantùm abeſt vt cũ Chriſto Caluariæ mõté cõſcendamus,in quo perfecti naſcamur ab eius vtero fœtus, vt potiùs illi tũ abortum

Apoc 3.

cauſemus,quibus illud Ioãnis exprobrat:[Scio opera tua,quia neq; frigidus es,neq; calidus;ſed quiã tepidus es,& nec frigidus nec calidus, incipiã te euomere ex ore meo.]Multos ſanè lãguores matri in vtero parit infans,illa tamẽ,quãtũ poteſt fœtũ fouet, ac cõſeruat,donec ad perfectionẽ perducatur.Quot obſecro,lãguores Chriſto ac ſudores in vtero te formãti peperiſti?[ſeruire me feciſti in peccatis tuis,&

Iſa.43.

laboré præbuiſti mihi in iniquitatibus tuis.]Verè ingẽté ei laboré præbuimus,ſudare eũ aquã &ſãguinẽ fecimus,diu in oratione pernoctare,ieiunare,vigilare coẽgimus, vt nos in ſui amoris vtero perficeret: Sed heu!quaſi partui proximi,in medio ſubſiſtẽtes,ei abortũ ſæpè procuramus.Hinc Bern.[ſi attẽtes ſtare, ruas neceſſe eſt,& minimè bonus eſt,qui melior eſſe nó vult,nã vbi incipis nolle fieri melior, ibi definis eſſe bonus.]Ecce abortus!Meméto vxoris Loth,quæ quia reſpexit retrò,perdidit naturæ ſuæ munus,monet Ambr.retrò.n.Satanas,retrò Sodoma, memento tepidorũ abortus:nã Deus qui eos in vtero per gratiã cõcepit,faſtidiẽte ſtomacho ad os reiecit: [Incipiã te,inquit,euomere ex ore meo.]Ecce primus abortus! qui fuiſti in charitatis vtero, charitatis igne quaſi coctus,à primitiuo excidẽs feruore;tepidus in os eiiceris,ex quo facilè ſecũdũ breui experieris abortũ.Quid.n.facilius,quã quod ad inſtar ſputi in ore tenes,inde velut ſputũ eiicere?quia ergo tepidus es incipiã te euomere ex ore meo;nã inſtar aquę tepidę

Bern. ep. 91. ad Abbates Sueſſ. congregates.

Ambr. in cõment. illius loci.

Luc. 17.

ad

ad vomitũ me prouocas, ac proinde ex stomacho in os te eructaui, in quo velut cibus crudus ac indigestus manẽs, prope est, vt ex ore meo reiiciaris. nã neque te rursus ad stomachũ, cruda fastidiẽtẽ queo trãsmittere, neq; diu in ore retinere insipidũ bolũ. Tamẽ quia fœtus vteri mei es, cõsidera quãto cũ dolore, ac totius corporis cõcussione te eiicio, cũ charitatis calore in stomacho te decoctum omnino desiderem.

Magna Dei misericordia quinos ex ore non reiicit.

25. O quãta Dei nostri cõmiseratio! quãtus amor! vt cũ aliquẽ à se reiicit euomere dicat. Vnde dolere & cõturbari videtur, quoties quẽpiã, iustitia instigãte, à se repellere cogitur! Quanta deniq; eius misericordia, qui statim nos vno vomitu ex stomacho & ore nõ reiicit, sed quãuis peccatis coopertos, tantũ ex charitatis vtero in vindictæ os iniiciat; & licet vsq; adeò per teporẽ illi displiceamus, vt nos deglutire nõ possit, in ore tamẽ tãquã displicẽtes cibos & à quibus stomachus maximè abhorret, retinet, dum viuimus; nobis necessaria saltẽ auxilia suppeditãs, quibus si velimus operari, tanquã crudus cibus in olla igne accẽsa positus, paulatim coquitur: sic nos tepidi charitatis igne nostri cordis ollæ admoto, ita paulatim cõcoquimur, vt delicato Dei palato cibus tãdẽ efficiamur gratissimus, quẽ nõ tãtũ in ore tãquã sapidissimũ cibũ voluet, ac reuoluet, sed in amoris sui stomachũ magna cũ delectatione traiiciet. O fœlices nos tepidi, si rursus igne charitatis decocti, in Christi stomachum traiiciamur! O si semel ingressi simus adeò tenaciter cor eius tenere nos oportebit, vt nisi cor euomat, nos euomere nõ possit. Sicut enim Aquila illa Ioannes, eius pectus semel ingressus, ita amoris vnguibus prædam in sinu Patris, verbum nimirum in Deo mordicus retinuit; vt à se elabi nũquam passus sit; donec simul cum Christi corde, per mortem exclusus in cœlo nidum posuit: sic nos aquilæ illius instar, ex tepidis ac timidis feruidi ac animosi facti, duabus assumptis amoris ac castitatis alis, altius assurgamus, & in apertum Christi latus ingressi,

greſſi, eius bonorũ omniũ ærariũ, ita expilemus, vt nunquã in poſterũ virtutum, ac gratiæ alimenta nobis deſint. Sic veluti heliotropia iuſtitiæ Solis radiis nos expoſiti, gratiæ augmenta quotidie ſumentes, præcipuum amoris pignus, Beatiſſimam nimirum Virginem, à Chriſto nobis commendatam præcipuo cordis affectu amemus, foueamus, honoremus, vt æternam illam Virginis amatoribus debitam æternæ fœlicitatis benedictionem, recipiamus.

EXEMPLVM.

Sur. tom. 2. 6. Marty vitæ eius c. 8. & c. 18. Ant. Daueron. tom. 2. flo. exemp. c. 6. t. 12. p. 15.

26. Tantus erat Coletæ amor in Chriſtum, beatam Virginem ac Ioannem Euangeliſtam, quem ſibi in patronum adſciuit, vt ſuæ eſſet virginitatis cuſtos, vt eoſdem ſicuti amore, ſic ſua etiam virginitate coleret. Cùm itaque eſſet iuuencula ſeſe à procacium puellarum conſuetudine incorruptam ſeruauit. quod quàm hoc Deo ſuperíſque placuerit hoc innotuit argumento. Deus enim ad eam D. Ioannem Euangeliſtam miſit, qui aureum illi annulum ſuo donaret nomine, quo eius digito à Ioanne impoſito Chriſto deſponſata eſt. Illum verò, vt debuit, annulum ſumma reuerentia ac humilitate aſſeruans, auro aut argento includere decreuit, ſed nullus aurifaber illud conſequi potuit, quiſquis illum attrectaret aut oculis contemplaretur, mira perfundebatur dulcedine. Hunc etiam annulum ſemper adhibuit tanquam cuſtodem ac comitem iis, qui ad negotia componenda longius abibant, hócque inſtructi comite ſemper incolumes redibant. Coleta autem in tantum coluit virginitatem, vt nunquam vel leue aliquod verbum, aut quod alicuius fœditatis ſuſpicionem præ ſe ferret, vel protulerit, vel proferri coram ſe permiſerit. Quare plurimi fœdis addicti colloquiis ſemel tantum illam viſitando aut alloquendo ita eius præſentia mouebantur, vt ſtatim omni depoſito carnali affectu, caſtitatem amplecterentur. Inter cæteros nobilis Francus ditiſſimus ac potentiſſimus, mundo deditus,

ſuper

ſuperbus, delicatus ac lubricus, ita in alium eſt verſus virum habito cum ſancta Coleta colloquio, & ea pro eo orante, vt ſtatim deuotus, humilis, caſtus, ac ſeuerus in ſuam carnem totúſque ſpiritualis fieret, qui aliquoties coram Magnatibus affirmauit, ſe ex quo faciem tantum Coletæ vidit, nunquam carnis titillationem ſenſiſſe. Inſuper adoleſcens nobilis ſeſe diu inquinans contactibus turpibus, cùm paratus etiam eſſet actu explere libidinem cum quadam puella quam deperierat, viſa tantum Coletæ zona, ita derepente mutatus vt omnem locum fugeret, vbi eſſe amaſiam intelligeret. Eandem etiam puella ſenſit in ſe ſubitam mutationem, ac ita vterque Coletæ beneficio caſtitatem ſeruauit.

IN FESTO S. IOANNIS Euangeliſtæ, Concio ſecunda.

THEMA. *Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius.* Ioan. 21.

1. RECTÈ Dominus ſub illa Aquilæ figura, Ezechieli olim obiecta, Iohannem deſignaſſe dicitur, quippe cùm eandem in noua lege figuram, ipſe Ioannes in ſpiritu raptus, contemplatus ſit. In medio enim & in circuitu throni, quatuor conſpicatus eſt animalia, oculis plena, ante & retro: inter quæ animaduertit animal quartum, quod Aquilæ volantis ſimilitudinem, præ ſe ferebat, per quam ipſe Ioannes ſacræ Scripturæ interpretibus ſignificatur. Sicuti enim Aquila volatus pernicitate, viſúſque acumine cæteras antecellit aues, Ariſt. auctore. [volant ſublimes, vt perquàm maximè procul aſpiciant.] Qua propter homines ſolam Aquilam inter aues diuinam perhibent:] ita Ioannes duabus

Ezech. 1. Aquila illa Ezechielis Ioannem ſignat. Apoc. 4.

Ariſtot. l. 9. animalium cap. 32.

bus amoris & castitatis subnixus alis, tanquam diuina Aquila volans, cæteros Euangelistas supergrediens ingenij acumine, eminenti Spiritus sancti gratia collustrato, sublimius libratur, & cæteris acutius nostræ redemptionis mysteria penetrans, prædam, quam nullus alius attingere potuit, insequens, ac veluti supereminentis scientiæ rostro arripiens, in terram tandem ab arduo cœlestis Patris sinu, tanquam è proprio nido, vti in præcedenti concione diximus, fausto volatu detulit: [Verbum caro factum est.] Sicuti enim aquila, teste Isidoro, admiranda oculorum acie pollet, [vt cùm super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus: de tanta sublimitate piscículos natare videat; ac tormenti instar descendens, raptam prædam pennis ad littus pertrahat:] sic diuina hæc Aquila Ioannes, tanto mentis acumine pollebat, vt ad supremum augustissimæ Trinitatis nidum amoris, & castitatis pennis instructus, aduolans, & humanis subductus obtutibus, de tanto celsitudinis nido naturam humanam, veluti in verbi oceano, latitantem viderit, ac tormenti instar è diuini verbi contemplatione, in illam descendens, raptam prædam, pennis ad nos pertraxerit intonans, [Verbum caro factum est.] nec mirum: nam ab ouo pene excluſus, sub magnæ illius Aquilæ Christi alis enutritus, & tanquam præcipuus vteri sui pullus, in eius sinum incumbens, nutritij sui in se expressit similitudinem, ex cuius pectore, tanquam ex omnium bonorum fonte bibens, ita breui ad tantam peruenit, cœlestibus sapientiæ, ac scientiæ Dei diuitiis cumulatus, perfectionem, vt in Christi pectus quasi ingressus, tanquam ingeniosus fur sacrum eius ærarium expilasse videretur, & à sæculis absconditum Incarnationis mysterium euoluens, vnico quasi verbo nobis patefaceret: [Verbum caro factum est.]

Iohannes cæteris euangelistis altius penetrat.

Isido. l. 19. cap. 7.

Simile.

2. Et

Digitized by Google

2. Et ne cui mirum videatur tanta eum libertate vsum, vt non contentus fuerit Christi incumbere pectori, nisi etiam tanquam industrius fur, amoris ac castitatis claui, Christi pectoris ostium aperiret, omnesque in eius corde, veluti in prædiuiti gazophylacio, thesauros euolueret, ac de iis etiam participaret, suamque cuique nostrum partem tribueret, ne alicui inquam hoc mirum videatur: cùm Christus ipse huius ingeniosæ clauis exemplar illi proposuerit, efficacem nimirum amoris sui clauem, qua cœlum hactenus mortalibus clausum aperuit, viamque illi ad æterni Patris gratiarũ ærarium commonstrauit, vt inde insignẽ prædam nobis in terram deferens, illius participes efficeremur: [De plenitudine enim illius omnes accepimus.] Quid ergo mirũ si discipulis sui magistri industriam aliquousque cõsecutus, eius etiam experientiam fecerit, eáque de causa magistro suo semper assederit, in eiusque pectus incubuerit, vt si fortè à scopo aberraret suo, dirigeretur [circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui,] donec scilicet eum volare egregiè docuerat; nam sequitur: [& sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas.] Ecce quomodo Christus pectoris sui pullum docuerit, vt scitè prædam disceret arripere, quomodo, inquam, minorem hanc instruxerit aquilam, vt ascenderet & descenderet, & super illam volitans alarum suarum motitatione, ad volandum prouocauerit.

Nullus fuit ingeniosior amore.

Ioann. 1.

Deut. 32.

3. Cùm verò altius ascendere non posset: [assumpsit eum, atque portauit in humeris suis,] vt sic ad instar aquilæ, quæ assumptum pullum dimittit, vt casu discat volare, hunc suum pullum dimittat, vt dexterè tandem, quasi propria industria, Dei tamen gratia fultus, volet. In humeris itaque Christi sublimis insidens, in suo nido, in Patris sinu prædã deprehendit, quam arripiens præ gaudio intonauit: [In principio erat verbum.] Inuenit filium in Patre. Rursus

Iam Iohannes Christi adiutus gratia ad diuinitatem ascendit, iam ad humanitatem descendit.

sus è Christi humeris in terram deuolans, à Trinitate ad hominem, à cœlo ad terram, à spiritu ad carnem, prædam quasi vnguibus arreptam, nobis diuidendam atque manducandam proposuit. [Verbum (inquit) caro factum est,] eaque nos saturare cupiés, subdidit : [De plenitudine eius omnes accepimus.] Quem aucupādi modum Petrus Damianus eleganter his verbis declarauit: [Beatus, inquit, Ioannes alternato suæ narrationis ordine, modò diuinitatem Christi sublimiter intonat, modò quæ humanitatis sunt, plano quodam modo, & humiliter assseuerat: In principio, inquit, erat Verbū. Ecce aquila Dei ad cœli verticem sublimiter euolat, sed ad escam carnis necesse est, vt pressis alis aliquādo in imum submissa descendat: vnde & paulo post, quid subdat audite: Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

Damian. serm. 1. de excellentia Ioannis.

Concionis partitio.

4. Quatuor autem nobis in præsentiarum de hac diuina aquila dicenda. Primum, quantam ex Christi pectore cognitionem hausit, idque ex Prouerbiorum trigesimo ostendemus. Secundum duplici Dei, & proximi amoris ala eum tam altè conscendisse, vt ad diuinum attigerit ærarium, illudque quodammodo expilarit. Tertiò de beneficiis in Ioannem collatis eiusque in proximum & Deum amoris ala, amoris alæ connexa instructum, ad perfectam mysteriorum cognitionem peruenisse, declarabimus. Quarto loco, Si prius Spiritus sancti gratiam de more per intemeratæ virginis patrocinium efflagitemus. Aue Maria.

Prou. 30.

PRIMVM PVNCTVM.

Tria sapienti difficilia intellectu, quartum verò penitus ignorat.

5. Tria sunt, quæ sapiens sibi intellectu esse difficilia asserit. Primum est, via aquilæ in cœlo. Secundum via colubri super terram. Tertium, via nauis in medio mari. Quartum verò penitus se fatetur ignorare, viam scilicet viri in adolescentia. Adeo enim celeriter aquila per aëra, qui ita tenuis est, vt nostrū fugiat aspectū, ita rarus, vt statim cedat, ita continuus, vt licet à se dissipetur, statim rursus coalescat, adeo, inquā, celeriter peruolat, vt ne vestigiū quidē in aëre,

per

Digitized by Google

peruolantis aquilæ reperiatur. Coluber verò, sic sese leni per terram attactu motisat, vt vix etiam graminum summitates attingens, gradiatur. Nauis verò in mari, ventorum flatu pulsa, ita fertur per aquam, quæ impressionis minimè est capax, vt vestigia prætereuntis nauis in ea non appareant. Sed viam viri in adolescentia nullo modo agnoscere potuit. Nam ita singulis momentis velociter transit, vt ne ipsum vitæ nostræ curriculum, quod momentum est, à quo pendet æternitas, nec varias eius mutationes quisquam facilè comprehendere possit: quare non sine causa priora sibi perdifficilia sapiens asseruit, postremum verò prorsus sibi ignotum.

6. At verò, si altius paulò horum verborum absconditum eruere mysterium velimus, huicque nostro proposito accommodare, non tantum difficilia nobis illa tria apparebunt, sed fateri etiam cogemur, nos illa nō aliter, quàm quartum prorsus ignorare, nisi Ioannis industria accesserit, quem hæc omnia comprehendisse nobisque viam ad ea intelligenda commonstrasse percepturi sumus. Quænam enim obsecro hæc aquila, cuius vestigia in cœlum abeuntis perdifficile est deprehendere? Illa est [quæ ad præceptum Dei (vt testatur Iob) eleuatur, & in arduis ponit nidum suum, in petra manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus, inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt.] Nonne Ioannes aquila hæc, qui testatur se die dominica in spiritu raptum, in quo raptu, post se audiuit vocem magnam, tanquam tubæ, dicentis: [quòd vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis.] Cumque subita insolitáque vocis intensione exterritus, quasi mortuus cecidisset, ecce tibi in medio septem candelabrorum aureorum, similis filio hominis, podere vestitus, & aurea præcinctus ad mamillas zona, qui Ioanni appropinquans, suamque super illum dexteram collocans ait: [Noli timere, ego sum primus & nouissimus: scribe ergo quæ

Ioannes est hæc aquila cuius via in cœlo difficile deprehenditur.

Iob. 39.

Apoc. 1.

quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.]

Apoc.21.

7. Ad hoc Dei præceptum Ioannes, tanquam aquila eleuatur; sustulit eum postea in spiritu ad montem scilicet suæ diuinitatis magnum & altum, quod aliis Euangelistis, qui de eius humanitate maximè tractarunt, minimè contigit, licet subinde quasi quibusdam diuerticulis in altum etiam diuinitatis montem raperentur tanquam inferiores huic aquilæ pulli, nam vt ait Ælianus: [Aliæ aues volandi idcirco diuerticulis, flectionibusque in cœlum efferuntur, quod rectà non possint; sola aquila directo volatu, in sublime fertur. aliæ item rectam viam flectunt, cum ad terram delabuntur: aquila deorsum versus rectà defertur:] Sic Ioannes aërem volatu superans, recta via sublimius vsque ad augustissimæ Trinitatis subsellia perrexit, cæteris Euangelistis, quibusdam eo diuerticulis ac flexionibus contendere conantibus donec verbum in æterni Patris sinu comprehenderit: [In principio erat Verbum.] Ecce quomodo in arduis posuit nidum suum. Melænacti, hoc aquilæ genus [magnitudine minimam, ait Plinius, colore nigricantem, viribus præcipuam esse, quæ sola sine clangore, sine murmuratione conuersatur in montibus.] Verè magnitudine minimus fuit inter Apostolos Ioannes, quippe qui cæteris iunior, colore nigricans, quippe qui amoris ardore, præ cæteris, flagrauit, viribus præcipuus, quod enim cæteri Euangelistæ attingere non poterant, verbum in sinu Patris, ille attigit, ac veluti prædiuitem prædam in terram detulit, solus sine clangore, sine murmure, tacito contemplationis amplexu, in tribus illis altissimæ Trinitatis personarum montibus conuersatur, in quorum montium vertice, sponsam agni vidit, Christi scilicet humanitatem, in petra, in ipso Christo immorans, Christus enim erat petra, & commoratur inaccessis in rupibus, nam in montibus illis diuinitatis positus, in sublimi, inquam, trium

Ælian. lib. 14. cap. 10.

Ioannes rectà ad Dei subsellia fertur aliis Euangelistis per diuerticula ascendere conantibus.

Plinius lib. 10. cap. 3.

trium personarum inaccessibilis naturæ contemplatione hæret, [quæ lucem inhabitat inaccessibilem, quas nullus hominum vidit.] Splendor siquidem diuinæ maiestatis, & immensa ac inenarrabilis gloria, quæ omnis luminis fons, claritatis, cognitionis, gloriæ est, quippe Deus ipse, qui nobis inuisibilis, ob eximiam eius claritatem, & inaccessibilis, ob immensam luminis copiam, nobis offundit tenebras, inde tamen Ioannes contemplatur escam, Christi nimirum carnem, quæ sub specie panis, tanquam salutaris esca nobis quotidie porrigitur: [Caro enim mea (inquit ipse Christus) verè est cibus.] hanc verò carnem ad tantam tolli dignitatem vidit, vt ipsi diuinæ associaretur essentiæ. 1. *Timoth.* 6.

8. De longè oculi eius prospiciunt, quibus eo pertigit, quo nemo vix vnquam aliàs: [In principio, inquit, erat verbum.] Aquila igitur nostra ita pernicibus aëra penetrauit alis, vt nemo eius vestigium assequi potuerit, quippe quæ tam altè ascendit; vt in arduis Trinitatis personis suum collocasset nidum. Quis itaque eum persequi volatu præsumet, qui eousque prosecutus est cursu illum, [qui ascendens super Cherubin volauit, & volauit super pennas ventorum. Et posuit tenebras latibulum suum,] donec è tenebris, seu potius è luce inaccessibili, eum sub nostræ imbecillitatis aspectum, quodammodo eduxit: [Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.] *Eo penetrauit, quo nullus ferè vnquam.* *Psal.* 17. *Ioan.* 1.

9. Ecce quàm arduo ascendit volatu aquila nostra, donec è Patris sinu hactenus nobis absconditam diuinitatis prædam, in terram audacius detulerit. Vnde admirandum hunc eius volatum, felicem temeritatem Hieronymus vocat: [Coactus (inquit) est Ioannes de diuinitate Saluatoris altius scribere, & ad ipsum, vt ita dicam, Dei verbum, non tam audaci, quàm felici temeritate prorumpere.] Huic non immeritò per aquilam illam Ezechielis grandem magnarum alarum, longo membrorum ductu, plenam *Arduus eius volatus vt meritò illi Ezechielis aquila ex se comparetur. Hier. in prol. Matth.* *Ezech.* 17.

nam plumis & varietate,quæ venit ad Libanum,tulit medullam cedri, summitatem frondium eius auulsit, & transportauit eam in terram Chanaam, adumbratur. Aquila grandis fuit Ioannes, qui ex supremæ illius aquilæ pectore excreuit, cui magnæ applicatæ sunt alæ, ac agiles, quibus ad altissimum cœli montem auolans, altissimæ Cedri, diuinitatis nimirum,medullam in terras inde detulit [Verbum caro factum est]quemadmodum enim Cedrus, licet conspicua sit oculis,medulla tamen in eius procero stipite abscondita,ita delitescit,vt nemo eam videre possit,nisi stipes findatur: sic olim diuinitate hominum rectè sentientium intellectui perspecta, Deum enim esse sciebant, medulla tamen latebat:nam tres Trinitatis personæ in vna Dei essentia,sic nobis abscondebantur,vt eas nequaquam apprehendere potuerimus, donec aquila illa,ad altissimam Deitatis Libanum volans, sui ingenij rostrum, gratiæ cote exacuens, altissimæ illi diuinitatis Cedro admouit, ac varios vtriusque rostri amoris & castitatis ictus ingeminans,penetrauit, Cedríque medullam ad nos attulit, Deum nimirum, Patrem esse,& Filium,& Spiritum sanctum,hominesque docuit.

Simile.

Ioannes cùm aquila sit columbæ pennas assumit vt in Christi pectoris petrã tanquam columba faciliorem haberet aditũ. Ps.54.

10. O Ioannes quàm ingenioſe Magistri tui insidens pectori, altius ingressus prædam arripuisti! quàm dextrè columbæ pennas, qui eras aquila assumens,petram petiisti? Hos videor audisse clamores, dum te Christi pectori,quasi coniunctum vidi: vidi, inquam, & audiui te præ nimia pectoris Christi dulcedine toties ingeminantem. [Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& volabo] dic, cur,obsecro, columbæ pennas, cùm aquila sis,desiderabas ? quia præda illa in foraminibus petræ, columba nimirum illa Christi diuinitas, nidum suum posuit, & vt columba videaris,cùm tamen sis aquila,sic vis ingredi sine repulsa, petræ foramina, Christi nimirum vulnera,nondum tamen aperta, amoris iaculo illa aperiens, vt sic sub columbinæ simplicitatis specie re-

ctus.

ctus, tunc demum ingreſſus, depoſito velo, aquilam te oſtendas, & prædam rapias.

11. Vis Deo vim inferre, quia ſimplex eſt, cùm tu ſis rapax aquila, & ad hoc ſimplicem te columbam fingis. Exue colũbæ alas, ne inuoles columbina tectus ſimplicitate, vt Deum ſua ſpolies diuinitate, verſus in aquilam. Non faciam, inquis, me in omnem vertam partem, vt illi vim inferam. Amor ac caſtitas columbæ vtrinque mihi pennæ, animus tamen mihi aquilæ; volabo, aſcendam, & quod lucifer ſua præſumptione non perfecit, ſimplicitatis columbinæ ſpecie indutus, ac ſublimibus amoris ac caſtitatis alis, aquilino vngue irruam in prædam, eamque mecum rapiens, parta victoria exclamabo: [Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.] *Prædam columbæ indutus pennis vult rapere.*

12. Quàm ſcitè etiam viam colubri indagat, imo quàm dextrè omnes colubros perſequitur, vt eorum inuentis veſtigiis, ſuo ipſorum interficiat veneno, hoc vnico inſtructus telo. [In principio erat Verbum:] quod enim erat in principio, non includitur tempore, non præuenitur principio: ergo coluber ille Arius conſtrictus, & hoc telo transfixus, ac ſuo ipſius infectus veneno hîc interficitur. Quod autem erat apud Deum, non cõmixtione c õfunditur ſed manentis verbi (vt ait Ambroſius) apud Patrem ſolida perfectione diſtinguitur: Ecce alterius Colubri veſtigia inuenta Sabellici nimirum, vt hoc telo confoſſus iaceat! Et Deus erat Verbum. Non ergo in prolatione ſermonis, hoc verbum eſt, ſed in illa cœleſti deſignatione virtutis: Ecce alter deprehenſus coluber Photinus hoc telo deiicitur: vias ergo colubri, in terrã è cœlo intuẽs, ſagaci oculo, noſtra aquila longè proſpiciẽs vidit, & quaſi tonitruum vocem edidit, quo omnes perterrefecit hæreſecũm inuentores. Hinc Chriſtus ipſe illius vocis magnitudinem ac efficaciam præuidens filium tonitrui vocauit. Nam ſicuti tonitrui ſonitus loco, magnitudine, ac terrore à cæteris differt: ſic Ioannis clangor à cæteris *Viam colubri ſcitè indagat.* *Ambroſ. de fide l. 1. c. 5.* *Similia.*

ris etiam Euangelistarum vocibus differt. Sicut enim tonitrui sonitus è cœlo dilapsus, tanto fragore, per totum terrarum orbem, quasi boat, omnia quadam succussione, quasi consternans: sic Ioannis vox tonitruum imitata tanto fragore omnes consternauit hæresiarchas, vt vnico eos ex hoc tonitru emicante fulmine prostrauerit. [In omnem] enim [terram exiuit sonus eius.] Et sicuti tonitruum terrori est toti orbi: sic Ioannis vox terrori fuit omnibus crucis Christi inimicis. Vnde vox eius vox Domini confringentis cedros, & comminuit eas tanquam vitulum Libani, & dilectus, quemadmodum filius vnicornium.

Ps. 28.

Quanta vis in Ioannis voce.

Simile.

13. Meritò sanè Ioannis vox, qua superbæ hæreses aduersus Christi diuinitatem insurgentes veluti Libani celsæ Cedri confractæ, meritò, inquam, vox Domini confringentis Cedros appellatur, & quemadmodum vitulus ex Libano in macellum adductus in partes dissecatur: sic ancipiti vocis suæ gladio omnes tartareo consecrandos macello hæreticorum vitulos dissecuit. Hinc dilectus discipulus vnicornis filio perfimilis, qui robore, præstantisque doctrinæ cornu, ita in omnes hæreses impetum fecit, vt illas eorumque parentem Satanam fortitudine superauerit. Meritò ergo tornitrui filius à Christo dicitur, ac aquila, quæ, vt ait Basilius, alicunde aduolans ac desuper conspecta, futili garrulitati loquacium auium silentium indixit, imo tanto eas timore percelluit, vt etiam hodie absens suo illas doctrinæ tonitruo, ab Ecclesiæ nido abigat. Quare quod de aquila scribit Ælianus optimè in illum quadrat. [Nam non modò, inquit præsentem & viuentem cæteræ omnes volucres extimescunt, atque eius conspectum exhorrent, & pennæ eiusdem, si quis cum aliarum pennis commiscuerit, incorruptæ ac integræ manent, aliæ cum illis communitatem non ferentes, putrescunt.] Nonne hodie omnes obscenæ hæreticorum aues, huius aquilæ absentis doctrinæ

Basil.

Ælian. lib. 14. c. 1.

Digitized by Google

doctrinæ clangorem ita extimescunt, vt ex Ecclesiæ nido tanquam degeneres pulli penitus abacti, vel tenuem eius mentionem fieri perhorrescant, quippe qui vel vnico clangoris sui sonitu, vti demonstrauimus, præcipuos hæresiarchas penitus profligauit, cuius pennas, id est, varia Catholicæ religionis dogmata, si cum suis errorum spurcitiis conferant, incorrupta ac integra manere videntes, cum illis communitatem non ferentes putrescunt.

Viam nauis subtiliter inuenit.

14. Viam insuper nauis in mari subtiliter adinuenit, eam insequens donec subtili indagatione vestigiis illius inhærens, eam deprehenderit in cœlo tãquam in omnium bonorum mari, onustum vniuerso, onus eius Dei verbum quo omnia facta sunt, constant & portantur. [Omnia per ipsum facta sunt, & portans omnia verbo virtutis suæ] verbo enim & iussu potenti omnia portat, id est, sua subsistentia, nutu & potentia sustentat & baiulat totum pondus creaturarum, inquit Theophylactus, quasi Athlas mundi. Quod, obsecro, grauius, glorioſius, ac precioſius onus nauis portare potest Dei verbo, quòd Christi humanitas tanquã celeberrima illa nauis de longè portans panem, verbum è cœlo in terrã celeri humilitatis nauigatione detulit, vt de ea verè loqui videatur Sapiens: [Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem] è cœlo simirum Angelorum panem, æternum verbum humanitatis veste indutum, nobis quasi manducandum de longè portauit, [Panẽ enim Angelorũ manducauit homo.]

Ioan. 1. Heb. 1. Prou. 31. Psal. 77.

Viam viri in adolescentia nobis monstrauit.

15. Denique quod prorsus Sapiens ignorauit, [Viam viri in adolescentia.] è specula illa Christi pectore, aquila nostra cognouit. Quis enim alius vir ille, nisi ille cuius generationem Isaias enarrare non potuit, [Generationẽ eius quis enarrabit] ille, inquã, qui adeo in vtero Virginis fuit perfectus vir scientiã ac virtutibus à suæ conceptionis instanti, & qui in sua natiuitate ita subtiliter, clauso prorsus matris vtero, egressus, sine claustri Virginalis ruptione; vt

Isa. 53.

meritò de hac viri via in adolescentia seu potius in adolescentula, vt plerique vertunt, dixerit Salomon hoc esse quartum quod penitus ignorauit. Existimabat alioqui [nihil sub sole nouum] suæ cognitioni obiici posse, quem tamen docet aquila nostra, hoc saltem, sub sole nouum, eiusque intellectus acumen fugere, [Verbum caro factum.]

Omnes viri vias Ioannes docet. Ierem. 31.

16. Ieremias eadem cùm Ioanne fidei perspicacitate instructus, nouũ hoc, sub sole futurum agnouit, ac idipsum prophetico intellectus sui oculo olim obiectum, & quasi iamiam existens exclamauit: [Nouum creauit Dominus super terrã, mulier circundabit virum.] Cuius conceptionem, ortum ac in natiuitate varias mutationes, Ioannes quasi fidus earum testis, quemadmodum tum à B. Virgine, tum à Baptista Christi præcursore didicit, eius omnes vias, hoc vnico, verbo inuentas declarat. [Et Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis.] cuius præsentia, ac familiaritate viginti tribus annis fruitus, nos omnes, vt societatem cum Patre & filio eius Iesu Christo habeamus inuitat. [Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annũciamus vobis vitã æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis, vt & vos societatẽ habeatis nobiscũ, & societas vestra sit cum Patre & filio eius Iesu Christo] ô quàm singulare de Dei filio Ioannis testimoniũ, de quo Rupertus hoc præclarũ elogium tradit. [Testis filij Dei singularis Ioãnes Euãgelista, ac præcipuus, qui in publico cœli & terræ auditorio, cùm ageretur non tã de terminis aut legibus regni, quàm de ipsis natalibus Regis, scilicet Christi, in mediũ profiliit, & magno tonitru, verbíq; coruscãtis fulmine, Ecclesiã malignantiũ, id est, hæreticorũ perterruit, apertè protestãs, quod filius vnicus Patris sit.

1. Ioan. 1.

SECVNDVM PVNCTVM.

17. Secundo perpendamus loco, quibus subnixus alis

alis ad tantam Ioannes peruenerit cognitionem, vt tam altum sibi sumpserit exordium. [In principio erat Verbum.] [Quod si paulò altius transcenderet, omnia montium cacumina, ait Augustinus, terrarum omnes campos, omnes syderum altitudines, omnes choros & legiones Angelorum supergrederetur. Nisi enim transcenderet ista omnia, quæ creata sunt, non peruenirет ad eum, per quem omnia facta sunt] Ecce quàm altè nostra volauit aquila. Quòd verò diuini amoris ac illibatæ castitatis alis instructus, sic ad aliarum rerum cognitionē ascenderit, nemini dubium esse debet. Diuinus enim imprimis amor humanam sæpe mentē adeo corroborat, vt eam supra naturæ vires eleuans, Dei secreta penetrare faciat. Hac diuini amoris ala, Paulum instructum crediderim, cùm in cœlum Empyreum raperetur, vbi (sicuti Ioannes diuina mysteria ex Christi pectore didicerat, quippe qui vnus ex Ecclesiæ egregiis Doctoribus futurus erat) arcana verba audierat, vt scilicet orbis iam Doctor, è cœlo, sicuti Ioannes è Christi gremio, prodire videretur, ibique visa & audita, quæ volebat Deus illum hominibus communicare, sicuti Ioannes visa & audita in Christi pectore, enarraret, cœlestémque sapientiam, sicut Ioānes è Christi sinu, sic Paulus quasi è cœlo hominibus afferret. Iuuat itaque præ omnibus, ad obstrusarum rerum perfectam cognitionem, Dei amor gratiæ lumine corroboratus, imò sæpe etiam miraculo, & præter naturæ ordinem sanctorum mentes diuino amore incēsas, ita Deus illuminat, vt iis obscura patefaciat. [Incerta, inquit, Propheta, & occulta sapiētiæ tuæ manifestāsti mihi,] quia veritatem amas & in me veritatem & rectitudinem cordis inueniſti, ideo tam multa mihi patefeciſti mysteria secretissima, & occultissima, quæ licet signa sint infinitæ sapientiæ tuæ, simul etiam singularis mei in te amoris indubitatum est argumentum.

Quàm altè Ioannes ascēdit.

Aug. tract. 1. super Ioan.

Dei amor ad cognitionem iuuat diuinam.

2. *Cor.* 12.

Ps. 50.

18. Confert etiam ad hanc rerum abstrusarum cogni-

Castitas ad diuinam cō-

fert cognitionem.

cognitionem, animi quies, & trãquillitas, quæ sequi solet, compressis, & eradicatis omnibus cõcupiscentiæ turbulentis motibus. Si enim, teste Auerroe, castitas aliæque virtutes quibus concupiscentia carnis comprimitur, plurimum ad adquirendas scientias speculatiuas iuuant, quanto magis ad diuinas scientias, quarum auctor æterna sapientia quæ in cor libidine infectum nequit, iuxta illud sapientiæ, introire. [Quorum in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.] Sicuti ergo corpore vehementioribus agitationibus, aut intemperato cursu commoto, animus cognitioni vacare minimè potest; sic multò magis, si mens ipsa variis commota sit malè ordinatis affectionibus, vt in fonte cœnoso, ac turbido, nullam rem liquidò, ac perspicuè contemplari poterit.

Sapientia 1.

Amoris & castitatis alis Ioannes ad verbi solium pertigit.

Iustinia. Sermone de S. Ioanne Euãgelista.

19. His itaque amoris, ac castitatis alis, aquila hæc è Christi pectore veluti è nido suo librata, verbum in æterni Patris sinu comprehendit, [In principio erat Verbum.] Hinc Laurentius Iustinianus [Geminæ, inquit, puritatis, id est, carnis & mentis suffragio, fultus Ioannes, tanquàm spiritualis aquila, vsque ad verbi solium, pertingens; ait: [*In* principio erat Verbum.] Ecce quàm expeditam, corporis ac mentis castitas, nostræ aquilæ alam adaptauit: cui si diuini amoris alam adiunxeris omnia pernici ac diuino volatu penetrabit. Sicut itaque castitatis, sic etiam diuini amoris alis libratus in secreta diuinæ se immergens natiuitatis ausus est dicere, (Vt ait Hieronymus) quod cuncta sæcula nescierant: [In principio erat Verbum] sed quid mirum, tam sublimi aquilam nostram volatu conscendisse, cuius alæ adeo diuino amore consolidatæ sunt, vt nunquam frangi possint. Sicuti enim iuniorum aquilarum pennæ, naturæ ac matris industria, paulatim in nido consolidantur; sic iunioris huius aquilæ Ioannis pennæ, in ipsius Christi sinu natu-

ræ

væ auctoris, tanquam in cœlesti nido amoris teneritudine corroboratæ sunt. Et vt omni ex parte, ad sublimem aptarentur volatum, non satis fuit Ioanni, ob amoris teneritudinem in Christi sinu requiescere vbi cœlestes alæ crescere cœperūt, nisi etiam è conuerso, Christus ipse, ob singularem in eum affectum, in Ioannis pectore, vbi penitus amoris ac castitatis alæ confirmatæ sunt, recubuisse dignaretur.

20 Vultis hac de re Ambrosij clarum testimonium? [In triplici, inquit, sinu Christus quieuit, in sinu Patris in cœlo; in sinu matris, & Ioannis in terra: in sinu quidem patris vnigenitum Dei esse filium testis est ipse Ioannes: Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Sed etiam in terra sinus habet in quibus quiescat: sinus verò in quo Christus quiescit, non corporis gremio præparatur, non vestimentorum ambitione componitur, sed cœlestium virtutum operatione colligitur. Nam Christi sinus erat in Ioanne Euangelista, fides, & charitas; in Deo Patre diuinitas, in Maria matre Virginitas. Ibi sinus Christi est, vbi est habitaculum virtutum. Ibi reclinat caput suum, vbi domicilium cœlestium inuenit præceptorum. ideo peccatoribus dicitur: [Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput suum.] Quin & Christum per dilectionem specialem, in sinu Ioannis recubuisse, maius, quàm Diui Ambrosij, sacrorum scilicet eloquiorum testimonium euincit, dum dicitur, [Discipulus ille quem diligebat Iesus.] In sinu itaque diuini amoris pleno Christus requiescit, non in spinoso auari sinu, ne iterum pungentibus caput configatur spinis: non in cœnoso libidinosi sinu, ne speciosa iterum eius facies, eius vulnerum putredine deturpetur: non in inquieto ambitiosi sinu, ne iterum commotione delicata, capitis pellis detrahatur: non in venenoso detractoris sinu, ne iterū medicatū felle poculum eius sacratissimo ori porrigatur: nō in subdola assentatorū

Ambr. serm. 18. de Epiphania.

Ioan. 1.

In triplici sinu Christus quieuit in patris, matris & Ioannis.

Matt. 8.

sinu, ne iterum eius sanctissimæ aures inuitæ cogantur audire:[crucifige,crucifige.]ab iis qui paulò ante insigni triumpho ac congratulatione venientem exceperunt, non in flagitioso blasphemantium sinu, ne delicatissimæ eius aures horrendas haurire blasphemias compellantur:sed in casto,ac charitate ardenti, inflammato sinu, sicut Mariæ ac Iohannis sinus fuit,gaudet conquiescere. [Hæc requies mea in sæculum sæculi,hìc habitabo, quoniam elegi eam.]

Ps. 13.

Radix meriti gratia, Deiq; amor.

21. Vnde,obsecro,tanti Christi amoris in Iohannem causa profecta? licèt homo mereri aliquid possit,ab alio homine, absque eo quod præcedat gratia illius hominis, non ita tamen respectu Dei contingit, à quo homo omnem vim ac merendi radicem trahit. Quare antequam illam à Deo acceperit, nihil ab eo potest mereri. Vis ergo huiusmodi, ac totius meriti radix,gratia Dei est, eiusque amor, qui hominem Deo gratum, acceptumque facit, & ex quo,tanquam ex perenni fonte, omnia in hominem emanant beneficia.Cùm itaque Ioannes à Deo hanc merendi,supra,penè,omnes, vim acceperit,ita supra omnes etiam penè beneficiis est cumulatus, vt singulari amoris indulgentia,& Iohannes in Christi sinu,& Christus in Iohannis sinu conquiescerent.Hinc infinita penè beneficia, ex hoc eximij amoris priuilegio Iohannes est consecutus.

TERTIVM PVNCTVM.

22. Tertio itaque loco de beneficiis in Ioannem collatis ob Christi in eum eximium amorem breuiter dicam. In primis ingens illud beneficium est,certò scire huiusmodi sibi collata, quæ vix in alium purum hominem,Deus vnquam contulit, & sic esse collata,vt nunquam posthac amittatur.O quanta fuit Magdalenæ consolatio, cùm audiret à Christo,[Maria optimam partem elegit,quæ non auferetur ab ea] maxima itaque hodie Ioannis consolatio,qui certò nouit se à Christo dilectum,noménque suam sub ipsis cœlestis illius ciuitatis fundamentis

Ingens beneficium certò scire se à Deo diligi.

Luca 10.

Digitized by Google

ſcriptum, vnde nunquam deleri poſſit: contemplans enim ſupernæ illius ciuitatis fundamenta, Apoſtolorum nomina illis inſcripta vidit & legit, & ſuum in illa viridantium gemmarum præſtantiſſima, (vt vult Ioachimus,) Smaragdo, quæ puriſſimi olei colorem imitans, perfectam fidem, quæ per charitatem operatur ſignificat. Quæ virtus cùm maximè in Ioanne reſplendeat (quippe qui fuit Spiritali charitatis oleo pleniſſimus, vnde & in feruentis olei dolium immiſſus, tanquam viridantibus ornatus virtutum coloribus, & ſine vlla corporis læſione ſmaragdus emerſit pulcherrimus,) mirum non eſt, ſi cum ſmaragdo comparetur. Quod, obſecro, hoc maius beneficium, ac amoris præcipui argumentum reperiri poteſt? hoc tamen Chriſtus non fuit contentus, ſed præ reliquis ſingularia illi, quæ nemini vnquam aliàs, contulit.

Enumeratio beneficiorum Ioannis cum aliis communicati.

23. Nihil dicam de iis, quæ cum cæteris Apoſtolis communia illi fuerunt, quod ex ſeptuaginta duobus diſcipulis Apoſtolos elegit duodecim, qui vt Paulus ait, inter omnes Eccleſiæ gradus, principem tenent locum. Ex his vnus Ioannes. Quid attinet dicere de iis quos Dominus rerum à ſe geſtarum ſcriptores eſſe voluit? ex his tamen vnus & præcipuus fuit Ioannes: præterea tres illos, quos Chriſtus ad duo illa diuerſa maximéque miranda ſpectacula intuenda elegit, vt nimirum ſplendentem eius faciem in monte Thabor, & in horto eandem veluti mortis pallore exanguem, & ſanguineo perfuſam ſudore coram viderent: ex iis tamen vnus fuit Ioannes. Taceo duos illos, quos Dominus præmiſit, vt paſcha ſibi morituro pararent: tamen ex his vnus fuit Ioannes: ſilentio premo duos illos, qui ad Chriſti monumentum, eius reſurrectionis fama commoti, accurrerunt: vnus tamen ex illis Ioannes fuit. Hæc, inquam, omnia prætermitto, quæ cum aliquibus Apoſtolis illi communia.

Enumeratio beneficiorum

24. Venio enim ad magna & præclara, quæ

Iohanni propria.

ipſi ſoli propria. Vnus itaque fuit, qui virgo à Domino electus, perpetuam coluit virginitatem, vnus, qui cæteris in paſſione diffugientibus conſtans ſuum ſecutus Dominum, etiam ad crucem vſque, vbi maxima incenſus charitate illi aſtitit, eo præſertim tempore, quo omnes ferè eius noti, ac amici, vt ait Euangeliſta, à longè ſtabant. Vnus fuit, qui ſupra Domini pectus in cœna recumbens, auſus Chriſtum importuno triſtitiæ tempore, quis eſſet, qui eum traditurus erat, interrogare. Vnus, qui hoc ſingularis amoris titulo vt ſupra dictum, à Chriſto exornatus, [Diſcipulus, quem diligebat Ieſus:] vnus, ob nimiam eius in proximos charitatem, cui Chriſtus in cruce pendens matrem virginem, virgini commendauit. Vnus denique qui ita proximorum amorem ſpirauit, vt decrepita iam ætate, cùm vix verba efformare poſſet, nihil aliud diceret, niſi hoc, [filioli diligite alterutrum. Cuius rei frequenti iteratione tædio affecti diſcipuli dixerunt: Magiſter quare hoc ſemper loqueris, qui reſpõdit dignam Iohanne, vt ait Hieronymus, ſententiam, quia præceptum Domini eſt; & ſi ſolum fiat ſufficit.] Poſtremò vnus, cuius mors & ſepulchrum, tam inſolito coruſcarunt miraculo, vt corpus in tumulo poſitum, in cœlum ſublime inde delatũ ſuis exterius coruſcãs dotibus, glorioſa interius reſplendente anima, piè credamus.

Hieron. in comm. epiſt. ad Galat.

Amor Dei & proximi nos in cœlum inuehit.

25. Ecce quanta vis amoris Dei, ac proximi, qui vt Ioannem tanquam duabus ſublatum alis, ad ipſa auguſtiſſimæ Trinitatis myſteria contemplanda ſubuexit; ſic hodie iiſdem inſtructum amoris alis, ſublimem anima & corpore in cœleſtia delatum cur miremur? O vtinam, his accincti alis, illum qui in terris nobis expreſſa charitatis ſuæ veſtigia reliquit, mente modò in cœlum ſequamur, vt poſteà ſicut ille anima & corpore aſſumptus eſt; ſic nos præeuntibus nobis animis, corporibus ſubſequamur. Sed opus eſt Dei ac proximi prius amore incendamur, ſine enim vtriuſque amore, neque anima, neque corpore, cœlũ

con

conscendere poterimus: Qui enim iustitię partes hic non expleuerit, Deum ac proximum amando, illi iustus iudex iustitiæ partes explens, æternas infliget pœnas. Sicut enim auis subtractis alis volare nequit, sed concisis in terra saltibus ab vno, in alium locum, sui impotens sese motitat, donec defatigata, etiam à puero, capiatur, sic anima Dei amore ac proximi quibus tanquam duabus alis in cœlum transuolat, resectis, neque iustitiam hìc colit, sed quasi præfractis virtutum gressibus, in terra reptans, simulato iustitiæ pallio, iustitiæ mentitur opera. *Simile.*

26. Non sic Ioannes, sed sublimibus charitatis instructus alis, grandem illam magnarum alarum imitatus aquilã, quæ super eum volitans, à puero docuit sublimius euolare, nos tãquã iuniores aquilæ pullos, suo instruit exemplo, quomodo Dei amoris ac proximi, hìc frequentes saltus facere debeamus, donec exercitati, corroboratis, per iustitiæ opera, pennis, sublimi eum volatu subsequamur. Sed proh dolor! tantum abest, vt has nobis aptemus alas, vt si eas, per externa tantum simulatæ iustitiæ opera, habere videamur, nostræ tandem maleuolentiæ procacitate palam rescindamus. Neque enim satis est, vt quis mihi dicat, se Deum amare, si occultum in proximum rancorem in mente teneat, vel nactus opportunitatem erumpere permittat; cùm sine vtriusque amore, vera iustitia constare non possit. *Vt quis iustitiæ partes expleat Deũ & proximum amare debet.*

27. Vnde appositè Gregorius. [Duo hæc necesse est charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem cupit:] Cuius rei typum expressum habemus in Exodo, vbi cortinis tabernaculi intexti coccus bis tinctus adhiberi iubetur. In quem locum Gregorius. [Vos estis, inquit, fratres cortinæ tabernaculi, qui per fidẽ in cordibus vestris, secreta cœlestia velatis, sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse: coccus quippe ignis specie habet; quid verò est charitas nisi ignis? sed ista charitas esse bis tincta debet, vt tingatur, & per amorem Dei, *Greg. hõ. 38. in Euang. Exod. 16. Tyt. Amor Dei & proximi necessarius.*

& per amorem proximi. Qui enim sic amat Deũ, vt per contemplationẽ illius negligat proximum, coccus quidem est, sed bis tinctus non est. Rursum, qui sic amat proximum, vt tamen contemplationem Dei per eius amorẽ relinquat, coccus est, sed bis tinctus non est. Ergo si velis tuam animam, omni ex parte, perfectam esse, coccum, ab ea sordes rancoris prius elue, vt fulgore charitatis intingatur.] Sicut enim niger color alium non potest capere colorem: sic nec anima peccati nigrore infecta, alia potest virtutum tinctura affici. Et verò vestis nuptialis, qua Christus nos indutos esse cupit, aureum imitatur colorem, argenteis foras emergentibus filis, atque vt aureus color ardentem in Deum charitatem, sic fila argentea, subtili tegmine foràs erumpentia, dilectionem erga proximum indicant.

Simile.

28. Ecce quomodo Deus duplicibus nos cum Ioãne indutos esse cupit. Hac charitatis duplici ornatum veste Ioannem, adeo tenerè dilexit, vt subinde vicissim in alterutrius sinu, vti audistis, & Christus conquiesceret & Ioannes. Quare tantus in Ioannis pectore Christi amor increuit, vt præ eius amore videretur languere, & non languere solùm, sed veluti impotens sui, ac vehementi quodam mœrore contabescens, Iudæ in Christum proditione cognita, ita exilierit, Domini tantùm sui memor, vt nihil de sumendis suis vestibus cogitaret, sed tantum amictus syndone, vt vult Chrysostomus, Ambrosius & Gregorius, cor suum sibi ablatũ, Christum scilicet, amãtissimus discipulus sequeretur; & ad se rediens, tanto incensus eius amore, obuios quosque vt sibi dilectum suum commonstrarent, vel si fortè eum inuenirent, ei nunciarent, impensius obsecrabat, quod nimio eius amore langueret. [Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.] ô Ioannes qui amore languebas, languore in amoris flammas commutato, vt video, illarum fortissimo impetu Christũ insequi cogeris,

Eximius Ioãnis in Christum amor.

Chrysost. in comm. ps. 13. Ambros. in ps. 36. Greg. l. 14. Mor. a. c. 24. Cantic. 5.

Digitized by Google

cogeris, veluti amoris ſyndone tantùm indutus! hic eſt verè amoris impetus, qui te adegit vt cæteris diffugientibus Apoſtolis, Chriſtum vſque ad domũ Principis Sacerdotum ſequereris. Hic eſt amoris ille impetus, qui te inſtigauit, armatis te militibus inferre, & coram crucifixo, impauido vultu ſtare! Hic eſt amoris ille impetus, quo tuum cor reciproca amoris ſagitta, à Chriſti ore in te emiſſa, vulneratum, liqueſcebat. [Ecce mater tua.] In tantum, ô Ioannes, hæc ſagitta tuum ſauciauit cor, vt potius liquefactum penitus, per oculos, ſanguineis effluxerit lachrymis, quàm in tuo corpore langueſcens, ſingultibus, ac intermortuis verbis, è ſuo loco in os exiliens linguam tuam loqui compelleret. Nam ne verbum à te auditum, tanta enim ſimul doloris, ac Chriſti amoris magnitudine obſtupuiſti, vt præ dolore ſimul, ac amore nihil dixeris, ſed attonito ſimilis, coram pendente tacitus ſtares! *Ioan. 18*

29. Dic, obſecro, ô Ioannes quid tunc faciebas? quæ tuæ erant cogitationes? quid dico? fallor. tantus enim dolor, ac amor ſimul tuum occupauit cor, vt amore ſimul, & dolore liquefacto, lingua obſtupeſcens penitus conticuerit. Quid ergo, ſi neque cor tibi, neque lingua, ſuo valuit officio fungi? quid inquã, tandem? Illi dixit cor meum [exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.] Quid, ô Ioannes, cor tuum potuit dicere, quod modò amore ac dolore liquefactum, per oculos tranſiit, quid, inquã, dixit? [Illi dixit cor meum:] ô amor, ô dolor, adeò cor Ioannis amoris ac doloris ardore liqueſcit, vt neſciat perficere ſententiam. Illi dixit cor tuum. Quid dixit illi? Neſcis præ amore, & dolore connectere ſententiam, ſed vbi tibi cor præ amore ac dolore nimio deficere vides, ab alia exordiris ſententia inquiens, [Exquiſiuit te facies mea.] Auditis an non rectè conieci illum corde carere, ac propterea neſcire, quid dicat, ſicut antè Petrus, illa gloriæ ſcintilla abſorptus, exclamauit, neſciens quid dixerit: *Augetur Ioannis in Chriſtum amor.* *Pſ. 26.*

[Bonum

[Bonum est nos hic esse:] sic Ioannes, tanto Christi amore, ac dolore liquefactum, ac sublatum sibi penitus veluti amoris ac doloris furto cor videns, nesciens, quid præterea sibi supereſſe possit, quò confoueat in se Christi amorem, ac dolorem, cespitat, ac tandem cùm nihil aliud suppetat, quasi nesciens quid dicat, [Exquisiuit te (inquit) facies mea:] nam sola hæc externa faciei gratiosa compositio, corde ac lingua deficientibus illi supererat, hinc [exquisiuit te facies mea] ait, & ne fortè amoris, ac doloris magnitudine penitus absorptus videretur, vt nescire quid diceret, putaretur, ad se rediens subdit, [Faciē tuam Domine requiram] quasi dicat: quoniam anima mea liquefacta est, vt loquutus est, è cruce dilectus, & lingua, deficiente corde, obstupuit, conuersis vtrinque vultibus, [Exquisiuit te facies mea.] Christo ingeminante, nutu Ioannes respondit, [Exquisiuit] etiam [te facies mea: faciem tuam Domine requiram.]

Vnum cor Christo, B. Virgini & Ioanni.

30. Verè exquisiuit tua facies, faciem dilecti tui, & cùm Dominus suum tibi dedisset cor, (sicut legimus posteà Catharinæ Senensi contigisse) cùm matrem intuitus diceret, [Mulier ecce filius tuus:] quibus verbis, suam Ioannis matrem fecit, & cor illi suum, amorem in matrem spirans dedit, vt sicut ipse, sic Ioannes filiali eam amore prosequeretur. Hinc subditur, [& ipse accepit illam in sua.] ita, vt vnum Christo, Ioanni, ac matri esset cor, ac proinde tres vnum quodammodo fierent. Quare cùm vnum omnibus esset cor, quicquid doloris in se Christus expertus, id ex amoris coniunctione, ac cordis vnitate in se Maria, ac Ioannes experiebantur, vt verè sibi inuicem dicere potuerint: [Tibi dixit cor meum: exquisiuit te,] exquisitum inuenit, inuentum tibi rursus vni soli adhærescere cupit, quia ex te in cor nostrum omnis amoris radix transfertur, ita vt tibi soli vacare omnibus valedictis, cor nostrum velit, vt hac amoris ala, sicut omnia ad te attrahis, sic communem

Ioan. 18.

nostram

nostram matrem, & me post te, in altum diuinitatis tuæ verticem attollas.

Qvartvm Pvnctvm.

Anima exteriorem puritatem à charitate processam ostendat.

31. Sed quoniam puritas etiam es, vt de hac quarto adhuc loco explicatius dicamus, cùm in reciproco tui ac discipuli tui Ioannis amore, (vtinam ex amore) exprimendo inhæsimus, puritatis ala nobis opus est, vt te perfectè attingamus, nã nisi vtrinque hinc amoris, illinc castitatis alis, apprimè simus instructi, tuum amorem ac puritatem nequaquam assequi possumus. Vtraque igitur accincti, te insequi cum Ioanne festinamus, vt aliquousque saltem mysteriorum tuorum abditum sensum attingamus, apparuisti enim Ioanni præcinctus ad mammillas zona aurea, vt exteriorem castitatem, ex charitate, quæ per aurum significatur, proficisci debere indicares, ac proinde cùm Ioannes tui amorem sibi impressisset, tuóque conuictui castissimo assueuisset, non ex alio, quàm ex charitatis fonte, ex tuo nimirum pectore, castitatem hausit. Quare tibi semper charus fuit, ac Virgini virgo placuit. Incorruptio enim facit esse proximum Deo, ac proinde matrem Virginem virgini committere libuit, vt sicut illa tota pulchra fuit, aureis intus charitatis cogitationibus coruscа, quæ exterius in opus erumpentes, eam conuestientes decoro castitatis pallio, ornauerunt: sic Ioannes, licet inferiori modo, totus pulcher intus charitate, & exterius perpetua effulsit castitate. Vnde factum est, vt sicut illa vno oculi ictu ita Dei cor vulnerauit, vt veluti faucius amore clamare cogeretur, [vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui:] Sic suo etiam modo Ioannes, vno oculi intuitu, ita cor Christi, per pectus cui incumbebat, vulnerauit, vt etiam in eandem amorosam ruperit querelam: [Vulnerasti cor meum] frater mi, dilecte mi, in

Apoc. 1.

S. p. 6.

Cant. 4.

in vno amoris tui ictu, ac in minima cogitationis tuæ emissione, in minima, inquam, amoris ac castitatis operatione.

Quanta vis operis à casto homine & charitate ardenti profecti.

32. O si tanta vis sit in solo Ioannis casto aspectu,& in minimo ex charitate profecto opere, vt Christus dicat, se vno crine ipsius saucium: quot vulneribus illum putatis confossum, cùm non vno tantùm capitis sui crine, tanquam acutissimo telo, cor eius penetrauerit, sed tot telis quotidie, quot crines in capite habuit,vnde in altum eductus, duabus illis instructus alis, vulneratum tot amoris ac castitatis telis,Deum veluti spolians, diuinam nobis in prædam essentiam dedit.[Verbum caro factũ est.] O vtinam nos his duabus in cœlum alis post Ioannem rapiamur:vtinam integrę nobis sint:vbi non est amor proximi, mancus & mutilatus omnino erit Dei amor,ac proinde quisquis hac ala caret, altera castitatis illi infirma erit, quæ parum aut nihil Deo placet,nisi ex defæcato charitatis fonte,intermicantibus Dei & proximi amoris radiis, albicans emergat. Sit itaque cordis tui fons, hoc duplici amoris igne ebulliens,vt argentea castitatis ala,auream inde charitatis imbibat tincturam, quæ amoris alæ connexa,sursum cor ad rerum cœlestium cognitionem rapiet.

Nihil cælibatu ad sapiẽtiam consequendam efficacius.

33. Hac etiam fultus castitatis ala Ioannes, ad tantam cognitionis celsitudinem attigit, vt ipsos etiam Angelos,vti reor,mysteriorum nostrę redemptionis cognitione superauerit, nihil enim cælibatu (quem non ignoro Angelos ex naturæ conditione semper colere,quippe qui puri spiritus sunt) ad sapientiam omnem acquirendam,rerúmque abstrusarum cognitionem penetrandam efficacius:quod Aristoteles quoque & Philosophi docuerunt, & Cicero reipsa præstitit:cùm enim Terentiam vxorem repudiasset,rogatus cur aliam non duceret; respondit se non posse simul philosophari,& vxori operam dare,nam cælebs aliis curis liber totus sapientiæ intendit,

tendit, quippe qui cæteris paribus, animum puriorem, ac sapientiæ capaciorem habet. Quare Ioannes, hac singulariter virtute præditus, longè longius ingenij acumine, rerum cognitione & mysteriorum subtili indagatione, cæteros Euangelistas præcessit, nec mirum, nam à Deo, cui ob hanc virtutem familiaris erat, quotidie illustrabatur, cùm enim castus Paedrus & assessor fuerit Christi; castus quoque assessor diuinæ & æternæ sapientiæ esse debuit, quam castis consecutus est amplexibus. Hieronymus quoque Sybillas ob virginitatem obtinuisse à Deo donum prophetiæ docet, sic Sanctus Aldhelmus & Ruffinus sapientiam & castitatem quasi sorores esse asserunt, quæ castum Gregorium Nazianzenũ complexæ, castitatem simul & sapientiam eius auxerunt. [cùm enim B. Nazianzenus Athenis studiis vacaret, vidit per soporem, sedenti sibi & legenti, duas decoras dextra, læuáque fœminas consedisse, quas ille castitatis instinctu oculo toruiore inspiciens, quænam essent, quidnam vellent, percunctabatur: at illæ familiarius eum & ambitiosius complectentes aiunt: Ne molestè accipias iuuenis, notæ tibi satis & familiares sumus; altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur, & missæ sumus à Domino tecum habitare, quia iucundum nobis & mundum in tuo corde habitaculum præparasti.] Nonne Angelicus etiam ille Theologus D. Thomas, ob puritatis perfectionem, quippe qui titione è suo cubiculo ornatam meretriculam, in suam illum libidinem pertrahere conantem, expulsit, nonne, inquam, tanto diuinitus intellectus lumine illustratus, vt Christus ipse ei apparens, postquam cœlestem illum de venerabili sacramento hymnum composuisset, dixerit: [Bene de me scripsisti Thoma, quam ergo vis mercedem? non aliam præter te ipsum Domine?] Sic Ioannes tantam mysteriorum cognitionem puritatis maximè consecutus virtute, nobisque per eum traditam, tanti laboris præmium, non aliud voluit

Hier. l. 1. Extra Iouiniānum.

Ruffinus in prolog. Apolog.

Aldhelm. de laudib. virgin. c. 13.

voluit accipere, quàm in amoris ac castitatis illius pelagus, vnde tantam hausit scientiam reciproco amore rursum immergi, ac nouo amicitiæ vinculo Christo copulari. [Qui enim diligit cordis munditiam, habebit Regem amicum.] Vtinam igitur his amoris, & castitatis alis instructi, cum hac cœlesti aquila Ioanne, putris carnis illecebras fugientes, in arduis nidum nostrum collocemus, vt inde, ad instar aquilæ, diuinæ cognitionis prædam ad pullos, hoc est, ad oues nostræ curæ commissas deferentes, pro cuiusque captu, ac indigentia, illis diuidamus, ac sic quadam quotidie vicissitudine, sursum per diuinarum rerum contemplationem; & deorsum per operationis exhibitionem, ascendere, & descendere discamus, quo genuini illius magnæ aquilæ Christi pulli, alis vtrimque amoris, & castitatis accincti agnoscamur.

Prou. 22.

EXEMPLVM.

Baro. tom. 1. Ann. Christ. 98. Clem. 6. Domit. Imp. 15. ex Eusebio.

34. D. Ioannes pulcherrimum intuens adolescentulum, animi tamen impetu ferociorem; cuidam Episcopo erudiendum tradidit, dicens: Hunc adolescentulum omni studio cura, quem coram Ecclesia, Christo teste, tibi tuæque fidei commendo. Quem cùm Episcopus in suam accepisset tutelam, eum in domum suam recipiens educauit, ac baptismo ablutum confirmauit: Qui postea nonnihil de cura in eo instituendo remisit. Vnde adolescens liberiorem viuendi nactus potestatem, paulatim laxauit habenas flagitiis omnibus. Cúmque in vitiorum gurgitem sese præcipitasset, ac de sua desperasset salute, adscitis in societatem omni improbitate notatis nebulonibus, & magna latronũ turba collecta, ducem se illis præbuit, ac sanguinis effusione crudelior factus, omniũ latronũ antesignanus factus est. Interim D. Ioannes rediens inter cætera; Age (inquit) Episcope depositum nobis redde, quod ego & Christus, Ecclesia teste quam gubernas, tibi commisimus. Hic verò primò attonitus obstupuit, suspicatus pecuniam,

Digitized by Google

niam aliquam quam nunquam acceperat à se repeti. Verùm simul atque Ioannes dixerat, Adolescentulum repeto, & animam fratris: senex demisso vultu, ingemiscens lachrymánsque: Ille, inquit, mortuus est. Quomodo, & quo genere mortis? Deo, inquit, mortuus est, nam nequam & perditus, & vno verbo, latro euasit, & iam pro Ecclesia montem, cum nefaria hominum sui similium turba, occupat. Apostolus ergo veste dilacerata, ingenti cum gemitu caput feriens: Bonum, inquit, custodem animæ fratris tui te reliqui: equus iam iam mihi adsit, & dux aliquis itineris. Inde ab Ecclesia cum festinatione se proripuit, donec à primis latronum excubitoribus caperetur, vbi se ad principem eorum vociferans deduci rogauit, qui armatus rem agi ad tempus expectauit, donec Ioannem aduentantem agnosceret, & præ pudore fugam capescentem, Ioannes ætatis suæ oblitus, illum pro viribus prope insequitur, clamans: Quid fili me tuum ipsius patrem inermem, & ætate confectum fugis? miserere laboris mei fili, ne formides, adhuc tibi salutis spes reliqua est: ego Christo pro te reddam rationem, & si sit opus pro te lubens mortem oppetam, sicut Dominus pro omnibus nobis, pro anima tua meam dabo. Consiste, crede, Christus me misit ad te. Ille vbi hæc audiuerat primum oculis humi defixis constitit, deinde arma abiecit; Tum horrore perfusus grauiter ac acerbè lamentatus est. Senem ad se aduentantem complectitur, fletu & mœrore quoad poterat pro culpa satisfacit. Lacrymarum vnda quasi secundò baptizatur. Apostolus, se ei à Saluatore peccatorum veniam precibus suis impetraturum, sanctè pollicetur, atque ad genua accidens ipsam manum dextram, quam anteà vt scelerum instrumentũ adolescẽs occultauerat, tanquam aqua pœnitentiæ ablutam, purgatámque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit. Crebris itẽ precibus Deum pro illo inuocat, cõtinuis

ieiuniis vnà cum eo se macerat, variis diuinæ sapientiæ sententiis eius animum, quasi quibusdam blanditiis mitigat, tranquillátque, neque prius, vt fertur, inde discessit, quàm illum Ecclesiæ ministerio præfecisset. Cuius conuersione, magnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclarum secundæ regenerationis specimen, illustre denique trophæum resurrectionis à peccatis per exteriora pœnitentiæ signa, hominibus proposuit ad imitandum. Ecce quanta flamma ex Ioannis pectore in peccatorem irruit, qua adeò incensus fuit, vt ad pristinum rediret integritatis & innocentiæ statum.

IN DOMINICAM INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

Concio.

THEMA: *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Luc. 2.

Iucunda de Iesu Simeonis prædictio amaritudine miscetur.

1. QVàm bona, quàm iucunda, quàm salutaris, de puero Iesu Simeonis prædictio, qua lumen illum fore, ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Israël significauit! At quàm amarum huic prædictioni statim admiscet absynthium, & quàm luctuoso illam concludit fine! [Ecce] inquit [positus est hic in ruinam multorum in Israël!] ô Simeon, Simeon! nonne tibi satis fuit Spiritus Sancti, de hoc puero pollicitationem in te expleri? Acceperas Simeon (scimus) responsum à Spiritu Sancto, non visurum te mortem, nisi prius videres Christum Domini. Siccine amaritudinem nobis relinquens, totam quasi tibi absorbuisti dulcedinem? Accepisti Iesum in vlnas tuas, ac propterea eius dulcedine deliciis

butus Deum benedixisti, nobis interim amarum propinas absynthij poculum! [Ecce positus est hic in ruinam multorum in Israël!]

2. O Domine te omnes antiqui Patres, tam ardentibus postularunt votis, vt lachrymis quotidie profusis, præ nimio tui desiderio, cœlos clamoribus fatigarent, sibi omnino persuadentes, nihil sæculo defuturum, si tandem carnem nostram indueres, & tamen hodie dicitur: [Ecce positus est hic in ruinã multorum in Israël!] Nonne tu es ille, quem omnes Patriarchæ, ac prophetæ omnibus in resurrectionem forè sperabant? cur itaque hodie diceris in ruinam positus? Nónne tu es ille, in quo benedicendus omnis populus, & quam Angelus in tua natiuitate, gaudiõ & exultationi omni futurum populo, prædixit? cur ergo hodie diceris in ruinam positus? Nonne tu es ille, qui potestatem iis omnibus dedisti filios Dei fieri, qui nomini tuo crederent, cuius & ipsi vidimus gloriam, & quem [gratiæ ac veritatis plenum, de cuius plenitudine omnes accepimus] Ioannes testatur? cur ergo hodie diceris in ruinam positus? Nónne tu es ille, qui solius nostri causa, quasi tantæ maiestatis oblitus, sacco nostræ mortalitatis indutus, mundo apparuisti, vnde dilecta tua sponsa, & mater nostra Ecclesia, exultanti voce, de tanto beneficio gloriatur, dicens: [Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.] Cur ergo hodie diceris in ruinam positus?

Mirũ cur in ruinam ponitur quem omnes expetunt.

Ioan. 1.

3. O puer sanctissime, si nostri gratia, in varias te mutasti formas, si diuinam maiestatem, sub vili naturæ nostræ pallio occultasti, si in angusto matris tuæ pectore, tanquam in carcere nouem menses, ad instar aliorum infantum tuam immensitatem; (quam cœli tamen capere non possunt) conclusisti, si in frigore nasci, si à diuersorio excludi, si in vili præsepio brutis associari animalibus

Cur in ruinã qui se se in varias mutauit formas vt nos à ruina vindicaret?

voluiſti, ſi, inquam, hæc omnia, noſtri cauſa ſubiiſti, cur tamen hodie diceris in ruinam poſitus? Nonne tu es ille, qui nobis ſæpe ludentibus, & in ſecreto Dei iudicio (vt ait Bernardus) ſententiam æternæ mortis incurrentibus, ſerui aſſumens formam lachrymis tuis ſententiam in nos ferendam toties ſuſpendiſti [ludebam ego] ait [foris in platea, & in ſecreto regalis cubiculi ſuper me ferebatur iudicium mortis: audiuit hoc vnigenitus: exiit, poſito diademate, ſacco veſtitus, aſperſus cinere caput, flens quòd morte damnatus eſſet ſeruulus,] & hodie diceris in ruinam poſitus? Si in ruinam poſitus, cùm ruina non ſit niſi ſtantium, & reſurrectio iacentium, vis ſtantes perdere, & iacentes erigere? quæ tua hæc miſericordia, cùm tamen ſoleas & ſtantes à lapſu ſeruare, & iacentes tua erigere gratia? verè hæc tua natura, hoc tuum ingenium, nunquam lapſum cuique meditari, ſed omnes vt ſtent tua fulcire gratia. Ieſu ergo labentes reſpice, & nos videndo corrige, ſi reſpicis lapſi ſtabunt, ſtantéſque nunquam corruent.

Bern. ſerm. 3. de Natali.

Concionis partitio.

4. Tria hac concione dicam. Primùm quomodo Chriſtus poſitus ſit in ruinam. Secundum quomodo in reſurrectionem. Tertium quomodo quilibet ſcire poterit, an ſibi poſitus ſit in ruinam, an in reſurrectionem. Sed amantiſſimæ eius matris, cuius cor hodie doloris gladius penetrauit, interueniente deprecatione, Spiritus Sancti gratiam efflagitemus, vt in reſurrectionem nobis, & non in ruinam ponatur. Aue Maria.

Primvm Pvnctvm.

Vix Simeon vaticinium ſuum de Ieſu exorſus cũ illi amaritudinẽ immiſceret.

5. Quanto affecta gaudio Beata Virgo, Simeonem ſenem lachrymis ſimul ac voluptate perfuſum ac vndique amplificationem gloriæ filij ſui teſtimoniis comprobantem intuens: vix tamen huius gaudij magnitudinem eius perſentiit pectus, vbi Simeon

Digitized by Google

meon vaticinij ſui veluti infauſto (vt in pluribus accidet) nuncio, tantæ eius lætitiæ amaritudinem immiſcuit. Nam vix vtriſque Ioſepho ſcilicet & Mariæ ſuam impertiit benedictionem, cùm ad Mariam conuerſus, luctuoſam, tametſi aliquibus ſalutarem, hanc mortalibus prædictionem pronunciare voluit. Licet enim Maria huius prædictionis amaritudinem maximè guſtatura erat; Simeon tamen, Spiritus Sancti inſtinctu, qui per omnia, matrem filio conformem eſſe voluit; paſſionis poculum ei prius prælibandum dedit. [Ecce] ait [poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël.] Quibus verbis prænunciat Simeon in Chriſtum alios non credentes offenſuros, ac proinde ſua caſuros culpa, ac denique damnatum iri. Alios etiam, qui ſibi ſtare immeritò videntur, ac iuſtitiæ arcem ſuis quaſi operibus obtinere; prolapſuros tamen in maximam cœcitatem, & æternum exilium, cùm prudentiores ipſos Meſſiâ ſeſe exiſtimaturi ſint: quippe qui veritatis, ſibi propoſito ſpeculo, ſuum in eo noluit errorem intueri. Alios inſuper reſurrecturos, quorum licet ita aperta omnium oculis ſunt crimina, vt tanquam lutulentæ ſues in peccati volutabro omnibus iacere videantur, in Chriſtum tamen credendo, ad Dei lumen, & æternæ ſalutis ſpem reuocandos; atque his Chriſtus poſitus eſt in reſurrectionem, ſicut aliis in ruinam. Poſitus ergo eſt multis in ruinam, iis nimirum, qui eum repudiabunt, multis verò in reſurrectionem, qui illum verum Meſſiam fide viua credent. Imo poſitus eſt in ſalutarem etiam ruinam iis, qui reſurgent.

6. Ruina ſiquidem alia eſt, quæ reparatur, alia quæ nunquam reparatur. Sanctis prima interdum euenit ſalutariter: nam peccati maceries, qua plurimi reſurgentium veluti fortiſſimo cincti valuo, à dæmone obſidentur, fortiſſimo gratiæ eius ariete deſtruetur, vt ſic peccatorum fiat ruina, *Ruina duplex, alia reparabilis.*

& qui in peccatis hactenus ſepulti erant, à ruina in reſurrectionem erigantur. Appoſitè ad hanc rem Origines [ſtabas in peccato eo tempore, quo peccato viuebas, & quia in peccato ſtabas, prima tibi vtilitas fuit vt caderes, & peccato morereris: hoc tibi primum ego ſaluator tuus conceſſi vt corrueres: auarus eras, auaritia in te cecidit: diligebas ſcortum, primum in te ſcortum intereat, & peccatum in te cadet: peccator eras, cadat in te peccatum, vt poſſis de hinc reſurgere:] in ruinam ergo poſitus ſum malorum, quæ in animis veſtris vitia deliteſcere hactenus gaudebant, in reſurrectionem verò illis, qui iſta deſerunt. Cadat ergo in te fornicatio, ſurgat continentia, cadat auaritia, ſurgat liberalitas, cadat ſuperbia, ſurgat humilitas, cadat odium proximi, ſurgat eius amor.

Orig. in hac verb. hom. 17. in Luc.

Ruina alia irreparabilis.

7. Alia ruina eſt, quæ peccatoribus finaliter præſertim impœnitentibus conuenit. Sicut enim ij, qui pœnitentiæ anſam arripiunt, à peccati ruina reſurgunt: ſic è contrario, qui pœnitentiæ acceptabile tempus negligentes, in peccati conſuetudine vſque ad extremam vitæ periodum perſeuerant, à peccati ruina minimè ſeſe vindicant, licet iiſdem gratiæ præuenientis pulſibus, quibus pœnitentium corda Deus aggreſſus eſt & aperuit, identidem pertinacium horum cordium oſtia ſolicitaret. Sicut enim fragrantia vnguenti columbam vegetat, ſcarabæum necat, vt ait ex Nyſſeno Oecumenius, & ſicuti lumen ſolis oculos ſanos recreat, debiles offendit, ignis aurum purgat, ſtipulam abſumit: ſic Chriſtus diuinis gratiæ ſuæ inſpirationibus improbis, qui illas aſpernantur in ruinam, probis verò qui illas arripiunt in reſurrectionem poſitus. Sic poſitus in ruinam ſcribis & Phariſæis, hæreticis, & malis Chriſtianis, qui omnes ab eius bonitate, ac iuſtitiæ exercitio ruinæ ſuæ ſibi rapiunt occaſionem, non eius vitio; ſed ſuo, qui ſuos oculos declinare in terram ſtatuunt, ne obortum ſibi ſolis

Similia.

iuſtitiæ

iuſtitiæ lumen intueantur: Sicut enim lux ſolis, etſi oculos debiliores turbet, ac cœca perfundat caligine, id tamen non ex ſolis vitio, ſed ex praua oculi intemperie procedit, cùm alioqui potius, ſua, oculos, luce, ad videndum iuuet: ita & Chriſtus ſe habet, qui tanquam lux vera nobis ortus, vt illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, etiamſi eius miraculorum ſplendore, ac vitæ integritate plurimi immeritò offenſi corruant, hoc non niſi eorum malignitati aſcribendum. Vnde Chryſoſtomus. [Illuminat (inquit) verbum omnem hominem, quantum in ipſo eſt, ſi qui autem ad huius lucis radios mentis oculos dirigere noluerunt, non ex luminis natura, ſed malitia ſua in malitia perſtiterunt. Omnibus] enim (vt ait Ambroſius) [opem ſanitatis Chriſtus detulit, vt quicunque perierit mortis ſuæ cauſas ſibi aſcribat, qui curari noluit. [Non igitur ſaluatoris noſtri in hunc mundum venientis, noſtræ ſalutis cauſa, officium fuit noſtras deſtruere animas, ſed reproborum tantum malitiæ huiuſmodi aſcribenda ſuarum animarum deſtructio. Quod ipſum non obſcurè Spiritus ſanctus expreſſit. [Perditio tua Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.] Sicuti enim licet nos concionatores Catholici per Dei verbum omnes quidem illuminare intendamus: ex hac tamen noſtra doctrina alij vitam corrigunt, alij peccatis magis adhæreſcunt, ita vt vulgo maioris horum damnationis, ſicut illorum gratiæ & gloriæ cauſa dicamur, cùm tamen eadem ſint verba, quæ ad omnes diriguntur, noſtráque ſit intentio omnes ad vitæ integritatem permouere. Pulchrè Aug. de Benedic. Eſau & Iacob ſimul pluit Dominus ſuper ſegetes & ſuper ſpinas, ſed ſegeti pluit ad horreũ, ſpinis ad ignẽ: & tantum vna eſt pluuia: ſic verbum Dei omnes cõpluit: videat quiſq; qualem radicẽ habeat, videat quiſque quo trahit pluuiam bonam: ſi eam trahit, vt generet ſpinas, nunquid pluuia Dei accuſanda eſt antequam veniat ad radicem? dulcis

Simile.

Chryſoſt. in Ioan.

Ambroſ. lib. 2. de Cain & Abel.

Oſe. 13.

Simile.

eſt pluuia illa, ducere ad verbum Dei, donec veniat ad cor malum.]

2. Cor. 2. *Aliis bonus odor ſumus, aliis ſua culpa odor ad mortem. Simile.*

8. Et verò Apoſtolus in hoc ipſo gloriatur: [Deo autem gratias, qui ſemper triumphat] ideſt, per nos triumphum agit [nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalui fiunt] qui ſcilicet noſtra prædicatione, ac ſanctæ vitæ exemplo, ad Deum conuertuntur. Sicut enim bonus odor, ex præſtantibus herbis, vel pretioſis aromatibus exhalatur; ſic noſtræ prædicationis fama, gloria, & decus, ex virtutibus orta audientibus inſignem vitæ odorem ſpargere debent. [Habent enim (vt ait Bernardus) mores colores ſuos, habent & odores, odorem in fama, colorem in conſcientia: colorem operi tuo dat eius bonitas, & cordis intentio, odorem modeſtiæ & virtutis exemplum. Iuſtus lilium eſt in ſe candidum, ſed proximo odoratum: proximo enim famam, nobis debemus & prouidemus conſcientiam.] Refert Baſilius aucupes quoſdam conſueuiſſe columbarum cicurum pennas inficere odore quodam, qui columbis aliis gratiſſimus ſit, quo pellectæ pleræque in decipulam abducuntur: ita faciendum Chriſtiano, vt ſuarum virtutum odore perditos ad Chriſtum adducat; vt Cæcilia Valerianum ſponſum ſuum: cùm enim ille prima nuptiarum nocte cum ſponſa ſua eſſet in conclaui fragrantiſſimum caſtitatis odorem inſtar vernarum roſarum odoratus, tanto amore eius exarſit vt cum ſponſa ſua caſtitatem in perpetuum colere decerneret. O quàm vitalis odor huiuſmodi eſt vitam peccatis mortuo afferens. [Et iis, inquit, qui pereunt] qui ſcilicet ſana neglecta, per nos Chriſti, doctrina enũciata, & noſtrorum bonorum exemplorum imitatione contempta, vanis mundi crepundiis & fœtentis carnis voluptatibus mordicus adhæreſcunt. Hinc ſubiungit. [Aliis quidem odor mortis in mortem] id eſt, odor mortifer, mortem afferens, ſua nimirum

Bern. ſer. 71. in Cantica.

Baſil. Ep. 175. Simile.

culpa

culpa pereuntibus. [Aliis autem odor vitæ in vitam]id eſt,odor vitam afferens ; fragrantia enim & fama vitæ,prædicationis,charitatis, ac pœnitentiæ bonis aſpirat vitam,improbis mortem; quia tantum ſanctitatis fulgorem improbè minimè ferentes, in ſua improbitate, inuidia, odióve ſeſe magis obfirmant, quibus Chriſtus in ruinam poſitus dicitur ſponte pereuntibus & ſalutarem doctrinam ſibi prædicatam aſpernantibus.

Multi in Chriſti doctrinam tanquam in offenſionis petram impingunt.

9. Nonne quàm plurimos in eius doctrinam, tanquam in offenſionis petram illiſos nouimus, & ſua culpa naufragium paſſos ? huiuſmodi fuere Iudæi,qui Chriſti verba ſæpius audientes,eiuſque ſtupenda opera oculis intuentes miniſtrum tamen eum diaboli vocarunt, eiuſque opera à diabolo profecta aſſerebant.[In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia!]huiuſmodi etiam fuere Capharnaitæ, qui Chriſti ſermone ſcandalizati, dum ſui corporis & ſanguinis ſumptionem ad vitam illis æternam neceſſariam,doceret:[Durus(inquiũt)eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire!] plurimi inſuper in Chriſti paſſione offenſi non credentes Dei filium fuiſſe, qui tam abiecta à peccatoribus pati voluit ? Hinc Paulus: [Nos(inquit)prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.]Abſit autem vt quiſpiam ſecum reputet, filium Dei,ea mente,ac intentione, à Patre miſſum, vt nobis ſit ruinæ cauſa : imo tanta eius eſt bonitas, vt Auguſtino teſte, ex malis noſtris bona eliciat. [Deus (inquit) malarum voluntatum eſt iuſtiſſimus ordinator ; vt cum malè illæ vtuntur naturis bonis, ipſe bene vtatur etiam voluntatibus malis:] Quantum,obſecro,bonum ex peccati malo elicuit ? quàm dulce mel ex amariſſimo eius felle deprompſit? quantum bonum filij Dei incarnatio, cui magnum illud peccatũ originis occaſio fuit? & licet proh dolor ! nos ex bonis mala, ex ſanitate & viribus ad peccatum perpetrandum audaciam, ex vitæ longitudine

Matt. 12.

Ioan. 6.

Aug. lib. 11. de Ciuita. c. 17.

Deus ex malo elicit bonum.

imprudens deperiet in illo.]Ecce quomodo res etiã indifferentes ſibi in perniciem vertunt peccatores! Quod hic,per aurum,intelligatur Deus aureus, ſiue argenteus, Ianſenus aſſerit, qui tamen lignum eſt, aut lapis offenſionis offerentibus illi ſacrificium, quia in illum impingentibus ruinæ occaſio fit: ſic cuilibet lignum offenſionis, ſiue bonum,ſiue indifferens,ſiue malum eſt,cuius occaſione ſibi ruinam parit. Itaque alij ruinæ occaſio res etiam optima eſſe ſolet,non quod res illa ad ruinam inuitet,aut cauſa ſit vlli offenſionis,ſed propria hominis malitia,quæ etiam ipſum bonum tanquam aranea, in venenum ſibi vertit, cuius occaſione vel inuidia crepat, vel malum bonum reputat, vnde huiuſmodi homines ſibi ſunt ruinæ cauſa, quemadmodum fuere (vti anteà dictum)Phariſæi & Capharnaitæ.

12. Alij ruinæ occaſio res etiam indifferens, vt aurum, argentum, diuitiæ, quæ ſi ad diabolicum transferas cultum, tibi ſunt ruinæ occaſio, vel ſi in iis tuam collocas beatitudinem ad ruinam te pertrahent. Vnde rectè dicit Sapiens[lignum offenſionis eſſe aurum ſacrificantium: væ illis, qui ſectantur illud.] Væ quidem illis, qui ita ſpem ſuam in argento, aut auro ponunt, vt illis veluti Deo cor ſuum conſecrent,& quoniam Sapiens præuidit plurimos corda ſua his in ſacrificium daturos infert: [& omnis imprudens deperiet in illo.] Quid ergo cauſa illis ruinæ? non aurum aut argentum, quæ poſſeſſoris voluntate in bonum, ſicut in malum vſum transferri poſſunt; non Deus,qui nunquam ex bono malum, ſed ex bono & malo bonum ſemper colligit, qui ex peccati abſynthio miſericordiæ ſuæ fauum depromens, animæ noſtræ palato ſugendum proponit, qui tot nos diuinorum radiorum iaculis quotidie petit, vt aditum ſibi ad noſtræ animæ penetralia faciat. Abſit ergo vt quiſpiam ſecum reputet filium Dei ea mente, ac intentione à Patre miſſum, vt nobis

Res indifferens, inuite bonum vel malum eius vſum in reſurrectionem vel ruinam vertitur.

ſit

sit ruinæ causa: quin certò sibi persuadeat, ex proposito in nostram resurrectionem æterno Dei consilio destinatum, vti ratio dictat, & sanctorum scripta nos docent, & sacrorum eloquiorum paginæ ferè omnes contestantur.

SECVNDVM PVNCTVM.

13. Quòd vt perspicuè demonstrem id secundo loco explicare aggrediar [Positus] itaque [est in resurrectionem multorum in Israël:] hoc est verè proprium ac iustum saluatoris nostri munus. Vnde Bernardus: [Bene (inquit) in resurrectionem positus esse perhibetur, quia lumen est, quia gloria plebis Israël, quia dicit: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiâsi mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Lumen est, ergo tenebras mortis pellit, gloria est, ergo ibi nulla potest esse miseria, resurrectio est, ergo nos resurgere faciet, imo & consedere nos in cœlestibus: [Deus enim (ait Paulus) qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, id est, nos ad Christi similitudinem communi cum eo vita spiritali donauit [& conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu] quia carnem nostram Christus, vti Chrysostomus exponit, in suo corpore cœlis inuexit. Verè ergo, & ex proposito filius Dei in resurrectionem nostram destinatus, qui tanta nos complexus charitate, vt cùm adhuc essemus peccatis mortui, in eo tandem simus viuificati, ita vt ibi ipse hodie ad dexteram virtutis Dei considere certa creditur fide, in eo etiam sublimati considere censeamur tum ob naturæ cõsortium, tum ob acquisitam nobis, si velimus cooperari futuram gloriam. Verè ergo positus est in resurrectionẽ multorum, quippe qui [factus est (vt ait Apostolus) omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.]

Verè & ex proposito Christus nobis in resurrectionẽ positus. Bernard.

Ephes. 1.

14. Hinc nunquam destitit cordis nostri ostia

suis

ſuis pulſare inſpirationibus, ſciens hoc opus ſolius Dei eſſe conuerſionem nimirum ac reſurrectionem animarum. Quare Bernardus, [Planè (inquit) conuerſio animarum opus eſt diuinæ vocis, non humanæ; nec ſanè laborandum eſt, vt ad vocis huius perueniatur auditum. labor eſt potius aures obturare ne audias. Nimirum vox iſta ſeſe offert, ipſa ſe ingerit, nec pulſare ceſſat ad oſtia ſingulorum. Eſt enim non tantum vox virtutis, ſed & radius lucis annuncians pariter hominibus peccata eorum, & illuminans abſcondita tenebrarum. Ergo cùm hunc ſibi laborem ſeriò Chriſtus ſumpſerit ſimul & externo pulſu, & interno lucis ſuæ radio corda noſtra ſomno peccatorum ſopita excitare, in reſurrectionem poſitus eſt iis qui his pulſibus excitati, ſui cordis oſtium ſedulò pulſanti aperiunt. Hic eſt ille, quem Ioannes ad oſtium cordis noſtri ſtare, atque interno pulſu, ac diuino affiatu illud excitare, vel concionatoris exhortatione ac conſilio, terrorem ingeminare propoſitis inferni cruciatibus aſſerit, vt ſi quis per voluntatis aſſenſum, ſui cordis oſtium aperiat, illud ſtatim per iuſtificantem gratiam ingredi, cœnaréque cum illo, per ſpiritualem conſcientiæ iucunditatem atque dulcedinem, quæ iuſtificationem conſequi ſolet, feſtinet? An huiuſmodi amabilis noſtri cordis ſollicitator eius ruinam meditari dicendus? an ſi negemus peſſulũ oſtij cordis noſtri dilecto noſtro geminatis ictibus pulſanti aperire, an, inquã, propterea dicendus noſtræ ruinæ cauſa? An ille, qui delicias ſuas eſſe profitetur nobiſcum conuerſari, vt in libertatẽ filiorum Dei aſſertos, cœleſti nos gratia doner, an, inquam, quia huiuſmodi conuiuæ deuitamus ſocietatem, liberalem negantes gratiæ eius oblationem, ille potius, quàm ipſimet nos à tanto beneficio excludimus?

Quod nobis poſitus ſit in reſurrectionẽ ſua nos gratia præueniens offendat. Bern. ad Cle. c. 1. & 2.

Apo. 3.

15. An ille, qui verbi ſui efficacia cordis noſtri duritiem perfringere conans, ignita ſua in nos amoris iacula cõtorquet, vt ſibi ſimiles per amorem efficiat,

Non Chriſto qui noſtri gratia immo

factus sed nostra malitia causæ nostræ ruinæ ascribenda.

efficiat, quorum causa etiam vilem humanæ naturæ induit vestem, an, inquam, æstimari debet in nostram incumbere perniciem? an non potius nobis, qui illius resistimus voluntati, qui vocantem non sequimur, pulsantémque non audimus, ac astanti conscientiæ nostræ ostium non aperimus, hæc omnia nostra mala vitio vertere debemus? Quàm verè & huiusmodi Iob ait [cor eius indurabitur quasi lapis, & quasi malleatoris incus stringetur.] O quanta hæc peccatoris durities; quam non satis fuit Spiritui Sancto durissimo comparare lapidi, quippe qui mallei ictibus conteri possit, sed illam potius ad extremum malleatoris incudi contulit? vtinam lapidi tantum conferenda esset! nam sicuti lapis mallei ictibus non admodum resistit, sed iis iteratis in puluerem tandem reducitur: sic cor nostrum diuini verbi malleo identidem contusum, tandem aliquando contereretur, verbum enim Dei, quasi malleus est conterens petras.

Iob. 41.

Simile.

Cordis humani durities declaratur.

Simile.

15. Sed heu! toties diuini verbi ictibus repetitis, ita in sua perstat duritie, vt neque conteri, neque humiliari possit. Quare meritò malleatoris incudi comparatur. Nam quemadmodum malleatoris incus, ita densa ac compacta est, vt verberibus potius, ac mallei ictibus stringatur ac obdurescat, quàm illis vel cedat, vel molliatur: sic peccatoris cor per peccati consuetudinem à lapidis duritie, ad incudis ingenium transit, ita vt, quanto magis diuini verbi malleo concutitur, tanto magis sæpe in sua constringatur malitia. An, obsecro, huiusmodi, de industria, Christus dicendus in ruinam positus; an potius, sua sponte, ipsi in ruinam sese præcipitant. horum ruinæ causam Bernardus in duritiem cordis eorum transfert [cor durum (inquit) est quod contritione non scinditur, precibus non flectitur, minis non cedit, flagellis obduratur.] Hæc verò cordis durities, ex longa peccandi consuetudine nascitur, qua veluti inextricabili laqueo ita voluntas implicatur, vt vix

Bernard.

se

Digitized by Google

se vnquam extricare possit, quam extremam miseriam Iob quasi in tabella nobis depictam subiicit: [Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, tenebitur planta eius laqueo & exardescet contra eam sitis.] Sicut auis escæ attracta illice, in laqueum se imprudens coniicit, ex quo sese expedire non potest; sed quo magis effugere conatur, eo etiam implicatius stringitur: sic peccator voluptatis semel illecebra attractus, sese postea sponte in peccati abyssum ita immergit, vt emergendi rationem nequeat inuenire, nam vt ait Anselmus [consuetudo peccandi laqueus est in peccato detinens:] Hinc Iob subdit [tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis:] Quem locum huic nostro negotio D. Gregorius applicat dicens [Peruersa mens, cùm in peccatum se venisse conspicit, quadam cogitationis superficie euadere peccati laqueos quærit, sed vel terrores, vel opprobria hominum timens, eligit in æternum mori potius, quàm ad tempus aliquid aduersitatis perpeti. Vnde totum se vitiis inserit, quibus iam se semel obligatum sentit, sed & sitis contra eum exardescit, quia quo agere peruerse consueuit, eo ad bibenda mala vehementius accenditur.]

Iob. 18.

Simile.

Anselm.

Greg. Mor. c. 9.

16. Et quidem de huiusmodi Dominus, per prophetam loquitur: [Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, ita & vos poteritis esse boni, cùm didiceritis malum.] Quemadmodum ergo si omne balnei genus, vt Æthiopem laues adhibeas, nihil efficias, & si pardi pilos vsque ad ipsam nudam cutem nouacula radas, quia tamen à natura maculas quasdam eius contraxit pellis, ab eadem rursus reproducentur, ita, vt fieri non possit, vt Æthiops pellem suam mutet, aut pardus varietates suas: sic peccati consuetudo, tantam inducit necessitatem, vt licet in sui sanguinis lauacro peccatorem Deus velit lauare, ita tamen ille in suis indurescat sordibus, vt vix tantam lauacri virtutem experiri velit, immersus tanquam sus in peccati volutabro!

Hier. 13

Simile.

Peccati consuetudo difficulter eximitur.

Quis

Quis ergo censendus eius ruinæ causa? an Deus, qui eum à sordibus lauare conatur, an ille potius, qui in salutare Christi sanguinis balneum descendere detrectat? quis, inquam, illius ruinæ causa, illéne qui toties diuini verbi: sui ictibus cor durum concutit, vt conteratur, an potius adamantinum eius cor, tot ictibus refractarium?

Hier. 23.

17. [Nunquid (inquit) non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram:] an non ergo nos, qui tot cœlestis illius mallei ictibus contusi, & infinito illo amoris incendio circumsepti, qui neque ictibus à peccatorum veterno excitamur, neque amoris illo incendio, gelu animæ nostræ colliquescente, incalescimus, nostræ ruinæ meritò causa perhibemur. Et vt vnico, tanti mali causam, verbo dicam, vel potius per me Spiritus Sanctus: [Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur vt sanem eos:] vbi Spiritus Sanctus nostræ ruinæ causam à corde nostro indocili, & surdis aurium animæ repulsis, & oculo mentis, rebus cœlestibus clauso, clarè proficiscì significat. Filius ergo Dei ex proposito in nostram resurrectionem positus, nobis nostræ ruinæ causam præbentibus. Audite, obsecro, quid olim per prophetã suum Oseam dixerit, [Ego quasi nutritius Ephraim.] Ecce quanta amoris teneritudine peccatoris animum emollire aggreditur, qui se nutritium eius esse profitetur. Vehemens sanè hic primus amoris pulsus, ad perfringenda cuiuslibet peccatoris priuicacis animi repagula! Prætereà instat, subdit enim [portabam te in brachiis meis & nescisti, quod curarem te.] Ecce secundus sponsi desiderio tui ardentis, & quasi zelotypia attacti pulsus, ne quispiam eum præuertat corriualis! At quoniam eius clamoribus ac amoris facibus anima, peccatis inquinata, minimè commouetur, vt peccati pessulum à cordis sui ostio remoueat

Induratum cor ruinæ causa.

Matth. 13.

Osea 11.

Quibus medu Christus nos ad se attrahere conatur.

Ecce

Ecce quo amoris ardore vrgeat ingreſſum.[In funiculis Adam traham te,in vinculo charitatis.]O quid efficacius ad cordis noſtri duritiem infringendam, quia enim amore, & beneficiis ligari homines ſolent,amorem ſuum,ex quo in homines omnia deriuantur tanquam bonorum omnium ſponſæ ſuæ fontem ac originem exhibet: vt quemadmodum ille in ſponſam, omnia charitatis chariſmata infundit, ſic ipſa,vice verſa,ſuum in ſponſum amorem conuertat. Quis ergo ignorat eum, qui tam ſolicitè ſalutis noſtræ curam gerit,in reſurrectionem iis, qui ſibi obtemperant eſſe poſitum?

TERTIVM PVNCTVM.

18. Diximus modò Chriſtum poſitum ſibi minimè obtemperantibus in ruinam: diximus deinde iis qui eius acquieſcunt monitis poſitum in reſurrectionem:iam tertio dicendum loco quomodo quilibet ſcire poterit,an ſibi poſitus ſit in ruinam, an in reſurrectionem. Adhibe itaque obſecro ſinceram alicuius medici manum tui cordis pulſui, ex cuius motu facilè deprehendet, an tibi poſitus ſit in ruinam. Vide primò, quo vergant tui cordis cogitationes. Deinde in quæ erumpant opera. hæc enim ſunt cordis tui pulſus,quibus ſi ſalutaris animæ medicus manum imponat quid in fonte ſordium, aut quæ fœces,quidue caſtarum cogitationum inde proficiſcantur facilè intelliget. Ecce tibi ſpiritualis medicus, qui pharmaca varia tuis morbis præſcripta, à Deo applicanda propono.Præbe mihi itaque animæ tuæ venam,vt iuxta pulſum, medicinam miniſtrem. Ecce iam palpo auaritiæ tuæ venam, verè ex huiuſmodi morbo hactenus ſaltem tibi poſitus in ruinam Chriſtus,qui ſuo exemplo,liberalem te eſſe docuit, cùm ipſe ſibi nihil retinuerit, quod non in te,plena manu,contulerit. Hoc ipſum eſt,quod D. Gregorius aſſerit.[Rarum valde eſt, vt qui aurum poſſident ad

Ex animæ pulſu colligẽdum an poſitus ſit Chriſtus in ruinã nobis an in reſurrectionem.

Auaritia bona.

Greg. l. 4. Moral. c. 3

requiem tendant,dum per ſemetipſam veritas dicat. Qui pecunias habent difficilè intrabunt in regnum cœlorum.]Imo horum extremam quaſi irridens calamitatem Iacobus, mirum in modum, hoc ipſum exaggerat, vt qui, propoſito exemplo liberalitatis Chriſti,eóque neglecto, ruinam potius quàm reſurrectionem ſibi pepererunt:[Agite nunc diuites,plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis:Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt,& veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit,& manducabit carnes veſtras,ſicut ignis: theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus,epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis.] Ecce quomodo hi ex auaritiæ vitio ſibi pepererunt ruinam. Putrefactio, inquit, diuitiarum & veſtimentorum corroſio, ſiue exeſio à tineis & ærugo auri feret aduerſum vos teſtimonium,arguens tenacitatem veſtram.

Iacob. 5.

Oſtenditur hoc loco quàm liberalitatis præmium.

19. Quanto ſatius auaritiæ vitium, quo diabolus in ruinam nos trahit in veram conuertere liberalitatem, vt ex æterna animæ ruina vindicemur, Chriſto nobis poſito in reſurrectionem,qui nos monet,vt auari animi affectum in ſpiritalem, ac lucroſam commutemus auaritiam. [Fœnoratur, inquit, Domino qui miſeretur pauperis.]Et ne fortè fœnus aliquod exiguum exiſtimemus nobis tribuendum, quid de eo Auguſtinus cenſeat,audiamus: [Vide(inquit) quàm latè creſcat fœnus tuum,da temporalia, accipe æterna:da terram, accipe cœlum. Ecce quomodo auaritiæ affectus in liberalitatem commutatus, & fœnus in cœlum præmittat, & fœnoratorem ab auditione mala vindicatum in communi omnium reſurrectione cœli poſſeſſorem efficiat. Huiuſmodi ergo fœnoratoribus Chriſtus poſitus eſt in reſurrectionem. hoc perſpicuè declarat Euagrij philoſophi in pauperes liberalitas, qui cùm audiſſet in Eccleſia centuplum dari in cœlo, pro eleemoſyna, libras

Prouerb. 19.

Sophronius c.195.

libras ſexaginta dedit Syneſio Epiſcopo diſtribuendas pauperibus accepta ab eo ſyngrapha, quod, pro vna, centum in cœlo eſſet accepturus, iuſſitque moriens filiis, vt ſyngraphaṁ hanc manui ſuæ, dum ſepeliretur inſererent. quo facto, die tertio, à morte, apparuit Euagrius in ſomnis Epiſcopo dicens: vade ad ſepulchrum meũ, & recipe chirographum tuum, nam debitum commune recepi, imo centuplum à Chriſto & à te promiſſum. Mane Epiſcopus, cum clero iuit ad ſepulchrum, ex manu Euagrij ſyngraphaṁ accepit, cuius hic erat tenor. Euagrius Philoſophus Epiſcopo ſuo. Noluerim te, pater, ignorare quod pecuniam omnem, quam tibi viuens dedi centuplicatam, ſicuti promiſeras, recepi: quare nulla debiti ratione mihi aſtringeris. Quàm clarè docet hoc exemplum eleemoſynam eſſe artem omnium quæſtuoſiſſimam, quæ & pro vno centum tribuit, & in communi hominum reſurrectione facientem æterni regni poſſeſſorem conſtituit. Huiuſcemodi ergo fœneratoribus Chriſtus in reſurrectionem poſitus eſt.

20. Prætereà extende mihi aliam animæ venam, vt ex digiti annularis pulſu, quis in ea deliteſcat amor, dignoſcam: Ex hoc enim digito, ad ipſum amoris receptaculum, vena protenditur, in cuius ſignum, ſponſus quaſi ſuum amorem, in ſponſam proteſtans, huic ſponſæ digito annulum imponit. Ecce iam palpo venam tuæ concupiſcentiæ, quæ omnes animæ tuæ virtutes deuaſtauit, adeo, vt beſtiæ potius ſimilis, quàm homini efficiaris, cùm rationem, per quam, ab aliis beſtiis diſcerneris, à ſua ſede & ſtatu exturbet, impediat conſilium, ac denique mentis oculos perſtringat, hebetet, obtundat, omnéſque eius cogitationes, quaſi in lutum, ac cœnam demergat; tantúmque malum inuehat, vt nullum bonum relinquat, & tanta poſtremò cœcitate mentis oculos percutiat, vt in extremam ruat pernitiem. Huiuſmodi ſanè hominibus, qui caſtitatis Chriſti exemplo

Vena concupiſcentiæ.

abuſi ſeſe in omnium ſordium cloacam demerſerunt, in ruinam potius, quàm in reſurrectionem Chriſtus eſt poſitus.

21. At ſi huiuſmodi hactenus in carnis cœno imminerſus tandem velit emergere, perfringat cum Auguſtino ferrea cupiditatis vincula, ingeminet, [Et tu Domine vſquequò iraſceris in finem, ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum: quamdiu quamdiu cras & cras? quare non modò, quare non hac hora finis turpitudinis meæ?] Et audiet diuinum ſibi reſponſum. [Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & in impudicitiis, non in contentione & æmulatione; ſed induite Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentiis] & ſicuti ſtatim cum fine huiuſce ſententiæ quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi ſuo omnes Auguſtinus dubitationis tenebras diffugiſſe ſenſit; ſic diruptis, diuina gratia, cupiditatis vinculis, noua ſecuritatis luce, cordi tuo infuſa, cum Auguſtino exclamabis: [Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat, eiiciebas enim eas à me, vera tu, & ſumma ſuauitas, eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior] & ſic ſicuti Auguſtino ex cœnoſa carnis voluptate emerſo, Chriſtus in reſurrectionem poſitus; ſic tibi ex iiſdem extracto carnis cupiditatibus in reſurrectionem ponetur.

Aug. l. 8. confeſſ. c. vlt.

Docet Auguſtinus quomodo emergendum ex carnis cœno.

Ad Rom. 13.

Inuidia bona.

22. Porrige inſuper occultam inuidiæ in anima venam, quæ experientis medici fugit attactum; licet autem inuidia maximo animam cruciatu afficiat, eamque ad inſtar viperæ rodat; ſuo tamen tabo confici eligit, quàm vt ſalutarem medici lanceolam admittat: Porrige, inquam, ò quàm debilis pulſus, extinctum in te penitus natiuum indicat calorem. Nihil enim magis charitatis calorem extinguit, quàm

extre

extremum inuidiæ frigus. Sicut ſol lunam ſuis illuminat radiis, hæc tamen ſua interpoſitione ſolem obſcurat: ſic charitatis ſplendore illuſtres, cæteros omnes ſuis laudibus illuminare ſolent, quos tamen inuidi obſcura detractionis interpoſitione obfuſcare conãtur: vis tuo inuidiæ morbo vnicum, quod ſupereſt, remedium, licet in ſpeciem ingratum, adhiberi, quod, vt ex pulſu colligo, medicinam faciet: hæc eſt proximi charitas, parabilis omnibus inuidia laborantibus medicina. Nam ſicuti ſol radiis ſuis vmbrã diſſipat: ſic charitas ſuo ſplendore inuidiæ æruginẽ, quæ ferreum tuum pectus paulatim cõſumit, penitus eximet. Nonne vides hoc te morbo ſenſim ſine ſenſu tabeſcere, animæque vires cõſumi? En anima ſeſe vultu veluti maciléto, per huius venæ pulſum ita oſtendit, vt ni citò medicinam admittas, tuo, te, dolore ſis confecturus. O quanta hæc demẽtia, vt pectori tuo ſponte carnifices, vt ait Auguſtinus, admoueas, à quibus ſemperdiſcerparis, alienámque fœlicitatem tibi pœnam facias. [Quanta, inquit, rubigo zelare in homine donum Dei. Aliorum gloriã facere pœnam ſuam, veluti quoſque pectori ſuo admouere carnifices: cogitationibus & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent! non cibus talibus lætus, non potus poteſt eſſe iucundus.] Nonne huiuſmodi ſuæ ſibi ruinæ cauſa, quibus Chriſtus, ob ſuam malitiam in ruinam poſitus dicitur?

Simile.

Simile.

Aug. 83. de tempore.

23. Quicumque igitur noſtrum, hoc diabolico infectus vitio, ſibi hactenus ruinæ cauſa extitit, ſeriò ſecum reputet, huius vitij conditiones, vt quàm citiſſimè ex eius ruina emergens, ac fraternam amplectens charitatem Chriſtum ſibi in reſurrectionem poſitum ſentiat, quo enim magis à Dei dilectione recedimus, eo periculoſius in æternæ mortis ruinam cadimus & à proximi amore diſtamus: quãtum verò Dei charitati adhæremus, tantũ & reſurrectioni proximi ſumus, proximíſq; charitate copulamur, quantumque proximis, tantum & Deo coniungimur.

Fraterna dilectio inuidiæ morbum curat.

Inuidia ergo quæ nos in ruinam præcipitat, penitus ex animo deleta, fraternam ſectemur charitatem.

Aug. tract. 7. in ep. 1. Ioan. Præclarè Auguſtinus [ſemel (inquit) breue præceptum tibi præcipitur : dilige, & fac quod vis : ſiue taceas, dilectione taceas, ſiue clames, dilectione clames, ſiue emendes, dilectione emendes, ſiue parcas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis, non poteſt de iſta radice niſi bonum exiſtere.] Quicunque ergo ex hac charitatis radice bonorum operum ramos extendit, nequit exareſcere, ſed iuxta illud Pſalmiſtæ [refloruit caro mea] *Pſ. 27.* in glorioſa reſurrectione, caro, quæ per mortem exaruit, non ſolùm ad vitam, ſed ad florem ætatis, ſanitatis, lætitiæ, venuſtatis maximæ redibit, cùm è contrario inuidia contabeſcens, & ſibi ætatis florem adimat, & ſeſe proprio furore internecet aliena fœlicitate conſumptus : inuidia enim ophthalmiæ perſimilis, quæ rebus valdè ſplendidis, & lucentibus offenditur, & læditur ; ſic enim illa aliorum fœlicitate, virtute & gloria exacerbatur, & contabeſcit. Et ſicuti rubigo ferrum, ſic inuidia inuidum conficit, & conſumit, [ſuum enim (vt ait Hie-

Hiero. in epitaphio Paulæ Romanæ. ronymus) rodit authorem, & dum æmulum lædere nititur, in ſempiternum proprio furore bacchatur.] Hinc Sapiens [vita carnium, ſanitas cordis, putredo oſſium inuidia :] Ecce quomodo inuidus multiplicem ſibi ruinam cauſet.

Prou. 14.

In ſeipſum inuidus ſæuit.

24. Denique, vt per ſingula vitia minimè percurram, cordis venam oſtende, vt quid in eo morbi maximè lateat; ex ipſius pulſu deprehendam. Ecce iam palpo, tuæ ſuperbiæ venam. Hinc inflatum, turgidum, & incraſſatum cor tuum reperio, adeò, vt in certam propediem feratur ruinam, niſi dexteræ diuinæ ictu feriatur, quo virus illud ſuperbiæ in tam inflato vlcere computreſcens, erumpat. Hoc malum à Diuo Bernardo ita deſcribitur, vt ſimul latêre illud dicat ; & emergere, donec in omnium miſeriarum pelagus ægrum præci-

Superbiæ vena.

Bern. ſer. 6. in Pſal. Qui habitat.

pitet.

pitet. [Ambitio (inquit) ſubtile malum , ſecretum virus , peſtis occulta , doli opifex , mater hypocriſis, liuoris parens,vitiorum origo,criminum fomes, virtutum ærugo , tinea ſanctitatis , excœcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.] O quanta , ex vno ambitionis cœnoſo ſtagno,mala erumpunt!Quid mirum,ſi tuus pulſus inæqualiter feriat , tot diuerſorum ac inæquabilium morborum index?Quid mirum; ſi animæ tuæ pedibus voluntate , ac intellectu vacillantibus, in æternæ miſeriæ ruinam præcipiteris? nam quicumque hac multiplici laborat contagione, tantùm abeſt , vt confragoſam indignitatis faſtigium viam euitet , vt potius nuſquam quieſcat , donec ex illa præceps ruat. [Non enim ille (vt ait Seneca) ire vult , ſed non poteſt ſtare , non aliter quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis eſt, iacuiſſe. Quid Cneium Pompeium in Africam , quid in Septentrionem, quid Mithridatem & in Armeniam, & omnes Aſiæ angulos traxit ? infinita ſcilicet cupido creſcendi , cùm ſibi vni parum magnus videretur. Quid C. Cæſarem in ſua fata pariter & publica immiſit? gloria & ambitio, & nullus ſuprà cæteros eminendi modus.] Si ergo ſapis ab hac ambitionis & ſuperbiæ ruina pedem refer , ac in humilitatis valle conſiſte , téque puluerem ac cinerem , qui ſuperbiæ flatu facilè abripitur conſidera , vt ex hac tui conſideratione tibi diſpliceas , & Deo placeas. Nam in hoc humilitatis infimo conſiſtens gradu,illum,qui de puluere erigit pauperem , in tui amorem rapies : nihil enim illi gratius humilitate,propter quod Scriptura dicit [Quantò magnus es , humilia te in omnibus , & coram Deo inuenies gratiam.] Et Dominus loquitur per Prophetam , ſuper quem alium requieſcam niſi ſuper humilem & quietum & trementem verba mea? veruntamen , vt ait Hieronymus, humilitatem ſequere , non quæ oſtenditur , & ſimul

Inuidia mala.

Sene. ep. 852.

Eccl. 3.

Hiero. ep. 14. ad Celantiã.

ſimulatur geſtu corporis, aut fracta voce verborum; ſed quæ puro affectu cordis exprimitur. Multò deformior eſt illa ſuperbia, quæ ſub quibuſdam humilitatis ſignis latet. Neſcio enim quomodo turpiora ſunt vitia, quæ virtutum ſpecie cælantur.] Si itaque vitiis omnibus, quæ in ruinam trahunt, abiectis, te in proximos beneficum; in tuam carnem caſtigatorem; in aliorum fœlicitatem iucundum; in rebus proſperis humilem; in Chriſti maieſtatem vili humilitatis veſte tectam, demiſſum exhibeas, non in ruinam; ſed in reſurrectionem Chriſtum tibi poſitum, ex vegetis ac æqualibus viuacium, ac ſanarum venarum animę pulſibus reperies.

EXEMPLVM.

Ant. 2. part. ſua ſumma to. 1. c. 7. §. 3. item 4. parte to. 14. c. 5. §. 3.

25. S. Antonius refert quendam fœneratorem in extremis poſitum, perſuaderi non potuiſſe, ſui paſtoris hortatu, vt rem alienam reſtitueret. Cuius miſeriæ condolentes duo eius filij precibus, quibus poterant ſummis, vt ſui paſtoris conſilium admitteret, rogauerunt, quo pœnas, non reſtituentibus, in inferno debitas, effugeret, quibus ille minimè permotus: Neſcitis, inquit, quid petatis, ſi aliena me reſtituere oporteret, vos hoſpitale petere deberetis, ac proinde ſatius erit, vt me Dei miſericordiæ committam, quàm hominum. Quibus dictis expirauit, eiúſque anima in imo barathri ſepulta eſt. Cuius extrema permotus calamitate è filiis alter, alterum in hunc modum alloquitur. Pater noſter, ſua damnatus culpa, in infernum præcipitatus eſt, cuius nos veſtigia, ſi imitari velimus, eodem mulctabimur ſupplicio. Cui alter: Quod ad me attinet, volo mihi portionem à Patre relictam, addici, neque vſuræ ipſius auctor vnquam extiti. Et quoniam illius auctor ipſe fuit, pœnam etiam tali debitam crimini perſoluat. Primus

mus verò in ſuo ſano perſiſtens propoſito, facta omnium reſtitutione, veris creditoribus, ac mundo valedicens religionem ingreditur. Non multò poſt interuallo temporis contigit, vt alter, qui ſuam portionem luxuriosè prodegit, lethali correptus morbo, ſine vllo pœnitentiæ ſigno, cuius imitatus vitam conſimilem illi mortem obiret, ac ſimul, cum Patre inferni pœnas ſuſtineret. Cuius vtriuſque calamitoſo exitu commotus frater ſuperſtes, ſeſe in abditum locum conferens orat, obſecrátque Deum, vt ſi eius voluntati conſentaneum foret, ſibi reuelare vtriuſque tam parentis; quàm fratris ſtatum, dignaretur. Certo autem tempore inter orandum apertam ob oculos terram intuens, in imo inferni barathro inter infernales flammas ſepultum Patrem, ſuúmque fratrem ſuper patrem proſtratum vidit, ſeſe inuicem maledictis his proſcindentes. Maledicta ſit (ait Pater) hora in qua te concepi, & maledictus inſuper tu, cuius gratia vſuras commiſi, & reſtitutionem facere negaui, ne te pauperem abiectúmque relinquerem, quæ cauſa tantorum tormentorum, quibus in his flammis excrucior, fuit; cui è contrario filius: O Pater, ſis tu maledictus, & maledictus ſit dies, in quo me genuiſti, & maledictus tuipſe ſis, cuius exemplo ad tantas miſerias pertractus ſum: Nam ſi tu vſuras ſuis dominis reſtituiſſes, ego in hanc calamitatem non perueniſſem. Quo horrendo viſu Religioſus attonitus, gratias Deo reddidit, cuius miſericordia, à tanto malo fuit liberatus.

DE

DE CIRCVMCISIONE DOMINI,

Concio prima.

THEMA: *Postquàm consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer: Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquàm conciperetur.* Luc. 2.

Iesu liber in strenâ datus.

1. MEmini me, (Christiani auditores) aliàs ex hoc loco strenam (vt fit) nobilissimam, quasi cœlitus vobis missam, dispensasse, cuius nomen si obliuiscamini, Iesu liber appellatur, quem intus, & foris scriptum vidistis: intus prædestinatorum nomina perlegistis: [In libro] enim [tuo] ait Pater filio [omnes scribentur] prædestinati nimirum. Christi verò humanitatem hunc fuisse librum, Isaias clarè demonstrat, qui dicit, Deum prædestinatos in sua descriptos manu habere, [In manibus meis descripsi te:] qui liber in crucis pulpito apertus, & extensus omnium virtutum documenta nobis ob oculos posuit. Vt verò magno excitaremur desiderio, per bonorum operum veluti penicillum, nomina nostra in hoc libro inscribendi, ea præmia, quæ inscriptos manent, vobis ob oculos posita cupio. Quid enim Iesus, qui quasi huius libri theca est, aliud designat, quàm quinque præmiorum genera, quæ quinque suis literis declarat eos manere, qui hunc sibi libellum in strenam accepturi sunt. Si enim, vt ait Hieronymus, tot sint in Apocalypsi mysteria, quot apices; potiori iure cẽsendum, tot emanare ex diuinissimo Iesu nomine, tanquam ex omnium donorum fonte, ineffabilia dona in electos deriuanda, quot eorum capacitas exigit, quare maxima illa dona, quæ solis prædestinatis

Psal. 138.

Isa. 49.

Christi humanitas Iesu liber, in quo intus prædestinati inscripti, foris verò in crucis pulpito extensus nobis omnia virtutum emblemata edisce̅da proponit.

in

Digitized by Goog

in cœlo reſeruantur hodie, per quinque nominis IESV literas, veluti per ſubtiliſſimos canales vobis expoſita delibetis velim. Primum itaque donorum genus IMMENSITAS gloriæ, ſecũdũ ÆTERNITAS gloriæ; tertiũ, SECVRITAS gloriæ, quartum VNIVERSITAS gloriæ, quintũ SATIETAS gloriæ. Hæc quemlibet noſtrum allicere deberent, vt in hoc libro lubenter inſcribatur. Sed vereor, ne negligentia noſtra commiſſum, vt multi è nobis ſint, qui in eo minimè reperiantur ſcripti, quippe, qui neque præmiorum magnitudine alliciuntur, neque æternæ pœnæ incurrendæ timore deterrentur, vt in hoc Ieſu libro inſcribantur.

Quinque nominis Ieſu literis quinque præmiorum genera quæ electos manent, continentur.

2. Nam timendum, ne ſicuti Rex Ioachim, qui librum ab Hieremia, per famulum eius Baruch miſſum, comminationibus, ac ſuppliciis ſuperuenturis, ni pœniteret, plenum, recipiens, perlecta ex eo vna pagella, ſcalpello conciſum, in ardentem focum coniecit. Timendum, inquam, ne ſic nos, vix vno ex Ieſu libro, verbo lecto, linguæ noſtræ maleuolentia, tanquam acuto ſcalpello nomen eius profanando iuramentis, ac blaſphemiis, libellum ipſum ita obliteremus, vt non magis Ieſu nominis reuerentia noſtris hæreat pectoribus, quàm illarum comminationum, apud impium illum Regem, recordatio. Verum quidem eſt, illud ſuauiſſimum nomen in ore noſtro dulceſcere, vbi verò abſorbendo quaſi in ſtomachum traiicitur, ita ventrem amaritudine perfundere incipit vt ſtatim ad vomitum nos prouocet, ad inſtar illius libri, quem Ioannes, tanquam mel in ore dulcem ſentiebat, ſed in ventrem traiectum in amaritudinem verſum eſſe, & veluti ſtomacho nauſeam excitaſſe, expertus eſt. Quis enim non ſentit Ieſu nomen, rationi quidem dulce, ac ſuaue, cùm nullum ſit nomen aliud datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri: amarum tamen ventri ac ſenſualitati, quod carnis petulantiam cohibere iubeat, deprauatæque naturæ licentiam comprimere

Hiere. 36.

Liber hic rationi ſuauis, ſenſualitati amarus. Apoc. 10.

primère,ac totius anteactæ vitæ amaram inſtituere pœnitentiam:quare ſicuti pillula quædam inaurata, ac dulciariis quibuſdam inuoluta, in ore quidem dulceſcit, ſed in ſtomachum tranſmiſſa, ita vniuerſum cõmouet corpus, vt ſi prauos humores neſciat expellere,euomatur: ita & illud nomen Ieſu diuino charitatis auro inuolutum, ita ſanctis viris in ore dulceſcit, vt quoties primoribus illud labiis legendo attingunt, toties ſua labia præ eius dulcedine (vt de S. Franciſco ſcriptum eſt) lambunt, licet in animæ ſtomachum ſedula meditatione traiectus nonnihil omnes eius facultates commoueat, & ſi quid illis terrenæ conſuetudinis adhæreſcit, vi ſua expellat. Quare licet hæc nobiliſſima ſit ſtrena, qua ſancti ita delectabantur, aliam tamen hac nobiliorem inquirere vobis,mihi viſum eſt, licet difficulter talis inueniri queat,quæ eius præſtantiam excellere poſſit, quàm vbi cœlitus vobis traditam diſtribuero, eam gratanti animo recipientes, in æternum apud vos reſeruetis velim.

Simile.

Ieſu nominis ſuauitatem legendo ſancti veluti lingua lambunt.

Concionis diuiſio.

3. Tria in hac concione dicam:Primum de huius ſtrenæ dignitate.Secundum quantas in ſe humilitatis ac amoris diuitias ſanctiſſima illa diuinitatis theca ſalutare Ieſu nomen contineat. Tertium denique his diuitiis nobis hodie expoſitis Ieſu gratia humiliari, eumque impenſius amare oportere nos, docebo, gratia Spiritus ſancti impetrata per Dei matris deprecationem. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Primum pũctum.

Proponitur Chriſti diuinitas,nomine Ieſu veluti theca inclusa, in ſtrenã à cælo nobis illapſa.

4. Omnes mente ac cogitatione mercatorum officinas percurri,in quibus pulcherrima ac precioſiſſima Xenia ſeſe offerebant,nullum tamen illo Ieſu libello præſtantius. Occurrebat tandem ipſius Ieſu diuinitas, quam aliàs ſub hoc nomine ipſius, quaſi theca,reconditam,in hunc diem, de induſtria reſeruaui; contentus eius vobis tunc humanitatem in ſtrenam exhibuiſſe,quæ, ſi quid aliud, ad eius diuinitatem, proximè accedit. Vt verò hanc vobis ſtre-

nam

nam impertirem, non libuit in terrenis inhærere officinis, maximè cùm à Sapiente inſtructus fuerim cunctis terrenis opibus illam, quæ ſapientiæ nomine intelligitur, eſſe ſuperiorem: [Melior eſt,] inquit, [ſapientia cunctis opibus] erexi me igitur non ſolum ſuper terram, & ſuper omnem aeris etiam & cœli ambitum, ingreſſuſque in nobiliſſimas Angelorum officinas, in quibus ſpecioſiſſima, ac ditiſſima oculis obiecta ſunt, hæſi pauliſper, quaſi in iis inuenturus precioſiſſimam illam margaritam, filij nimirum Dei diuinitatem: ſed cùm vna voce meis reſponderent cogitationibus, acclamantes: Non eſt hic, Non eſt hic, neque omnes diuitiæ noſtræ in conſpectu eius hilum reputarentur, altius itaque aſcendendum identidem ingeminant, ac acclamant, [Ipſe fecit nos, & non ipſi nos] Hinc ſuper omnem Angelorum exercitum, omnemque inuiſibilium poteſtatum conſtitutionem aſcendens, ad ſupremam Seraphinorum ſedem tandem perueni, quibus vna vox [procul & à finibus noſtris pretium eius; Nemo] enim [nouit filium niſi Pater.] Ad Patrem itaque ipſum accede, qui pretium, & filij ſui dignitatem ſolus pernouit. In genua itaque me coram Patre prouoluens, licet ægrius, ob tantæ ſtrenæ ſuperioris anni neglectum, egi tamen, quantum potui, vt nobis, hodierno die, nobiliorem donaret, cuius virtute, ac nobilitate, mirum in modum, alliceremur, vt inflammatis amoris vlnis, illam de cœlo exciperemus. Cui petitioni (vt eſt ad miſericordiam propenſior) annuit Pater, vnamque ſolum ſibi relictam gemmam, tribus perſonis communem, in qua omnis ſapientia, potentia & cætera diuinæ naturæ infinitæ dignitatis attributa continentur, hominibus hodie tribuere placuit, eam autem opalum vocare poſſumus.

Prou 7.

Pſ. 99.

Prou. 31. Matt. 11.

5. Lapis iſte (vt teſtatur Plinius) inter omnes gemmas pretioſiſſimus, qui ſuis coloribus ſanctiſſimæ Trinitatis conditiones pulcherrimè refert.

Plin. l. 37. c. 6.

Nam

Nam si illum ex vna parte intuearis candidissimus apparebit, quo candore, antiquus ille dierum æternus Pater, qui Ioanni capillis candidis, sese in medio septem candelabrorum spectandum obtulit, significatur, si ex altera parte, sanguineũ exhibet colorem, quo filius æternus, qui ab æterno viso Adæ peccato, vt suum in carne sanguinem pro nobis profunderet, à Patre destinatus ostenditur. Denique si alio modo illum intueri velis, adeo ardens videbitur, vt flammas ex se quodammodo euomere, præ se ferat: quibus flammis, ac ardore Spiritus sanctus, cuius [species gloriæ, quasi ignis ardens] declaratur. Communem verò his tribus personis naturam earumque fœcunditatem, viror quidam ex illo emicans, cui diuino quodam veluti penicillo tres alij colores, ita immixti sunt, vt quasi in nouam quandam, ac inusitatam omnes conspirent, Viriditatem: sic enim tres hæ personæ, re distinctæ, per quandam (vt ait Damascenus) περιχώρησιν, id est, per mutuam, in natura complexionem, & cohærentiam vnius naturæ vnum Deum constituunt. Lapis hic in Virginei vteri officina, Spiritus sancti eleganti artificio, aureæ humanitatis thecæ, quasi inclusus, omniumque virtutum ornamentis affabrè insignitus, hodierno die, in ditissimam nobis offertur strenam.

Apoc. 1.

Opalus suis coloribus pulchrè Trinitatis mysterium exprimit.

Exod. 24.

6. Accipite ergo Iesum, qui diuinam in se naturam, humanitatis thecæ, inclusam continet, accipite, inquam, in strenam Iesum, omnium donorum Spiritus sancti perennem fontem, qua meliorem, ditiorem, nobiliorem nobis Deus impertiri nequaquam potuit; Meliorem dico: quippe ad redimendum perfectæ iustitiæ satisfactione hominem, adeo necessarium fuit Deum hypostaticè rationali creaturæ vniri, vt nulla alia ratione per potentiam Dei absolutam, fuerit possibile, hominem, seruato perfectè iustitiæ rigore, à peccato eximi: fuit autem filio Dei tantum attributa hæc potestas, vt in humana natura subsistens Deo satisfecerit, & infinitè quidem, ratione

Iesus diuinã in se continens naturã melior, ditior, nobilior omni strena. Nulla melior.

Digitized by

ne eius perſonæ infinitæ,quæ infinitam dignitatem, & valorem omnibus naturæ humanæ operationibus communicauit. Ditiorem etiam dixi, quia in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.[De cuius plenitudine omnes accepimus.plena ſiquidem & tota diuinitas in Chriſto homine corporaliter (vt ait Ambroſius) inhabitat,idque tribus modis,vt D.Thomas aſſerit,ſecundum trinas corporis dimenſiones. Sicut enim corpus tres habet dimenſiones, ſcilicet longitudinem, latitudinem, & craſſitiem, ita tribus modis quaſi dimenſionibus tota diuinitas eſt in Chriſto, ſcilicet primo modo, per eſſentiam,per præſentiam, & potentiam; ſicuti eſt in aliis hominibus, & creaturis. Secundo per gratiam, gratum facientem, ſicut eſt in aliis ſanctis omnibus. Sic Deus & Diuinitas, inquit Remigius, inhabitant in Salomone, per ſapientiam,in Daniele per caſtitatem, in Moyſe per manſuetudinem, in Chriſto per omnem virtutem & innocentiam. Tertio modo & propriiſſimè inhabitauit Diuinitas in Chriſto per vnionem hypoſtaticam, ſiue perſonalem, idque ſoli Chriſto proprium eſt. Nobiliorem denique adieci: quid enim Chriſto nobilius in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat? ſtrenam ergo hanc hodie accipite, Ieſum, inquam, pectoribus veſtris, tanquam precioſiſſimam gemmam appendite,donum ineffabile,donum æternum, donum ſemper venerabile, donum denique ſuauiſſimum: quos bonorum omnium titulos, in Ieſu nomine,ſi ex ordine characteres conſideres, perſpicuè reperies.

Nulla ditior.

Ioan. 1.

B. Tho. 3. p. q. 2. art. 9. ad 2.

Nulla nobilior.

7. O cur nos in huius nobiliſſimæ ſtrenæ, in huius gemmæ precioſiſſimæ deſiderium non inardeſcimus, quàm negotiatrix illa cœleſtis, continuis humilitatis, charitatis ac caſtitatis gradibus vndique conquiſiuit,donec eouſque aſcenderet, vt illam in Patris æterni pectore inueniens ſecum in terram deferret, ac inter ſua vbera appenderet, dicens:

[Faſci

[Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea cõmorabitur.] Verè fasciculus mirrhæ amaræ Christus hodie circumcisus, & dolore plenus fuit Virgini, inter vbera eius confotus; fasciculus tamen optimi odoris, ex cœlestibus compositus floribus, fasciculus cœlestibus exornatus gemmis, quem suo pectori, tanquam ditissimum thesaurum, adhibuit. O si nos aliquando hunc fasciculum, hanc cœlestem gemmam, hunc bonorum omnium thesaurum in strenam accepturi, inter vbera nostra collocaremus, quantam inde odoris suauitatem hauriremus! Sed ô, qui gemmæ huius pretiosissimæ æstimationem ignorat, nihili gemmam facit; qui thesaurum in agro absconditum nescit, agrum præterit, non ingreditur, non effodit: sic nos quia pretium eius non perpendimus, diuitias eius non consideramus, tanquam quædam vana puerorum crepundia, strenam hanc nobis datam negligimus, & sic animæ nostræ thesaurum, cœli, & terræ pretium, nobilissimam æterni Patris pectoris gemmam, in humanitatis theca absconditam, nobisque cœlitus datam deperdere non dolemus, neque perditam quærimus, aut curamus. Vt margaritam emeret negotiator ille Euangelicus quicquid habebat vendidit: [Inuenta vna preciosa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam] & tamen nos inuentam vnam preciosam margaritam, cuius pretium Deus, tantum abest, vt conseruemus, vt etiam tanquam futilem, ac inanem atque euanidam gemmam, à nostro pectore reiiciamus. Vtinam huius margaritæ pretium ita intelligeremus, sicut ille bonus negotiator, eam sanè omnibus huius mundi diuitiis, honoribus, possessionibus præferremus! Vtinam, si cœlum mecum non lubeat conscendere, in terris saltem aliquousque eius dicatis æstimationem.

Cant. 1. Fasciculus mirrhæ Iesus hodie circũcisus.

Simile.

Matt. 13. Parui facimus ab æterni Patris pectore nobis delatã gemmam cuius pretiũ ignoramus.

8. O Salomon, Salomon, edoce hos, quanti æstimandus diuinæ sapientiæ thesaurus, quem per Dei gratiam possidemus, & per peccatum amittimus, doce,

doce, inquam, hos quanti facienda cœlitus hodie emiſſa ſtrena: [Optaui]inquit[& inuocaui,& venit in me Spiritus Sapientiæ] Ecce quomodo illam diligenter quæſiuit: audiamus quomodo inuentam magni fecerit: [propoſui,] inquit, [illam regnis,& ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius,nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.]Cur ita ô ſapientiſſime vir? [Quia (inquit) venerunt mihi omnia bona pariter cum illa: infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei.] Ecce quanti faciat Sapiens ſtrenam hanc nobis cœlitus impertitam, quam nos tamen vnicæ ac breuiculæ voluptatis guttulæ poſtponimus, quoniam ignoramus pretium eius. Accedamus & ad alium ſapientiſſimum gemmarum negotiatorem, vt huius gemmæ æſtimationem, huius ſtrenæ nobilitatem, quantum poteſt, nobis ſignificet, quam tamen, proh dolor!gratis diabolo tradimus.Quid,ô ſanctiſſime Iob, de hac pretioſiſſima nobis donata ſtrena coniicis? Audite, quid reſpondeat: [Non inuenitur in terra pretium eius:]Et tamen illam nos diabolo,vno vendimus obolo. O gemma omnibus præferenda gemmis!ô ſtrena ſuum ditans poſſeſſorem! ô theſaurus infinitus,in quo ipſum Deum ſub humanitatis theca poſſidemus,quem tamen ita peccatores contemnũt, vt ſibi illum tanquam ſtrenam cœlitus miſſam, ſuſque déque ferant!O quomodo olim hanc ſibi è cœlo promiſſam ſtrenam lachrymis quotidie expetierunt Patres.] Vtinam(inquiunt) diſrumperes cœlos & deſcenderes.] Vtinam illorum ignita deſideria nobis ſtimulos addant;vtinam longa eorum ſuſpiria noſtrorum diſſoluant pectorum gelu! ô quanto deſiderio ad dilatam expectationẽ anhelabat Dauid.[O ſi quis (inquit) mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem]ô Dauid Bethlemiticam ſitiẽ-

Sap.7.

Quanti æſtimãda ſit gẽma hæc docẽt patres.

Iob.28.

Iſa.64

2.Reg.23

bas aquam, quia Christum in Bethlehem nasciturum præuidebas. Hunc tibi in strenam dandum sperabas! Quis mihi (inquis) dabit hanc noui anni strenam? sed quibus lachrymis, hanc quasi obtentam, sed per peccata sua amissam, deflet, paulisper consideremus, dolor enim rei æstimationem ostendit.

Ps. 41. Quibus lachrymis Dauid amissam per peccatū strenam deflet?

9. [Fuerunt mihi (inquit) lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus?] nasciturus in Bethlehem, ac propterea aquam sitisti? ô Dauid Dauid, inclamat illi conscientia, siccine speratam cœlitus strenam perdidisti? siccine, ô Dauid, tanti thesauri oblitus, tantæ gemmæ, quæ tuum pectus mirificè exornaret, expectatione quasi frustratus, duobus te sceleribus obstrinxisti? siccine pro vili ac momentanea carnis voluptate eam abiecisti? dum hæc & huiusmodi eius conscientia illi obiiceret, nocte atque die cessare à lachrymis nequaquam potuit, ita vt lachrymæ illi panis essent quotidianus. Quemadmodum enim panis ita hominis sustentationi est necessarius, vt sine eo languescens sensim moriatur: sic pœnitentiæ lachrymæ adeo peccanti necessariæ, vt sine illis animæ vita, aut ali, aut conseruari nequeat. Et quoniam pœnitentiæ lachrymæ ita peccatrici animæ, sicut corpori quotidianus panis, sunt necessariæ, ante se illas, tãquam quotidianum panem, in mensam defluentes habere debet. Et quia panis licet reficiat, sitim tamen non extinguit, imo potius illam excitat & accendit, ideo fuerunt illi lachrymæ panes, potius quàm aqua, quia quo plus flebat, tanto magis in eo sitis flendi accendebatur. O vtinam huiusmodi nobis apponamus quotidie cibum, quandocunque strenam hanc nobis è cœlo missam contemptim abiicimus! Vtinam lachrymæ pœnitentiæ quotidie nobis sint panes, dum dicitur nobis à nostra conscientia: [Vbi est Deus tuus?] vbi est cœlestis illa theca, in qua Iesu diuinitas inclusa fuit? quonam abiit gemma illa, quæ ab æterno in Patris pectore dependens,

Simile.

Quàm proficua pœnitẽtia lachrymæ.

in

in tempore tibi in ſtrenam tradita? hinc lachrymæ noſtræ panes nobis eſſe quotidie deberent, cùm ſolæ ex pœnitentia ortæ lachrymæ, theſaurum perditum, ſtrenam abiectam, gemmã neglectam recuperare poſſint. Nam ſola ex peccato commiſſo orta triſtitia prodeſt: [Illa]enim[ſola] vt ait Chryſoſtomus [iniquiſſimum Patrem interficiens, peccatum nimirum, ex quo tanquã optimus partus enaſcitur, laude digna.]Sicut enim vermis ex ligno naſcitur,& illud rodit & comedit, licet ſuam ab ipſo originem habeat. Sic & triſtitia de peccato nata eſt,& peccatum vnde ſuam trahit originem, abſumit. Hanc verò laude digniſſimam eſſe oſtendit, cùm illam ad peccatum delendum, & ad gratiam recuperandam plurimum valere aſſerat[luge(inquit) peccata, vt ipſa deleas, propter hoc enim triſtitia facta eſt, non vt in morte nec in vlla alia re tali doleamus, ſed vt ipſa ad delenda peccata vtamur] quæ alteri rei prodeſſe non poteſt, vt ipſe his declarat verbis[Mulctatus eſt(inquit)quiſpiam pecuniis, triſtatus eſt, mulctam non emendauit, filium amiſit, doluit mortuum, non reſuſcitauit, nec defuncto profuit: flagellatus eſt quis, alapis cæſus, contumeliis affectus, doluit, non reuocauit contumeliam, in morbum incidit quis grauiſſimum, doluit morbum, non ſuſtulit, ſed & difficiliorem reddidit. Vides nulli horum prodeſſe triſtitiam? peccauit quis, triſtatus eſt, peccatum deleuit, diſſoluit debitum.] O vtinam huiuſmodi nos triſtitia inuadat, quæ peccati debitum ſoluat, & quæ ſtrenam amiſſam recuperet!

Chryſoſt. homil. 5. ad popul. Antioch.

Simile.

SECVNDVM PVNCTVM.

10. Quod ſecundo propoſui, dicendũ, loco, magnæ huius nominis diuitiæ ſunt, quæ à nulla creatura explicari poſſunt, ac proinde ineffabile eſt nomen eius, in quo, tanquã in cœleſti ærario, omnes diuini theſauri reconduntur. Nam ſi, præter cæteras eius diuitias, velimus Ieſu humilitatẽ, quæ etiam hoc nomine includitur, conſiderare, quæ omnium virtutum

Humilitas Chriſti ineffabilis.

basis ac fundamentum est, eiusque eximiam charitatem in hoc etiã nomine inclusam, quæ omnis perfectionis, ab Apostolo vinculum dicitur, vtrumque sanè ineffabilem esse iudicabimus. Quis enim tam profundã, ac penè infinitam sui ipsius exinanitionẽ, ac nihilitatem, vel cogitare possit, qua sese non tantum in sua Incarnatione Dei filius existens, exinaniuit, serui formã accipiẽs, inferior Angelis factus, sed etiam hodie flagitioso peccatoris stigmate notatus, infra etiã hominem sese submittens, vt qui in se peccatũ assumere nõ potuit, tamẽ in hoc suo descẽsu, quasi infra hominis naturã sese inclinans, imaginem ac similitudinem peccatoris assumpserit. Quis vnquã cogitare auderet, illum [qui non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ Deo] eousque descendisse, vt diuina velut spoliatus natura esse videretur. Ita enim hodie peccatoris personã gessit in circumcisione, (quæ fuit peccati originis à Deo institutũ remedium,) vt nisi fide nobis certum foret, naturã hypostaticè Dei verbo vnitam, peccato inficì non posse, nisi etiã (quod impossibile est) illud in verbi suppositum redundaret; quippe cui actiones humanitatis ascribuntur, hoc inaudito viso spectaculo ratio ac sensus vacillarent? ô quanta tui causa (ô peccator) exinanitio! quantus ille tui gratia descensus, vt amplius quò descenderet non habuerit, cùm tamen tanta sit tuæ superbiæ peruersitas, (ô puluis & cinis,) vt tanquam omni exemptus peccato, cœlis ipsis, tua superbia, bellum indicere velis!

Philip. 2.

Charitas Christi ineffabilis.

11. Quid de eius charitate in hac sui circumcisione demonstrata, quæ ineffabilis est, dicam! tanta fuit intra eius animæ viscera inclusa, vt nequiuerit tam vehementes eius flammas cohibere, quin in suæ vitæ exordio erumperent, neque voluerit expectare donec ætate tenellum eius corpus matureſceret, sed quasi in seipsum nostri amore, sine sui commiseratione sæuiens, crudeli, delicatissimum sui corporis membrum, lapideo cultro scindi

volue

voluerit, vt noſtræ miſeriæ charactere inſignere- *Simile.*
tur, ſicut enim Adam ſeſe Deo aſſimilare præſu-
mens, ſuæ vxoris inductus perſuaſione, Dei præce-
ptum præuaricans, detracta innocentiæ veſte, & tu-
nica pellicea præuaricatoris inſignibus indutus,
ironicè Deus vocatus eſt: [Ecce Adam quaſi vnus è *Gen. 3.*
nobis factus eſt, ſciens bonum & malum:] ſic Chri-
ſtus, quaſi detracta diuinitatis veſte, peccatoris inſi-
gnia aſſumens, in ſimilitudinem hominum factus,
verè & nō ironicè, homo factus, adeo vt dicere poſ-
ſimus [Ecce Deus quaſi vnus è nobis factus, ſciens
bonum & malum.] Malum verè noſtrum in ſua ho-
die carne expertus, lachrymas ſpargit, & ſanguinem:
lachrymas quibus peccatorum noſtrorum infamias
detergat, ſanguinem, quo inter nos & Patrem pa-
cem conciliet. Quanta verò charitate exarſerit, hac
ſimilitudine, aliquouſque poterit intelligi. Si Deus *Simile.*
vniuerſam ignis ſphæram, in vaſe aliquo anguſto,
ex cryſtallo compoſito includeret, quos flammarum
turbines intus volui putaretis? donec vi ignis per-
rumpens vaſculum confringeret? cùm igitur Deus
infinitam illam diuinitatis ac charitatis veluti ſphæ-
ram in tam exiguum Ieſu nominis vaſculum inclu-
ſerit, iuxta illud Apoſtoli, [In ipſo complacuit om- *Coloſſ. 1. 2.*
nem plenitudinem inhabitare, & in ipſo habitat
omnis plenitudo diuinitatis corporaliter] quoſnam
exiſtimatis charitatis ardores, in eo vaſculo cieri
oportuiſſe, qui tam vehementes extiterunt, vt ſeſe
cogere intus non potuerint, quin foràs erumpe-
rent, ſciſſo ſacratiſſimi corporis vaſculo, ex quo
ſuauiſſimi odoris ſanguineus liquor emanauit. *Simile.*
Antequam copioſus imber defluat, tenuis è cœ-
lo dilabitur pluuia; ita tenuis ſanguinis pluuia
è ſublimi illo cœlo, Chriſti corpore hodie dilapſa,
copioſi ſanguinei imbris futuri præſagium eſt; verè
nobiliſſime puer, amorem illum, quo nos ab æterno
es proſequutus, cum ſanguine è venis erumpen-
tem hodie demonſtras: [In charitate perpetua *Hiere. 31.*
(inquit)

(inquit)dilexi te,ideo attraxi te miſerans.] Hæ ſunt illæ cogitationes antiquæ,quas ex omni æternitate, de hominum ſalute in diuino tuo pectore verſaſti, & hodie eas opere complere feſtinas.

Suam declarat charitatem operum exhibitione.

12. Ecce quomodo ſuæ charitatis magnitudinem nobis commendat,qui non diu illius exhibitionem, per externum opus diſtulit,imo nec expectauit ſuum è matris vtero egreſſum, ſed ſtatim aſſumpta in virgineo cubili carne,illam declarauit [factum eſt, inquit Rupertus,quod optauit Eccleſia,venit dilectus atque omnium gratiarum delibutus vnguentis,in ſecreto virginalis vteri cubiculo, diu deſideratum oſculum dilectæ porrexit] nec ſatis illi hoc fuit; niſi etiam hodie recens natus, eundem charitatis exceſſum, per ſui ſanguinis effuſionem, quàm citiſſimè oſtenderet: vt intelligamus nihil magis illi in votis fuiſſe,quàm charitatem, qua ab æterno nos dilexit, in tempore nobis ſine cunctatione declarare.Si ergo iuxta prouerbium:bis dat,qui citò dat,qui citò, bis ſui amoris oſtendit exceſſum, ſeſe nobis impertiendo,quater ſe per amorem donat,cuius amoris in nos incredibilem exceſſum ſupereminentem ſcientiæ Apoſtolus vocat,ideſt,maiorem,quàm,vt ſciri,intelligi,& comprehendi poſſit. Charitas itaque Chriſti in nos tanta eſt,vt ſuperet omnem humanam cognitionem,& ſcientiam.Quare Ambroſius[poſt Dei Patris infinitam & incomprehenſibilem cognitionem, & inenarrabilem clementiã,Chriſti quoque nos vult agnoſcere charitatem, quæ ſupereminens eſt ſcientiæ; quis enim poteſt colligere myſterij huius charitatis rationem, vt & Deus hominis cauſa homo naſcatur (ac peccatoris ſtigmate inuratur) deinde moriatur pro hominibus, pro ſeruis Dominus, pro creaturis creator,pro impiis pius.]Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Nam,vt ait Bernardus, ſi totum me debeo, pro me facto, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo, nec enim tam facilè refectus, quàm factus.

Ad Epheſ. 3.

Amb. in illum locum Apoſtoli.

Bernar. de diligendo Deo.

Nam

Nam qui me ſemel & tantum dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa,& geſſit mira,& pertulit dura,nec tantùm dura,ſed & indigna.In primo opere me mihi dedit,in ſecundo ſe, & vbi ſe dedit, me mihi reddidit. datus ergo & redditus, me, pro me,debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro ſe?nam etiamſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum.]

13. Amantis amor in amatum adeò ſæpè ardens eſſe ſolet, vt niſi amato perfrui poſſit, in omnem ſe vertat formam, donec illi quàm arctiſſimè coniungatur:Hinc cùm aditum ſibi ad amatum præcluſum videt,alienis ſe induit veſtibus,vt ſic ſaltem tãquam incognitus aditum tentet, ac ingreſſus amato fruatur.Et Dei filius adeò noſtri incendebatur amore,vt alienis ſeſe induerit veſtimentis,noſtris tamen conſimilibus, vt hac ſimilitudinis cognatione, facilius in ſui nos amorem traheret,noſtróque ſemper frueretur conſortio. Quemadmodum enim qui ardenter puellam aliquam deperit,cùm eam inuiſere nequeat, ingenti confectus dolore,omnibus domeſticis ſolet inuidere, qui eius aſpectu,alloquio ac familiaritate fruuntur, & tanto ardet amore, vt alicuius eius domeſtici veſtem emendicare conetur,vt ſub eius pallio tectus, tanquam domeſticus liberè ingrediatur, ecce Dei in nos amor! ecce eius amoris plena deceptio! cùm enim familiarius nobiſcum olim agere non poſſet, ſed ex nube, ex caligine, ex montibus, noſtræ ſe tandem mortalitatis pallio induit, ac proinde habitus eſt tanquam domeſticus [Habitu enim inuentus, vt homo] ad nos ingredi,per incarnationem feſtinat, delitiæ enim eius ſunt, eſſe cum filiis hominum.Quare eius amor veluti moræ impatiens, adeò inter materna viſcera efferbuit, vt nihil antiquius haberet, quàm ſeſe fratrem noſtrum, per aſſumptam naturæ noſtræ conditionem,& ſui ſanguinis noſtri amore,ebullientis demonſtrationem,exhibere,ac procedente tempore, cum ſingulis intimam

Infinitũ oſtẽdit amorem formam alte nã ſuſcipiẽs.

Simile.

Philip.2.

Prou.6.

inire societatem, & licet repulsam identidem, grandior factus, pateretur, & à cordis nostri ianua, quæ omnibus alioqui patet creaturis, excluderetur, ita vt locus illi non esset in nostræ animæ diuersorio, hærebat tamen in ostio, & pulsabat, vt si fortè sponsa vocis eius susurrum audire dignaretur, surgeret, & aperiret: sed proh dolor! tantum abest, vt ex cupiditatis lecto assurgeret, sicuti quotidie nos etiam facere assuescimus, vt etiam pessulum fortius ostio obdens, sponsum excluderet, animæque suæ, apertis sensuum ianuis, sese diuersorium omnibus exponeret creaturis. per oculos enim colores, quantitas per tactum, per olfactum odor, vox per aures, panis & vinum & omne cibi genus per os ingreditur, & solus puer iste suauissimus animæ sponsus ab hoc excluditur diuersorio. Sed veniet dies, vbi quasi inuidia quadam tactus, puer iste, vir factus, suo amore viam facturus aliis se vestibus induet, quibus facilè suum consequetur desiderium, vbi scilicet se suámque diuinitatem, sub panis ac vini pallio occultans: in omnes corporis ac animæ nostræ partes sese insinuans, desideratum animæ osculum exhibebit [osculetur me osculo oris sui.]

Cant. 1.

Isa. 25.

14. Ecce quomodo gradatim festinet, vt cogitationes antiquas, opere compleat, [confitebor (itaque cum Isaia) nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia] hodie in tua circumcisione, ac in toto vitæ tuæ decursu, [cogitationes antiquas fideles] breui expleturus. Hinc verè colligo in charitate perpetua te nos dilexisse, & ideo hodie lachrymis & sanguinis tui effusione miserans, attraxisti nos. Huius amoris vis tanta fuit, vt ipse olim per Malachiam eam exaggerans dixerit, [Dilexi vos,] quæ verba, plerique per Aposiopæsim, siue reticentiam dicta autumant, vt omnia tanto amori deberi significetur, simulque indicetur quædam tacita Dei querimonia, quasi diceret: semper dilexi vos, & vos,

Mala. 1. Christus de nostra ingratitudine conqueritur.

pro

pro hac dilectione, mihi nihil aliud, quàm peccata rependitis? quod verò querimoniam verba illa contineant, ex iis clarum eſt, quæ ſtatim ſubduntur: [Et dixiſtis: in quo dilexiſti nos] tã ingrati eſtis, vt amorem meum, beneficiáque ex eo profecta, non agnoueritis, ſed dixeritis, qua in re, quo inſigni beneficio declaraſti amorem tuum erga nos? Ecce quanta noſtra ingratitudo, vt Deo, pro tanto, in nos, amore omnium eius beneficiorum obliuionem reddamus.

Amor noſtri Chriſtũ inebriauit.

15. Sed, ô bone puer, cur ita noſtri ingratorum amore hodie inebriaris, vt quaſi tuæ oblitus nobilitatis, infami te, noſtri gratia, peccatoris ſtigmate notari velis! O puer amabilis, quid commiſiſti, vt Deus Pater te vnigenitũ ſuũ in ſimilitudinem carnis peccati miſerit, vt quod nõrapuiſti ſolueres! amor te, ad has vitæ noſtræ ærumnas ſuſcipiendas cõpulit, amor te inebriauit, amor à tuo te ſtatu quodammodo dimouit: [extaſin enim (teſte Dionyſio) facit diuinus amor, amatores ſuo ſtatu dimouet, & ſui iuris eſſe non ſinit, ſed in ea quæ amant penitus transfert. Idcirco & Paulus ille Magnus cùm diuino amore flagraret, exceſſiuè illius virtutis particeps factus viuo, inquit, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus; tanquam verus amator mentis exceſſum patiens. Audebimus & id loqui, quod ipſe quoque auctor omnium, pro amatoriæ bonitatis magnitudine extra ſe ſit, ad omnia quæ ſunt pertingendo multiplicis prouidentiæ ratione,] extaticus nimirum amor, te rapuit, ô Ieſu, vt te tuáque omnia bona communicares creaturis, per creationem; pluſquam nimirum extaticus amor te rapuit. Vt tuam verbi hypoſtaſin humanæ creaturæ, quam per Incarnationem aſſumpſiſti communicans naturæ noſtræ miſerias ſimul ſuſciperes: exinaniuiſti enim temetipſum, pro nobis, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuẽtus, vt homo.] Supereminens itaque ſciẽtiæ etiam Angelicæ extaſis te, æterni Patris verbũ, trãsformauit in hominem,

Dionyſius de diui. nomin. cap. 4.

Phil. 2.

transformauit hodie in similitudinem peccati: nostram enim formam, excepto peccato, quoad omnia assumpsisti, ex ingenti, & extatico nostri amore!

Hodierna sanguinis effusio præsagium fuit magni sanguinis in passione diluuij.

16. Hinc, ô sol iustitiæ, vt video, hodie circumcidi voluisti, vt citò te nostri amore in extasim raptum significares, vt præmatura sanguinis tui effusione magni sanguinis diluuij præsagium exhiberes. Cùm enim in tuo iam ortu rubeas, tuo aspersus sanguine, nobis signum dare vis, magnæ futuræ aliquando tui cruoris pluuiæ. Tu itaque hodie, sanguineo madidus riuo, præsagis futura illa passionis tuæ quinque flumina ex quinq; erũpentia amoris tui fontibus & ex quinq; tui nominis Iesu literis, tanquã ex quinque cœlestibus canalibus, ad omnes filiorũ Adæ sordes abluẽdas, deriuãda, præsagis, inquã, sicut solaris ille globus, qui dum in ortu suo rubet, te ipso teste, subsecuturam pluuiam: sin verò in occasu, serenitatem subsecuturam prænunciat: sic tu, ô iustitiæ sol, hodie in ortu tuo rubes, ac proinde sanguineam illam in horto, in columna, in coronatione, in cruce pluuiam abundantius fore significas: vbi verò in occasu, tuæ scilicet mortis tempore, in cruce rubeus tuo sanguine apparueris, æternam breui subsecuturam, à glorioſa nimirum tua resurrectione, æternæ beatitudinis serenitatem demonstrabis. Et hæc omnia nostri amore. O quantæ hæ humilitatis ac amoris diuitiæ in breui hoc nominis Iesu vasculo hactenus inclusæ, hodie nobis per circumcisionis clauem patescunt.

Tertium Punctum.

17. Humilitatis & amoris in nominis Iesu vasculo diuitiis hodie nobis expositis eius gratia humiliari, eumque amare impensius, quod tertio loco dictũ volo, discamus. Ingrediamur itaque Iesu pueri scholam, vt in ea discamus totius vitæ nostræ fundamentum veram esse humilitatem, qui cùm in forma Dei

Digitized by Goog

Dei eſſet, ecce ſublimitas maieſtatis! humiliauit ſe vſque ad mortem, ecce maieſtas humiliata! propter quod & Deus exaltauit illum, ecce humilitas exaltata! & dedit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomen. Ecce nominis ſublimitas in hoc Ieſu nomine contenta, vbi [agnoſcitur (vt ait Bernardus) longitudo breuis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana, lux non lucens, verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens; videas ſi attendas potentiam regi, ſapientiam inſtrui, virtutem ſuſtentari: Deum denique lactentem, ſed Angelos reficientem: vagientem, ſed miſeros conſolantem. Videas ſi attendas triſtari lætitiam, pauere fiduciam, ſalutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed eſt hæc triſtitia lætificans, pauor confortans, mors viuificans.] Ecce ſimul duo deſcendentis & aſcendentis humilitatis gradus nobis propoſiti in hoc Ieſu nomine; hos auidè arripiamus, deſcendamus per humilitatem in noſtræ vilitatis abyſſum, & aſcendamus inde diuinæ gratiæ alis inſtructi. Quare Auguſtinus de Centurionis humilitate agens, [Humilitate, inquit, Centurio placuit, tecto non recipiebat, corde recipiebat. Quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implétur, in humilem vallem aqua defluit, ad humilem venit Deus, humiles reſpicit ſuperbos, à longè cognoſcit. [Excelſus Dominus & humilia reſpicit & alta à longè cognoſcit] humiles quaſi cominus, & ex propinquo loco aſpicit, veluti dilectos: altos atque ſuperbos eminus atque longè videt, quia diſplicent illiſque reſiſtit: Deus enim ſuperbis reſiſtit.

Quomodo ſeſe Chriſtus noſtri gratia demiſit!

Ser. 2. ſup. Miſſ.

Aug. ſer. 74. de Tempore.

Pſ. 137.

18. Huius itaque pueri ſcholam ingreſſus, [ſi quæras (inquit Auguſtinus) quæ via ſit ad obtinendam veritatem, quidque primum ſit in religione & diſciplina Chriſti? reſpondebo, primum eſt Humilitas. Quid ſecundum? Humilitas. Quid tertium? Humilitas: & quoties interrogabis toties hoc dicam. Sicut enim Demoſthenes in eloquẽtia primas, ſecũdas, tertias

Aug. Epiſt. 56. In Chriſti ſchola humilitas docetur.

tertias,&c.Dedit pronunciationi:ita eaſdem ego dabo humilitati in ſchola Chriſti:Cùm itaque humilitas tanti fiat,quæ meritò omnium aliarum virtutum fundamentum & baſis eſt, eam omni diligentia ac ſtudio,à puero Ieſu hodie diſcamus,qui ſuperbis reſiſtit & humilibus dat gratiam. [Audiant hoc , ait Gregorius,omnes:Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: Audiant omnes : immundus eſt apud Deum, qui exaltat cor ſuum. Audiant omnes: Quid ſuperbis terra & cinis? Audiant omnes Dominum dicentem:Diſcite à me quia mitis ſum , & humilis corde. Ad hoc námque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis noſtræ ſuſcepit ; ad hoc inuiſibilis non ſolùm viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit;ad hoc contumeliarum ludibria,irriſionum opprobria,paſſionúmque tormenta tolerauit, vt ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus.Quãta ergo humilitatis virtus eſt , propter quam ſolam veraciter edocendam , is , qui ſine æſtimatione magnus , vſque ad paſſionem factus eſt paruus ! quia enim perditioni noſtræ originem ſuperbia præbuit diaboli,inſtrumentum redemptionis noſtræ inuenta eſt humilitas Dei.]

Gregor.l.34. Moral. c.21.

Rom.5.

19. Hoc humilitatis fundamento poſito;à puero Ieſu flammeam diſcamus etiam charitatem.[Commendat Deus charitatem ſuam in nobis , quoniam cùm peccatores eſſemus Chriſtus pro nobis] natus, circumciſus &[mortuus eſt]pro commendat Græcè συνίστησι quod non ſolùm commendare ſignificat, ſed etiam nobilem & notum facere atque illuſtrare.Meritò ergo dicitur Deus charitatem ſuam nobilem,illuſtrémque oſtendiſſe,cùm pro peccatoribus inimicis ſuis natus, circumciſus, ac mortuus ſit. Si ergo veri Chriſti diſcipuli eſſe velimus , eum qui ſic nos adhuc inimicos amauit , reciproco amore complectamur, vt amoris vi in illum quaſi tranſlati , Deos quodammodo nos eſſe , charitatis feruore demonſtremus. [talis enim quiſque noſtrûm eſt, vt ait Auguſtinus

Amor à Chriſto ediſcẽdus.

guſtinus,qualis eſt eius dilectio:terram diligis,terra eris;Deum diligis, Deus eris: amor enim transformat amantem in rem amatam, vt aſſerit Dionyſius: iuxta illud Oſeæ [facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.]O quàm ſalutaris hæc transformatio, qua per amorem in Deum ipſum quodammodo transformamur.

Aug. tract. 2. in ep. 1. Ioan.

Oſeæ 9.

20. Sic mihi D.Paulus in Deum amoris magnitudine transformatus videtur dum exclamat,[Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus: his verbis,ait Nyſſenus, tantùm non clamat Apoſtolus nullam in ſe affectionem humanam viuere, non faſtum,non timiditatem, non voluptatem, non dolorem,non iram,non metum,non audaciam, non iniuriarum memoriam,non inuidiam,non vindictæ,auaritiæ,honoris aut gloriæ cupidinem,ſed his omnibus abraſis,ſolus,inquit, ille mihi ſupereſt, qui nihil eſt horum qui eſt ipſa ſanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, qui paſcitur inter lilia in ſplendoribus Sanctorum. Qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.] O quàm perfecta hæc Pauli in Deum transformatio! Nonne hanc etiam amoris in Deum transformationem Dominicus obtinuit, qui in Miſſa Chriſti corpus eleuans in altum ſublatus eſt, & ab igne quo intus ardebat corpus eius ſubuectum, velut in ignem conuerſum, terram deſerens in cœlum ferebatur, vt Ieſu amori ſuo copulatus,in eũ transformaretur.Nónne etiam Franciſcus hanc amoris in Deum transformationem expertus eſt,quippe qui ab illo Seraph, qui ſibi in nocte apparuerat,mirabilem in mente, vt ait S. Bonauentura,recepit ardorem, & in carne non minus mirabilem admiſit effigiem, vt iam non tam terreſtris homo, quàm cœleſtis Seraph, & imago crucifixi crederetur, cùm quinque Saluatoris vulnera, quaſi totus in Chriſtum transformatus, & quinque ignis charitatis Chriſti vſtiones, quinque nominis Ieſu veluti literis ſibi impreſſas de monte detulit, qui

ad Galat. 2. Greg. Nyſſ. homil. 15. in Cant.

Sancti amore Chriſti, incenſi in eum quodãmodo transformantur.

toties

toties vti diximus ſua lambebat labia, quoties inter legendum Ieſu nomen occurreret, toti mundo prodigium & portentum factus. Nonne inſuper beatus Pater noſter Ignatius, qui è cœleſti igne, diuino cõſilio, eſt nomen ſortitus, hanc amoris in Deum trãſformationẽ expertus eſt, cùm à Sabbatho in Sabbathum totus in Deum abſorptus, in perpetua extaſi perſeuerans, ita in Deum transformatus videretur, vt vix ex tenui pectoris palpitatione viuere deprehenderetur, ardoris enim interioris impetus adeò cor eius ſurſum rapuit, vt potius in amato quàm in amante viuere cenſeretur. Nonne denique beatus pater noſter Franciſcus Xauerius eandem amoris in Deum transformationem ſenſit, quippe qui amoris igne cor ebulliens, vix ferre poſſet, identidem ingeminabat: Satis eſt Domine, ſatis eſt. O vtinam his nobis propoſitis Sanctorum exemplis, eorum humilitatis ſimul ac amoris imitatores ſimus.

Ribade. in eius vita.

EXEMPLVM.

In ſpeculo magno exemplorum.

21. Puella quatuordecim annorum ita Ieſum puerum amabat vt B. Virginem ſeptem annis obnixè oraret, vt ſibi ſemel puerum oſtenderet, annuit precibus, pridie Natiuitatis Domini ei in manum Ieſum dedit, qui cum puella colludens, familiariter petiit, an ſe amaret, cui illa, amo te plus quàm corpus meum. Vrget, amas me? amo te plus quàm cor meum: premit iterum, quantò plus quàm cor tuum amas me? illa præ amoris magnitudine, non poſſum vim tanti mei in te amoris verbis exprimere, quare ipſum cor loquatur ſuum amorem. Quo dicto tantus Ieſu amor in tantillo incluſus vaſculo quaſi moræ impatiens totum eius cor erumpens confregit, amatique inhærens veſtigiis ſublime in corona Angelorum B.V. præſidente, in cœlum cum ſuauiſſimo concentu auolauit. Quo triumpho vicini excitati, corpus Virginis exenterant, in cuius cordis medio aureis

Digitized by Goog

reis inſculptum literis reperiunt. [Amo te plus quàm me, quia creaſti me, redemiſti me, ſeruaſti me.]

DE CIRCVMCISIONE Domini,

Concio ſecunda.

THEMA: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Luc. 2.

Mira ſub Ieſu nomine cõtinentur.

1. SI minimum, quod in eleganti continetur ineffabilis Ieſu nominis, theca, vobis expromere ſuſciperem; temeritatis potius notam incurrerem, quàm ſuſcepti oneris mihi à vobis gratiam reportarem. Quis enim nomen, cœleſtibus etiam mentibus ineffabile fari præſumeret? quis ineffabiles eius diuitias euoluere auderet, quæ angelico comprehendi intellectu nequeunt? quis infinitam illam maieſtatem, quinque nominis Ieſu literis comprehenſam, in quem ſe plenitudo diuinitatis intulit, explicare aggrederetur, niſi ſolus ille, cuius proprium nomen Ieſus? Huius olim diuitias Seraphini quaſi per tranſennam cùm vidiſſent, tanto perculſi ſunt ſtupore, vt non ora tantùm alis tegerent, Chryſoſtomo teſte, quod intelligentiæ obtutum figere, in ſumma illa luce nequirent, ſed pedes etiam contegerent, quòd reuerentiæ amoriſque ſui exiguitatem erubeſcerent; qui non pro eius dignitate procreatorem ſuum diligerent, neque tanta eius charitate flagrarent, tot expoſitis ſibi diuitiis, quantum præcellentiſſima eius natura poſtularet. Quid ergo velim ego attentare, quod illi beatorum Spirituum principes, qui à diuini amoris ardore nomen ſortiti ſunt, primo intuitu attentare erubuerunt, quod minus abſe, quàm par eſſet, amari Deum intelligerent, minimãque

Chryſoſt. tom. in diuin. Iſa. 6. vidi Dominum.

mámque eius diuitiarum ſtillam,intellectus ſui acié fugere. Silentio ergo potius ineffabile Ieſu nomen tranſeundum,quàm meis verbis obſcurandum.

Exod. 25. *Maxima Dei laus ſilentiũ.*

2. Quid aliud obſecro,illa etiam duo Seraphin, quæ fœderis Arcæ inſidebant,expanſis illam alis tegentia,ac conuerſis, præ ſtupore, in ſe inuicem vultibus,alto quodam ſilentio, & admiratione, ſummo Sacerdote thura offerente,& ſacrificia, cantoribus interim ſuauiſſimo concentu citharas percutientibus,diuináſque decantantibus laudes,Deum adorabant,quid aliud, inquam, nobis per hoc ſignificant, quàm vt ſua nos docerent taciturnitate, optimum laudandi Deum modum, ſub ſilentio eum colere, eiúſque diuitias alta mentis contemplatione potius admirari,quàm de iis quicquam dicere, cùm ne angelicæ quidem linguæ aliquid Deo dignum offerre poſſint?[Facilius enim(vt ait Gregorius) de Deo loquitur,qui obſtupeſcenda tacet.] Maximè ſiquidem propria Dei laus ſilentium, iuxta illud Pſal.[Tibi ſilentium laus Deus, in Sion.] ſic enim vertit Hieronymus, quia immenſa eius magnitudo à quopiam minimè comprehendi poteſt. Tibi ergo noſtra ſileat laus;omnis enim laus tibi ſilentium eſt,& quantumcumque te laudibus efferre conamur, tuæque maieſtatis diuitias extollere,perinde ac ſi omnino ſileremus:Tui ergo nominis Ieſu diuitiæ,gloria,maieſtas à nobis ſilentio potius honoranda, quàm impari laude balbutientibus vocibus celebranda, quoniam quicquid de eo dicamus tam longè abeſt ab eximia eius dignitate, vt ſilentium potius & taciturnitas, laus omnis appellanda videatur.[omnis locutio,ait Rabanus,parua eſt in comparatione gloriæ eius, & omnis lingua egena verbis nec ſufficit ad enuntiandum virtutem eius:quia inæſtimabilis & ineffabilis æſtimari & affari à quoquam non poteſt. Ipſe conſummatio ſermonum noſtrorum eſt, ſicut & conditor naturæ noſtræ.

Greg.

Pſal.64.

Raba.de 43. Eccli.

3. Accedit etiam quòd admirandis in te inclusis gratiæ,

gratiæ,amoris, & humilitatis diuitiis, omnibus Dei nominibus silentium quodammodo imposueris,imo & creaturis omnibus , ne possint hoc augustissimum nomẽ,sub irreuerentiæ nota,audire, quin cordis genua,(vt ait Grego.) flecterent, illúdque perpurgato ore efferrent. Cuius ergo tandem oris & impudẽtiæ erit homuncio,si ingenij sui angustiis immẽsam, interminatámque abyssi magnitudinem tui Iesu nominis circumscribere velit,ac infantis instar,qui loqui nescit,de te loquendo balbutire.Silentium ergo laus tua.Hinc Pierius prouenisse putat apud antiquos sacrificandi ritũ,quod supremo Deo mente & intellectu omnino taciti sacrificarẽt;quare ciconia eò quòd elinguis esset,huius taciturnitatis habita ratione ab Ægyptiis cõlebatur,quasi astruentes, Deum silentio magis,quã aliqua à nobis laude colendũ esse & laudandũ. Quicquid ergo de hoc cœlestissimo Iesu nomine dicturus sum,silẽtij potius loco,quàm commẽtationis vllius haberi volo.Quare ne mihi tacẽti tãtorum thesaurorũ,breui in speciẽ hoc nomine,inclusorũ,ex obiecta mẽti imagine magnitudinẽ,vẽ illud Isaiæ aliquando imprecer;[væ mihi (inquit)quia tacui]mihi illud optarẽ accidere,quod tum illi,ignito nimirũ calculo prius labia purgari,quàm aliquid de mundissimo Iesu nomine expromerẽ:[Quia vir pollutus labiis ego sum.] quæ diuinissimo Iesu nomini, antequàm ignito charitatis calculo mũdentur,minimẽ admoueri debent,eóq; potius:[quia in medio populi polluta labia habentis] quibus hoc nomen periuriis ac blasphemiis contaminant: [ego habito.] O vtinam itaque ex ardenti illo Seraphinorum Senatu modò aduolet quispiã,qui arrepto è sinu Patris,tanquã è sacratissimo Trinitatis altãri,igneo charitatis calculo,Iesu nimirum amore,mihi cor & labia purget,innouet,calefaciat,incẽdat,quo augustissimi nominis Iesu delitiarum saltem gustu allectus,diuitiarúmque obiecta imagine inflammatus, vobis harum prælibamina suppeditẽ, quò de omnibus in Iesu nomen

Audito Iesu nomine cordis genua flectenda & puro ore illud efferendum.

Pier. Val. l. 17.

Perpurgato ignito calculo ore Iesu nomen pronunciandum.

men commissis iniuriis,ex animo doleatis,firmóque proposito apud vos in posterum statuatis,nomen illud ἄῤῥητον ineffabile,non nisi illibatis labiis cũ summa reuerẽtia proferatis.Si enim Iudæis tãta veneratione nomẽ Dei Tetragrãmatõ,quod vulgò dicitur, Iehoua,fuerit,vt nefas ducerent illud labiis pronũciare ; quid ergo par est nobis reuerentiæ Iesu nomini præstare,quòd maius,sanctius, venerabilius illo Dei nomine Tetragrammato censendum est.

Concionis partitio.

4. Tria de augustissimo Iesu nomine dicam.Primum de eius præstantia , quòd in ipsum omnia Dei nomina transfusa videantur, & quia oleum effusum nomen eius.Secundum in hoc nomine olei proprietates reperiri ostendam. Denique multum in eo nomine subsidiũ inesse tũ ad corporis,tũ ad animę hostes debellãdos.Sed prius Spiritus Sãcti gratiã adesse nobis ad tantum negotium aggrediendum,efflagitemus,B.Virgine tanquã deprecatrice ad hoc,inuocata,per solitã Angelicę salutationis recitationẽ.A.M.

PRIMVM PVNCTVM.

Primum pũctum.

De nominis Iesu præstantia.

5. Ineffabilis Iesu nominis præstantiam,primo loco vobis propositam cupio, vt eius,vestris animis, amorem simul & veneratione semper insculptã habeatis,in eóque omnem collocetis spem, cũ nomen Iesu nomen sit super omne nomen ; [Non enim est aliud nomen , sub cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri]Quippe propriũ verbi incarnati nomẽ est(vt docet Aug.)significat enim totã incarnationis & redemptionis œconomiam,in qua, præ cæteris operibus,à Deo vnquam creatis,aut factis, relucent & concurrunt Dei sapientia, potentia, bonitas,charitas,maiestas,omniáq; Dei attributa,vt meritò hoc nomẽ Iesu,nomẽ super omne nomẽ censeatur.Ecce quãta huius nominis prẽstãtia,vt se vno omnia Dei attributa non solũ contineat, sed cæteris etiam Dei nominibus prẽemineat,eorúmque virtutẽ ac naturam ad se deriuet.Quemadmodum enim suauissimus olei liquor,ex variis rosarum speciebus ex-

Act.4.

Aug.tract.3. in ep.1.Ioan. tom.9.

In hoc Iesu nomine omnia attributa diuina cõtinentur.

Simile.

pressus

preſſus, illarum omnium dulcedinem ac virtutem continet, ſuáque odoris fragrantia circumſtãtes recreat, ac ſubtili virtute per nares in ſtomachum penetrans, humoribus ſuffocatum cor ſubleuat, & confortat: ſic omnia Dei nomina quaſi pulcherrimę roſæ, ex eius naturę excellentia natæ, in vnum Ieſu nomen, quaſi trãsfuſa, ſuauiſſimi odoris gratiæ ac amoris oleum continuò diſtillat, vt cæterorum omnium ſuauitatem ac virtutem in ſe includens, longè latéq; cœleſtẽ ſui odorẽ ſpargat, ita vt nõ tantùm cœleſtes illo recreentur, ſed terreſtres etiã, & qui ſub terra in purgatorio expiantur, ſentiant ſe mirũ in modũ illic à pœnis, & hîc à peccatis, quibus cor ſupra modum oneratur, ſubleuari, confortaríq; [Oleũ enim effuſum nomen tuũ.] Ecce ineffabilis Ieſu nominis præſtãtia. *Cant. 1.*

6. Quòd verò cætera Dei nomina in nomen Ieſu diffundantur graphicè nobis Bernard. oſtendit: [Omnia (inquit) nomina Dei aut pietatis gratiam, aut potentiam maieſtatis ſonant. Nomen potentię eſt Emmanuel, nomen pietatis eſt Ieſus. Rurſum propheta inquit, vocabitur nomen eius admirabilis, cõſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Primum, tertium, quartum, maieſtatem ſonant, reliqua pietatem. Quod horum ergo effunditur? Profectò maieſtatis ac potentiæ nomen in id, quod eſt pietatis & gratiæ, quodãmodo tranſfunditur, ipſúmque effunditur abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Nomen (verbi cauſa) quòd Deus eſt, nõnne in id quòd eſt nobiſcum Deus, hoc eſt in Emmanuel, liqueſcit & deficit? ſic Admirabilis in id, quòd eſt Conſiliarius; ſic Deus & Fortis in ea, quæ ſunt Pater futuri ſęculi, & Princeps pacis.] Ecce Dei nomina in Ieſu nomen refuſa. [O nomen benedictũ! exclamat idem Bernard. ô oleum vſquequaque effuſum! quouſque? de cœlo in Iudæam, & inde in omnẽ terram excurrit, & de toto orbe clamat Eccleſia: Oleum effuſum nomen tuum. Effuſum planè, quod non ſolùm cœlum, terráſque perfudit, ſed aſperſit & inferos,

Bern. ſer. 15. in Cant.

Omnia Dei nomina in Ieſu nomen refunduntur.

Bern. ibid.

inferos,adeò vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium,terrestrium,& infernorum,& omnis lingua confiteatur & dicat: [oleum effusum nomen tuum.]O eximia Iesu nominis præstantiâ!

Oleum effusum Iesu nomen non tàm in cœlo sed in terra.

7. Olim hoc nomen erat veluti effusum in cœlis,latebat in prophetis,& scripturis: at verò, vbi è cœlo in Virginis vterũ sese effudit,ac inde quasi ex diuino vase erũpens,intra fines ac limites synagogæ sese continens,nouo ac admirabili suffitu eã recreauit,licet exiguo,collato cum illa cœlesti fragrantia vndequaque diffusa, quã posteà militis lancea,pretioso corporis vasculo aperto, ita per totũ terrarum orbem longè latéque sparsit, vt de plenitudine eius omnes etiam nos gentes acciperemus.Non est enim aliud nomẽ sub cœlũ datũ hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Hunc quondam odorẽ ex ipso cœlo emanantẽ, antequam in terrã sese diffunderet, patriarcha Iacob quodammodò sensit:[Ecce(inquit) odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.]Ecce quomodo,inquam,Patriarcha odorem in hoc eleganti Iesu nominis vasculo, in Patris adhuc sinu recondito,olim sensit. Nam ad Christum odorem illum,quem percepit retulisse Iacob Diuus Bernardus docet: [Ecce,inquit,odor filij mei, sicut odor agri pleni: Nondum speciem suam ille flos agri induerat, & iam dabat odorem suum, quando eum,vt hoc præ gaudio exclamaret, præsensit spiritu,corpore marcens sanctus & senex Patriarcha,caligans visu,sed odoratu sagax. O si tantam vim huius olei obiecta species habuit,quantum hodie odorem, re ipsa effusum spargit?] Oleum ergo effusum nomen tuum. Ecce quanta ineffabilis nominis Iesu præstantia!

Gen.27.

Bern.ser.47. in Cant.

Simile. Hoc nominis Iesu oleum ita sese d.la tauit vt in fœni part.s aurigeris.

8. Quemadmodum odoriferi olei liquor, quamdiu in vase concluſus detinetur, foràs odorem non mittit;qui si semel,aperto vase,sese diffundat,suauissimum odorem vndique spargit:sic Iesu nomen adhuc in diuina mente, tanquam in pretiosissimo re-

conditu a

conditum vaſe, intra vaſis ſui quaſi ſphæram ſuum ſeruauit odorem; vbi verò quaſi è diuini pectoris vaſe in terram dilapſum eſt, & in die natiuitatis per angelum ſparſum, tanta totum terrarum orbem breui ſua inſperſit fragrantia, quod omnes de plenitudine eius acceperint. Licet itaque Ieſu nomen, ante eius aduentum (vt ait Ambroſius) anguſtiis populi Iſraël, quaſi vaſe clauderetur, [Notus enim in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius,] poſteà verò per omnem creaturam diuinum ſuum nomen extendit, replens vacua, vt eſſet admirabile nomen eius in vniuerſa terra. Verè ergo oleum effuſum nomen tuũ. Nam non ſolùm illud in cœlo effundere contentus es, vbi mirâ, cœleſtem illam Hieruſalem, dulcedine perfudiſti, ſed cœlos etiam penetrans, per totum terrarum orbem, vt dixi, illud longè latéque diffuſum, Eccleſiæ tandem repleuit viſcera. Neque ſubſtitit effuſa eius liberalitas in terra, ſed diffluente vndequaque benedictionis tuæ oleo, tandem ipſas inferni partes attingens, impinguaſti. Quare meritò omnis lingua confiteri debet, quia oleum effuſum nomẽ tuum: verè oleum effuſum è Ieſu hodie venis ſanguis effluens, qui peccatorum vulneribus adhibitus, ea mollefacit, calefacit, liquefacit, & ideò adoleſcentulę, animæ nimirum fide viua in nouam renouatæ iuuentutem, ac recenter tui olei medicamine à peccati putredine vindicatæ, dilexerunt te nimis, & ideò te ſequuntur, exclamantes: [Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Oleum effuſum nomen tuum.] Videríſne huius ineffabilis Ieſu nominis præſtantiam!

Ambr. lib. de Spir. S. c. 7.

9. O cur etiam nos odoris huius nominis ſuauitate allecti, poſt eum non currimus, ſi fide viua in nouam renouati ſumus virtutum iuuentutem: cur non ad multiplices ac varios, vt ait Theodoretus, fontes, qui orbem terrarum odoris ſuauitate repleuerunt, qui ex vnica vena, & origine Chriſti diuino nomine emanant, accurrimus? Si tot ſunt fontes

Theodoret. in Cantica.

hodie, ex vna eius vena scaturientes, cur ex ils suauissimum odorem emanantem non sentimus? imò ita totum vniuersum huius nominis fragrantia repleuit, vt nos, Theophylacto auctore, acerræ odoribus plenæ meritò vocandi simus; [veluti (inquit) acerra sumus regia, & quocunque abierimus odorem spiritalis vnguenti circumferimus, cognitionis scilicet Dei,] ac suauissimi nominis eius, [in omni loco homines bono suffitu afflamus.] O vtinam hoc de nobis verè dici possit! vtinam acerræ quædã suauissimi nominis Iesu, odore plenæ simus, è quibus bonorum operum suffitus tum cœlos, tum terram afflet, tunc verè Christi bonus odor essemus, tunc regiæ acerræ diuinis pleni Iesu odoramentis meritò vocaremur. Sed heu nõ desunt, qui hũc odorem fugiant viri ac mulieres, ex omni malorũ colluuie, tãquam ex tartareo effusi antro, qui tetrum vitiorum ex impura cordis acerra odorẽ spargũt. [Sicut enim vulturibus, teste Theodoreto, cadauera deuorãtibus suauitatem exhibent fœda corpora, vnguẽtum verò perniciem: sic hominibus impiis séque in peccati fœditate volutantibus, teter libidinis odor est suauissimus, grauis autẽ ac molesta Christi disciplina.] memineritis, obsecro, quomodo Iesu sanguis tam potens sit, vt nostri cordis acerras peccati fuligine denigratas dealbet. [Isti sunt, inquit Ioannes, qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni] vbi videtis rubicundo sanguini vim tribui dealbandi, quod instar miraculi est: imo non tãtum vim dealbandi habet, sed vocem suam etiam habet melius loquentem, vt ait Apostolus, quàm Abel, sanguis enim Abelis clamat vindictam, sanguis verò Christi clamat misericordiam, gratiam & remissionem peccatorum. Habet & odorem quo Patris sui iram placat: quanta ergo ineffabilis nominis Iesu præstantia.

10. Si sacrificium Noë tantum Deo placuit, vt suauissimo illius odore delectatus, vltra terræ, propter homines, maledicere destiterit, quid mirum si cœlesti

Acerra Iesu nominis odore pleni nos esse deberemus.

Theophyl. in illud 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus.

Theodor. Cantic. 1.

Apoc. 7.

Heb. 12. Gen. 4.

Gen. 8.

Oleum Iesu nominis affusum gratiam nobis efflagitat.

cœleſti ſanguinis Chriſti balſamo, ex nominis Ieſu quaſi eleganti vaſculo, hodie effuſo, diuino quodam odore terram cœlóſque perfundente, gratiam, miſericordiam, ac peccatorum remiſſionem efflagitante, odoratus ſit Dominus odorem ſuauitatis? Sicut enim fracto alabaſtro, Magdalena vnguentum effudit, cuius ſuauiſſima odoris fragrantia tota domus, vt Ioannes teſtatur, impleta eſt, gratiam, miſericordiam, ac remiſſionem peccatorum impetrauit, ſic quaſi fracto candidiſſimo corporis Ieſu alabaſtro, circumciſionis cultro, tantæ ſuauitatis pretioſiſſimum illud ſanguinis eius vnguentum odorem emiſit, vt totam militantis ſimul ac triumphantis Eccleſiæ domum impleret, miſericordiam, gratiam, ac peccatorum remiſſionem nobis efflagitaret, cuius odoris ſuauitatem odoratus eſt Dominus, & ſicuti Noë Dominus dixit: nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: ſic pretioſiſſimi huius balſami odore raptus ait: omni benedicam terræ propter filium meum benedictione. O quanta ineffabilis Ieſu nominis præſtantia. Hactenus de oleo eiuſque ſuauiſſimo odore, ex vnica illius nominis Ieſu vena, ex vnica, inquam, illius nominis litera, I, quæ illud ineffabile eſſe ſignificat in totam Eccleſiam, eiuſque membra emanantibus, quæ illius nominis præſtantiam liquidò declararunt.

Marc. 14.

Ioan. 12.

Simile.

11. Secundo explicandum loco in hoc effuſi olei Ieſu nomine, olei proprietates reperiri, quas pulcherrimè Ieſu nomini Bernardus accommodat: [Oleum, inquit, lucet, paſcit, vngit, fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de ſponſi nomine. Lucet prædicatum, paſcit cogitatum, inuocatum lenit & vngit. Et percurramus ſingula: vnde putas in toto orbe tantam & tam ſubitam fidei lucem, niſi de prædicato Ieſu? Nonne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, & in lumine iſto videntibus lumen, dicat meritò

Bern. ſer. 15. in Cantica.

In Ieſu nomine olei proprietates ſunt, lucet.

Ephes. 5. Paulus,[Fuistis aliquando tenebræ,nunc autem lux in Domino?]Ecce prima olei proprietas.

Bernard. ibidem. 12. [Nec tantùm lux est,nomen Iesu , sed & cibus ? An non toties confortaris quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus , virtutes roborat, vegetat mores bonos , atque honestos, castas fouet affectiones ? Aridus est omnis animæ cibus , si non oleo isto perfunditur. Insipidus est , si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi ibi legero Iesum.Si disputes,aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus,mel in ore,in aure melos,in corde iubilus.] O quàm sapidus in ore cibus , suaue Iesu nomẽ. Si itaque animæ tuæ,stomachus variis peccatorum morbis infectus,amiserit omnium rerum spiritualium saporem,si fastidiens cœleste respuat alimentum , hoc nomen Iesu melle dulcius,sit illi electuarium in eleganti hoc vocabuli vasculo : semper tibi sit in sinu, semper in manu, semper in ore, semper in corde , quo tui omnes in Iesum, & sensus, & actus dirigantur, infectumque animæ palatum,insipido terrenarum rerum gustu, hoc suaui bolo instauretur.

Cibus est Iesus.

Medicina est. 13. Sed & medicina est. [Tristatur aliquis nostrum?veniat in cor Iesus,& inde saliat in os,& ecce ad exortum nominis lumen , nubilum omne diffugit, redit serenum : labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne si inuocet nomẽ vitæ,confestim respirabit ad vitam? cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis,duritia, vt assolet,cordis, ignauiæ torpor,rancor animi, languor acediæ?] Et Iesus inuocatus non succurrit, & tamen medico sic promptè medicinam nostris malis facienti non supplicamus. O singularem peccatorum demẽtiam, qui corporis paucorum dierum sanitatem, animi corporisque æternæ saluti anteponunt. [Longa hominis vita (ait Augustinus) tanta breuitate constringitur ad vniuersi sæculi futuri

Aug. serm. 3. de verbis Domini.

latitudi

latitudinem,quaſi gutta ad vniuerſum mare.] Inſani ergo nos, qui, vt vnam ſalutis, vel vitæ guttam comparemus,tam ſedulò laboramus, vt verò ſalutis vitæque velut Oceanum aſſequamur, nihil curamus.Quid formidamus?cur medicum fugimus? cur medicinam reſpuimus,licèt carni iniucundam, cum aliquando pro mortali vita, pro laboris momento, æternum gloriæ pondus in nobis operetur? [tolera, monet Auguſtinus, medicinalem dolorem, futuram cogitans ſanitatem. Quid non tolerant homines, vt incertam argentóque emptam ſanitatem conſequantur,tu, vt gratis datam, & (ſi quod medicus præſcribit, facias) certam ſalutem compares, laborem fugies?ligari ſe volunt homines,& ſecari,daturi pro incerta ſanitate, certum dolorem, magnam mercedem:Deus te & certus curat & gratis.]Applica tibi ergo,ſi ſapis, pretioſam in Ieſu nominis vaſculo medicinam, pretioſo ſanguinis ſui lytro tibi comparatam, [nihil enim (vt ait Bernardus) ita iræ impetum cohibet,ſuperbiæ tumorẽ ſedat,ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxũ, extinguit libidinis flãmam, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem,ſi quidem cum nomine Ieſum,hominem mihi propono mitem,& humilem corde,benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum, eundemque ipſum Deum omnipotentem,qui ſuo me & exemplo ſanet,& roboret adiutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonant cùm inſonuerit Ieſus] non recedat ergo à corde,non recedat ab ore, non recedat ab aure, ſed ſit cordis cuſtodia,oris vallum,aurium ſepimentum, ſic hoc nomen ſponſa affectabat, vt ſuo cordi tanquam ſponſi ſui ſigillum impreſſum, nullum in ſui amorem admitteret corriualem.

Aug.pſ.102.

14. [Pone me,inquit,ſignaculum in corde tuo,ſignaculum in brachio tuo.]Sim in corde tãquam bonarum cogitationum tuarum ſigillũ, ſim in brachio tanquam ſcutum, quo tela nequitiæ excipiens in au-

Cantic.8.

ctorem retorqueas. vnde ex suaui veluti complexu Iesu amoris & reciproco sponsi ac sponsæ osculo, nouo modo ac inusitatò spiritales inter se nuptias celebrantes,[Dilectus meus mihi,& ego illi] ingeminant, & statim sponsa amissum spiritalis cibi gustum recuperat,ac peccati tenebris, gratiæ lumine, expulsis,oculorum mentis visum recipit,ac ex spõsi elegantissimo nominis vasculo medicinã haurit,qua hactenus debilitatos reparet sensus innascentes,animi virtutes roboret,mores nouos atque honestos vegetet,ac castas foueat affectiones. O quantæ hæ diuitiæ in angusto,in speciem, Iesu nominis vasculo contentæ! quis non arderet harum amore? quis non in odorem huius nominis curreret,ex quo tã pretiosum emanat vnguentum, quo omnes qualibet ægritudine laborantes sanat, quo omnẽ penitus hominis interiorem affectũ lætificat, quo nõ solum in corde, sed etiam in ore saporem quendam ingenerat.[Senties, inquit Iustinianus, indubitanter amœnitatem quandã spiritalem, & sapidam, non solùm in corde, verum etiã in ore, quoties nomen hoc sanctum à te fuerit cum deuotione prolatum.Habet enim virtutẽ sibi adhibitã,quæ affectum lætificat,mentem pascit, nutrit deuotionem, disponit ad pietatem animũ inuocantis illud.]Infœlices ergo domos iudico,infœlicia ora,infœlicia labia, quæ diaboli semper nomine personant: è contrario fœlices domos, fœlicia ora,fœlicia labia in quibus Iesu nomẽ,quod dulcissimum in ore mel, in aure melos, in corde iubilus semper auditur,talibus enim fit lux splendens,cibus salutaris,medicina cœlestis.

Quanta in Iesu nomine diuitiæ.

Iustinianus sermone de Circumcisione.

TERTIVM PVNCTVM.

15. Quis ergo inter nos qui dulcis Iesu nomine audito non hilarescat? in quo multum subsidij,quod tertio loco dicere decreui, quis non nouas in se vires exoriri sentiat, illo sibi cœlestibus gratiæ radiis illucescente? quis non hoc nomine veluti diuino cibo animatus,ingẽs sibi diuinitus robur,quo omnib. resistat

Quantum præsidiũ sancti per Iesum sentiunt.

Digitized by Google

reſiſtat aduerſariis inde percipiat? ſenſit hoc D. Paulus, qui ſubitò circumfulgente eum cœlitus luce obuerſanti illi Ieſu, in terram ſtatim cecidit, ſeſéque eius voluntati penitus conformãs, ac cœleſti ab alto indutus robore, exclamauit, [Domine quid me vis facere?] Senſit hoc Stephanus, qui hoc animatus nomine, cœleſti circumfuſus lumine, tantum enim abeſt, vt perſecutoribus ſuis indignaretur, vt potius poſitis genibus, pro eorum ſalute, Ieſu ſecutus exemplum, oraret, dicens: [Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum:] Senſit hoc D. Ignatius martyr cœleſti illo confirmatus pane, in cuius pectore aureis inſculptum litteris dulce nomen Ieſu inuentum. Senſit noſter B. pater Ignatius iam diuinæ gratiæ medicinæ ab omni animi morbo liberatus, cùm ſeſe illi in cruce fixum exhiberet dicens: [Ignati propitius ero vobis Romæ.] Senſit caſtiſſima Theophila, quæ ad proſtibulum damnata, Ieſu fulta auxilio, intemerata euaſit, ingeminans: Mi Ieſu, meus amor, mea lux, meus ſpiritus, meus cuſtos caſtitatis, & vitæ, vide eam, quæ tibi deſponſata eſt, feſtina ne lupi tuam pecudem lanient, ſerua, ſponſe, ſponſam, meam conſerua caſtitatem, fons caſtitatis. Ingreſſa ergo proſtibulum librum Euangeliorum, è ſinu protulit, attentéque legit: affuit mox Angelus, qui primum iuuenem procacem ad eam ingredi volentem morte, ſecundum cœcitate, alios aliis pœnis mulctauit; ita, vt nemo amplius ad eam ingredi auderet: ſed libidine in reuerentiam verſa, cùm plures religione tacti locum intraſſent, viderunt Theophilam honeſtè ſedentem, & libro incumbentem: adoleſcentem autem quendam, prope eam ſtantem, luce quadam ineffabili, pulchritudine verò incredibili, veluti quædam fulguris tela emittentem ex oculis, qui tandem Theophilam educens ad Eccleſiam, eamque in veſtibulo ſtatuens, cùm, pax tibi, dixiſſet; receſſit attonitis Gentilibus & exclamantibus: Quis eſt ſicut Chriſtianorum Deus? *Act. 9.*

16. Sen

Iosue in hoc Iesu nomine multum sensit præsidij.

16. Sensit denique multis retro sæculis ante hos omnes, in hoc nomine multum aduersus inimicos præsidij Iosue; qui videns ab habitatoribus vrbis Hai, Hebræos in fugam conuersos, cognationem sibi cum Deo, ab Iesu nomine interuenisse gloriabatur, cuius causa audaciùs ad Deum, tanquam ad suum cognatum fugiendum putauit, vt saltem, ob tanti nominis honorem, & cognationis titulum, ignominiam illam à populo suo propulsaret. Hæc enim in verba feruentius prosiliit: [Quid facies magno nomini tuo?] Quid mihi prodest eodem cum filio tuo insigniri communi nomine, per quod factus sum tibi cognatus, nisi ex hoc cognationis titulo, iam in extremo positus periculo aliquid sentiam præsidij? quibus dictis tantam Deus filij sui nominis, quasi sibi in memoriam à Iosue reuocati rationem habuit, vt quamprimùm Hebræi victoriam consequerentur. [Leua, inquit, clypeum qui in manu tua est contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam.] quo, ad præceptum Domini, eleuato vicit Iosue, incendit ciuitatem, & occidit viros Hai, in hoc verò clypeo Iesus aliquando in crucem eleuandus exprimebatur, vt ad eius conspectum exercitus præliaretur confidentiùs. Quare iuxta Hebræorum opinionem, quam sequitur Lyranus, clypeus hic positus fuit in hasta oblonga, quo posset ab omnibus cerni, quod sanè manifestè expressit Iesum in cruce exaltandum, tanquam clypeum, & omnibus ad intuendum aliquando proponendum, vt ad eius conspectum, Christiani etiam milites animarentur, ad strenuè contra tres humani generis hostes carnem, mundum ac diabolum dimicandum.

Iosue 7.

Iosue 8.

Isai. 5. Quanta Iesu virtus in cruce vt minimo sibilo, plurimos ad se vocet.

17. Nonne hoc idem Isaias propheta videtur significasse: [Leuabit, inquit, signum in nationibus, & sibilabit ad eum de finibus terræ: ecce festinus velociter veniet, non est deficiens, neque laborans in eo, nec soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius.] Quæ licèt de Assyriis aliisque

aliiſque gentibus, quas Deus quaſi erecto ſigno, euocauit, ad Iudæorum euerſionem, intelligantur; rectè tamen ſignum illud erectum, vti P. Viegas aſſerit, Ieſum poſſumus interpretari, quo in cruce exaltato, omnes euocati ſunt ad bellum, cum animi hoſtibus gerendum, & ad prælium ita animati, vt nullus dici poſſit deficiens, aut laborans, nulliúſque cingulum præ timore ſoluatur. Rectè autem dicitur, [& ſibilabit,] quia ad minimum Chriſti nutum, & vnicum in cruce pendentis ſibilum, ex vniuerſis mundi partibus, quàm plurimi ſtrenui milites, ſub eo præliaturi, conuolarũt. Hæc ille. Quis ergo huiuſmodi clypeum noſtri cauſa in crucis haſta, qui humani generis hoſtes debellauit, eleuatum non veneraretur? quis non ſignum hoc nobis propoſitum, vt nos ad prælium animet, contra animi noſtri hoſtes, amabit, complectetur, deoſculabitur. Si enim Ammonitæ, qui Deũ, quem colebant in gladiis ſuis inſculptum habębant, vt quotieſcunque aliquis Ammonitarum in bello Iſraëlitam occideret, gladium & Deum in eo ſculptum, identidem in gratiarum actionem oſcularetur, cui illius facti victoriam aſcribens dicebat; viuat Deus Ammonitarum: nonne potiori iure Ieſum, quem nos colimus, in cordibus noſtris inſculptum habere debemus, vt quotieſcunque aliquis noſtrum dæmonem in Spiritali bello occideret, cor & Ieſum in eo exaratum ſurſum in os exilientem in gratiarum actionem oſcularetur, cui tanti facti victoriam aſcribens exclamet, Viuat Deus Chriſtianorum.

Viegas cap. 2. Apoc. comm. 2. ſect. 3. n. 3.

Pſ. 60.

18. Non immeritò turrem etiam fortitudinis à facie inimici, Ieſum propheta olim futurum prædixit. [Deduxiſti me inquit, quaſi diceret, dux mihi fuiſti, cum à tartareo fugerem hoſte, variis me tentationibus impugnante, [quia factus es ſpes mea] cùm enim mihi ſic ducem te præberes, bona ſpe auctus, ac tua fultus gratia, veluti in munitiſſima turre poſitus, inimici tela, non tantùm vitaui, ſed etiam in eum tela iacere auſus fui: ſic Ieſus factus nobis turris

Ieſus ſit nobis turris fortitudinis.

ris fortitudinis,in quam, ab tartarei inimici impetu fugientes,non tãtum ignita nequitiæ tela euitamus, sed in auctoris caput illa intorquere possumus.Quis ergo diaboli telis impetitus, ad huiusmodi Iesu fortitudinis turrem non recurret. Hinc Augustinus. [Angitur, inquit, cor meum , laboro inter tentationes,& scandala,is(scilicet Iesus)est mihi turris fortitudinis : quò cùm fugero , non solùm vitabo tela inimici,sed etiam in illum, quæ voluero ipse iaculabor: caue ne feriaris , à diabolo fuge ad turrem. Quomodo autem fugies?ante te est turris, recordare Iesum,& intra in turrim,quicquid poteris cogita, quia prior ipse passus est,& cogita , quo fine passus est,vt nimirum moreretur,& resurgeret: talem & tu finem spera,qualis in illo præcessit,& introisti in turrem.Vidistis finem Domini.]vidistis,inquam, quàm fœlici clausula & fine eius passio fuerit terminata. Fugite igitur ad Iesu fortitudinis turrim , & in ea discite cum eo pugnare, discite cum eo consimilem habere in laboribus fiduciam , eósque expectatione futuræ fœlicitatis ac æternæ gloriæ patienter & animosè tolerate , discite aspera quæque Iesu gratia subire,suo tempore,expectantes inde suauitatis fructus.[Descendi,inquit sponsa, in hortum nucum , vt viderem poma conuallium.] Verè quilibet nostrum descendit in hortum nucis , in hortum laboris & amaritudinis,sed in quo nuces,licet duritie & asperitate corticis cingantur,fructus suauitate desideratissimæ nobis proponuntur , patientiæ adminiculo enucleandæ. Quare rectè Theodoretus[per hortum inquit , nucis præsentem vitam intelligimus , quæ cùm amara sit & ærumnis laboribúsque referta, reconditum tamen habet virtutis fructum.Etenim nucis fructus cùm extrinsecus corticem priorem amarum habeat,alterum autem asperum ac durum , intus tamen veluti in penu nucleum continet reconditum, qui sine labore extrahi non potest : talis est hæc præsens vita,cùm enim dolorum & molestiarum acebita

Augusti. in illum Psalmi locum.

Cantic.6.

Theodo.in illum locum.

Christianus exterius in laboribus amaritudinẽ sentit, interius suauitatem.

Digitized by Google

acerbitate referta ſit,habet illa quidem labores,non tamen infrugiferos.Vnde Paulus,vita,inquit, veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.] quibus verbis Theodoretus indicat in ipſis laboribus, quos pro Ieſu ſuſcipimus, tanquam ſub duro & amaro nucis cortice,vitam noſtram, veluti nucleum ſuauiſſimum abſconditum contineri. *Coloſſ. 3.*

19. O quàm fœlices ergo nos, qui Ieſu gratia labores ſubimus, qui licet amari noſtræ ſenſualitati apparent,rationi tamen ſuauiſſimi,præſertim ſuauiſſimo Ieſu nominis electuario conditi verè videntur. O quàm fœlices nos, qui hodie in hortum illum amœnis virtutum floribus,& præſtantiſſimarum nucum fructibus refertum,deſcendimus,vt in nominis Ieſu veluti nuce gratiæ,nucleum repertum,extrahamus,quo anima,potentiæ,ſenſus, affectus, & omnis corporis membra hodie cum nouo anno innouentur,& ſicuti omnes bonum annum,bonos agros,bonas veſtes & nouas maximè hoc tempore deſideramus,renouato Spiritu noſtro,boni, & noui,cum bono anno & nouo, & cum bono Ieſu ſimus, vt non fruſtra in hortum deſcendiſſe cenſeamur, ſed potius noua gratia exornati,nouo Ieſu nóminis nucleo guſtato,noui, & boni coram Deo,ac hominibus appareamus.[Bona,inquit Auguſtinus, vis habere,& bonus non vis eſſe. Quid enim eſt, quod velis habere malumèdic mihi?nihil omnino; non vxorem,non filium,non filiam,non ſeruum,non ancillam, non villam,non tunicam,poſtremò non caligam, & tamen vis habere malam vitam. Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ. Si tibi poſſent reſpondere bona tua,quibus eſt plena domus tua, nonne & tibi clamarent:Sicut tu nos bona vis habere, ſic & nos volumus habere bonum Dominum.] Cùm ergo omnia tibi bona hoc nomen Ieſu inferat, ita cordi tuo ſit inſcriptum, vt omnia tua aurea eius pulchritudine ac bonitate redoleant. Vt ergo cum Auguſtino concludam.[O bone Ieſu, ſis mihi Ieſus:noli Domine noli

Omnia noſtra ſint noua,cum nouo Anno.

Auguſt. ſerm. 12. de verbis Domini.

noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum: Et si ego admisi vnde damnare possis, tu non amisisti vnde me saluare soles. Et sic fiet vt Iesus sit mihi saluator, salus, & vita.] Amen.

Exemplvm.

Surius in eius vita.

20. Edmondus Archiepiscopus Cantuariensis cùm tenderet Oxoniam per pratum quoddam, vt petulantium adolescentum consortium fugeret, puer Iesus illi apparuit candidus, & rubicundus. Salue, inquit, dilecte mi: expauit ille ad salutationem pueri subitam, puer rursus illum compellit, & scisciatur, num vel tenuem sui notitiam habeat, respondit ille magna cum sinceritate, neque ego vllam habeo tui notitiam, neque puto me tibi notum, tum puer Iesus, & quinam fieri possit, inquit, vt tam ego tibi sim ignotus, cùm in scholis ad latus tibi assideam, & vbicunque sis comes semper indiuiduus tibi præstò adsim; subiunxitque, respice in faciem meam & vide quid illic scriptum sit: respexit ille, & vidit cœlestibus exaratum literis: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, quod cum puero Iesu indicasset, ille ocyus respondit, hoc est nomen meum, quod tu debes affigere animo tuo, eiusque ardere desiderio, sempérque noctibus accuratè imprimere fronti tuæ, quod tibi magno præsidio erit, contra mortem repentinam: ab eo tempore Edmondus studuit passionem Christi animo versare, in eáque meditanda medullitus delectari, cùm verò quodam die multis implicatus negotiis hoc studium omisisset, manè è lecto surgens, eius manus detinuit diabolus ne in fronte signum crucis pingere posset séque Iesu signaculo communiret, sed eum statim Edmondus adiurat, per passionis Christi virtutem, eiusque sanguinis aspersionem, vt sibi indicaret quibus maximè rebus à se infestando arceri posset, cui respondit diabolus, iis nimirum quas tu modò nominasti, per Christi passionis virtutem

tem, eiuſque ſanguinis aſperſionem. Quare diabolus pueri confuſus animi conſtantiâ, hiſque ſtudiis impenſius addictus in puerum Edmondum efficere nihil potuit.

DE CIRCVMCISIONE Domini,

Concio tertia.

THEMA: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Luc. 2.

Duo ſibi Chriſtus meruit, corporis gloriam & Ieſu nomen.

1. DVo ſibi Chriſtus meruit, alterum, gloriam, non animæ, quia illam à primo ſuæ Conceptionis inſtanti perfectè habuit, ſed corporis: alterum ſublime Ieſu nomen, quod eſt nomen ſuper omne nomen; meruit, inquam, ſeſe humiliando vſque ad ignominioſam crucis mortem. Hinc Apoſtolus: [Exaltauit illum, & dedit illi nomen ſuper omne nomẽ,] imo vt eſt in Græco textu, ὑπερύψωσεν, ſuperexaltauit ad vitam ſcilicet & gloriam immortalem, ſuper omnes Angelos, & cœlos, ſtatuens eum ad dextram Dei. Quare cùm ſui nominis exaltationem in cœlo, in terra & inferno commeruerit, vt illi omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus, quoad Deus in eadem gloria, eſſentia, maieſtate, & potentia ſit cum Deo Patre: quà homo verò euectus ſit ad dextram Dei Patris, ſuper omnes homines & Angelos, proximéque & maximè particeps factus paternæ gloriæ, vt verè in eadem cum Deo Patre gloria eſſe dici poſſit, longè verius, quàm alij ſancti, qui ſuo quoque modo in beatitudine, & gloria ſunt Dei Patris, cùm, inquam, ſic ſuper omnes, hoc nouo Ieſu nomine inſignitus, ſit exaltatus, ma- *Philip. 2.*

Digitized by Google

iorem etiam huic ſuo nomini venerationem, quàm cætera omnia Dei nomina obtinuit.

Nomen Ieſu maiori veneratione cæteris Dei nominibus, dignius.

2. Maioris autē huius venerationis cauſas, Abulenſis has eſſe docet: Prima eſt, quia Chriſto propter obedientiā hoc priuilegiū donatum eſt, iuxta illud Pauli: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur. Secunda quia nomen Ieſu, eſt nomen in quo ſaluamur, vt Petrus ait, non eſt aliud nomen ſub cœlo in quo nos oporteat ſaluos fieri. Tertia, quia ſignificat Deum redemptorem, redemptio autem eſt maximum beneficium. addo ex ſalutari Ieſu nomine ad omnia nobis bona viam ſterni, primò ad electionem, [elegit nos in ipſo. Deinde ad fidem, [per ipſum fideles eſtis in Deo.] Tertiò ad peccatorum remiſſionem, [in quo habemus remiſſionem peccatorum.] Quartò ad gratiam & iuſtitiam, [iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu.] Quintò ad opera bona, [creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.] Sextò ad ſpem gloriæ, [Chriſtus Ieſus in vobis ſpes gloriæ.] Septimò ad fiduciam, [in quo habemus fiduciam & acceſſum.] Octauò ad cōſolationem, [per Chriſtum Ieſum abundat conſolatio noſtra.] Nonò ad Dei cultum, [Honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum.] Decimò ad gratiarum actionē, [gratias agētes Deo & Patri per ipſum.] Vndecimò ad meritum, [offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.] Duodecimò ad perſeuerantiam, [per quem habemus acceſſum in gratiam iſtam in qua ſtamus.] Decimotertiò ad æternam ſalutem, [non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.] Decimoquartò ad carnis reſurrectionem, [eos qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo.] Ecce ad quæ bona hoc ſalutare Ieſu nomen cœleſtem nobis ſcalam cōficit, per quam gradatim ad ipſius auguſtiſſimæ Trinitatis ſubſellia aſcēdere poſſumus! Non immeritò ergo ſaluatoris nomen obtinuit.

ad Epheſ. 1. 1. Pet. 1. Rom. 3.

Epheſ. 2.

Coloſſ. 1. Epheſ. 3.

2. Cor. 1. 1. Pet. 4. Coloſſ. 3.

1. Pet. 2. Rom. 5.

1 Theſſal. 5.

1. Theſſalo. 4.

3. Olim Iudæi ſaluatores habuerunt, iuxta illud Eſdræ.

dræ.[Secundùm miserationes tuas multas dedisti eis saluatores, qui saluarent eos de manu hostium suorum.]Sed quid hi ad nostrũ saluatorem? tenuis sanè vmbra,qui neque veram illis salutem parere, neque ad æterna bona viam sternere potuerunt? [præmissi sunt,ait Bernardus,illi saluatores, tanquam baculus Elisæi ad mortuum, & non erat vox,neque sensus in mortuo,descẽdit saluator,qui baculum misit & mox saluum fecit populum suum à peccatis eorum.] Si itaque plurimum illi debemus, qui nos à præsenti corporis periculo vindicauit,omnia sanè illi, qui simul & à corporis & animæ morte asseruit, debemus. Iesus verò ab æterna nos morte, diabolique tyrannide liberauit:omnia ergo nostra eius sunt. 1. *Esd.* 9. *Iesus verus saluator & corporis & animæ.* *Bern. serm.* 15. *in Cantica.*

4. Tria de augustissimo Iesu nomine dicere decreui.Primum nomen hoc licet æternum,nouum tamen esse Christo,quamuis per similitudinem alij idẽ sortiantur nomen.Secundum,hoc Iesu nomen singulari à nobis veneratione colendum,quod non tãtum omnia Dei in se nomina complectitur,sed tot etiam mysteria quot in illis omnibus continentur. Tertium, quanta iniuria ac irreuerentia iurando ac peierando hoc Iesu nomen afficimus,quæ mala consuetudo, si in eius laudes cõmutaretur,sicut Ioanni,Paulo,Ignatio, Tiburtio familiaris semper fuit ita nobis foret, ac gratiarum fontes,sicut ex ipsorum cordibus,sic è nostris etiam emanarent.Ad hoc Spiritus sancti gratiam per Beatissimæ Virginis interceſſionem imploremus. Aue Maria. *Concionis diuisio.*

PRIMVM PVNCTVM.

5. Vt ad primum huius concionis punctũ me accingam,hoc singulare nomen Iesu,æternũ esse assero. Licet enim illud nomen, nomen nouũ Isaias vocet: [Vocabitur tibi nomen nouũ,]æternum tamen fuisse constat:hoc enim ipso,quo Deus parentem nostrum Adamum in peccatum prolapsurum vidit, filio suo nomen simul imposuit Iesu,eum generis humani, in Adamo deperditi,instituens saluatorem.Nam in ca- *Nomen Iesu æternum.* *Isai.* 62.

pite libri vitæ ab æterno ſcriptum eſt, iuxta illud D. Bernardini: [Nomen Ieſu primo fuit à Patre prænominatum, imò à tota Trinitate, in principio libri vitæ æternaliter fuit ſcriptum. Nam caput fuit, & primus prædeſtinatorum, per quem omnes prædeſtinati ſumus.] Hinc Iſaias ſubiungit: [Quòd os Domini nominauit] qui omnium ab æterno nomina iuxta cuiuſque officium & naturam licèt præuiderit, hoc ſingulariter tamen ab æterno nominauit, quoniam hoc nomen Ieſu, totius mundi ſaluatorem includit, qui Deo & homine conſtare debuit. Nouum etiam hoc nomen, nam licèt alij ſimili nomine in ſcriptura appellati, per aliquam tantùm ſimilitudinem, non autem ex naturæ proprietate illis conueniebat.

Bernardus tom. 2. ſerm. 49.

6. Per tres itaque egregios viros hoc Ieſu nomen præfigurabatur, per Ioſue qui Hebræorum populum ex Ægypto à Moyſe mirabiliter eductum, in terram ſanctam Patribus promiſſam introduxit; Deinde per Ieſum ſummum ſacerdotẽ filium Ioſedec, cuius monitu & ſuaſione reædificatũ eſt templũ, quod à Chaldæis fuerat euerſum; deniq; per Ieſum filium Sirach, qui fuit propheta, & Doctor ſapientiſſimus. Nonne Chriſtus omnes electos, ab inferis erutos, quotidie in cœleſtem patriam introducit? Ioſue ergo ſalutẽ tantùm attulit temporariã, & in terrenam hæreditatem filios Iſraël duxit: Ieſus verò æternam, & in æterni Patris ſui hæreditatem electos intromittit. Nonne etiam ſummus fuit ſacerdos ſecũdùm ordinem Melchiſedec, qui non tantũ vnum, ſed tot Euãgelicæ Eccleſiæ templa extruxit, quot per Apoſtolos, eorumq; ſucceſſores ac adiutores per Euãgelij prædicationẽ, ciuitates, prouincias, regiones ad Chriſtianam religionem traduxit: fuit etiam propheta magnus, potens opere & ſermone, vitæ magiſter & doctor, de cœlo datus & miſſus in mundum, vt ſui Euangelij doctrina totum terrarum orbem impleret. Nomen itaque nouum filio Dei eſt Ieſus, nomẽ ab æterno illi deſtinatum, cuius tanta nobilitas & prærogatiua, vt nulli

Ioſue. 13. & 18.
Zachar. 1. & Aggæi 1.

Ieſu ſolus verè nomen ſaluatoris habere meretur.

Digitized by Google

nulli alteri creaturæ illud verè adaptari possit, nisi per similitudinem. Quare Apostolus: [Dedit illi nomen, quod est super omne nomen;] nouum proinde, & æternum; nouum quod nemo scit, nisi qui accipit; æternum quia ab omni æternitate, viso peccato Adæ, hoc saluatoris nomen, in Trinitatis pectore, filio Dei incarnando imponendum, delituit.

Effectus huius Iesu nominis in nobis reperiri debent.

7. Quare meritò ad hoc sacrum nomen hodie nobis reuelatum omne genuflectitur, cœlestiũ, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confitetur, quia nomen hoc nouũ è patris pectore tandem emergens, oleum effusum est. Estne itaque aliquis inter nos, qui nõ huius noui nominis, nomen effectũ in anima sua sentit? estne aliquis, in cuius corde, hoc salutare oleum, ab æterno è sinu patris manãs, hodie nouũ effusum non percipiat? estne aliquis, qui sese hoc suauissimo vnctũ balsamo hodie ignoret? estne aliquis, cui clarissima præstãtissimi huius olei lux omnibus hodie bonæ volũtatis orta, nõdũ affulsit? estne aliquis, qui adhuc nõ deprehẽdat charitatẽ Dei, qua nos ab æterno dilexit, diffusam in anima sua hodie per Spiritum sanctum, qui cum hoc nomine, de nouo est nobis donatus? absit respondeatis mihi, quod discipuli illi Paulo Ephesi responderunt: [Si Spiritum sanctum (inquit) accepistis credẽtes?] Cui illi. [Sed neque si Spiritus sanctus est audiuimus.] Absit hoc à nobis, vt excludamur ab illa vniuersali benedictione, qua Deus hoc æterno nomine, nobis hodie reuelato, omnibus hominibus bonæ volũtatis benedixit; absit, vt quis inter nos reperiatur, cuius cor adeo adamãtinũ per peccata redditum, vt hoc oleo è diuino nominis Iesu emanante non emolleſcat? Absit vt nobilissimũ illud vnguẽtum, cuius fragrantia ab æterno Trinitatẽ recreauit, quæ nõ sese intra Trinitatis pectus, cœlíq. limites cõtinere potuit, quin etiã hodie cœlũ penetrãs, nouo ac inusitato suffitu terrã, imò infernũ ipsum lymbum, scilicet Patrum ineffabili suauitatẽ afflaret, frustra nobis sit effusum. Quare agedum ad quinque huius

Act. 19.

nominis fistulas,ad quinque,inquam, eius literas labia admoueamus, ne diuinus liquor, sine nostro emolumento,diffluat,acceleremus, aperto nominis vasculo ecce pretiosissimum effunditur oleum!quilibet ergo certatim animæ suæ vasculum supponat,& diffluens in terram oleum cautè excipiat,cautè conseruet,cautè cum eo ambulet, vas enim fragile, liquor pretiosus, offendicula passim occurrunt, si semel frangatur liquor statim dilabetur,& quis artifex vitreum vas in partes fractum reparabit? quis fragmenta eius in vnum colliget, vt iterum in accensa charitatis fornace in speciosissimum speciosissimi olei vas coalescant?quis sparsum humi oleum,in reparatum vas reponet? solus ille cuius nomen oleum effusum.

Fragili animi vase fracto, oleum è Iesu nomine accessum, effunditur.

8. Non sine causa nos seriò Apostolus monet,vt cautè ambulemus,quia dies mali sunt, vt cautè portemus pretiosum thesaurum in vasis fictilibus, quæ facilè nobis excidunt,franguntur & dissipantur. Ecce vnico peccato mortifero vas hoc in partes frangitur,effunditur gratiæ oleum, æternum ac nouum Iesu nomen cõtaminatur; cautè itaque ambulãdum: & si fortè contingat, (quod Deus auertat)vas tuum frangi,adhuc tamen spes supereſt,inuoca nomẽ hoc Iesu salutare,tibique certò persuadeas,atque intima cordis pietate,& religione credas,aliud nomen non esse datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, præter nomen hoc æternum Iesu, nobis hodie, nouo gratiæ modo datum. Paruulus enim natus est nobis & datus, nomen eius Iesus. Hoc nomen te liberabit à peccatis, hoc nomen in vasa integra,nos peccato confractos, restituet, hoc nomen quia æternum & nouum, renouato spiritu mentis nostræ, insertísque primi, nouíque Adæ virtutibus animæ nostræ, mentem nostram innouabit, per feruorem augebit, ac studium proficiendi ac perficiendi se,amoris igne excoquet,vt æterni Patris mensæ, solida in æternum vasa apponamur. [Mens enim

enim (vt ait Gregorius) dum igne amoris excoquitur, ſemper in ſe ſeruat claritatem pulchritudinis, quotidiana innouatione feruoris. Neſcit enim veteraſcere, quæ ſemper per deſiderium ſtudet inchoare,] ſed de virtute in virtutem progreditur, donec Ieſu virtutum indumentis reſplendeſcens, æterno eius nomini, tanquam noua creatura in æternum colluceat. Hæc de æterno ac nouo Ieſu nomine.

Greg. 11. Moralium. c. 4.

SECVNDVM PVNCTVM.

9. Iam ſecundo conſideremus loco, qua veneratione æternum illud ac nouum Ieſu nomen proſequi oporteat. Non igitur Ieſu nomen ſolùm æternum, ſed ſemper etiã venerabile; inter omnia enim Chriſti nomina maximè ſemper in veneratione habitum. Conſtat quidem nomen Tetragrammaton in tanta fuiſſe apud Hebræos obſeruatione, (quod tamen nomen hoc etiam Ieſu deſignauit,) vt nefas fuerit, illud ore efferri, ſed aureæ inſcriptum laminæ, in fronte geſtandum curauerint, & ſi quando nomen illud venerabile vſurpandum erat, ſolus Summus Sacerdos, idque in templo, & in die ſolemni, ſacríſque indutus veſtibus illud pronunciabat: tantam apud nos etiam nomen Ieſu obtinuit reuerentiam, vt eo tantum audito cordis genua, (vt ait Gregorius,) flectenda nobis ſint & caput inclinandum. Quare Paulus meritò ait, [in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.] Quid ergo mirum ſi audito hoc Dei nomine omnes externam reuerentiæ notam, interiorem ſignificantem ſubmiſſionem, tanto nomini exhibeamus, in hoc enim ſolo nomine veluti compendio, omnia Chriſti nomina comprehenduntur, vnde à Pſalmiſta nomen magnum appellatur. [Confiteantur nomini tuo magno.] Nonne, obſecro, magnum nomen, quod non tantùm omnia Dei in ſe nomina complectitur, ſed tot myſteria etiam, quot in illis omnibus nominibus continentur, in ſe vnico habeat.

Ieſu Nomen ſemper venerabile.

Greg. 10. in ſexto decretalium.

Pſ 98.

10. Duo præcipua Deo nomina, iuxta potiſſima

Duo præcipua Dei nomina.

ab eo opera facta, attribuit Scriptura, alterum Iehouah, id est, qui est in se, & ex se, & per se; vnde cætera habeant, vt sint, réque idem est, cum eo nomine, quo se nominat Deus Exodi tertio. [Ego sum, qui sum.] alterum Iesua, id est, Saluator. Prius Deo tribuitur ratione mundi ex nihilo producti; posterius, quia mundum peccato collapsum, & in Diaboli redactum potestatem, sui sanguinis lytro redimens, erexit. Ecce quomodo mysterium illud, in illo præcipuo Dei nomine, nobiliori modo in Iesu nomine continetur. Nobilius enim est mundum reparare, quàm ex nihilo creare, cùm posterius ex sola pendet infinita Dei potestate, prius etiam, ex creaturæ cooperatione, diuinæ hypostasi associatæ. Aliud Deus post mundi effectionem fortitus est nomen, Elohim, id est, iudicem, quia sapientissimè veluti æquus iudex singulis rebus, suas vires, & facultates tribuit, iuxta cuius generaturam, quem proinde tanquam iustum iudicem, qui singulorum rationem exiget, timeri & reuereri nos oportet. Huius etiam nominis rationem, Saluatoris nomen complectitur, qui tanquam iustus iudex mundi possessionem, diabolo eripiens, suum saluauit populum à peccatis eorum, illam proprio restituit Domino, æterno scilicet Patri, quem propterea colere & amare debemus, tanquam iustum iudicem, qui quod suum est, cuique tribuit, & tanquam Patrem etiam, quia nos Patri, per suam reconcilians passionem, omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt, reparauit.

Exod. 3.

Aliud post mũdi effectionẽ Deus nomen fortitus, Elohim &c.

Iehoua Christo nato in Iah mutatũ.

11. Similiter magnum illud etiam Dei nomen Iehoua, Christo nato, in abbreuiatum nomen Iah meritò mutatum est, quod significat Deum quatenus cæteris rebus dat, vt sint, quod philosophi primam causam appellant. Nonne per hoc Iesu etiam nomen, esse gratiæ accepimus, qui fons & principium gratiæ, gloriæ, & salutis est, de cuius plenitudine omnes accepimus: quare Sacra Scriptura, hoc

semper

ſemper vtitur nomine, quandocunque læta, ac proſpera à Deo conſequitur, indicans omnia nobis læta, & proſpera obueniſſe, vbi magnus ille Iehoua, qui eſt ex ſe, per ſe, & in ſe, ſeſe velut contrahens ſerui formam indueret, nobis poteſtatem Dei filios fieri tribuens. Denique omnia Dei terribilia nomina, & ſancta, in hoc dulciſſimo Ieſu nomine incluſa ſunt; ſubdit enim Propheta, poſtquàm populos ad Dei laudes celebrandas inuitaret. [Quoniam, inquit, terribile & ſanctum eſt.] Horum verò nominum rigorem, ſuauiſſimum Ieſu nomen ita attemperauit, vt ſtatim dulceſcere cœperint & omnem amaritudinis guſtum penitus depoſuerint. Hinc ipſe [manifeſtaui, inquit, nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo.] Manifeſtum feci Trinitatis arcanum, ac terribile ſeueri iudicis nomen, quod in hoc ſublimi Saluatoris nomine, tanquam in nobiliſſimo Dei ſecretorum Archiuo latuit, manifeſtaui, inquam, in Deo, perſonarum Trinitatem, & naturæ vnitatem, aperiens diuinam Ieſu thecam, ex qua Iehoua quatuor literis, ſingulis myſterium ſignificantibus, depoſito omni rigore prodiit, prima ſiquidem litera Iod principium ſignificat Patrem omnium rerum eſſe, ſecunda He vitam, Filium per quem facta ſunt omnia, & per quem omnia vitam habent: tertia Vau vinculum & nexum, Spiritum Sanctum, qui veluti vinculum ac nexus Patris & Filij eſt: quarta He repetitum, quo duæ ſignificentur naturæ in vna verbi hypoſtaſi ſubſiſtere. Ecce quomodo manifeſtauit Dei nomen hominibus, & ita manifeſtauit, vt qui olim erat Deus vltionum, Pater fieret miſericordiæ.

Pſ. 98.

Terribilia Dei nomina per Ieſu ſuauiſſimum nomen mitigãtur. Ioan. 17.

12. Vbi enim in Virginis vtero Ieſu nomen induit, ex ferociſſimo veluti leone manſuetiſſimus agnus factus eſt. Quemadmodum enim Sol in leonis ſigno, adeò ardet, vt inferiora exurat, exſiccetque, qui tamen Virginis ſignum ingreſſus,

Ex leone in Virginis vteri ingreſſus Dei filius, manſuetiſſimus factus eſt Agnus.

temperato calore, autumnum adducit, in quo fructus frugésque omnes maturæ cum auiditate colliguntur; ita enim cœli calores, hoc autumni tempore, attemperati sunt, vt quicquid toto penè anni decursu, terræ gremio commissum sit, facilè tum in horreum inducatur: sic dum verbum, iustitiæ Sol, in Patris sinu tanquam in ferociſſimi leonis signo esset, quasi ardebat, exurebat, exsiccabat, hoc est, increpabat, flagellabat, puniebat, occidebat, vbi verò in Virginis vterum, tanquam in signum gratia plenum ingrederetur, suúmque iræ feruorem, virginea indutum trabea, absconderet; iam amplius non vltor, non vindex, non cædes faciens, sed ad omnem mansuetudinem, misericordiam, gratiam omnibus ostendendam compositus apparuit. Ecce quomodo omnia Dei nomina huic Iesu nomini cõiuncta dulcescant! quomodo mellifluo suo sapore, ac suauissimo odore nomen illud Dei terribile Iehoua mitigauit, vt cum maiestate infinita iam societur amor, irritum reddens illud Poëtæ: Nec in vna sede moratur maiestas & amor. Quid ergo reuerentiæ huic nomini à nobis exhibendum?

13. Cùm pingitur in tabella aut papyro, hoc augustissimum Iesu nomen, aureis vndique radiis illuminari solet. Potiori ergo iure, cũ à nobis profertur, aurea vndequaq; illustrari cordis, oris, totiúsq; corporis reuerẽtia, ac pietate, cũ ex eo nostra depẽdeat salus. Quare meritò nos Laurẽt. Iustin. monet, vt sẽper cũdeuotione, fide, & pietate, hoc salutis nomen pronũciemus [Iesus, inquit, nomen pronuncia, non ex ore tantũ, sed etiam ex corde, adhibitis deuotione, fide & pietate] Quare Abulensis [maius, inquit, peccatum est accipere nomen Iesus in vanum, quàm istud nomẽ Deus, quia, inquit, Ecclesiæ communis & laudabilis cõsuetudo magis honorat istud nomẽ Iesus, quàm nomẽ Deus. Vnde audito nomine Iesus, deuoti fideles, aut caput inclinant, aut genua flectunt, quod non faciunt, audito nomine Deus; qui ergo

Iustin. ser. de Circumcis.

Abulen paulò ante qu. 7. in 20. c. Exo. Maius peccatũ abuti nomine Iesus quàm nomine Deus.

contra

Digitized by Google

contra hoc offendit dehonorando nomen Ieſu, magis peccat quàm ſi dehonoret nomen Deus.]

14. Non tantùm nomen Ieſu nos oportet venerari ob miſericordiam & amorem ex eo nomine nobis obuenientem; ſed ob eius etiam potentiam, ac maieſtatem, quæ in hoc nomine, ſicuti cætera Dei attributa continentur. Vultis imprimis audire eius potentiam? tanta ſanè eſt, vt ſola eius mentio diabolum perterreat, eumque licet inuitum genu flectere, cum tremore ac reuerentia cogat. Hinc Iuſtinianus narrat Chriſtianos ſuo tempore ſolitos fuiſſe energumenos curare, eoſque à dæmonibus liberare inuocatione nominis Ieſu. [Si tentaris (inquit Patriarcha Iuſtinianus) à diabolo, ſi ab omnibus hominibus opprimaris, ſi conficeris ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi blaſphemiæ ſeu deſperationis agitaris ſpiritu, ſi concuteris formidine, ſi dubietate pulſaris, Ieſu nomen edicito, in arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in ſolitudine, in fluctibus, vbicumque extiteris ſaluatoris profer nomen, non ex ore tantùm ſed ex corde, cordis tui prius affectum præbe, vt rectè labiorum confeſſionem exhibeas.] Ecce quanta in hoc Ieſu nomine potentia, cuius tantùm mentio, certam nobis medelam præbet, in omnibus aduerſitatibus. Huius etiam ergo gratia, omni veneratione dignum.

Ieſu nomen dæmones pellit.

Iuſtin. Apolo. 1. pro Chriſtia. ante finem.

Iuſtinia. ſer. de Circumciſione.

Nomen Ieſus in omnibus aduerſitatibus præſidiū.

15. Maieſtas eius etiam ſummàm à nobis exigit venerationem. [Ecce, inquit, olim Iſaias, nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, grauis ad portandum: ſpiritus eius, velut torrens inundans vſque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum.] quanta ſimul cum maieſtate, ac terrore Deus olim apparere ſolebat, at verò nouiſſimis temporibus (vt experientia docet) in hoc ſuauiſſimo Dei nomine, ſimul cum maieſtate amor etiam concurrit, vnde rectè dicere poſſumus: Ecce nomen Domini Ieſu venit è cœlo maieſtate plenum, ardens non furor ſed amor eius, ſuaue ad portandum iugum eius, ſpiritus

Maieſtas & amor ſimul. Iſai. 30.

Digitized by Google

ſpiritus eius veluti gratiarum torrens inundans, in quo omnes filiorum Adæ ſordes demerguntur, ſpiritus, inquam, eius ſuper mel & fauum dulcis, non ad perdendas in nihilum gentes; ſed à peccati nihilo, ad gratiæ perfectionem reducendas. Quis ergo huiuſmodi nomen omni veneratione non coleret?

Gen.8. Signum fœderis Deus olim Noë cõſtituit, [Arcum, inquit, meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram] ſignum fœderis Deus inter nos & ipſum hodie inſtituit, hoc Ieſu nomen maieſtate plenum, ſed vndique ſuauiſſimum amorum oleum ſtillans, quippe, quod ſaluatorem ſignificat. Salutis ergo, pacis, fœderiſque perpetui ſignum nobis hodie datum longè præſtantius illa iride, quæ in nubibus Noë apparuit. Nam licèt iris arcus ſpeciem præ ſe ferat, variis colorum radiis interlucens, ita tamen tenuis, fallax, ac debilis eſt, vt nubibus euaneſcentibus, exuta illa colorum pulchritudine, ipſa etiam euaneſcat, neque ſagittas vnquam in ſuorum defenſionem à ſe emittat: at verò iris noſtra, pulcherrimis virtutum ſplendoribus coruſca, ſignum fœderis, ac pacis ſempiternæ à Deo conſtitutum refractaria mortalium corda ardentibus amoris ſagittis petit, ac iræ & indignationis ſuę tela, pro ſuorum defenſione, in Cacodæmones conuertit, ne ardentibus nos ſuis etiam cupiditatum miſſilibus eminus emiſſis, ad vitia concitent; qui ergo olim maieſtate plenus vindictæ arcus ſui facie ad nos conuerſa, variis nos indignationis, ac iræ ſagittis conficiebat, hodie maieſtate in amorem verſa, ira in miſericordiam, indignatione in clementiam, tanquam ſalutis, pacis, æternique fœderis arcus, nobis hodie poſitus, vt charitatis ſuæ ſagittis corda noſtra vulneret, illáque ad ſui nominis venerationem excitet. Videte ergo arcum, & benedicite eum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo, videte, inquam, Ieſum, & benedicite Deum Patrem, qui hoc illi nomen impoſuit, valde enim ſpe-

Eccle.43.

cioſus

cioſus eſt in virtutum ſuarum multiplici ſplendore, honoremus eum ac omni veneratione colamus.

TERTIVM PVNCTVM.

16. Tertio dicam loco, quanta iniuria ac irreuerentia hoc Ieſu nomen afficimus. Olim quidem in lege veteri, vti diximus, nomen Tetragrammaton, nemo vſurpare, niſi rarius ſummus Sacerdos audebat: modò autem non pudet paſſim venerandum hoc nomen, per quod ſalus mundo reddita, proterere, conſpurcare, defœdare: imo nonnulli ſolent etiam ludentes, & ridentes, vt venerit in buccam, auguſtum hoc Ieſu nomen profanius vſurpare, quod tamen nefas eſſe, nemo rectè iudicans, eſt qui ignorat. [Si permulti, inquit Theodoretus, conſueuerunt pretioſiorem veſtem diebus feſtis reſeruare: multò iuſtius eſt diuinum nomen precibus atque docendi officio conſecrare.] Hinc Chryſoſtomus, [Neſcitis quid ſit Deus, & quali debeat ore vocari, quid ſi de quopiam probo quidem viro loquamur, dicimus: Os tuum ablue, & ita commemora. nunc verò nomen ſuper omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quod audientes dæmones horrent, temerariè circumferimus. Nonne dum Deus nominatur, oportet horrere? & apud Iudæos quidem, tam venerandum erat Dei nomen, vt in lamina ſcriberetur, & nemini literas nominis ferre liceret niſi Sacerdotum principi: nunc autem velut quiddam vulgare, ſic ipſius nomen circumferimus.] Væ ergo illis, qui huius nominis maieſtate toties impudentius abutuntur, væ illis, & in æternum væ, qui toties hoc ſanctiſſimum nomen impuro ingeminantes ore, pro re nihili iurant, nihil ſoliciti, an bene, vel malè. Audiant huiuſmodi nominis Ieſu impuriſſimi violatores quid Ambroſius dicat. [Nemo bene iurat, niſi qui poteſt ſcire, quod iurat, lux tibi præeat, ſi iurare diſponis, id eſt, cognitio veritatis præcedat, vt vinculum

Quanta Ieſu nomen irreuerentia afficimus.

Theodo. q. 41. in Exodo.

Chryſ. hom. 26. ad popul. Antio.

Exod. 18.

Amb. pſ 118. octonaria 14.

Digitized by Google

lum ſacramenti tibi non poſſit nocere.]

17. Sed mihi, inquies, non credent niſi iurauero: [Hoc, inquit Chryſoſtomus, interdum à nonnullis audiui: niſi iurauero, non credit. Tu es horum cauſa qui facilè iuras: quoniam ſi id non faceres, ſed omnibus conſtaret, quod non iures, mihi crede dicenti; quod iis qui mille deuorant iuramenta, maiorem ipſe fidem ſolo nutu inuenires.] Neque viros modò, ſed ipſas etiam fœminas, atque adeo pueros & infantes, qui cùm vix dum ad plenum verba formare ſciunt, iurare atque adeo etiam peierare docentur, noui. Et quid mirum cùm hanc à parentibus impiam in tenella ætate diſcant lectionem, quibus planè verendum ni cito reſipiſcant, ne ſimul pueri intereant, & ſuæ pœnæ conſortes habeant, quos habuerunt magiſtros erroris. Heu quî fieri poteſt, vt hoc nomẽ mellifluum, Ieſu, inquam, nomen, quod in ore noſtro mel ſapidum eſſe deberet, amarum fiat nobis abſynthium! quod in aure melos, fiat nobis in periurium ac blaſphemiam! quod iubilus in corde, fiat noſtræ mentis venenum, & cùm hoc nomen Ieſu cordi noſtro infixum eſſe deberet, ſerpentem eius loco alamus, qui cor noſtrum ſuo inficiat veneno, quod in os peierando eructamus. Heu eructauit cor noſtrum, non verbum bonum, ſed fœdum periurij vomitum, quo fœdius hoc Ieſu nomen inſpergimus, & quia verbum malignum & non bonum eructamus, noſtra etiam opera, non cœlorum regi, ſed tartareo dicamus tyranno.

Chryſoſ. hom. 26. ad popul.

Nobis meritò non creditur ſine iuramẽto, qui ſemper iuramus.

Parentibus timẽdum ne cum prolibus damnentur ob iuramenti frequentiam.

18. Siccine hoc nobis relictum nomen, in quo tanquam in pretioſa & ſalutifera theca ægris animis incluſa ſunt medicamenta, profanamus? Siccine officinam, ex qua omnium gratiarum dona nobis expromenda contemnimus? ſiccine ſigillum illud quo noſtri cordis oſtium ſponſus animæ noſtræ conſignauit, violamus? ſiccine balſamum illud ex Ieſu pretioſiſſimo emanans nomine omnibus ſalutem tribuens venenoſæ linguæ ſpurcitia contaminamus?

Quanta ingratitudo, hoc Ieſu nomen iuramento violare.

Digitized by Google

namus? siccine medicatam amaro Circumcisionis absynthio potionem nostri causa epotam à Christo, vt per misericordiæ suæ vbera, nobis adhuc ægris, illam iam defæcatam porrigat, nihili facimus? Quemadmodum enim beneuola mater, quæ prolem tenerrimè amat, fortem ac amaram potionem, quam per teneram ætatem proli haurire non licèt, ipsa haurit, vt saltem per vbera aliquam in se eius virtutem puer cum lacte trahat, sanitatémque recuperet: sic Iesus tanquam pia mater amaram hodie Circumcisionis medicinam sumit, vt nobis ægris, illam porrigat, ardenti amoris igne excoctam per misericordiæ suæ vbera, è quibus non lac potionis amaritudine affectum, sed pretiosi sanguinis balsamus emanat, in quo omnes filiorum Adæ sordes expiantur. Quamdiu igitur erimus adeo insani, vt nomen hoc, ex quo, tanquam ex cœlesti promptuario omnia nobis eueniunt bona, maleuolæ linguæ temeritate contaminemus? cur non inuicto animi decreto, aduersus periuria, linguæ in iuramenta promptitudinem, refrænamus. Nam, vt ait Augustinus, [maior consuetudo maiorem flagitat intentionem, lingua facilitatem habet motus, in vdo posita est, facilè labitur in lubrico. quanto illa citius & facilius mouetur, tanto tu aduersus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis: vigilabis, si timebis: timebis, si Christianũ te esse cogitaueris.] O vtinam à Chrysostomo hanc nominis Iesu temerandi consuetudinem abolere discamus, oratoris illius exemplo nobis proposito, qui prauum humeri motum appensis vtrimque humeri gladiis vicit: [Dicitur, inquit, quod oratorum quidam præ quadam stulta consuetudine dextrum eundo humerum continuè mouebat; sed tamen consuetudinem vicit, & gladios acutos, vtrimque humeris impositit, vt vulneris timore membrum ineptè semouens corrigeret. Hoc & tu linguæ facias, & ipsi, pro gladio, diuinæ pœnæ timorem impone, & omnino superabis.]

Similia.

Augustin. ser. 28. de verbis Apostoli. Lingua à iuramentis refrænanda.

Chrys. hom. 7. ad popul.

19. O si huiusmodi frænum linguæ adhiberemus, si iurandi consuetudinem singulari aliquo remedio corrigere studeremus, iuramenta, in dulcissimas commutaremus aspirationes, periuria in Iesu laudes, & quoties hactenus nomen illud ter augustum procaci linguæ temeritate violauimus, toties ex intimo cordis affectu, cum iubilo, perpurgato ore ingeminaremus, illiusque consuetudinem nobis reconciliaremus, qui hactenus ob iuramenta & periuria à nostro abhorruit consortio. Cur, obsecro, spiritali quodam affectu in Iesu pectus identidem Ioannes incubuit? cur præ cæteris Apostolis familiariter eius societate fruitus; inter cæteras causas, hanc vnam, ex præcipuis esse puto, quod sicuti hoc nomen in pectore suo semper insculptum habuit; sic etiam in ore illud semper versabat. Hinc in singulis ferè versiculis, cùm de Christo ageret, nomen hoc Iesu dulcissimum in Euangelio suo, & sæpius in Epistolis repetiit. Cur, obsecro, Christus sese in ipso aëre Paulo dignatus est ostendere? inter alias rationes, hanc etiam non infimam esse existimo, quia nimirum probè sciebat adeo suum illi nomen fore in veneratione, vt semper tanquam mel in ore, melos in aure, iubilus in corde, illud habiturus esset. quare toties hoc nomen in suis Epistolis, sicut Ioannes in suo Euangelio repetit. Hinc etiam Christi causa moriens ter illo sanctissimo nomine, capite abscisso, ingeminato, tres fontes ad triplicem capitis saltum, dum ter nomen illud inuocaret, repentè exorti sunt, suauem quendam gustum bibentibus exhibētes. O quomodo exclamat Chrysostomus, [O quales habet fontes] & ego cum Chrysostomo exclamo: ô quales gratiarum fontes, ex eorum emanant cordibus, quibus insculptum est hoc gratiosum nomen Iesu! ô quales gratiarum fontes huiusmodi in vitam salientes æternam, ex sui cordis alueo emittunt!

Iesu nomen ore perpurgato sæpius efferendum.

In Epist. ad Rom. ser. 32.

Vide quæ

20. Hos gratiarū fontes ex ipsius Pauli pectore emanasse

Digitized by Google

emanasse scimus, in cuius corde & ore hoc nomen semper versabatur. Audite cum quanto strepitu fontes hi ex eius corde in vitã saliant æternam. [Quis ergo nos separabit à charitate Christi] ecquid erit quod nos ab eius amicitia & amore diuellat? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?] ecce quot gratiarum canales ex vno cordis fonte emanent: [Certus sum, inquit, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundũ, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.] Ecce quanto transiliant cœlos impetu gratiarum canales ex salutifero nominis Iesu fonte in Pauli corde defosso! Huiusmodi etiã gratiarum fontes, ex B. Ignatij martyris corde exiliisse non ignoramus, in quo hoc salutiferum Iesu nomen aureis inscriptum literis inuentum fuit. Audite etiam, cum quanto murmure, fontes hi ex imo eius corde in vitam insurgunt æternam, [vtinam, exclamat, fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ: quod si venire noluerint ego vim faciam, ego me vrgebo vt deuorer.] Ecce quot canales, ex vno Ignatij cordis fonte emanẽt! [Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar.] Ecce quanto trãscendant cœlos impetu gratiarum canales, ex cœlesti nominis Iesu fonte in Ignatij corde defosso! [frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.] Ecce quomodo sæuientibus ac rugientibus ad se deuorandum leonibus miro pro hoc Iesu nomine patiendi ardore inflammetur. [O animam furentem insania, sed quæ sobrietatem pariat! omnia quæ in cœlis, quæ in terra, quæ sub terra, quæ supra cœlos sunt, visibilia, & inuisibilia præ amore Iesu transcendẽs nihil æstimas, vnum hoc metuis, ne à Iesu dilectione excidas. Hoc enim

fontes à Pauli pectore emanent. Rom. 8.

Quot fontes ex Ignatij etiam pectore emanant.

Sic ferè Chrysostomus de Pauli charitate ad Ro. 8.

tibi gehenna ipſa magis horrendum eſt;quemadmodum,& viciſſim in illa perdurare,quouis eſt tibi regno,cum Apoſtolo Paulo,iucundius.] Quare beſtiarum dentibus laniari exoptas,vt amore tuo Ieſu citò fruaris.O quales amorum fontes.Huiuſmodi denique gratiarum fontes ex S. Tiburtij martyris pectore profiliiſſe certum eſt, in cuius animo ac ore hoc ſalutare Ieſu nomẽ frequens fuit. Audite igitur cum quanto etiam ſtrepitu fontes hi, ex eius corde in vitam tranſiliant æternam[applica(inquit ad Torquatum iudicem inſultans, & quaſi triumphans) equuleos,ſuſpende Chriſtianos, damna,percute,incende,vniuerſa denique ſupplicia adhibe]ecce quot canales ex diuino Ieſu nominis fonte in Tiburtij corde effoſſo emanent: [ſi exilium minaris;hoc philoſophantibus eſt totus mundus: ſi mortis ſupplicium,euadimus mundi carcerem: ſi ignes; maiora his in cupiditatibus incendia vincimus.] Eccequãto tranſiliant cœlos impetu gratiarum canales ex perenni Ieſu nominis fonte in Tiburtij cordis imo defoſſo.[decerne quicquid libet. Omnis nobis vilis eſt pœna,vbi pura comes eſt conſcientia] ô vtinam hoc nomen cordibus noſtris, ſic ſemper impreſſum ſit,quo huiuſmodi gratiarũ fontes, ex iis erumpant, vtinam Ieſus ſit principium,medium,ac finis noſtrarum operationum! vtinam ex intimo cordis affectu cum Ioanne, Paulo,Ignatio, Tiburtio ſæpius ingeminemus illud nomen IESV: quo facto ſanè ſpirituali quodam affectu in pectus eius cum Ioanne recumberemus, illéque viciſſim ſeſe nobis quotidie non in aëre cum Paulo, ſed in cordis noſtri meditullio oſtenderet,atque adeo aureis charitatis literis ſeſe noſtris pectoribus imprimeret. Quo cœleſti ſcuto muniti verba,equuleos,cataſtas,omniáque ſupplicíorum genera cum Tiburtio impauido vultu, Ieſu gratia ſuſtineremus!

Quot ex Tibur. denique fontes profluxerunt.

In actu Tiburtij martyrij.

Iurandi conſuetudõ extirpãda.

21. O anima mea itaque, vt tibi hoc Ieſu nomen ſit ſuaue,deterſa penitus veſana illa iurandi conſuetudine,

tudine,caſto amoris oſculo, illud tibi maritare affecta:en Ieſus ſtat,poſt parietem, reſpiciens per feneſtras,proſpiciés per cancellos tui amore ſaucius! en dilectus tuus pulſat, vt cor tuum penitus occupet, ſurge à peierandi conſuetudine,& aperi dilecto tuo, peſſulũ oſtij hactenus illi obſeratũ periuriis,remoue;dic,ſurgo,propero : nam dilectus meus Ieſus,vti percipio miſit manum ſuam,per foramen, vindictã, niſi citò reſipiſcã,expoſtulans,& venter meus intremuit,ad tactũ eius. Surgo igitur,propero,peierandi peſſulũ remoueo, vt declinet ad me dilectus meus, ſentio enim illum præ foribus adeſſe, cor ſiquidem meum quaſi peierandi gelu hactenus conſtrictũ, aduenientis Ieſu deſiderio,ac amore incaleſcit, inflãmeſcit,colliqueſcit.Verè, vt vocis eius ſuauem perſenſi,præ foribus cordis mei, ſuſurrum, vindicandi animo,ſi reſipiſcere velim, depoſito , anima mea liquefacta eſt,vt dilectus locutus eſt, effudit per omnia animæ meæ viſcera, odoris ſui fragrantiam , ac ſalutari gratiæ oleo animæ meæ viſcera ſanare incipit,vt verè iuramenta ac periuria deteſtãs,cum ſpõſo dicere meritò poſſim [oleũ effuſum nomẽ tuum.]

EXEMPLVM.

22. Sanctus Narciſſus Hieroſolymorũ Epiſcopus falſo ex inuidia à tribus accuſatus , qui corã conſiſtorio iurarunt illum graue commiſiſſe crimen , ſed iuramento execrationem addunt. Primus enim illorum optauit ſe viuum comburi , niſi ita eſſet , iuxta iuramentum à ſe præſtitum;ſecũdus ſubita extingui morte,tertius vt oculi ſibi eruerentur, quorum periuriis & execrationibus quaſi victus, falſæ eorũ accuſationi ceſſit,ſeque in abditũ locum, acturus cum Deo, recepit. Interim primus cum tota familia ac ſubſtantia viuus igne combuſtus eſt:ſecundus ſubitò mortuus eſt,tertius pœnitentia ductus,videns ſeueram Dei vindictam in periurij ſocios, falſum à ſe impoſitum Epiſcopo , cum vera pœnitentia faſſus eſt,& ex nimia vi lachrymarum,ob tãtum à ſe com-

Euſebius Caſa. l. 6. Eccleſ. hiſtoria c. 7. Bredenba. l. 4. c. 19. Baronius to. 2. Chriſtian. 199. Victorus Papa ſexto Seueri Imperatoris, quinto.

missum scelus,oculos etiam, & ipse amisit. Caueant ergo qui Iesu nomen periuriis violant, ne extinctis animi oculis, corpore aliquando & anima in tenebras exteriores deturbentur.

IN EPIPHANIAM DOMINI

Concio prima.

THEMA: *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera,aurum,thus & myrrham.* Matt.2.

Dona Iesu, ex ipsius anima deprompta à nobis defendenda.

1. QVàm solicitos nos esse oporteret,Christiani auditores, vt nouo nobis nato Regi, in diuini principatus, & æterni in nos imperij protestationem,nostræque erga illum perpetuæ seruitutis significationem,noua deferamus dona.Sed quæ tanto Rege digna imbecillitas humana reperire poterit, cùm nihil ei suppetat præter infirmitates peccatique sterilitatem?Recurrendum itaque, de more,ad illud ditissimum omnium bonorum gazophylacium, ad ipsius,inquam, infantis Iesu animam, in qua reconditi sunt omnes sapientiæ, & scientiæ thesauri, vt ex ea,dum ille adhuc fasciis est colligatus, & iniuriæ omnis veluti nescius,selecta quæque surripiamus, quibus ille grandior factus, suis sibi donis, quasi cum fœnore à nobis restitutis, maximè delectabitur. At modestiæ simus memores: nam,quamuis hic puellus esse videatur, sub exiguo tamen eius corpusculo, immensa latet maiestas, & sub vilibus panniculis,æterna absconditur sapientia.

Quid Regi dabimus, cũ omnia illi seipsum dãdo dedimus.

2. Hoc æratiũ superioribus diebus videor mihi, quasi exhausisse,emendicatis,à cœlesti Patre,omnibus,in eo, reconditis diuitiis, pueri imprimis Iesu humanitate, omnibus virtutum ornamentis referta, qua vos aliquãdo sub eleganti Iesu libello tecta do-

nau-

Digitized by Google

naui. Neque tanto hoc contentus munere, aliud longè præſtantius, præcedenti Concione, vobis cœlitùs detuli, Chriſti nimirum diuinitatem, aurea Ieſu nominis theca veluti incluſam, ex qua tanquam ex aureo circulo ſol iuſtitiæ, vt loquitur Chryſoſtomus, radiis vndequaque coruſcantibus, veluti ab oriente emergens, ac initio tribus diſtinctis ſolibus, in vnum, quaſi tandem coaleſcentibus, mundo apparuit. Hæc vobis deſuper gemma in munus à Deo miſſa eſt, qua tanquam ſtrena, nato nouo regi gratulati ſumus.

3. Sed quid hodie ſupereſt? Ecce Reges ab Oriẽte cum muneribus veniũt! illiſne inferiores erimus? occurramus illis, & noſtra ſimul offeramus munera. At video vos, hac de re, plurimum ſollicitos! Nihil enim vobis ſupereſſe tanto dignum Rege, tacitis (vultu indice) cogitationibus, indicatis, cùm pretioſiſſimam illam gemmam, Chriſti diuinitatem, Regiũ ſanè munus, in ſtrenam illi die Circumciſionis dederitis. At aures arrigite: video enim in pueri manu nobile pacis ſceptrum, quod ſtatim, ex virgineo egreſſus vtero exactori diabolo rapuit: [Sceptrum exactoris eius ſuperaſti] quo tyrannicè omne genus hominum, ab Adami lapſu, in hunc vſque diem, premebat. Hoc autem manſuetudinis, ac pacis ſymbolo, in infantis Ieſu manu poſito, Pater ait: [Sceptrum Patris tui, ſume tecum;] quo inſtructus [Intende, proſperè procede, & regna,] dirige curſum tuum, ad prælium, contra diabolum, in quo proſperare, & deuicto, ac debellato Principe huius mundi, regnum tibi acquire, quo in poſterum, in hominum cordibus, per fidem, & charitatem, regnes. Hoc eſt enim illud ſceptrum tibi hodie traditum, quod, Patre permittente, in manu diaboli hactenus diſcordiæ fuit incentiuum: modò in manu tua pacis, ac tranquillitatis ſymbolum eſt, donum ſanè à Patre tibi datum, omnis nimirum in cœlo, & in terra poteſtatis inſigne, in quo in-

Iſai. 9. Sceptrum pacis puero offerendum. Num. 18. Pſ. 44.

Eccl.4. ſculptum tutum ipſius nobile dictum:[funiculus triplex difficilè rumpitur] hoc eſt charitatis vinculum, quippe triplici aureæ charitatis filo Dei nimirum, ſui & proximi amore conſtans ; donum ſuper omne
Coloſſ.3. donum. Quare Apoſtolus [ſuper omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.] Omnes enim Chriſtianæ virtutes, ac diuina mandata in charitate, quaſi centro colligantur, & vniuntur, quæ nunquam niſi per peccatum diſſolui poſſunt[funiculus enim triplex difficilè rumpitur.]

Triplex funiculus in donum puero dandus.

4. Quare vnanimi hodie conſenſu, cum tribus Regibus, triplici charitatis vinculo, in vnum collecti, ad puerum accurramus, qui ea tantum de cauſa, homo fieri voluit, vt triplici nos etiam amoris funiculo colligatos ad ſe attraheret, Patríque ſuo reconciliaret: Accurramus, inquam, ad puerum & triplicem hunc amoris funiculum, nobis ab eo conceſſum, ei in donum demus ; Dei ſcilicet, ſui, & proximi amorem, qui ſibi mutuo coniungantur nexu, nemo ſanè nobis poterit præualere, neque pacem inter nos triplici hoc funiculo confirmatam infringere : [funiculus enim triplex difficilè rumpitur.] Vt vero hoc triplici charitatis ac pacis vinculo in vnum cum Deo quodammodo coaleſcamus, omnia ferè nos inuitant, nóſque Apoſtolus ad id ad-
Eph. 4. hortatur. [Soliciti, inquit, ſeruate vnitatem Spiritus in vinculo pacis.] Quare magno ſtudio huic ſpiritus vnitati conſeruandæ nos in poſterum incumbere oportebit.

Concionis diuiſio.

5. Quatuor hac Concione dicam. Primum omnia penè ad triplicem charitatis ac pacis vnionem nos ſolicitare, qua vniti Regi recenter nato in donum nos demus. Secundum quomodo triplex ille funiculus diſſidio ac contentione diſſoluatur: Tertiú varias nobis exoriri ſtellas quibus Deus nos ad ſe vocare conatur. Denique paucos eſſe qui præuiam charitatis ac gratiæ ſtellam tanquam viæ ducem ſequuntur. Inuocata Spiritus ſancti gratia per Mariæ

inter

Digitized by Google

interceſſionem. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

6. Omnia penè, quod primo loco oſtendere decreui, ad hanc triplicē charitatis, ac pacis vnionem nos ſolicitant, vt triplici illo adunati funiculo cum Regibus ad recenter nati Regis incunabula feſtinantes, non aurum, thus aut myrrham, ſed nos illi penitus conſecremus: ad hanc, inquam, vnionem omnia penè nos inuitant, & imprimis licet tres Trinitatis perſonæ inter ſe, re diſtinctæ ſint, in vnius tamen ſubſtantiæ vnitate, ita ſibi copulantur, vt nunquam à ſe inuicem diſtrahi poſſint, ſed trinus, & vnus Deus, cùm ſint, ad extra indiſtinctè, ratione vnius naturæ operantur. Ecce triplex funiculus, qui nunquam rumpi poteſt. Porrò Angeli, qui licèt diſtinctas habeant naturas, & operationes, inferiores tamen ſuperiorum capeſſunt imperia, omnéſque ſimul à diuina voluntate, tanquam ſuarum actionum certiſſima, ac infallibili regula, ita dependent; vt nihil ſine eius nutu effectui dare velint. Ecce triplex funiculus, qui nunquam rumpi poteſt; diuina intextus ordinatione! Prætereà inferiorum cœlorum motus, licet quiſque ſibi proprium motum habeat, ita ſeſe attemperant, vt primi mobilis tamē motum, ſine vlla interruptione, aut lite conſectentur: hi primo mobili, hoc Angelo Motori, iſte Deo, perpetua conſenſione, obſecundant! Ecce triplex funiculus: qui nunquam rumpi poteſt! Sol inſuper, mediantibus radiis, ſibi terram vnit, quibus, quaſi maritali complexu, eam fœcundans, varios ex eius viſceribus, quaſi ex vtero fœtus producit. Ecce triplex funiculus, qui nunquam rumpi poteſt! Bruta etiam animantia, hanc animorum ſocietatem, inſtinctu tantùm naturæ colunt. Cerui enim cùm fluuium traiiciunt, certo ſibi ordine ſuccedentes adhæreſcunt, ſéque mutua ope ſubleuant, ſi primus, cui cæterorum maximè onus incumbit, labore fatigetur, ab eo qui agmen claudit opem ſuſcipit, &

Multis declaratur exemplis triplicē funiculum non diſſolui.

Aug. ho. 11. in tex. verba, Alter alterius, &c. Gal. 6.

sic primo vltimo semper subueniente intermedium agmen facilè transit. Ecce triplex funiculus qui nunquam rumpi potest.

Act.4. *Hoc triplici pacisfuniculo nos sibi copulauit.*

7. In primitiua verò Ecclesia,hoc triplici charitatis ac pacis funiculo credentium corda fuere colligata.[Multitudinis autem credentiũ erat cor vnum & anima vna.]Omnium vna fuit voluntas, quæ ita Deo fuit subiecta, ac per amorem, tanquam per vnionem illi copulata, vt à se inuicem disiungi non possent. Ecce funiculus triplex qui nunquam rumpi potuit! Verè hoc triplici nos Deus funiculo ab æterno quasi in vnum collectos ad se attractaturum pollicitus. [In funiculis Adam trãham eos; in vinculis charitatis:]in funiculis,inquam,illis quibus ligari homines solent,amore nimirũ,benignitate,&officiis: Hinc natus statim,vnam huius funiculi telam orditus,pacem denuncians,per Angelos hominibus bonæ volũtatis,secundã in suo vitæ decursu,cũ Apostolos mitteret binos & binos,vt populũ instruerent. [In quamcũque,inquit,domum intraueritis,primum dicite:Pax huic domui;]tertiam sub mortem,eamque replicans,quasi illam (vt in funium textura fit) duobus funibus intertexens vnum solidum è tribus conficeret. [Pacem, inquit,relinquo vobis, pacem meam do vobis]ex qua triplici pacis denunciatione, triplicem hunc charitatis, ac pacis funiculum contexuit,quem, post glorioſam sui corporis resurrectionem affabrè contextum Apostolis tulit, eos triplici hoc funiculo inter se coniungere desiderans.[Pax vobis]tertiò repetens;quasi dicat:pax vobis sit,cum Deo, intra vos,ac cum proximo. Hanc hodie inter nos triplici hoc amoris in vnum collecti vinculo, vt possideamus exoptat ille, qui tanquam lapis angularis Iudæos hodie,& Gentes (quæ alioqui Iudæis infestissimæ erant)nouo pacis vinculo inter se copulauit, ita vt ex vtrisque sanctissimi illius ædificij,Ecclesiæ,vnum effecerit parietem, vt qui à Deo hactenus,& à se inuicem erant alienati,

Osea 11.

Luc. 10.

Ioan. 14.

Ioan. 20.

Christo

Chriſto hodie coniuncti inueniantur: Hinc Apoſtolus.[Nunc autem in Chriſto Ieſu vos,qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.] *Epheſ. 2.*
Vos,qui aliquando eratis longè à Deo,à ſpe promiſſæ beatitudinis,à teſtamentis,& pactis,à republica, & conuerſatione Iſraël,à Chriſto denique & ſalute, facti eſtis propè, propinqui Chriſto,Iſraëlitis, beatitudini,& Deo, per paſſionis & Chriſti mortis merita. [Ipſe enim eſt pax noſtra] id eſt, pacem faciens : complacuit enim Deo Patri, ſibi omnes reconciliare, pacificando per ſanguinem, quem in cruce Chriſtus fudit; tam ea, quæ in terris,homines nimirum, quàm ea, quæ in cœlis ſunt, ſcilicet Angelos. Quare ſublata, per Chriſti ſanguinem, peccati macerie, Angeli & homines inter ſe, vno charitatis, & pacis nexu coniunguntur. Complacuit & Iudæos, & Gentes, qui olim veluti muro diſtinctos, iam muro, qui medius erat, ſcilicet inimicitiis,tanquam medio pariete, Iudæos à Gentibus diuellente, diſſolutis, & abolitis inter ſe, ſibi reconciliare,in carne ſua,moriens, pro vtríſque, & vtríſque afflans communem charitatis legem, & ſpiritum, tollenſque occaſionem diſſidij, legem ſcilicet mandatorum, quæ Circumciſionem, quam ridebant Gentes, mundabat, & abſtinere à porcina carne, aliíſque cibis, per legem immundis veſci; è contrario Iudæi ſpernebant Gentes veluti profanas, incircumciſas, ſine lege viuentes. Huiuſmodi itaque diſſidio ſublato, in vnam Eccleſiæ domum, vtraque coniunxit,ita,vt vtrumque populum, quaſi duos homines ſibi & corpori ſuo Eccleſiæ nimirum ſuæ,cuius ipſe caput eſt,inſeruit,& incorporauit,fecitque vtrumque hunc hominem, veluti nouum quendam hominem in nouitate vitæ ambulantem, & ſic[reconciliauit ambos in vno corpore, Deo,per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo,& veniens euangelizauit pacem vobis] ſcilicet Gentibus, [qui longè fuiſtis] à Deo, Chriſto, & ſalute

Digitized by Google

[& pacem iis] ſcilicet Iudæis [qui propè, quoniam per ipſum (ſcilicet Chriſtum) habemus acceſſum ambo in vno Spiritu ad Patrem] per eundem igitur Spiritum, per eundem ductorem, & impulſorem ambo Iudæi ac Gentes in vnum coaliti, per Chriſti merita, eiuſdem fidei, religionis, & Chriſtianæ charitatis, ita facti ſumus, vt nobis ſit cor vnum & anima vna. Quemadmodum ergo non patet ad Reges acceſſus, niſi per Principes, qui ſunt Regibus à cubiculis geſtántque auream Regij cubiculi clauem, quique ingreſſuris ſuum procurant ductorem & inſtructorem, vt ſciant quo geſtu, reuerentia, forma, modo debeant alloqui & compellare Regem: ſic hic Rex eſt Deus Pater, princeps parans aditum eſt Chriſtus, ductor eſt Spiritus ſanctus. Sic ferè P. Cornelius Cornelij. Ecce funiculus triplex ex Iudæis, Gentibus & Chriſto.

P. Cornelius ad Epheſ. 2.

8. Quî, obſecro, fieri poteſt, vt huiuſmodi funiculus rumpi poſſit, cũ partes eius charitatis filis intertextis, adeo ſibi inuicem inſerantur, vt vnũ perfectum, ac indiſſolubili, in ſpeciẽ, nexu, efficiant funiculum: ita vt tria illa fila charitatis vinculo, in vnum coaleſcentia, vnum quoddã eſſe diuinum efficiant. [Qui enim adhæret Deo, vnus Spiritus ſit cum eo] vnus, inquã, charitate, volũtatis conſenſu, gratia, & gloria, quæ hominem faciunt quaſi diuinum, & Deum, vt cum Deo quaſi vnus idémque ſit ſpiritus. Huiuſmodi à nobis donum, nouus Rex Chriſtus exigit, tres nimirum, in vnum, coalitos, Spiritum, qui vnum omnes, cum illo tertio cui per charitatẽ adhæreſcimus, ſentiamus, & faciamus. Hoc ipſum ſignificant ipſi tres hodie Reges Baltazar, Melchior, Gaſpar, quorum anima vna & cor vnum, dromedariis inuecti feſtinant, vt ſeſe, veluti triplicem, charitatis nexu, funiculum, copulatos, vnanimi conſenſu nouo Regi in donum conferrent.

1. Cor. 6.

Ita Ambroſius & Anſelmus.

Munus Deo gratum nos illi per charitatis vnionem connexos afferre.

9. Hoc itẽ illa munera, quæ apertis theſauris, Regi ſuo obtulerunt, indicare videntur, ardentiſſimæ charita

Reges obtulerunt chari-

Digitized by Google

charitatis aurum, quod poſſeſſorem reddit ditiſſimum,& ex fodinis cordis Ieſu altiſſimis erui poteſt. Quare ipſe : [Suadeo tibi emere à me aurum ignitum,probatum vt locuples fias;] Thus etiam ſuauiſſimi odoris,quod tantummodò ex quadrifida crucis Chriſti arbore erumpens, gratiſſimum hominibus, Angelis, Deo boni exempli & conuerſationis odorem afflat : [Chriſti enim bonus odor ſumus Deo,] bonam, inquam, Chriſti famam verbo & exemplo ac opere tres illi Reges ſparſerunt in honorem Dei [in iis qui ſalui fiunt] qui nimirum eorum bono exemplo, ac munerum perfectione excitati, ad Ieſu incunabula,cùm boni odoris thure feſtinant, vt ſuo etiam boni exempli odore, ac ſuauiſſimo orationis thure,cœleſtis pueri Ieſu nares recreent,quò fiet vt poſteri hoc allecti odore,noſtróque delectati exemplo,ac conuerſationis modo, veluti ex ſuaui aromatum fragrantia, ex audita noſtra conuerſatione munerúmque Deo oblatorum perfectione, noſtrorum chariſmatum æmuli ſint futuri. Nam quemadmodum ſuauiſſimus,ex ſuauiſſimis herbis, vel pretioſis aromatibus odor exhalatur:ſic ex bono exemplo, cœleſtique conuerſatione, ac in Deum beneficentia bonæ famæ fragrantiſſimus ad poſteros deriuatur odor: & ſicut aromata, quò magis conteruntur,eò maiorem ſpirant fragrantiam, ſic quò frequentius boni exempli, beneuolentiæ in Deum ac conuerſationis ſanctæ veluti aromata frequenti exercitio,tãquàm piſtillo conteruntur,eò ſuauiorem ad nepotes virtutum ſuarum odorem tranſmittent. [Habent enim, vt ait Bernardus, mores colores ſuos, habent & odores,odorem in fama,colorem in conſcientia. Colorem operi tuo dat eius bonitas, & cordis intentio,odorem modeſtiæ & virtutis exemplum. Iuſtus lilium eſt in ſe candidum, ſed proximo odoratum:proximo enim famam, nobis debemus, & proùidemus conſcientiam.] Habeant ergo & mores noſtri, ne puero Ieſu alioqui oblata à nobis diſpliceant

tatis aurum, thus boni odoris, & myrrham boni amoris.

Apoc.3.

2. Cor.2.

Similia.

Bern.ſer.71, in Cant.

ceant ſpirantes virtutum colores: Habeant & ſanctę conuerſationis odores, vt cum tribus Regibus, accepta Ieſu etiam munera offeramus odorem bonæ famæ, per totius vitæ decurſum habeant, habeant & cœleſtem bonæ conſcientiæ ſolidarum virtutum colorem, det operi virtutis colorem ipſius operis bonitas, & recta cordis intentio, det odorem modeſtiæ, & virtutis exemplum, det perfectionis ſtudium, & candidiſſima ſimus in conſcientiæ ſecreto lilia, ſed proximo & poſteris odorata, per bonam, ac illibatam vitæ noſtræ famam, & nobis per bonæ conſcientię teſtimonium, vt ſic noſtra munera puero Ieſu Regi noſtro grata acceptáque ſint, ac verè tunc Chriſti bonus odor erimus Deo in iis, qui ſalui fiét, qui nimirum noſtra cœleſti conuerſatione, incorruptis moribus, ſingulari vitæ exemplo, ac munerum in Ieſum largitione, ad vitam rectè inſtituendam, noſtríque imitationem excitabuntur [vt iis qui peribunt,] iis, inquam, qui ſæcularia deſideria, huius mundi crepundia, carnis fœtorem, tot bonorum chariſmatum odori præferent.

Quale donũ puer à nobis exigit.

10. Myrrham denique primam obtulerunt, quæ tantùm in monte Caluariæ, cum Chriſto reperiri poteſt, germanum enim & honeſtum ſui amorem ſignificat; nam ſicut myrrha corpora à putrefactione conſeruat; ſic verus ſui amor, quo caro, ſpiritui ſubditur, animam ab omni peccati putredine immunem reddit. Ecce triplex funiculus, qui difficulter rumpi poteſt, ex aureo charitatis filo, ex virgula odorati thuris, & ex myrrha prima continua nimirum corporis caſtigatione contextus, donum profectò Regium, quod poſtulat à nobis, Rex Ieſus.

Secvndvm Pvnctvm.

Diſſidio funiculus triplex rumpitur.

11. Secundo perpendamus loco, quomodo hunc triplicem charitatis funiculum, variis virtutum filis, pulcherrim è intertextum, munus puero Ieſu gratum,

Digitized by Google

gratum,diſſidio,ac contentione diſſoluatur. Vnicuique à natura inditum,vt ſui conſortes generis amet, ac complectatur,ac proinde, à natura maximè alienum,vt homines in ſe ipſos, ſuæ obliti conditionis, ad inſtar viperarum, quas Ægyptij in vnum locum compingunt,ſine cibo, aut exitu, quæ tandem fame vrgente mutuis ſe dentibus dilaniant,deſæuiant, & ſuæ naturæ conſortibus inteſtinum bellum indicant, qui diuini verbi fame, iuſto Dei iudicio, confecti, neſcientes ſui animi rancorem deponere, tandem mutuis ſeſe vulneribus confodiant. Quid enim funeſtius, quàm inſtar monſtroſorum illorum fratrum (quos vulgò Cadmæos vocamus,qui vix è materno egreſſi vtero mutuis ſeſe conficiebant armis) in exitium ac perniciem noſtrorum fratrum, neſcio quibus dolis ac obſcuris legum diuerticulis incumbere?

Scabini plebs & Maior vnum efficere funiculũ deberent.

11. Nonne vos Scabini(parcite licentiæ meæ,ex amore profectæ)fratres vocamini?nonne vos cætera plebs,fratres etiam dulci nomine inuicem compellatis? Nonne te Maior vigilantiſſime, quaſi Patrem patrum,ac plebis rectorem vulgò vocamus?quomodo verò Patrem,ſi paternis,ac iuſtis legibus, vnanimi Senatus conſenſu,ſancitis,filios non paſcas?quomodo illi filij, qui legibus, ac recta charitatis regula,rationi conſentaneis ac Reipublicæ vtilitati promouendæ, præſcriptis, minimè obtemperent? quomodo ille rector, qui verbo, exemplo & factis ſibi commiſſum populum non dirigit?cui B. Petrus:[paſcite,qui in vobis eſt;gregem Dei, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè; neque vt dominantes in (plebe)ſed forma facti gregis ex animo,& cùm apparuerit Princeps paſtorum percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.] Quod tamerſi Epiſcopis,ac Eccleſiæ prælatis dictum ſit; ſæcularibus etiam præpoſitis rectè applicari poteſt. Quomodo etiam meritò ſubditi appellari poſſunt,qui refractarij rectoris ſui imperia detrectant?quomodo,diſſoluto hoc amo-

1.Pet.5.

-ris

ris vinculo,Reſpublica veſtra ſtabit?an ignoratis cõcordia res paruas creſcere ; diſcordia verò magnas dilabi? Si velitis ergo hanc veſtram Rempub. florere,ita conſtituti eſſe debetis,vt horum trium, Maioris nimirum , Senatus , ac Plebis vna ſit voluntas, vnúmque velle iuxta Apoſtolum[idem ſapiatis]tam in fidei dogmatibus,ac Reipublicæ ſtatutis,quàm in amore & affectu,[eandem charitatem habentes]ſinguli ſeſe inuicem mutua complectantur charitate, quaſi vna eadémque charitatis anima viueretis]vnanimes id ipſum ſentientes] ita ſitis concordes, vt idem dicatis,idem ametis , ac ſi in omnibus vna eadémque eſſet anima, quæ tot diuerſa corpora , tanquam vnum , cum ſumma omnium animorum conſenſione regeret , facerétque tot homines [idipſum ſentientes , nihil per contentionem , neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes,non quæ ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.]

Philip.2.

13. O quàm præclarum Apoſtoli documentum! Quis, obſecro , ſi vos ita ſitis triplici hoc charitatis vinculo,in vnum,quaſi coniuncti;pacem veſtram interturbare poterit?Funiculus ſiquidem triplex difficilè rumpitur:quo tamen ſemel rupto, & tribus illis charitatis filis planè diuulſis , omnia peſſum itura, certiſſimum eſt, & florentem Reipublicæ veſtræ ſtatum,ita diſſidiis,ac contentionibus perturbatum iri, vt niſi in vnum ſcopum omnes ſimul collimetis , facilè viribus diſſipatis,à quolibet expugnandi & vincendi ſitis.Scipio expugnata Numantia rogauit Tyreſium Principem,qua de cauſa,ea prius inuicta,iam capta & euerſa eſſet?reſpondit Tyreſius ; concordia victoriam;diſcordia exitium præbuit.Quare meritò Micipſa apud Saluſtium iamiam moriturus , filios ſuos , paterno monuit affectu , vt concordes eſſent, aureum hoc memoriale illis relinquens:Concordia enim res paruæ creſcunt , diſcordia autem maximæ dilabuntur. Concordia ſiquidem omni firmior mu-

Plutarch. in Apoph. Regum.

Cõcordia res parua creſcunt,diſcordia magna dilabuntur.

ro2

ro,& omni inexpugnabilior munimento. Hinc cùm Lacedæmonij periclitarentur, Iſeus Sophiſta illud Homeri carmen recitauit:

Scutum hæſit ſcuto, galeæ galea, atque viro vir:

14. Et adiecit: ſic ſtate Lacedæmonij,& muris cincti ſimus. Vnde & Ageſilaus Lacedæmonũ Rex rogatus,quã ob cauſam Sparta mœnibus non cingeretur,oſtendit ciues armatos, & vnanimes: Hi, inquit, ſunt Spartæ ciuitatis mœnia. Lycurgus, inſuper,rogatus ab iiſdem,quo pacto,hoſtium impetum repellere poſſent? Si pauperes, ait, manſeritis,& contentiones mutuas deponatis. Duo enim ſunt,quæ Rempublicam euertunt; ſcilicet immodicæ diuitiæ, & concordiæ neglectus. Cùm ergo ita ſit, & vnum ex illis impedimentis à vobis ſit remotum, immodicæ nimirum diuitiæ, omni ſtudio contendatis velim,vt concordiæ amatores ſitis.

Pulchro exẽplo docetur funiculũ triplicẽ non poſſe rumpi.

15. Proponite quæſo vobis ob oculos inſigne illud Scilurij morientis documentum octoginta ſuis filiis exhibitum,qui ſagittarum colligatum faſciculum in medium coram filiis adferri iuſſit,quem maiori natu offerens vt frangeret poſtulauit, cuius conatum,vt irritum vidit(cæteris ex ordine filiis idem fruſtrà conantibus)ad extremum iuſſit ſigillatim ſingulas è faſciculo extrahi ſagittas & frangi,quas vbi facili negotio ad vnum omnes perfregiſſent, ſapienter admodum Pater, ita,inquit,vobis eueniet. Nam dum vno amoris nexu copulati fueritis, ſemper inuicti manebitis: illo autem nexu diſſoluto, ſine magno hoſtium diſpendio,victi proſtratique iacebitis. Nonne maximus exercitus ac ſuo robore aduerſæ parti formidabilis, ſi duce ſpreto, ac ordinibus deſertis, ſeſe in varia diſſipet loca, facilè ſuperatur? Nonne ingens ignis ſubtractis titionibus,ac in varia diſſipatis, facilè extinguitur? qui ſi in vnum rurſus rogum colligantur & magnum efficient ignem ac circumſtantes ſuo calore recreabunt: Vires enim collectæ ſe ipſis diſperſis fortiores.

16. Sed

Hydræ septē capitum discordia.

16. Sed videor, proh dolor! nescio quibus obscuris vestigiis mihi persentiscere Lernæam illam hydram paulatim irrepere ac septem sese cornibus attollere, vt nos impetat, extremam huius Reipublicæ perniciem machinantem, dissidiis ac contentionibus omnia turbaturam, cuius impetum reprimere non poterimus, nisi Hercules quispiam, singulis abscissis cornibus, ignem admoueat. Ac vtinam ego hodie is essem, qui verbi Dei gladio enascentia illa ex illo prodigioso discordiæ monstro, cornua præscindens, charitatis igne singulis admoto immanem illam bestiam exurere valeam! Vtinam saltem tanti mali præcipuos auctores, si seriò emendationem minimè proponant, Apostoli verba confundant [Vtinã, inquit, abscindantur, qui vos conturbant] vtinam (& ego cum Apostolo deprecor) citò abscindantur, qui triplicem hunc funiculum dissoluunt, disrumpunt, discindunt, fraude, odio, violentia. O si quis secum seriò reputaret, quantò Deus odio huiusmodi, qui funiculum hunc à se contextum sua disrumpunt maleuolentia, persequitur, tantùm abest, vt in proximi odio pergeret, vt statim potiùs omni deposito rancore, hunc funiculum à se sic dissolutum iterum instauraret. Audi, audi, quid Dominus de huiusmodi dicat per Sapientem, [Sex, inquit, sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius] eum scilicet [qui seminat inter fratres discordias] tanta est Dei detestatio in huiusmodi homines, vt eorum munera sint ipsi inuisa. [dona enim iniquorum non probat Altissimus] qui per Antonomasiam iniqui vocantur, illi sunt qui inter fratres discordias seminant, quorum oratio etiam coram Deo execrabilis: [Et oratio eius fiat in peccatum.]

Gala. 5.

Prou. 6.

Eccl. 34.

Tertium Punctum.

Variis vocamur stellis: ira

17. Nunc verò quod tertio dicendum loco proposui, accipite. Variæ quidē nobis stellæ exoriuntur, quibus

quibus Deus nos in ſui amorem trahere conatur. Sed quoniam inter cæteras duæ efficaciores, de iis agendum duxi. Nam licèt ipſa natura ſuam nobis præbeat non contemnendam ſtellam, rationem nimirum [ſignatum enim eſt ſuper nos lumen vultus tui] quæ quidem ſicuti non ſufficit, vt nos ad Deum ipſum, tanquam gratiæ auctorem ducat; ſic ſi quis eius ductum ſequi vellet, adeò miſericors eſt Deus, vt facienti quod in ſe eſt, iuxta rationis lumen, deeſſe nollet. Quia tamen paucos, qui eam tanquam viæ ducem ſequantur inuenimus, alias multò excellentiores, quarum fulgores ac coruſcantes radij nullis obrui tenebris poſſint, vobis ſequendas tanquam viæ duces proponam. Harum altera fides, quæ veluti fulgentiſſima ſtella intellectui, tanquam cœlo infixa, ad Chriſtum nos, inter tot errorum ambages viam muniens, ducit. Hæc eſt illa columna nubis, quæ ſpiritales Iſraëlitas per mundi deſertum ambulantes præit, donec ad optatam ſuæ peregrinationis metam perueniant. Hęc eſt illa cœlorum lingua, quę ſicuti Stella Magis è cœlo orta, diuino quaſi ſermone Ieſum natum, ac in præſepio poſitum ſignificauit, ſic ſupernaturali quadam voce cœleſtia infantis myſteria exhibita eſſe declarat. Hic eſt ille mundi oculus, qui ſicut illa antiqua ſtella velut quidam caligantis orbis oculus mundi veterem, vt ait Beatus Maximus, nouauit aſpectum: Sic hæc fidei ſtella verè caligantis orbis tanquam oculus cœleſtem cœcis aſpectum tribuit, quo à ſæculo abſcondita myſteria fidei oculo intuerentur. Et ſicuti ſtella illa Magos ad ignotum pueri præſepe ducens tandem diſparuit: ſic fidei ſtella vbi nos ſua luce, perſpectis omnibus myſteriis, ad huius pueri perfectam duxerit viſionem, extinguetur. Et ſicuti præuia fuit illis viæ comes, quæ vbi ad viæ metam eos perduxiſſet, euanuit: ſic in via fidei ſtella nobis opus, quæ vbi primùm Deum, non in præſepio, ſed in cœlo, non in pannis inuolutum, ſed ineffabili lumine veluti

tione primò vocamur.

Pſ. 4.

Secundò, fides.

Simile.

Maxi. ſer. 1.

Digitized by Google

amictu coruscantem, non inter bestias, sed super Cherubin sublimius residentem intuebimur, disparebit[videmus enim nunc,vt ait Apostolus,per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.] Ecce quomodo Apostolus fidem cum speculo comparet! nam licèt rem ipsam oculis exhibeat, id tamen facit per radium,non directum, sed reflexum, ideóque non propriè,clarè,distinctè, sed quasi procul,obscurè & confusè rem repræsentat:talis autem est cognitio per fidem de Deo & diuinis; quam habemus in hac vita,quia in cœlo directè, propè,clarè videbimus Deum in se facie ad faciē:sic P.Com.

1.Cor.13.

Quàm præclarum fidei speculum.

18. O diuinum speculum,licèt per te omnia salutis nostræ mysteria obscurius nobis proponantur, certissima tamen ea proponis cognitione!O speculū sine errorum macula quod præter morem materialis speculi æternitatis exemplar appellaris. [Fides, inquit Bernardus,veluti quoddam æternitatis exemplar præterita simul,& præsentia & futura, sinu suo vastissimo comprehendit:] O speculum adeò nobis necessarium,vt sine te in hoc peregrinationis nostræ periculoso itinere tutò ambulare non possimus! O cœleste speculū,quod nobis ad cœlestē patriam certissimam munit viā!O speculum nobis quotidie obtendendū,vt quid cuitandum, & quid amplectendū sit discamus!O caueamus ne hoc fidei speculū in aliquē erroris scopulū impactū frangamus!Caueamus ne alicuius menstruatæ halitu obscuretur,hoc est,ne alicuius fœdo hæreseos anhelitu obfuscato, repræsentādi vis imminuatur!Sed heu!quàm multis in hac nostra insula,hoc fidei speculū obtenebratum,quàm multis hęc viæ dux,hęc diuina fidei stella occubuit! quàm multis proh dolor!illa euanescente, tartareus hęreseos Cometa apparens æternū nunciat interitū! Heu! quàm multi in circumiacentibus etiam insulis in periculoso errorum pelago hæresen agitati, fluctibus hodie iactantur,fidei stellâ penitus occūbēte! Heu!quot quotidie variis nouarum opinionum procellis

Bern.ser.6.in Vigil.Nati.

cellis cõmoti, fidei aſtro (per quod ad cœleſtis patriæ portũ noſtræ nauigationis curſum dirigere deberemus)diſparente, profundo abſorbentur pelago! O,oculos, ô,oculos, tanquam experientis nautæ in Oriona ſemper defixos habeamus,in fidei, inquam, noſtræ ſtellam,quæ ſicut ille ſtellarum fulgore quaſi gladiis armatus apparet terribilis, ſic ſpei ac charitatis virtute informata quaſi cœleſtibus accincta gladiis,terribilis,vt caſtrorum acies ordinata,omnia ſua vi aduerſariorum perrumpens agmina,triũphans ab omnibus hæreſibus victoriæ palmam referet.

Fides ſine charitate nõ ducit nos ad beatitudinẽ.

19. Sed quoniam fidei ſtella clarum non habet lumen,& claritatis auctori Deo minimè ſit grata,niſi charitatis ſole illuſtretur,opus erit nouo ſole,tãquã viæ duce, cuius ſplendore cætera non obſcurentur virtutũ aſtra(ſicuti materialis ſolis fulgore obſcurari videmus cœlorũ ſydera)ſed potius magis illuceſcant;charitatis enim ac gratiæ ſole deficienti,cętera virtutũ aſtra,quaſi è ſuo auulſa orbe,quodãmodo pereunt:fides ſiquidẽ(ſicut & cæterę virtutes) teſte Iacobo,ſine charitatis & gratię operibus mortua eſt. Sicut ergo neq; vinitori vinea,neq; hortulano arbores florẽtes, neq; agricolæ erectæ in altũ ſpicæ ſine fructu arridentſic Deo fides bonis operibus vacua, licet mõtes transferat,minimè placere poteſt. Quãobrem ipſe Chriſtus omnem palmitem à ſe non ferentem fructũ ſublatum iri comminatur, & omnem qui fert fructũ purgatum iri vt copioſiorẽ faciat fructum.Fidei ergo bona opera, ex charitate ac gratia profecta,omnino coniungẽda,vt fides fructuoſa cẽſeatur,quo fiet,vt fide,tãquã certiſſima itineris duce, nobis ad vitæ terminũ viã oſtẽdẽte;charitas ac gratia vſq; ad ipſa auguſtiſſima Trinitatis ſubſellia nos comitentur,ac dirigãt.Hæc eſt charitas illa ſiue gratia iuſtificãs, quæ tanquam ſplendidiſſima in noſtro animæ cœlo,ſtella nobis apparens,non ad ſtabulum tantùm, neq; ad infantem pannis inuolutum, ſed ad claram etiam æterni Regis viſionem ducit.

Iac.2.

Ioan.15.

Radij gratiæ præuenientis præcedũt charitatis Solẽ.

20. Hanc verò charitatis ac gratiæ ſtellam, antequàm in voluntate veluti in cœlo apparere percipimus,quidam veluti radij diuinæ vocationis ſolent præcedere;gratiæ nimirum præuenientis,qui in peccatoris obſcurum peccati caligine pectus,immittuntur;quibus illuſtratus ac excitatus animæ ſuæ ſinum aperit, vt totum charitatis ſiue iuſtificantis gratiæ ſolem,intra ſe recipiat,Deúmque & omnia eius myſteria ſingulari amoris amplexu comprehendat. Hi itaque gratiæ præuenientis radij tanquam prænuncij ac prodromi à Deo miſſi quoſlibet ſubinde, vt à peccati tenebris ſurgant, monent, excitant,ſollicitant,viámque commonſtrant,vt tandem cum amoris muneribus ad Regem recenter natum feſtinent. Sed quoniam proh dolor! pauci reperiuntur, qui animæ ſuæ oſtium his radiis illuſtratum ac frequentibus etiam gratiæ pulſibus ſollicitatum aperiant, fit, vt pauci etiam veram charitatis ac iuſtificantis gratiæ ſtellam ſequantur, & qui Regi recenter nato digna deferant munera. Hæc de variis nobis à Deo ſtellis miſſis, quibus nos in ſui trahere amorem quotidie nititur.

Qvartvm Pvnctvm.

Multi qui nunquã præuiã viã ducẽ ſtellã intueri velint.

21. Sed quarto iam loco oſtendam paucos eſſe qui præuiam charitatis ac gratiæ ſtellam tanquam viæ ducem ſequuntur. Sunt itaque nonnulli, quibus adeò cor infatuatum eſt, vt gratis cœlum conſequi vanè præſumant,ac proinde nunquam præuiam viæ ducem ſtellam vel intueri velint,licèt verbis contrarium ſignificare ſolent, neſcio quo ſanctitatis ſimulatæ prætextu,imò maximè dolent ſi quando illis fax præbeatur, ne minus liberiores ſint in peccatis perpetrandis,aut ne lucis fulgore excitati à ſuis cogantur flagitiis reſipiſcere: [Qui dicunt Deo:recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus:] non abſimiles Herodi, qui ſimulato quodam pietatis

Iob. 21.

obſe

obsequio Messiam se adoraturum fraudulentis verbis præ se ferebat.[Ite,inquit,& interrogate diligenter de puero,& cùm inueneritis renunciate mihi,vt & ego veniens adorem eum.]cuius tamen in ea tanta extitit malitia, vt veluti crudelis lupus eius sitiret sanguinem. O quàm multos huiusmodi Herodes nostrum hodie fert sæculum, qui simulato amicitiæ fœdere innocentes circumuenire student! Heu! quàm multi, qui mentito deuotionis pallio Christum adoraturi in templum veniunt, qui eum tamen factis inhonorant!

22. Tenuit Ioab manu dextrâ mentum Amasæ, quasi deosculaturus eum,qui sub fraudulento amicitiæ obsequio mortiferum tegens odium, altera manu gladio eum interfecit.O quàm multi hodie Ioab, qui pacem cum proximo simulantes eum latentis gladij ictu feriunt!ô quàm multi osculum pacis fingunt,vt mortifera incautum trucident fica:ad osculandum Amasam, se finxit Ioab,sed occîdit. Osculo texit homicidium;& nos pietatis,ac amicitię pallio malitiam velamus, & sicut Herodes orationis fuco in puerum recenter natum odium abscondit;sic nos sæpè officiosis,in speciem,obsequiis,animi rancorem in proximum tegimus.Hinc Glossa ordinaria: [Herodes deuotionem promittit,sed gladium acuit,malitiam cordis depingens,colore humilitatis,finxit se vultu & verbis adorare eum, quem pro inuidia mente cogitabat occîdere.]Non obseruauit Amasa gladium Ioab: hinc ab illo improuidus occîditur: at verò è contrario Christus, quem nihil latere potest, sub fucato adorationis cultu, gladium obseruans Herodis,eius declinauit crudelitatem. O vtinam sic nos impiorum malitiam detegere possimus, vt eorum euitemus rancoris gladium! vtinam sub pietatis pallio tectum,in nostram perniciem,hac tempestate, obseruemus telum! Vtinam præuiam nobis charitatis ac gratiæ stellam vti Magi suam, subsequamur! sic enim cũ Christo opportunè nos subducere discemus,

2. *Reg.*20.

Multi sunt hodie Ioab, qui per osculum altos decipiunt.

remus, Herodis, diaboli, eiusque assectarum crudelitatis.

Aliqui visa stella ad sequelam excitantur, sed statim veniente tentatione recedunt.

23. Sunt præterea nonnulli qui visa charitatis ac gratiæ stella, eiusque radiis illuminati, nonnihil ad sequelam excitantur: sed statim leui pulsante concupiscentiæ titillatione, vel honoris, aut diuitiarum cupiditate, cœlestem illum gratiæ illuminantis radium, à se penitus expellunt, ac proinde densioribus peccati tenebris, quàm anteà obuoluuntur. Huiusmodi verò impium etiam illum Herodem referunt, qui cùm audiret Ioannem Christi veluti prænuntiam stellam, ab eóque corriperetur ob Herodiadem vxorem fratris sui, licèt nonnihil commoueretur, tantùm tamen abfuit, vt proficeret, aut stellam sequeretur ducem, vt etiam Ioannem in carcerem compingens, misso tandem spiculatore, à meretrice quidem sollicitatus, capite eundem minuerit! Insuper sanguinolentum illum Iudicem Pilatum huiusmodi sectantur, qui suæ conscientiæ syndereſi, quasi stellæ radiis toties repercussus, maluit tamen filium Dei Iudæorum voluntati flagellatum tradere, ne Cæsaris amicitiam perderet, quàm huiusmodi stellæ ductum sequendo, à maleuolorum manibus Christum eripere. Heu! quàm multi etiam sunt, qui ad instar Iudæ aures cordis sui, excluso omni gratiæ radio, diuino verbo obturantes nolunt intelligere, vt bene agant: [Declinant, quippe, oculos suos ne videant cœlum, & ne recordentur iudiciorum iustorum.]

Dan. 13.

Signum reprobationis stellam non sequi.

24. Huiusmodi suæ reprobationis signum in fronte mihi videntur gerere, qui tam impudenter conscientiæ igniculos extinguentes, immissas Dei inspirationes, ne prauas peccatorum exuant consuetudines, suffocant. Hi sunt, qui stellas viæ duces concionatores fugiunt, optimos quosque confessarios perhorrescunt, bene monentibus terga vertunt, séque solos sapere putant, & si quando ex Ecclesiæ consuetudine, ex præcepto confessarios quæ-

rere

rere cogantur, tantùm abeſt, vt aliquem ſibi, qui tanquam ſtella in huius vitæ tenebris illis foret, quærant, vt potius ad obſcurum aliquem, qui citius peccata abſorbere, quàm detergere nouit, ſeſe conuertunt, in quos illud Sapientis quadrat [via ſtulti recta *Prou. 12.* it oculis eius, qui autem ſapiens eſt audiet conſilia] ſtulti itaque illi ſunt, qui adeo ſe prudentes exiſtimant, vt fulgidas in mediis tenebris ſtellas fugientes, ad Cometas ſibi æternam comminantes mortem confugiant. At verò ſapiens, licet aliorum opinione ſapiens ſit, ſuæ tamen prudentiæ minimè innititur, ne ſi fortè ſibi doctori credat, ſalutis ſuæ iacturam faciat. Hinc Bernardus [ſeductori, inquit, *Bern. ſerm.* dat manum, qui dare diſſimulat præceptori] neque *77. in Can-* cuilibet ſed homini prudenti ac doctrina conſpi- *tic.* cuo, ſi fieri poſſit, tantum ſalutis noſtræ negotium committendum, iuxta illud Ambroſij. [Neque cuili- *Amb. l. 2. of-* bet ſed huiuſmodi viro ſalutem noſtram, & exiſti- *fic. c. 8.* mationem committamus, qui ſit iuſtus & prudens: facit enim iuſtitia, vt nullus ſit fraudis metus, facit enim prudentia, vt nulla ſit erroris ſuſpicio; quis enim in cœno fontem requirat? quis è turbida aqua *Et c. 8.* potum petat? itaq; vbi luxuria eſt, vbi intemperãtia, vbi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriẽdum exiſtimet, quia vtilẽ cauſæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ ſuæ?] vos itaque cum Bernardo oro, atque obſecro, nouellæ plantationes Dei, vos qui nõdum exercitatos habetis ſenſus, ad diſcretionem boni, & mali nolite ſequi cordis veſtri iudicium, nolite abundare in ſenſu veſtro: ne vos tanquam rudes adhuc, verſutus ille venator decipiat.

25. Huiuſmodi qui ſtellam tantum intueri vo- *Sicut nõ au-* lunt, ſed non eius ſequi ductum, verùm eam potius *dire verbum* auerſantur, iuſta Dei ſententia damnationi adiudi- *Dei, reproba-* cantur. Lucida verò ſtella illa Concionatoris aut *tionis: ſic au-* Confeſſarij verba ſunt, quæ ſua Deus eſſe reputat: *dire, electio-* qui ergo eorum verba non audit, Dei verbum ſper- *nis ſignũ eſt.* nit & cœleſtem illi à Deo ſtellam, ad ſui conuerſio-

nem missam negligit, atque adeò Deum ipsum despicit, sed qui illorum verba audit stellámque sibi missam amplectitur, Dei verba audit, eiusque nuncium magni facit, quod euidentissimum electionis argumentum est. [Qui enim ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis :] in quæ verba Gregorius: [si inquit verba Dei audit, qui ex Deo est, & si audire verba eius non potest, quisquis ex illo non est, interroget se vnusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, & intelliget vnde sit.] Cùm ergo Dei verba, quæ eius sint discernant, cuius an cœli an inferni ciues simus, quisquis ea repellit ciuem se inferni & non cœli fatetur, ac proinde reprobum: sicut è contrario, quisquis ea amplectitur ciuem se cœli, & non inferni ostendit.

Ioan.8.

Greg. homil. 18.in Euang.

Alij stellam cum gaudio eminus contemplantur, illam tamẽ minimè sequuntur.

26. Alij ad istius stellæ ortum lætitia affecti, ad tempus eam eminus contemplantur, eiusque recreati splendore admirantur, eam tamen viæ ducem minimè sequuntur, quorum amor adeo carni rebusque terrenis adhæresit, vt nequeat se in Deum attollere, sua mole deorsum semper præcipitatus. Huiusmodi nihilominus nonnunquam suaui gratiæ motu incitati, præ gaudio in lachrymas soluuntur, sed cărnis pondere prægrauati gratiæ ductui non obsequuntur, atque adeo in peccatorum suorum stercore, tanquam iumenta, inhæresentes computrescunt. Quorum conditionem Dominus per Ezechielem clarè expressam voluit. [Dicunt vnus ad alterum loquentes : venite, audiamus quis sit sermo egrediens à Domino, & veniunt ad te, & sedet coram te populus meus, & audiunt sermones tuos & non faciunt eos, quia in Canticum oris sui conuertunt illos, & auaritiam sequitur cor eorum, & est eis quasi carmen musicum quod suaui dulcique sono canitur, & audiunt verba tua & non faciunt ea.] Quàm graphicè Spiritus sanctus horum nobis ingenium animique propensiones proponit.

Ezech.33.

Digitized by Google

proponit. Et faxit Deus, vt in hoc ſchemate, vos qui verba mea modò auditis, non depingamini. Libenter quidem auditis Dei verba, quæ vobis inſtar ſtellarum ſuauiter corda demulcentia illuceſcunt, ſed vereor ne anima tenebris inuoluta, & eorum ſuauitas ſimul & lumen ſtatim hebetentur. Sedetis quidem coram me, vt ait Dominus, & ſermones meos auditis, ſed faxit Deus ne illud, quod ſubditur in vos quadret [non facitis eos] vbi enim morum in melius commutatio? vbi amor Dei ac proximi in vno copulatus vinculo? vbi fratrum reconciliatio? vbi pauperum ſuſtentatio? vbi odia ex animis extincta? ſermones meos quidem auditis, ſed non facitis eos: dulce ſonant in auribus, tanquam carmen muſicum, aut lyræ ſuauis ſonus, quo tranſacto aures remanent vacuæ, & corda rurſus lapideſcunt. Quemadmodum enim ſuauis vocum concentus, breui temporis ſpatio aures oblectat, & mox tranſit: ſic verborum à me prolatorum concentus aures corporis demulcet, ſed proh dolor! nihil in animis forte impreſſionis relinquens, tanquam inanis per aëra volat ſonus. Suauiter vobis ſæpe canitur, aures corporeas mea demulcet cythara, at vbi ceſſat, nihil dictorum recordamini: omnia enim cum linguæ ſono, proh Deum immortalem! ſine fructu euaneſcunt. O quàm procul hodie abſunt huiuſmodi à puero Ieſu, cuius tamen vocem per prædicatorum verba audiunt, & quàm horribile illis iudicium erit, quippe qui vocati per varias ſtellas venire recuſant! ô quàm terribilem in eos tandem ſententiam in die iudicij fulminabit: [Diſcedite à me qui operamini iniquitatem. Amen quippe dico vobis nemo virorum illorum, qui vocati ſunt per varias prædicationis ſtellas, guſtabit cœnam meam. *Simile.* *Luc.* 14.

27. Alij denique & ſtellam vident, eiuſque viſu delectantur, eam ſequuntur & pergunt donec ſua munera Dei ſcilicet, ſui & proximi amorem

in vnum funiculum coalescentem Christo offerant: [Vidimus, inquiunt, stellam & venimus.] Multi quidem vident, sed rebus implicati terrenis, ita hærent, vt nunquam dicant, Venimus: non satis ergo dicere [vidimus] sed necesse etiam ad æternam salutem vt sequatur [venimus.] O quàm fœlices illi, quibus ita stella apparet vt eam etiam sequantur. [Surgam, inquit filius prodigus, & ibo] visa Dei stella, præuia scilicet gratia conuersus in se ipso ingemuit: [Surgam, inquit, & ibo] surgam per gratiam præuenientem excitatus, [& ibo] per gratiam subsequentem, donec Patri meo occurram, eique pœnitentia ductus, dicam, [Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.] Ecce peccati confessio, cuius anteà in se reuersus dolorem excitauit [fac me sicut vnum de mercenariis tuis] Ecce satisfactio [adhuc cùm longè esset] (nondum enim gratia iustificans eius animam ornauit, maximè in initio gratia excitatus præueniente) pater misericordia motus filio occurrens cecidit super collum eius & osculatus est eum.

Non satis est videre stellã sed illam sequi oportet.

Luc. 15.

28. O fœlix stella nobis appare, tuis nos radiis illustra, tuóque iubare adamantina corda penetrans excita, perturba, perfringe vt dicant diuino accensa amore internis motibus linguam inflammantibus, [Vidimus stellam eius in oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.] Surgamus ergo iam cordibus, diuino igne accensis, cum Magis, & accingamus nos itineri; surgamus cum filio prodigo, & intenta voce sibi quisque vim inferens exclamet: [Surgam & ibo] surgam per gratiam præuenientem, è peccatorum cœno excitatus [& ibo] per gratiam subsequentem, neque quiescam, sed ibo de virtute in virtutem, ibo donec cœlestis Pater misericordiâ motus mihi occurrens in collum irruat, ac mutuis amoris facibus incensi ingeminemus: [Osculetur me osculo oris sui,] ibo donec

Non sufficit surgere Dei gratia excitatis nisi etiã pergant de virtute in virtutem.

Luca 15.

Cant. 1.

Digitized by Google

donec mihi occurrant miniſtri Domini mei, virtutes ſcilicet omnes, quæ mihi ſtolam primam, gratiam ſcilicet & charitatem amiſſam induant. Ibo donec occurram ſponſo animæ meæ qui ſuo amoris annulo ſubarabit me: ſignum datæ & acceptæ fidei dabit vt ſpero. Ibo & nudos exhibebo pedes, donec ſponſi induar calceamentis, affectibus nimirum ab omni inordinatione expurgatis, & tunc præ ſtupore omnes noua ornamenta intuentes exclamabunt: [Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis] nec mirum, ita enim inferioris animæ affectus cœleſtis ſponſi amplexus, vti ſpero, expurgabit, vt cœleſtia ſolùm in poſterum, terrenis omnino relictis, ſim contemplaturus, ac tandem ſic nouo veſtitus nuptiali indumento, vitulum ſaginatum in epulum mihi propoſitum, illum ſcilicet, qui per gratiam noſtrorum munerum eſt præmium, ſub panis & vini pallio, in cœleſti gloria veluti perpetuam refectionem, & cœnam magnam in æternum manducabo. *Cant. 7.*

EXEMPLVM.

29. Narrat Antoninus quendam aliquando Franciſcani ordinis votum ſuſcepiſſe, poſteà verò mutato conſilio factum eſſe Canonicum. Poſt paucos verò menſes in lethalem incidiſſe morbum: quam ob cauſam admonitum à ſuis de anima per confeſſionem expianda reſpondiſſe; nil eſſe opus, quoniam oſtenſum ſibi eſſet, ſe eſſe in æternum damnatum: quare ne amplius ſibi moleſti eſſent, quia non poſſet confiteri: Apparuit enim mihi, inquit, Dominus iratus dicens, vocaui & renuiſti, ideo vade ad pœnas inferni. Quo dicto expirauit. *Antoni. 3. p. tit. 24. cap. 9. §. 7.*

habebit, vt tanquam ſummum ſibi delatum munus, ſua ſit gratia remuneraturus.

Si terreni Reges exigua in ſe collata munera magni compenſant, quanto magis cœleſtis Rex.

2. Si enim terreni Reges magni compenſare donis, exigua ſuorum ſubditorum munera, ex ſincero profecta amore ſoleant; quanto magis cœleſtis hic Rex bonam cuiuſque voluntatem, quam omnibus præfert muneribus, ſua ſit compenſaturus eximia liberalitate. Antilochus Poëta, cùm nihil aliud ſuppeteret, quo Regi ſuo Liſandro gratularetur, illi ſaltem aliquot exhibuit verſus, quos tanta beneuolentiæ ſignificatione, tanquam ſummum donum Rex acceptos habuit, vt illi ſtatim infundi tantum pecuniæ iuſſerit, quantum eius galerus capere potuit. Sinetes etiam cùm nihil aliud aduentanti Regi afferre poſſet, ad proximum feſtinus accurrit fluuium, & pugnum aquæ plenum Artaxerxi offerens, eius aduentui gratulatus eſt, quod quoniam ex vero profectum amore exiguum hoc congratulationis ſignum Rex vidit, ita grato acceptauit animo, vt phialam auream, cum mille daricis ei dari iuſſerit. Nemo itaque nobilius, aut pretioſius donum, eo impendere poteſt, quod ex vero amore, ac ſincero proficiſcitur corde, inter omnes enim theſauros (vt ait Ariſtoteles) mens hominis potius exiſtimanda: Ante Dei enim oculos (vt ait Gregorius) nunquam eſt vacua manus à munere, ſi fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Nihil enim offertur Deo ditius bona voluntate, neque perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur affectu.

Greg. ho. 5. in Euang.

Bona voluntas magnum eſt munus.

3. Nonne duo minuta viduæ pluris Chriſtus æſtimauit, reliquis diuitum oblationibus? Latronis in cruce appenſi ita acceptam etiam habuit bonam voluntatem, vt æterno eam præmio honoraret. Et hodie myrrham & thus licet exigua, tanta tamen maieſtate, quaſi digna munera, puer Ieſus acceptauit. Donum enim non tam Deo gratum, quàm animus ac voluntas liberalis donantis. Hinc in Geneſi non ad Abelis donum, ſed præcipuè ad ſincerum dantis animum

Gen. 4.

animum dicitur Dominus respexisse: [respexit Dominus ad Abel,& ad munera eius.] Quo significare voluit,munus ex donante,non autem,ex munere donantem,æstimationem accipere.Quod clarius etiam eodem loco indicauit:[Ad Cain autem,& ad munera eius non respexit.] Cùm enim donans illi non placuerit,etiam eius munera minimè placere potuerunt:[Dona enim impiorum non placent Altissimo.]

Eccl. 34.

Quicumque ergo siue diues,siue pauper, siue nobilis,siue ignobilis,siue puer,siue puella, siue iuuenis, siue senex,magno accede desiderio, adfer quantum potes: [Non apparebis enim in conspectu Domini vacuus.]Siue exiguum illud sit,siue magnum, accede,inquam,ex flagranti amoris incendio, & si nihil aliud habeas,id quod carius habes, Deo dona, teipsum nimirum:& Rex nouus,non te vacuum dimittet,sed animæ tuæ sinus gratia, amore,misericordia, ac infinitis penè donis implebit. [Lætatur enim in operibus suis]& semper cogitat,quomodo magnificet hominem:Princeps enim,vt ait Isaias,ea quæ digna sunt Principe cogitabit, & ipse super duces stabit, vel,vt est in Hebræo, magnificus magnificentias cogitabit, & super duces stabit, id est, qua potest ratione duces, & principes velet omnes esse, & in his consiliis factisque magnificentissimis sese exercet, quæ in eius gloriam ac magnificentiæ ostensionem redũdant,iuxta illud Chrysostomi, qui elegãtissimè & accommodatissimè huic nostro negotio illud Pauli interpretatus est:[Iustificati gratis per gratiam ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ.][Quidhæc sibi vult(ait Chrysostomus)Ad ostẽsionem iustitiæ suæ? Quemadmodum diuitiarum ostensio facit, vt non solùm ipse diues sit, sed etiam alios diuites reddat: & vitæ ostensio, vt non solùm ipse viuens sit,sed & mortuos viuificet; & potentiæ,vt non solum ipse potens sit, & infirmos confirmet: sic & iustitiæ ostensio facit, vt non solùm ipsemet sit iustus,sed & alios iustos efficiat.] Offeramus itaque

Eccl. 35.

Deus semper vult creaturas suas amplificare.

Isai. 32.

Digna Principe cogitatio.

Rom.3. Chrysost. in illum locum.

Simile.

itaque liberali Regi noſtro, licèt id modicum ſit, ex toto cordis affectu : nam quemadmodum hedera, quamuis natura ſua ſemper humi ſerpat, quæ ſeſe muro, aut arbori inſinuans, in tantam ſe attollit altitudinem, in quantum ſeſe murus, vel arbor porrigit; ſic noſtræ oblationes, quamuis ex ſua natura abiectæ ſint, neque ſeſe ſupra naturæ vires efferant, gratiæ tamen ac Chriſti meritis, ſi adhærent, ſupra naturæ vires, in cælum vſque ſeſe porrigunt.

Concionis diuiſio.

4. Quatuor dicenda. Primum, Deum voluiſſe ſibi altare exſtrui in area Areunæ Ethnici, quo ſignificauit ſe aliquando honorandum apud gentes, quarum primitiæ tres reges Samariæ & Damaſci ſpolia. Secundum, quo excitati nuncio tres reges ad Chriſtum venerint. Tertium, plurimas eſſe ſtellas, quæ nos inuitant ad Chriſtum adorandum. Quartum quænam munera regi recenter nato offerenda. Sed priùs efflagitanda Spiritus ſancti gratia Beatiſſimæ Virginis interueniente ope. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Quanta ob numeratum populũ vindicta! Ioſeph. l. 7. c. 13.

5. Numerato olim populo, Rex Dauid, in ſe, diuinam incitauit iram, quod oblitus mandati Moſaici, quod prædictum fuerat, vt ſi dinumeraretur populus pro vniuſcuiuſque capite Deo ſiclus, vt auctor eſt Ioſephus, præberetur; quod etiam tumore repentinæ elationis inflatus populum numeraſſet; vnde in duobus peccauit, & quod ſuperbè numerauit, & quod numerati non reddidit pecuniam Domino, vti in Exodo præcipitur, & tamen vindictam populus, Dauide peccante, ſuſcepit. Cur hoc? quia videlicet, vt ait Eucherius, ſecundùm meritum plebis diſponuntur corda rectorum. Ob hoc itaque crimen trium dierum ſpatio, peſte, mirum in modum, graſſante, ſeptuaginta millia virorum interierunt. Cumque ſtricto gladio manum ſuam ſuper Ieruſalem Angelus extendiſſet, vt eam penitus deleret, tanto perturbatus prodigio, [fleuit Dauid,] & meruit, vt mortem populi pereuntis, diuina remoueret miſeri

Exod. 30.

2. Reg. 24.

Digitized by Google

misericordia, quando tribus sibi propositis optionibus, eam tamen in qua maiorem Domini miserationem experiretur, elegit, vt ait Ambrosius. Quare diuino iussu Propheta Gad Regem accessit, illique suasit, vt Deo altare extrueret in area cuiusdam Ethnici Iebusæi nomine Areuna. Quod vbi perfecissent Dauid, statim sæuire in populum peccantem, qui per Regis culpam, pœnam, vt ait Augustinus, sustinuit, præcedentium delictorum, desiit Angelus, & Israël Deo reconciliatus est. Quid, obsecro, mysterij in huius altaris extructione in area hominis Ethnici delitescit? quorsum Deus sese honorari in prædio hominis infidelis voluit? nonne facilè sibi aream altaris construendi, in vastissima illa ciuitate Ierusalem, aut in tota terra Israël reperire poterat? aut cur non in magnifica ipsius Regis domo sibi altare erigi iussit potius, quàm in agro hominis, à fide ac religione alieni? nullus sanè locus Deo arrisit, præterquam Ethnici huius area, in qua altare sibi & templum collocari placuit, quo nobis significaret, se aliquando apud gentes multò ampliora loca inuenturum, in quibus, & altaria, & templa sibi dicata reperiret. [Aduertite (inquit Augustinus) fratres, quia in Iudæorum terra non inuentus est locus dignus, vbi altare Domini poneretur; sed in terra gentium locus eligitur, vbi & Angelus Domini videtur, & ibi Domini altare construitur, & sic ira omnipotentis Dei mitigatur.]

Ambros. de pœn. l. 2. c. 6.

August. de mira sacra scrip. l. 2. cap. 13.

August. ser. 198. de tempore.

Tres Reges in illo ethnico Areuna præfigurabantur.

6. Hoc impletum esse, Deo laus, coram contemplamur. Nam Christus Dei filius suam ex populo Iudaico originem trahens, inter Iudæos in Bethlehem natus, adeo despectus fuit, vt ab omni exclusus domicilio, ei in ipso diuersorio minimè locus esset, & bestiarum stabulum ingredi cogeretur. Sed ecce hodierno die gentiles illos, qui in illo Ethnico Areuna præfigurabantur, è longinquis regionibus dromedariis inuectos, certatim accurrere videmus, & Regi recenter nato, dona, ac munera in agnitionem absoluti

Digitized by Google

luti in ſedominij,illique tanquã ſupremo totius vniuerſi Regi perfectæ obedientiæ, offerre, ſeſéque eius obſequio penitus deuouere: quippe qui Domino ſuo IESV,à Iudæis ſic neglecto,tot areas,in quibus altaria,& têpla eius nomini dicarentur,in ſuis regionibus,in perpetuũ duratura,paraturi erant,quot hodie Eccleſias,& altaria, per totũ Chriſtianũ orbem longè latéq;erecta,& diuino numini conſecrata cernimus,[In propria quidem venit,& ſui eũ non receperunt.]Hinc Gẽtes,ſtella duce,acceleraruntvt quẽ Iudæi contempſerunt,& ex propria etiam domo expulſuri tandem erant, cum gaudio in ſua reciperent palatia. Quantum verò vtilitatis, & dignitatis inde conſecuti ſunt, ſubiectis verbis indicat Euangeliſta. [Quotquot(inquit)receperũt eũ]ſummam ſibi compararunt dignitatem,vtpote, qui nõ ab aliquo Rege terreno,vel Imperatore,ſed ab ipſo Regum Rege & vniuerſi Imperatore Deo in filios adoptati ſint,quã dignitatem meritò exaggerat magnus Gregorius. [Quid,inquit,hac poteſtate altius? quid hac altitudine ſublimius,dici poteſt?]imo [omnia,vt ait Leo, dona excedit,hoc donum, vt Deus hominem vocet filium,& homo Deum nominet Patrem.]

Ioannis 1.

Greg.hom.6. in Ezechiel. Leo ſerm. 6. de Natiuitate.

7. Quare licèt Reges illi natalium claritate conſpicui extiterint,tanti tamen Patris iam filij,per gratiam effecti, multò altiùs, de noua nobilitatis generatione,quod ex Deo nati eſſent,quàm quod atauis editi Regibus,ſentire cœperunt,& ſublimiora ſolito animo voluere,conſcij tantæ filiorum Dei dignitatis ſeſe participes eſſe non ignorarũt.Regum itaque filij magna moliri bella,triumphos,trophæa ſolẽt,ad vilia ſordidáq;famulorũ miniſteria ſeſedimittere erubeſcunt, Dei verò filij multò nobiliora animo concipere debent, aduerſus tartareos hoſtes prælia ciere, victorias laureáſque æternas ſperare, nunquam verò ad ſordidiſſima vitiorum miniſteria generoſum cor abiicere,memores cuius parentis ſunt filij.Hinc ille magni Leonis rugitus generoſa Chriſti parentis

Quanta filiorum Dei dignitas & nobilitas.

Leo ſerm. 1. de Natiuitate. pignora ad ſui generis nobilitatē conſiderandam excitat.[Agnoſce ô Chriſtiane dignitatē tuā,& diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterē vilitatē degeneri conuerſatione redire,memento cuius capitis,& cuiuscorporis ſis mēbrū.Reminiſcere,quod erutus de

Leo ſerm. 6. poteſtate tenebrarū,trāſlatus es in Dei lumen,& regnū:& alibi, [Genus electū & regiū regenerationis ſuæ reſpōdeat dignitati:diligat quod diligit Pater,& in nullo ab auctore ſuo diſſentiat,ne iterū dicat Dominus:filios enutriui,& exaltaui,ipſi autē ſpreuerūt

Iſa. 1. me. Huiuſmodi fuere optimi filij tres Reges,qui à Patris ſui IESV volūtate nunquā degenerarunt,ſed in filiorum Dei adoptionē vindicati,tantū,abfuit vt ad vana mūdi crepundia rerúmq;terrenarū ſordes redi-

Torpinius par. 1. dia. 4. cap. 21. & Chryſoſt. hō. 2. in Matth. rent,vt potius à B. Thoma poſteà in Oriēte baptizati eius in poſterū prædicationis ſocij ac adiutores fierent.Quēadmodū ergo filius Dei naturalis Chriſtus Patris æterni imago : ſic Reges ij in filios Dei per gratiā adoptati Patris ſui Chriſti animarū amantiſſimi,per zeli animarū imitationē perfectæ extiterunt imagines.Quæ res ſumma nō caret dignitate,& gloria.[Si enim,vt ait Leo,ad humanā pertinet laudē,vt Patrū decus in prole reſplēdeat;quāto magis gloriosum eſt à Deo natos in auctoris ſui imaginē refulgere,& illū in ſe oſtēdere,qui illos generauit.] Videtis filiorum dignitatē, quā Dei filius Magis cōtulit,qui eū à ſuis neglectū in ſua receperunt palatia,quorum olim Deus pietatē intuēs,in illo Iebuſæo Areuna,in eius area potius,quā in aliquo totius Iſraēlis loco,ſibi altare erigi voluit,cuius hoſtiā placaretur,qua nō tantū à cæde Iſraēlitarū cohibitus fuit;ſed etiam, vt Gentilib' ſuccurreret adeo impulſus,vt eos à ſuperſtitioſo idolorū cultu,ad veri Dei notitiā traduceret.

Quid per ſpolia & damna ſignificetur. Iſa. 8. 8. Hæc ſunt illa ſpolia Samariæ,& Damaſci fortitudo,tres nimirum Reges à vano idolorū cultu diabolique tyrānide,ad vnius veri Dei cognitionem,& adoptionē filiorū Dei vocati,quos olim Iſaias infantulum antequā per ætatē ſciret vocare Patrem ſuum,

&

& matrem,in ſpolia ablaturũ à Samaria & Damaſco vaticinatus eſt,cui(quoniã ideo in mundum venit,vt huiuſmodi ſpolia diabolo detraheret)egregij pugilis nomen,à Spiritu ſancto impoſitũ.[Voca,inquit,nomẽ eius,accelera ſpolia detrahere,feſtina prædari:] quo nomine Meſſiæ Regis aduẽtus,bella,victoriæ,triumphi,totiúſque eius principatus & imperij fœlicitas, ac per orbẽ vniuerſum propagatio cõtinetur.[Voca, inquit,nomen eius,accelera ſpolia detrahere,feſtina prædari:quia antequã ſciat puer vocare Patrẽ ſuum & matrẽ ſuã,auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ:]Ciuitates enim iſtæ,in quibus idolorũ ſeruitus maximè exercebatur,Gentiũ idololatriæ ſeruitutem adũbrarunt,quæ hodie,non armis,ſed cœleſti virtute ſubactæ,corã Rege Aſſyriorũ,dæmone ſcilicet,& Herode,& filio Dei inſidiãtibus,ſed & videntibus & fremẽtibus,quarũ opima ſpolia, puer Iesvs hodie diripuit,cũ Magos illos,tanquã Gentiũ primitias;ab oriente,ſtella duce,ad ſe adorandũ euocauit, qui meritò Gentiũ fortitudo & opulenta eorũ ſpolia appellari debẽt:quippe,'qui Reges ſunt,& ſapiẽtes,iuxta illud Chryſoſtomi.[Magi adorãtes Chriſtũ dicti ſunt virtus Damaſci:quia virtus vniuſcuiuſque prouinciæ ſunt ſapiẽtes illius.]Deſinãt ergo Iudæi in poſterũ tã viliter,& abiectè de Chriſto nugari,deſinant illum adhuc afferere venturum,& coactis toto orbe copiis,deſcriptóq; milite,de regno aliquo temporaneo triũphaturũ,arbitrari.Si enim Meſſias iuxta Iſaiæ prædictionẽ adhuc infantulus fortitudinẽ Damaſci,& ſpolia Samariç erat direpturus,id nõ armorum virtute,ſed cœleſti deſignatione effectũ iri,neq; terrenũ aliquod regnum,ſed cœleſte,ſuæ ditioni adiuncturum,credendum eſt,quod hodie coràm,à puero Iesv factum,clarè videmus,Reges eorumque regna,ſtella duce, ad fidei cognitionem perducendõ; in quorum terris templa, & altaria olim deſignata, in illo altari in Areunæ area conſtructo,pro corporis & ſanguinis ſui ſacrificio,quo Patris cœleſtis ira

Chryſoſt.hõ. 2. in Matt.

in peccatores efferuescens mitigata subsideret, fabricaturus.

Tertull. l. aduersus Iudæos c. 9.

9. Vultis diuinam hanc de diabolo victoriam hodie partam, à Tertulliano graphicè descriptam audire, qui prius his verbis aduersus Iudæos eleganter ludit. [Sono etiam nominis inducuntur, cùm virtutem Damasci, & spolia Samariæ, aduersus Regem Assyriorum, sic accipiunt: quasi bellatorem portendant Christum, non animaduertentes, quid scriptura

Contra Iudæorum pertinaciã egregiè luditur.

præmittat; quoniam priusquam cognoscat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci & spolia Samariæ aduersus Regem Assyriorum. Ante est enim vt inspicias ætatis demonstrationem, an vitum iam Christum exhibere ista ætas possit, nedum Imperatorẽ? scilicet vagitu ad arma esset conuocaturus infans, & signum belli non tuba sed crepitacillo daturus, nec ex equo, vel de muro, sed nutricis, & gerulæ suæ dorso, siue collo hostem designaturus, atque ita Damascum, & Samariam, pro mammis subacturus. Aliud est, si penes vos infantes in prælium erumpunt; credo ad solem vncti prius deinde pannis armati, & butyro stipendiati, qui ante norint lanceare, quàm lancinare. Enimuerò si nusquam hoc natura concedit ante militare, quàm virum facere, ante virtutem Damasci sumere, quàm Patrem nosse, sequitur vt figuratè prænunciatum videatur] quibus verbis Tertullianus ostendit de spiritali victoria Gentiumque spoliis, per earum ad fidem conuersionem, diripiendis, Isaiæ vaticinium intelligendum, vti communis veterum Patrum expositio & ipsemet Tertullianus perspicuè declarat.

Tertul. eodem loco. Spolia Samariæ & Damasci tres Reges.

[Spolia, inquit, Samariæ accepit ipsos Magos, qui cùm illum cognouissent, & muneribus honorassent, & genu posito adorassent, quasi Dominum Regem, sub testimonio indicis, & ducis stellæ, spolia sunt facti Samariæ, id est, idololatriæ, credentes in Christo: idololatriã enim Samariæ nomine notauit, vt ignominiosæ, ob idololatriam, qua defciuerat à Deo, sub

rege

rege Ieroboam. Aduerſus autem Regem Aſſyriorum, hoc eſt, aduerſus diabolum qui ad hoc ſe regnare putat, ſi ſanctos à religione Dei deturbat.] Audiſtis victoriam.

Gratia labiorum & diuini verbi gladio vſus eſt armis.

10. Audite etiam quonam armorum genere, quibúſve copiis, infans IESVS abſtulerit fortitudinem Damaſci,& ſpolia Samariæ diripuerit, ab eodẽ Tertulliano, qui vbi docet IESV fortitudiné fuiſſe, admirabilem infantis pulchritudinem, eximiamque naturæ lenitatem,& manſuetudinem,quibuſnã armis pugnauerit,ſubiunxit: [Adiuuabitur,inquit,hæc noſtra interpretatio,dum & alibi bellatorem Chriſtum ſcripturæ deſignant, vt armorum quorundam vocabula,ſed ex reliquorum ſenſuum comparatione conuincentur Iudæi: Accingere, inquit Dauid, enſem ſupra femur.Sed quid ſuprà legis de Chriſto? ὡραῖος πρὸ τῶν υἱῶν, ideſt,tempeſtiuus decore,ſuper filios hominum;diffuſa eſt gratia in labiis tuis.Valde autem abſurdum eſt, ſi quem ad bellum enſe cingebat ei de tempeſtiuitate decoris,& labiorum gratia blandiri, de quo ſubiungens,dicebat:Extende,& proſperare, proſpera & regna: & adiecit; propter lenitatem & iuſtitiam tuam: quis enim enſe accingitur, & non contraria lenitati,& iuſtitiæ exercet,ideſt,dolum & aſperitatem,& iniuſtitiam, propria ſcilicet negotia præliorum? Videamus ergo an aliud ſit enſis,cuius eſt alius actus,id eſt,ſermo diuinus,bis acutus,duobus teſtamẽtis legis antiquæ,& legis nouæ?Ecce quã inuſitatus infanti IESV affingitur enſis,decor nimirũ & pulchritudo.]Regius enim vates,vti Tertullianus expendit, antequam eum enſe cingeret, eius pulchritudinem, & venuſtatẽ mirificè extulit, qua cum diuini verbi prædicatione coniuncta, matura iam ætate,tanquam gladio ancipiti vniuerſum ſibi orbem ſubiecit.Licuit ergo(vt ait Tertullianus) & Chriſto enſem ætate creſcente ſermonis Dei præcingi, cui prædicta tempeſtiuitas decoris,ac pulchritudinis, qua ad ſe, Reges Orientales, adorandum amandũ-

que pellexit, cum gratia labiorum congruit. Eius itaque arma, quibus in ipsa etiam infantia armatus in aciem descendit, quibus pugnauit, quibus Damasci virtutem & spolia Samariæ tres Reges diripuit, decor & pulchritudo, quibus mortalium corda, vel ipso aspectu fortissimè ac suauissimè superata sibi deuinciebat. Nam, vt ait Hieronymus, radius quidam diuinitatis, quo omnium animos ad sui amorem pertrahebat, ex eius vultu coruscabat. Certè, inquit, fulgor ipse & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo, ad se videntes, trahere poterat aspectu. Quanta hæc Gentilium dignitas, & Dei in eos dignatio, vt qui longè à salute aberant, stella inuitati ad illius aspectum accurrerent, cuius pulchritudine, ac gratia salutem consequerentur. [Dedit ergo illis potestatē filios Dei fieri] & nobis illorū posteris. Nam filiis Regni foràs eiectis, quia Christum Messiam, & Angelorū Regem aspernati sunt, nos Gētes in filiorū Dei adoptionē vindicauit, atque adeò illud de eorū reprobatione, ac de nostra adoptione Christi vaticiniū modò completū esse videmus [Auferetur, inquit, à vobis regnū Dei, & dabitur gēti facienti fructus eius, vobis quidem, ait Paulus, oportebat primū loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, ecce conuertimur ad Gentes, hoc est, dicere ait Augustus. quia Christū repulistis, & dignū locum non præparastis, in quo altare Domini præpararetur: in terra Gentiū, id est, in cordibus populorū altare Domini collocabimus. Et inde est, quod nobis idē Apostolus clamat: Templū Dei sanctū est, quod estis vos.

Matt. 21.

Act. 13.

Aug. ser. 198. de Tempore.

Iudæorum repudiatio iam olim per prophetas præsignificata.

11. Hæc Iudæorum repudiatio, iā olim, per Prophetas, præsignificata fuit. Quid enim illa fornicariæ repudiatio, apud Oseam, aliud præfigurauit, quā Iudæorum reprobationē, qui vero Deo spreto, suas cōfectati sunt cupiditates? Quid illud Isaiæ [parauit Deus brachium sanctū suum] per brachiū enim Dei filius, in quo potentiam suā Deus declarare ab æterno

Isa. 52.

no voluit,perſpicuè ſignificatur,quem in oculis omnium Gentium reuelare placuit. Nã ex Hebræo habemus:nudauit Dominus brachiũ ſanctum ſuũ,quaſi diceret:Chriſtus paucis quidẽ Iudæis diuinitatis ac potentiæ ſuæ cognitionẽ,ante aduentũ ſuum obſcurius declarare voluit,ſed multis,etiã Gentibus, poſt incarnationẽ nudatum penitus,cognitum & creditũ ſeſe,diuinitatémq; & potentiã ſuam exhibuit , ſicuti enim,qui rem aliquã magnam aggrediũtur,ad viriũ oſtentationem brachium nudare conſueuerunt : ſic Deus cùm vnigenitũ ſuum humanã veſtitum carne, ad arduum redemptionis opus aggrediendum miſit, brachium quodãmodo nudauit,quoniam in eo opere vtpote difficillimo, & maximo, infinitam vim,& potentiam ſuam exerens,filiũ ſuum,noſtri gratia,hominem factum,fide credendum propoſuit, ad quem Gentes,præuia tantùm ſtella,accurrentes,alta incarnationis myſteria facilè didicerunt,quæ tot Prophetarum vaticiniis decantata, Iudæi minimè crediderunt. In quo etiam opere creditu difficillimo, repudiatis Iudæis,qui facilè illa credere poterant Gentibus brachij ſui potentiam oſtẽdit, quarum próptam quondam fidem, & ſingularem religionem aliquãdo futurã,in illo Ethnico Areuna præuidens,præ cæteris,areã illius elegit,ad altare ſibi excitandũ : cuius poſteros ſempiternũ filio ſuo altare,erecturos, prænouit , cognitis fidei myſteriis. Nam tres hi Reges Gentiũ primitiæ,à Sp.S.edocti,hoc myſteriũ Chriſti corporis ac ſanguinis,in altari,pro hominũ peccatis immolãdi,olim occultius in illo Ethnico præfiguratum,intelligentes,non munera tantum IESV aliquando in materialibus altaribus , ſub panis & vini elementis immolando offerunt,ſed ſpiritali etiam quadam conſtructione, ſpiritalia quædam in ſuis pectoribus altaria variis virtutum ſplendoribus,exornata fabricant,vt affectu ſaltem hoſtiam illam,in ſublimi crucis altari, pro vniuerſorum peccatis offerendam breui,honorent,ac venerentur.

Simile.

Quanta mollis noſtra redemptionis opus.

12. Sed audiamus secũdo loco; quo excitati nũcio, tres isti Reges Gentiũ primitiæ ad Christum venerint. Licèt varij variè cẽseant, cõstãtissima tamẽ omnium ferè veterum auctorũ opinio est, hos Magos, ex prophetia Balaam iã diu cognouisse, Christo nascente, stellam oriturã [Orietur stella ex Iacob, & cõsurget virga de Israel, &c.] Quãuis per illud tantummodò vaticiniũ, ad Christũ ducti minimè fuerint, sed singulari etiã Dei auxilio & reuelatione impulsi, qua illuminati, quid agendum esset cognoscerent, tamen illud eorum sententiam à maioribus acceptam confirmauit, venerunt quidẽ partim inuitati per stellã, partim etiam per diuinã reuelationẽ: Dedit, inquit B. Leo, aspicientibus intellectũ, qui præstitit signum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri] idque per reuelationem: Augustino auctore, sic, inquit, intelligendũ est: non per solam stellam, quamuis oculis suis insolita, & inexperta luce fulgentem, Magos in Oriente potuisse cognoscere, quinã esset significatione tanti syderis dignus, cuius testis ille fulgor existeret, quem tanta claritas nunciaret: sed alia nimirum reuelatione indicatum est diuinitus, quod luce syderis tacitè signabatur. Non vtique loquente ipso sydere: sed aliter intimatum est, quis descendisset de cœlo & iaceret in carne sub cœlo.]

Num. 24.

Leo ser. 1. de Epiphania. Aug. serm. de Epipha. tom. 10.

Magi præter vaticinium Balaam reuelationem habuere.

13. Stupendum olim signum Deus Ezechiæ exhibuit. Solẽ enim decem gradibus retroëgit, quã Solis retrogressionẽ Babylonici astrologię periti, obseruarunt, quòd vbi Rex Babyloniorũ Ezechię causa factũ esse intellexisset, missis statim ad illũ legatis, magna transmisit munera: prodigiũ Deus Ezechiæ sanitatis indicẽ ostendit. Ezechias enim Rex, iuxta quendam humanæ naturæ modũ (vt loquitur Beda) erat moriturus. Cùm veracis prophetę verbis audiuit: dispone domui tuę, quia morieris tu, & nõ viues; sed occulto diuinæ prouidentiæ iudicio, quæ omnia in mensura & numero & pondere disposuit, quindecim adhuc

Olim Sol retrorsum decẽ gradibus abiit: hodie præter solitũ celerius progreditur.

Beda in Domi. 3. post Epiphan.

anno

annorũ vitam lachrymis,precibúſq; nacturus. Prodigium hodie Magis æternæq; ſalutis nũcium ægris idololatriæ morbo laborãtibus præbuit,æterni verbi natiuitatis ſtellã nunciam. Solẽ retrogreſſum obſeruarunt Babylonij, & quindecim annos vitæ ſuæ adiectos agnouit Ezechias:ſed Solẽ hodie feſtinaſſe ſẽq; ab idololatriæ errore auocatos agnorunt Magi, qui relicto patrio ſolo & maiorũ erroribus,ad iuſtitiæ Solẽ,ad ſe excipiẽdos feſtinãtẽ feſtini dromedariis inuecti accelerarunt, in cuius rei ſignum materialem hunc Solem præter naturæ curſum feſtinaſſe putem,vt ſui creatoris ad peccatores feſtinantis,feſtinanti ſeſe accommodaret acceſſui. [Cur, inquit Ambroſius, non credamus quòd naſcente Chriſto Sol, ad obſequium lucidior aduenerit : cùm Magos ad indicium clarior ſtella præceſſerit? Et ſi ſtella per diem alieni temporis officium miniſtrauit, cur non credamus, quòd Sol quoque nocturnis horis aliquantulum aduentu maturiore decerpſerit?ex eo denique factum puto, vt nox decreſceret dum Sol feſtinus ob Dominicæ Natiuitatis obſequium ante mundo lucem protulit, quàm nox curſum ſui temporis conſummaret.] Solis retrogreſſio Babylonios legatos ad Ezechiam miraculo ſanatum, cum muneribus adduxit; inſolita ſtellæ,per diem, progreſſio Magos ad Chriſtum miraculis coruſcum, cum donis inuitauit: Ezechiam in ſplendido repererunt Babylonij palatio Regio, fulgurantem ornatu, opibus circumfluentem, nobilibus ſtipatum principibus & Iudaicæ dominantem genti, Chriſtum Magi in vili ſtabulo infantem pannis inuolutum, pauperem,Maria ac Ioſepho circunſeptum,ſine corona, aut ſceptro inuenientes,tamen quod legati Babylonij Ezechiæ minimè præſtiterunt; procidentes adorauerunt eum.

Ambr. ſerm. 16.

14. Stella igitur tanquam viæ dux præceſſit illos, & diuino conſilio prius Hieroſolymam, quàm Bethlehem verſus tendit, partim vt Iudæi inexcuſabi

cusabiles essent, vti Hieronymus asserit: partim etiã vt prius à Gentibus quàm à Iudæis Christus rex natus annunciaretur: ne Iudæorum de suo Rege testimonium suspectum (vt ait Basilius) haberetur. Humana etiam postulabat ratio, vti P. Maldonatus ait, vt qui natum quærebant regem in regiam vrbem venirent; cuius rei nuncio perterritus Herodes statim turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo, timebat enim ne alius se fortior rex ipsum à regno, pelleret Hilario auctore: [Putabat (inquit) infœlix se regali solio detrudendum, sed non est ita. Non ad hoc venerat Christus, vt alienam inuaderet gloriam, sed vt suã donaret, non vt regnum terrestre prẽriperet, sed vt cœleste cõferret, nõ venerat ad dignitates rapiẽdas, sed ad iniurias perferẽdas, non vt caput ad gẽmatũ diadema, sed ad spineã coronã prẽpararet, nõ vt super sceptra constitueretur magnificus, sed vt crucifigeretur illusus.] Ecce quomodo perturbatur miser rex, timẽt enim vbi nõ est timor, & trepidãt malè sibi cõscij: [Semper.n. vt ait auctor imperfecti, grandis potestas maiori timori subiecta est, sicut cacumẽ arborũ in excelso positarũ, etiã si lenis aura flauerit, mouetur: sic & sublimes homines in culmine dignitatũ existẽtes etiã leuis nũcij fama cõturbat, humiles autẽ sicut in cõualle, plerúmq; in tranquillitate constant.] Esto ergo Herodes in summo dignitatis culmine humilis, & ne turberis, rege cœlesti nato, quoniam non eripiet mortalia, qui regna daturus cœlestia, venit: [Non capit Christum regia tua, cur ergo times, nec mundi dominus potestatis tuæ sceptri est contentus angustiis, quid ergo times? quẽ in Iudæa regnare non vis, vbiq; regnat, & fœlicius ipse regnares, si eius imperio subdereris.]

Basil. hom. de huma. Christi gen.

Non ad regna auferenda, sed donanda Christus natus est.

Hilar. Arela.

Auctor imperf. hom. 2. in Matth.

Leo ser. 4.

15. [Et omnis Hierosolyma cũ illo.] Magna sanè exẽpli vis in vtrãq; partẽ, tũ ad virtutẽ, tũ ad vitium quoq; impellẽdi, turbatur rex, & ciues turbãtur, inuidet rex regi recenter nato, inuidẽt & ciues; vna.n. perturbatio capitis tãquã vertigo totũ ciuitatis corpus

Magna exẽpli vis.

Digitized by Google

pus turbauit,& in eundē ſecū inuidiæ liuorē in natū recēter regē omnes ciues traxit:[Excœcauit(inquit Euthym.)eos inuidia,audiētes turbari ſunt,quaſi timentes ne fortè ſaluté cōſequerentur,gloriæ Chriſti inuiderunt,ne fortè magnus futurus eſſet.]Hęc mala afferunt populis principes mali,vt ſecum illos ad ſuæ libidinis explendæ conſenſum trahant, ad inuidiam, ad liuorem. Herodes prædicti filius & iniqui genitoris iniqua progenies,Chriſtum nos cœli viam docentem ſpreuit,& ſtatim exercitus, ducis ſequutus eſt exemplum.Lucifer inter Angelos primatum tenuit,& elatione turgidus tertiam Angelorū partē eadē inflatā ſuperbia è cœleſti ſede in tartarū ſecū traxit:[Cauda eius(inquit ſcriptura) trahebat tertiā partem ſtellarum,]imitatio,inquam,eius in eandem cum illo ruinam deturbauit, & è contrario populum ad omnem virtutem & vitæ integritatem boni principes ſuo exemplo incitant. Ezechielis impiiſſimi patris excelſa diſſipauit, ſtatuas contriuit, lucoſque ſubuertit, & populum ad idololatriam currentem ſuo detinuit exemplo, & ad vnius veri Dei cultum traduxit. [Quare mihi videtur,(vt ait Aluarez,)voluntas principum tinctura comparanda,quæ voluntates minorum eo colore imbuit qui in regis mente præfulget: nam ſi iſta ſit impura, atque præpoſtera,ſubditorum voluntates fœdat, ſi verò æqua & iuſta,eorundem voluntates rectificat.]Fœda fuit inuidiæ tinctura, qua Herodis anima infecta fuit, qua etiam ſubditorum mentes defœdauit, ſatius illi fuiſſet Chriſtum cum piis Magis amplecti,& feſtinè cum muneribus cum illis congredi ad eius incunabula.

Euthym.

Apo.12.

4.Reg.18.

Aluar.de vita Spiritu.li. 5.p.1.cap.8. Simile.

16. [Ite(inquit aſtuta vulpes)& interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis renunciate mihi,vt & ego veniens adorem eum.] Nonne Meſſiam adorare cupit Herodes? hæc illius verba illud præ ſe ferunt!ô egregium diſſimulatorem! non abſimilem fraudulento Ioab,vti dixi, qui manu dextra men

Sub falſa pietatis prætextu Herodes occultat odium.

Digitized by Google

2. *Reg.* 20. mentum Amasæ tenuit, quasi osculans eum, & alterâ gladio, quem habebat, percussit eum in latere, & effudit intestina eius: osculum Amasæ se finxit Ioab daturum, sed improuiso gladij ictu illum occidit: osculo pacis signo texit animam homicidio imprægnatam: sic Herodes adorationis fuco homicidium, quod animo designauit, abscondit, vnde glossa ordinaria: [Herodes deuotionem promittit, sed gladium acuit, malitiam cordis depingens colore humilitatis, finxit se vultu & verbis adorare eum, quem inuida mente cogitabat occidere.] Hanc posteà mortiferam mentis inuidiam, depositâ dissimulationis larua, ostendit, cùm Christum tanta crudelitate ad necem quæreret, vt nullam ætatis misericordiam habuerit, sed à filio vnius noctis, vt in Glossa ordinaria legimus, vsque ad filium duorum annorum omnes occiderit. Hinc crediderim stellam, quæ fuit Magis internuncia, diuino sese subtraxisse imperio, vt qui Magis Messiam natum annunciantibus minimè crediturus erat, indignus cœlesti stellæ internuncio iudicaretur. Quare illis ab impij hominis consortio abeuntibus, statim stella sese viæ ducem præbuit, quæ anteà veluti interposita tenebrarum nebula sese subduxit, & antecedebat eos vsque dum veniens staret suprà vbi erat puer.

Tertium Punctum.

Plures nos stella inuitat ad Christum adorandum.

17. Plurimæ stellæ, quod tertio loco dictum volo, ad hanc humilem Regi recenter nato adorationem exhibendam nos excitant, & præter cæteras singularem nobis prænunciam gratiæ suæ stellam multis diuinis associatam inspirationibus mittit, quibus excitati, remotis omnibus viæ impedimentis, instructi muneribus gratiæ stellam nobis quasi præeuntem, cum Magis subsequi possemus. Acus nautica magnete imbuta, nauis cursum ad stellam in septentrione positam dirigit: cur igitur diuinæ

gra

Digitized by Google

gratiæ ſtella hodie nos ad ſtabulum non dirigit, cùm infinitis partibus magnetis vim ſuperet, & multò certiori nauigationis curſu, ad immenſum infinitæ gratiæ oceanum in ſtabuli anguſtiis coarctatum, nos ducere poſſit? ſed proh dolor! licèt gratiæ ſtella fulgentibus emicet radiis, ita tamen in tam denſa peccati nube, ſponte abſcondimur, vt illam penetrare nequeat, neque ſuo lumine peccati tenebras diſſipare, quibus obuoluti neque in ſtellam nobis exhibitam intueri, neque ad gratiæ pelagus vitæ noſtræ curſum dirigere poſſimus.

18. Stella igitur iſta gratia præueniens eſt quæ nulli mortalium deeſt, quin aliquando veluti ſolaris radius, ex illo iuſtitiæ ſole profectus, ita ſeſe in mentes hominum inſinuare conatur, vt eas ſaltem frequenti repercuſſione, licèt in peccati cœno dormientes excitet, tantúmque ſubinde ſtrepitu eas pulſet, ſicuti in ſuperiore concione diximus, vt licèt ſurda aure eam tranſire ſimulent, nequeant tamen, quin ad eius motum nonnihil aures arrigant, licèt peccati pondere oppreſſi, eas ſtatim dimittant, ſeque inter peccati tenebras ſæpe fortius colligant, gratiæque ſtellam penitus negligant, quo quid miſerius præſertim cùm diuinus iuſtitiæ ſolis radius, qui omnia penitus peruadit, illius ſtellæ ſit virtus. Sed proh dolor! multi ſponte ſua, orientem ſibi huiuſmodi ſtellam, vel ſæpe negligunt penitus, vel vbi ad breuiſſimum eam tempus ſequuti ſunt, retrò ſtatim abeuntes multiplicatis malitiæ nubibus ſeſe ab eius conſpectu ſubtrahunt, trium Regum viſa ſtella de puero inquiſitionis diligentia ſibi ob oculos propoſita omnino neglecta, vbi enim illi orientem ſibi ſtellam animaduertiſſent, interna ſimul inſpiratione edocti, iuſtitiæ etiam ſolem in oriente effulſiſſe intellexerunt, eiuſque altitudinem diuino quaſi aſtrolabio immenſamque & ſtupendam demiſſionem contemplati, eo peruenerunt ſcientiæ, vt

Stella gratia præueniens.

alti ſi

altissimum gradum, æterni scilicet Patris sinum, ac simul summam filij demissionem, hominis nimirum naturam quam in se susceperat, sese attigisse reperirent, vnde sine mora iter arripiunt, & Iesum puerum diligenter inquirunt: neque itineris difficultate deterriti subsistunt, donec duce stella ad suum perueniunt desideratum.

Cometas potius coccineos quàm stellas sequimur.

19. Cur, obsecro, horum diligentissimæ inquisitionis non sumus æmuli? cur visa ac percepta gratiæ stella, non protinus ad vocantem nos festinamus? sed quid? tantum abest, vt fulgentes diuinæ inspirationis ac gratiæ sequamur stellas, vt potius tartarei serpentis sibilo allecti, Cometas, qui maximas inferioribus animæ partibus tempestates portendunt, consectemur, gratiæ ac Dei donorum sterilitatem, omnibusque virtutum seminibus perniciem minitantis, velis remisque (vt aiunt) prosequamur, nescio quibus obducta peccatorum nubibus superiori animæ parte, vt fulgidas sibi propositas stellas nolit intueri. Sanè cauendum huiusmodi ne illud sapientis fulmen, quod in suæ salutis negligentes ac inanem suæ dilationis prætextum confingentes, anteactæ vitæ pœnitentiam in extremam differentes horam, intorquentur. [Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam, manè consurgent, & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ.] Et statim luctuosam suæ comminationis catastrophen subdit: [Comedent igitur fructus viæ suę, suisque consiliis saturabuntur.] Quàm lachrymosa hæc calamitas, quæ iis obuenire solet, qui gratiæ stellam sibi oblatam negligunt: [Comedent, inquit, fructus viæ suæ] æternis satiabuntur tormentis, suisque adinuentionibus saturabuntur ab extrema pœna in extremam, per omnem æternitatem voluentur.

Prou. 1.

Digitized by Google

tur. Hoc eſt eorum ſtipendium, qui ſuam differunt conuerſionem, vocati, per gratiæ ſtellam, iuuentutem carni, mundo, ac diabolo conſecrantes, ſenectutem effœtam Deo relinquentes. [Sibilus hic eſt (vt ait Nazianzenus) ſerpentis, da mihi præſens tempus, futurum Deo, mihi iuueniles annos, Deo ſeniles, mihi voluptates, Deo corpus effœtum nullis vſibus aptum.] Sed ô cum ſponſa reſpondeamus animosè fraudulento ſerpentis ſibilo : [Noua & vetera ſeruaui tibi,] iuuentutem & ſenectutem tibi, puer Ieſu, voueo, conſecro, dono.

Nazianen. orat. 40.

Cantic. 7.

20. Si quis Regi equum generoſum petenti, annoſum, ſtrigoſum, aut debilem offerret, aut mirum in modum ſitiéti, fæces pro vino porrigeret, equum verò generoſum regis inimico, & optimum vini poculum exhiberet : Nonne huiuſmodi omni dignus plaga iudicaretur? Tu verò Deo poſtulanti iuuentutem tanquam generoſum ac agilem equum, ſenectutem penitus effœtam, quæ ad nihil ferè valet, offers, & operationes iuuentutis nobiles ac vigoroſas diabolo petenti lubenter impendis, Deo ſenectutis effœtas reddens vires! ô homo cur prætioſiſſimæ rei prodigus in viliſſimas merces illã diſtrahis! cur dæmoni tẽporis primitias, ætatis robur donas, tibi verò animæq; tuæ extremę ſenectutis putidas reſeruas fæces, quas ex fœtenti cordis vaſculo in vitæ fine, Dei ori nauſeabundo propinare non erubeſcis! Audi quomodo hanc tuam prodigalitatẽ philoſophus ille Ethnicus Seneca perſtringat? [Non pudet te (ait) reliquias vitæ tibi ſeruare, & id ſolũ tẽpus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem cõferri poſſit? Quàm ſerum eſt tum viuere incipere, cùm deſinendum eſt, quæ iam ſtulta mortalitatis obliuio in quinquageſimum & ſexageſimum annum differre ſana conſilia.] [Ne des itaque (vt monet Sapiens) annos tuos crudeli.] Noli, inquam, crudeli tyranno diabolo vegetos iuuentutis annos conſecrare, ſed cui effœtas ſenectutis vires donare, etiam vigoroſas iuuentutis Deo

Quàm mali rerum cõſeruatores qui iuuentutem Diabolo, Deo ſenectutem conſecrant.

Seneca lib. de bre. vit. c. 4.

Prou. 5.

te

te per gratiæ ſtellam vocanti deuouere feſtina.

Tribulationis ſtella.

21. Per aliam nos etiam ſtellam ad ſe vocat, per tribulationes nimirum, quibus nos premit, vt ad ſe curramus. [Onus verbi Domini ad Iſraël in manu Malachiæ]mittit huiuſmodi onus Deus in ſuos electos, quo preſſi ad mentem redeant, ſi quando in peccatum lapſi ſunt. Non per aliam manum, quàm per Malachiæ, id eſt, angeli ſui, vt cùm tribulationis onus nobis imponitur, vt caſtigemur, non ab homine, ſed à Dei angelo nobis impoſitum intelligamus, qui per hoc ad peccati cognitionem & Dei dilectionem nos ducit. Tribulatio enim inſtar ponderis nos premit, vrgétque, vt ad Deum redeamus: [imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine] imple facies eorum confuſione, vt ignominiam ſuam intelligentes verecundati quærant te Domine. Quare non immeritò ſeptuaginta, onus illud verbi Domini aſſumptionem. tranſtulerunt, λῆμμα, nimirum, quia ſcilicet ex laboribus & afflictionibus plerumque homines ſolent proficere, & ad gloriam aſſumi: ipſa igitur tribulationum immiſſio, & veluti pondus ac depreſſio, quaſi aſſumptio quædam & eleuatio ad gloriam eſt. Hanc enim ob cauſam (vti Viegas ex Hieronymo & Hugone Cardinali dicit) vel ipſius crucis brachia, quibus Chriſtus affixus fuit, alæ, ſeu pennæ dicuntur, quibus ipſe ad gloriam ſui corporis & nominis celebritatem euolauit. Cui illud prophetæ cõcinit: [Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis.] Deus inſtar aquilæ ad ſublimem crucis nidum auolans, ſub crucis brachiis, tanquam ſub tuta ſua protectione & defenſione conſtituto liberationem & incolumitatem tibi ſpondet, licèt magna oppreſſus tribulatione ſuccumbere videaris. Hæc nobis ſtella vtinam emicet, quia rectè ad pueri incunabula ducamur, & pro breui laborum ac tribulationum tolerantia, illuſtres nobis coronas in manu pueri fabricatas inueniamus.

Malach.1.

Pſ.82.

Viegas.

Pſ.90.

22. Opta

22. Optabat olim B. Iob librum ſcribi in quo omnes tribulationes Dei cauſa à ſe toleratas palam fieri vellet: [librum ſcribat ipſe qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circumdem illum quaſi coronam mihi.] Librum itaque conſcribi vitæ ſuæ acta continentem, & Dei manu ſententiáque communitum deſiderabat, qui omnibus palam faceret omnia & ſingula à Deo ſibi immiſſa patienter tuliſſe, quem paratus erat portare in humeris coram omnibus, tanquam publicum vitæ morúmque teſtimonium: quaſi diceret (vt D. Thomas interpretatur) ſcribantur vniuerſa quæ ad meam cauſam pertinent: quicquid deinde iudex ſtatuerit, feram: ſi pœnam onuſque ſupplicij humero imponam, humerúmque ſupponam non inuitus. Si laudem & pietatis præmium, imponam capiti, tanquam victoriæ inſigne, & ſpecioſum diadema de manu iudicis. Ecce quàm magni facit B. vir Iob tribulationes à ſe paſſas, ſeque libenter ſubdat iudicis ſententiæ, vt ſi quid perperam egerit pœnas ſubeat, quæ pacem inter ſe & iudicem concilient: erit mihi ſceleris confeſſio pro corona: nam confitendo peccatum meum, & pœnitentiam agendo, mihi iuſtitiæ coronam merebor; Quare eleganter à Chryſoſtomo dictum: [In mundanis & forenſibus iudiciis poſt accuſationem, & criminum confeſſionem reſtat mors: apud diuinum autem tribunal, poſt accuſationem & confeſſionem criminum datur corona.] Quàm fœlix ergo illa tribulatio, quæ ſequitur peccati confeſſionem, qua & ad Deum ducimur, & coronam nobis fabricamus?

Iob. 31. De ſuis tribulationibus Dei gratia toleratas Iob gloriatur.

Chry. hom. 3. in c. 26. lib. 2. Paralip.

23. Licèt, in ſpeciem, hæc tribulationis ſtella, per difficiles ac arduas vias, nos ad Chriſtum ducat, ita tamen eius difficultatem Deus attemperare ſolet, vt è manu ſua aut angeli, non ab homine immiſſa eſſe facilè intelligatur. Quare quamuis incipienti & illam quaſi viæ ducem ſequenti difficilè admodum videatur tribulationis ponderi ſubiici,

Licet tribulationu ſtella, per difficiles vias nos ad Chriſtum ducat, tamen cùm illas ingredimur Dei gratia aduti non ambitiamus, ſed curemus.

tamen ita breui illius acerbitatem in dulcedinem versam sentit, vt reliquam viæ partem tribulationis duce persequatur. Qui enim fingit laborem in præcepto, adeo illud, procedente tempore, suauitate mitigat, vt currere potius sibi videatur, quàm ambulare in via mandatorum Dei, omnesque illi in iis perficiendis occurrentes tribulationes susque déque ferat; quod pulcherrimè in illo Dauidis cum Goliath certamine, tanquam in viuo schemate ostenditur. Cùm enim Dauid elegisset sibi quinque limpidissimos lapidés, misit eos in peram pastoralem, quæ (vt Hugo Cardinalis est auctor) vas quoddam fuit lacti recipiendo idoneum. In lacte igitur prius lapides lauit & inūxit, quàm in Gigantem eos coniiceret. Annon vt eos duriores efficeret, an vt ad iaciendum aptiores redderet? an potius, vt nobis diuinum quoddam ob oculos mysterium poneret? significauit enim fortassis, hac lapidum lotione & vnctione quandocunque Christus, cuius figura Dauid fuit, cùm aliquo in peccatis perseuerante pugnam init, illiusque pertinaciam expugnare vult, durissimos tribulationum lapides eligere, quos prius in peram pastoralem immittit sui amoris & misericordiæ lacte molliendos, antequam in peccatorem eos iniiciat, cùm peccatoris conuersionem, non mortem velit. [Nolo, inquiens, mortem morientis;] Non vult in mortem, ait Chrysostomus, deduci hominem, quem in vitam constituit.] Quibus misericordiæ lacte imbutis veluti efficacibus telis ad peccatoris pertinaciam perfringendam vtitur, donec humi prostratus cum Paulo conuersus exclamet: [Domine quid vis me facere?] Ecce quàm salutifera Tribulationis stella.

1. Reg. 17 Hugo Card. de victoria Dauid.

Ezech 18. Chry. ex vaui. in Mat. Loc. hom. 7. Act 9.

Qvartvm Pvnctvm.

Primum munus Deo offerendum charitatis auri.

24. Quarto denique loco, quænam munera Regi recenter nato, stellis illis, tanquam viæ ducibus nobis præeuntibus debeantur. Magi quidem apertis thesauris suis illi obtulerunt aurum, thus, & myrrham,

myrrham, quæ tria maximè cordis opera charitatẽ, orationem, mortificationem significant: quæ omnia à corde humano, per gratiæ stellã, ad Deum tracto proficiſci ſolent. Sicuti ergo Reges illi in primis aurum obtulerunt: ſic nos aperto cordis theſauro ignitum etiam charitatis aurum Deo offeramus, quæ licèt ſola ſit, etiam viæ dux ad cœleſtem patriam nobis abeuntibus efficitur. Vnde B. Proſper, & verè inquit: [Ipſa charitas eſt via, quæ ducit per ſe ambulantes ad patriam: quia ſicut ſine via peruenit nullus, quò tendit, ita ſine charitate quæ dicta eſt via, non ambulare poſſunt homines, ſed errare.] Quàm nobile hoc donum, quod ſit nobis ſimul via, ſtella, & dux ad puerum Ieſum: & licèt hoc charitatis munus à Deo ipſo acceperimus iuxta illud Ioannis: [Suadeo tibi à me emere aurum ignitum, probatum, vt locuples fias.] Gratiſſimum tamen illi hoc ſuum donum offerri nemo dubitat! imo tanto in pretio hoc munus habet, vt cætera omnia, præ hoc vnico nihili faciat. Quare Apoſtolus: [ſuper omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis] ſine enim charitatis vnione, neque virtus, neque gratia poſſunt conſiſtere. Quare Auguſtinus eam inconſutilem Chriſti tunicam appellat: [Charitas (inquit) eſt tunica inconſutilis Chriſti, quæ ad vnum Deum peruenit, & in vnum omnes colligit.] Sicuti igitur reliquis metallis aurum præſtat: ſic ignita charitas reliquis virtutibus: & ſicuti aurum poſſeſſorem ditiſſimum reddit, ſic charitas in Deum & proximum relata, locupletiſſimum cor vnde emergit. Quare (inquit Auguſtinus, fratres ſectamini charitatem, dulce & ſalubre vinculum mentium, ſine qua dives pauper eſt, & cum qua pauper dives eſt.] Et ſicuti cætera metalla auro illita, nobiliora redduntur: ita aurea hæc charitas noſtra nobilitat opera: [hæc enim, vt ait idem Beatiſſimus Pater, in. aduerſitatibus tolerat,

Proſp. de vita contempl. c. 13.

Apoc. 3.

Coloſſ. 3.

Aug. tract. 105. in Ioan. Similia.

Aug. ſer 32. de temp.

Aug. ibidem. Magna charitatis via.

rat, in proſperitatibus temperat, in duris paſſionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutiſſima, in hoſpitalitate lautiſſima, inter veros fratres lætiſſima, inter falſos patientiſſima. In Abel per ſacrificium grata; in Noë per diluuium ſecura; in Abrahæ peregrinationibus fideliſſima: in Moyſe inter iniurias leniſſima: in Dauid tribulationibus manſuetiſſima: in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat: in Machabæis ſæuos ignes fortiter tolerat: caſta in Suſanna erga virum: in Anna poſt virum: in Maria præter virum.] imò ita attemperat ac nobilitat omnes hominis actiones, vt niſi illas quaſi inaurans ſuæ pulchritudinis participes effecerit, ſic emortuæ ſint, vt vitæ æternæ meritoriæ eſſe non poſſint, eſt enim forma, licet extrinſeca, quæ fidei & omnibus bonis operibus vitam, valorem, & meritum tribuit in ordine ad vltimum finem. Suadeo ergo tibi à me emere aurum ignitum, charitatem cœleſti amore inflammatam, & tribulationis igne probatam.

Simile. Vt aurum Lydio lapide, ſic gentes tribulatione probantur.

25. Sicut enim aurum igne purificari ſolet, & Lydio lapide comprobatur: ſic charitas eo ſemper purior efficitur, quo magis flammas ſuas in Deum & proximum ſpargit, quæ huiuſmodi eſſe comprobatur, ſi Dei ac proximi cauſa ad Lydium perſecutionis lapidem admota, probatam ſe patientiæ ſcuto tectam oſtendat. [Suadeo tibi (inquit Richardus,) ſuadeo inquam tibi à me emere aurum, id eſt, charitatem luce intimi ſplendoris fulgidam, feruore dilectionis ignitam, in electis meis per fornacem tribulationis probatam. Eme impenſis orationis à me, à quo ſunt certa bona ſpiritalis gratiæ, vt locuples fias. Quamdiu namque ſine charitate fueris, cæteris bonis ditari non poteris, ſed ſine ipſa ſemper pauper eris.] Vis ergo hoc charitatis donum emere, vt vacuus coram Deo non compareas? pecunia non emitur, ſed pœnitentia; non

Rich. in illud Apo. Suadeo, &c.

metallo,

metallo, ſed oratione, non ab homine, ſed à Deo, à quo ſolo huiuſmodi ignitum aurum ac probatum, quod poſſeſſorem diuitem facit, habere poſſit. Eme itaque hoc à Deo ignitum aurum pœnitentia, feruenti oratione, eleemoſynis, ieiuniis, vt locuples fias. Hic eſt enim ille theſaurus, cuius magnitudinis non eſt finis, theſaurus deſiderabilis, in quo ipſum Deum poſſides, per quem ad Deum duceris, quod illi in donum dandum. Quis ergo hoc aurum carè emere non feſtinabit, quod tanti pretij eſt, vt eo Deum ipſum nobis vindicemus in præmium, cuius tanta etiam vis eſt, vt quicquid tetigerit in aurum ſibi conſimile vertat. Quicquid enim charitas informat, licèt in ſe viliſſimum ſit, cœleſte ac Deo dignum efficit.

26. Poëtæ referunt Regem Mydam virgam habuiſſe, quæ quicquid attingeret, in aurum verteret: licèt hoc fabuloſum ſit, tamen myſterium aliquod, præter illorum intentionem per affictam huic virgæ virtutem elici poteſt; hanc nimirum charitati ineſſe vim, quæ ex terrenis cœleſtia, ex operibus quæ ſua natura paruæ ſunt æſtimationis, vitæ æternæ meritum eliciat. Quid enim vilius aquæ cypho? quid panis bolo pauperi porrecto? quid breuiſſimæ orationis recitatione? quæ tamen ſi hoc pretioſo charitatis metallo quaſi inaurentur, ita Deo accepta redduntur, vt nulla alia mercede huiuſmodi, in ſpeciem, vilia, quam ſeipſo compenſare velit. Adeo enim in nos munificus Deus eſſe ſolet, vt minimo à charitate profecto operi infinitum tribuat præmiũ. [Ego (inquit) ero merces tua magna nimis.] Si enim ſæculares Reges in ſuos amicos adeo ſunt munifici, vt minimũ eorum obſequium maximo compenſent dono, quid exiſtimandũ de Deo, cui neque facultas deeſt neq; voluntas? Quare nõ aliud præmiũ cuilibet ex charitate operanti, quàm ſeipſum impertitur. Si enim Peryllus Alexandro Magno charus filiæ ſuæ dotẽ ab eo poſtulans, quinquaginta talenta accepit,

Charitas ex terrenis cœleſtia facit.

Gen. 15.

Plutar. in Græc. Apoph.

quid magnus ille Alexander Deus bene petenti denegare poterit. Et ſi mirum videri nobis poterit tanto præmio vilia hominum opera compenſari, tanta tamen Dei magnificentia vt parua offerentibus maxima tribuat. Si enim Alexander Peryllo admiranti tantam filiæ dotem, ac dicenti decem illi talenta ſatis ſuperque eſſe, reſpondit: Tibi quidem accipere decem talenta ſatis eſt, ſed mihi nequaquam ſatis eſt dare. Sic licèt noſtra opera per ſe, ac à charitate preciſa nihil cœleſtis præmij mereantur, charitatis tamen auro informata, ita Deus pro ſua liberalitate ea compenſat, vt non alio pretio quàm ſeipſo illa quaſi emat, acceptétque à nobis tanquam munificentiſſima dona. Ecce quantum bonum ex Dei dilectione nobis obuenit, [non enim ſine præmio (vt ait Bernard.) diligitur Deus, etſi abſque præmij intuitu diligẽdus ſit. Vacua namque vera charitas eſſe non poteſt, nec tamen mercenaria eſt. Quippe non quærit quæ ſua ſunt. Affectus eſt, non contractus, nec acquiritur pacto, nec acquirit. Sponte afficit, & ſpontaneũ facit. Verus amor ſeipſo contentus eſt. Habet præmium, ſed id quod amatur.] Ecce charitatis præmium Deum quem diligimus. Hoc donum à nobis primum ac præcipuũ Dominus exigit, apertis enim theſauris ſuis obtulerunt ei Magi munera, ſed primo loco aurum, quo primum donum, vt docet D. Thomas, eſt amor. Vnde manifeſtum eſt, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Vnde cùm Spiritus ſanctus procedat, vt amor, procedit in ratione doni primi: aperto igitur cordis theſauro, in quo primum hoc amoris donum reconditur, munera cum Magis Chriſto Ieſu aurum, thus, & myrrham offerre feſtinemus.

Bern. de diligendo Deum.

D. Th. 1. p. q. 38. a. 2.

Secundũ donum orationis thus Aug. ſer. 226. de Tempor.

27. Secundum donum quòd Regi recens nato cum Magis offerendum eſt thus. Oratio nimirum, quæ ex humili cordis affectu educta, in fornace diuini amoris incenſa, cœlos penetret, clauis enim, vt

ait

ait Auguſt.cœli eſt offerẽda:oratio,inquam,quæ ſua vi ſublimia Trinitatis ſubſellia petat. Sicuti.n.thus igne accenſum alta petit, ſuauem vndequaque ſpargens odorem:ſic oratio thuris inſtar ex corde charitate incenſo, veluti ex aureo thuribulo in cœlum ſublimius aſcendens,gratum Deo, angelis ac hominibus odorem ſpargere debet:[Dirigatur(inquit ille)oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.] Sicut ergo incenſum in thuribulo poſitum, odorem minimè præbet,niſi igne admoto: ſic oratio noſtra, quæ tanquam incenſum, ex cordis thuribulo proficiſcitur,niſi charitatis igne intus in cordis thuribulo prius inflammetur,neque ſurſum aſcendet,neque odoris ſuauitatem diffundet. Si igitur velimus gratum orationis donum Deo offerre, prius concaleat cor noſtrum, imò ebulliat inſtar aquæ igni appoſitæ intra nos,& in meditatione noſtra exardeſcat ignis, quo fiet vt oratio radicitus omnium vitiorum fibris conſumptis tanta ignis vi impulſa aſcendat, & cordis thuribulum ab omni ſorde vindicatur.[Quemadmodum enim,vt ait Lau.Iuſtinianus, qui terram colit,ſolerter ſentes debet eradicare, vt vberiores valeat colligere fructus: ita qui concupiſcit dulcedinem deuotionis in oratione guſtare,ſummopere ſtudeat, ipſius impedimenta declinare: quia in caſſum currit ad portum orationis,quiſquis illi aduerſantia non tota intentione refugit.] Sancta igitur anima cor ſuum tanquam thuribulum purget ac paret,omniáque orationis feruori obſtacula penitus excludat,alioqui ſibi audiet dici: [Cùm multiplicaueritis orationes veſtras non exaudiam vos! Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.] Non exaudiam(inquit) quia peccatis & iniquitatibus plenæ ſunt. Quis,obſecro,manus ſanguine filij Regis à ſe interfecti illilantes auderet attollere coram Rege, tanti delicti deprecans veniam. Nonne ſanguis filij (vt ait Baſilius,)qui in manu eius apparet, ad iram magis incitabit eum? Si itaque Pater petitionem eius non audiet,

Iſ. 140. Orationes thus charitatis agnoſcendendum.

Pſ. 38.

L. Iuſtini. lib. de lig. vit. c. 4.

Iſa. 1.

Baſil. orat. 2. de oratione.

diet, cuius manus videt ſanguine filij ſui pollutas, quomodo Deus orationes eorum ſuſcipiet, quos in legē ſuam,& in ſeipſum iniurioſos nouit, & in ſanguinem & merita vnigeniti ſui crudeles exiſterel An non æquum,vt huiuſmodi ſaltem cruentas prius abſtergant manus à diuinæ legis præuaricatione, & à ſanguinis IESV ſuis iniquitatibus pollutione abſtineant,& ſic ſui delicti veniam deprecari.

Oratio quæ fit in peccato mortifero nō eſt Deo grata.

28. Prius itaque incenſi thuribulum, cor, inquam, ab omni iniquitatis ſcoria charitatis igne purgandum,quàm incenſum Deo adoleas, vt gratū ſit Deo donum. Oratio enim,quæ in peccato ſit mortifero, tantum abeſt vt Deo ſit gratum munus,vt potius nubem ſibi conflatam ſentiat, qua eius aſcenſus impeditur.Sicut enim nubes ſolis radios ita hebetant, vt ad nos vſque penetrare non poſſint? Sic peccatum tanquam denſiſſima nubes ſolis iuſtitiæ radios, licèt per orationem cordis feneſtram quodammodo aperiamus impedit. Amoue itaque peccati nubem, vt oratio cœlos penetret. Sicut enim vulnus, ſi intus ferrum lateat,nulla curari arte poteſt: ſic peccatoris oratio nihil valet quamdiu in eius pectore lethalis peccati cuſpis inhæret.Hinc Auguſtinus:[Sicut nullum medicamentum proficit, donec ferrum latet in vulnere:ita nihil prodeſt illius oratio, cuius voluntas verſatur in ſcelere,]& in libro de perfecta iuſtitia:Sicut(inquit) quoddam genus ſerpentum, quod quando accedit ad fontem ad bibendum, prius deponit venenum & illud euomit: ſic qui ad fontem miſericordiæ aliquid petiturus accedit, prius peccati virus deponat neceſſe eſt.] Si itaque velimus flagrans orationis thus ex puriſſimo cordis thuribulo IESV offerre, cuſpis peccati in animæ vulnere infixa,variis pœnitentiæ medicamentis excludatur, virúſque in eo ſerpens abſtergatur,alioqui licet oratio ſua natura ſurſum feratur,odorem ſuum vndíque ſpargens,quaſi fœdus ex ore fumus euibratus, vndíque tetrum ſpargens pœdorem, ſine fructu euaneſcit.

Aug. lib. de per. ius. ad Iulianum comitem.

neſcit. [Et oratio eius fiet in peccatum ,] Deóque erit ingratiſſima. Si enim ipſi Ethnici ſceleratorum preces tanquam Diis execrabiles, deteſtabantur , vt eas indignas Deorum auribus exiſtimauerint;quanto magis Deus qui peccati penetrat malitiam,eo infectas orationes perhorreſcit. Cùm enim Bias Prienæus in ſceleratorum hominum ſocietate nauigaret , qui exorta tempeſtate Deos ſuos inuocabant; Tacete , inquit , ne Dij vos uebulones hîc nauigare ſentiant.Quibus verbis homo à fide alienus impiorum preces Deum magis exacerbare, quàm placare indicauit. Verùm licet execrabile ſit hoc orationis munus ab impio Deo oblatum , tamen ſi ex corde pœnitentiam deſiderante proficiſcatur , tanta Dei miſeratio eſt, vt illud ſuæ gratiæ dono , licèt adhùc eo indignum compenſet.

Tertium donum mortificationis myrrha.

29. Tertium Magorum donum myrrha , quam & nos offerre oportet,quâ ſenſuum,cupiditatúmque mortificatio ſignificatur. Hæc myrrha licet nondum vbertim ex omnibus illius diuinæ arboris ramis emanet,nunquam tamen nobis deerit.Guttatim quidem in die circumciſionis ex vnico cœleſtis arboris ramo diſtillans,noſtros ſaltem digitos imbuit,vt ab alienæ rei ac omnis illiciti contactu illos vindicaret. [Digiti igitur mei (cum ſponſa dicere poſſum) pleni ſunt myrrha probatiſſima.] dicturus aliquando cum eadem in illo paſſionis profluuio , ex quo in omnes corporis mei partes ſenſus, animàm eiuſque facultates vbertim defluet,tunc , inquam , dicturus; [Manus meæ diſtillauerunt myrrham primam.] Vbi ex ſacratiſſimi Iesv corporis arbore , atque adeo ex omnibus eius ramis myrrha illa ſanguineo colore nobilitata, in ſeptem ſacratiſſima Eccleſiæ vaſa, ſeptem,inquam, Sacramenta pleno alueo influxerit , in qua non tantum digiti aut manus , ſed pedes etiam & caput,pectus,oculi,aures,cor inungenda,quo non tatum ab illicita corporis voluptate, & omni iniquo rei attactu abſtineant; verùm etiam ſingula ſuis mu-

Myrrha guttatim in circũciſione , in paſſione vbertim defluet.

Digitized by Google

neribus certatim incumbant. Quare Regius propheta hoc ſanguineum myrrhæ primæ profluuium prophetico iam olim præuidens oculo: [Myrrha (ait) & gutta, & caſia à veſtimentis tuis.] Quaſi diceret; ô Domine iam te in horto proſtratum ſanguineo madidum ſudore præſentio, præſentio à ſacratiſſima humanitatis tuæ veſte ſuauiſſimi odoris myrrham, tui ſanguinis, in terram profluere, quo mortuum noſtri Parentis Adam corpus inungendum, ne æternæ putrefactioni ſit obnoxium, præſentio hac myrrha prima, quæ libenter ſine aliqua ſecuris aut cultri inciſione, ſed flagellis, clauis, ac lancea extrahenda, de ſacratiſſima corporis tui arbore egreſſura omnium electorum corpora à tartareo putore conſeruanda.

Pſ. 44.

Myrrha gutta quæ in circũciſione, & flumina quæ in paſſione è Chriſti corporis arbore defluent in donum dãda.

30. Hæc eſt ergo myrrha prima huius diuinæ arboris, iuxta decurſus aquarum diuinitatis plantata, quæ ſponte ſua in circumciſione antequam flagellorum ictibus, aut clauorum fiſſuris, aut lanceæ cuſpide exprimeretur egreſſa; myrrhæ quidem gutta, quæ per ſe ex arbore ſponte ſua minimè manabunt, de pretioſo, à diuino cœleſtis arboris cortice per flagella, clauos, ſpinas & lanceari abſtractas, diuinitatis aqua irrigatas breui videremus: myrrham itaque & quæ guttatim in die circumciſionis in digitos noſtros defluxit, tanquam pretioſum donum tibi offerimus, vt in paſſionis diluuio pro guttis nobis refundas myrrhæ primæ flumina, quibus noſtris adhibitis ſenſibus, membris, ac animæ vulneribus toti mortificati, & à peccati putredine vindicati, in gratiſſimum tibi munus offeramur, vt cum Magis præſtantiſſima illa tria dona Regi recens nato offeramus quorum virtutem ac valorem Gregorius nobis exprimit: Myrrhâ (inquit) corpora mortuorum condiuntur ne putreſcant, thura verò incenduntur vt redoleant, per myrrham ergo carnis mortificatio deſignatur, per thus verò orationũ mundicia intelligitur: ſancta igitur anima, dũ carnem ſuam à putredine vitiorum mortificat, dũ omnes mundi

Greg. in illa verba, Quæ eſt iſta &c. Cant. 3.

voluptates, per continentiam abnegat, quaſi myrrham mortui corpori adhibet, vt poſt iudiciũ à corruptione æterna ſanum permaneat: Cùm verò ſe ad cœleſtia maiori deſiderio accendit,& à cordis cubiculo omnes ſuperfluas cogitationes feruenter abiicit,quaſi thuribulũ,cor ſuum corã Deo facit, in quo dum per delectationẽ virtutes congregat,quaſi carbones in thuribulo coaptat, in quo ſeipſa mens in conſpectu Dei charitatis igne incẽdat:dúmq; feruẽtes & mundas orationes ad Deum emittit,quaſi fumum aromatum ex thuribulo educit,vt coram dilecto ſuaue redoleat,& proximos quoſq; ad eius amorem,per bona exempla,concitare non deſinat.]

31. Quis igitur charitatis aurum,orationis thuri, ac mortificationis myrrhæ coniunctum hodie nouo Regi offerre nõ feſtinabit,quæ,à ſe inuicẽ ſeiũgi nõ poſſunt,quæq; vnum perfectum Deo dignum munus efficiunt. Nam niſi charitatis auro cordis thuribulũ inardeſcat,orationis thus minimè accendetur,& licèt ſuppoſito charitatis igne ad tẽpus orationis thus incendi videatur,niſi tamẽ per mortificationis myrrham quotidiani in nos irruentes defectus reſcindãtur,& thuribuli ignis ſaltem obſcuratur,& ſuauis orationum odor ingratum imperfectionis fumum cõmixtum habebit. Hæc igitur tria ſingulari inter ſe coniuncta vnione, Deo hodie quàm promptiſſimè offeramus;excitet nos ad hoc Magorum promptitudo in ſequendis diuinis inſpirationibus,& in offerẽdis largiter Chriſto. Proſtratam igitur rebus terrenis noſtram erigamus voluntatem, quæ ſurſum ſunt ſapiamus,& non quæ ſunt ſuper terram: Illi relicta domo,patria,regnorúmq; ſceptris, mortuo quodam excitati ſigno, promptè cum muneribus ad Chriſtũ acceleraruntnobis nõ ſtellam, ſed multiplicem gratiarum inſpirationem,tanquam vię ducem præmiſit, qua breui compendio, ſine tædio, aut errore ad Ieſum poſſemus accedere. Aurum igitur charitate fulgens illi exhibeamus, thus deuotæ

Tria hæc munera ſibi ſunt connexa.

Coloſſ. 3.

ora

orationis ex perpurgato cordis thuribulo charitatis igne incensum ad illum dirigatur; myrrham, quæ corporibus mortuorum ne computrescant adhiberi solet, illi adferamus, lethalium nimirum peccatorũ, & putentium carnis illecebrarum in membris nostris mortificationem portemus, qua à peccati putrefactione conseruati, per nouam vitæ conuersationẽ tanquam per aliam viam, quam nobis quotidie cõmonstrat, ad cœlestem patriam, cum Magis redeamus. [Viæ enim (vt ait Eusebius) immutatio, vitæ intelligitur emendatio. Nos quoque per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem, quando superbiam, suscepta humilitate deponimus: quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus: quando veteres voluptates & consuetudines pristinas ac desideria antiqua damnamus.] Sic quidquid gratiæ aut cœlestis doni totius anni decursu à recto cœli tramite deflectentes amisistis vt insequẽte dominica reperiatis vos inuitatos cupio, quo viã mecum relegentes cum Maria Iesum inueniatis, in quo quidquid amissum est reperiemus.

Euseb. Emiss. homil. 1. de Epiph.

EXEMPLVM.

Nyssenus in Gregorij vita.

Gregorius Thaumaturgus cum Diacono persecutores fugit in montem quendam, sed cùm à quodam proditus esset, persecutores montem vndique cinxerunt, & perscrutati sunt, nec tamẽ eum viderunt: redeuntes ergo ad proditorem eum increpuerunt: ille eum tali loco fuisse certò asseuerauit: ipsi verò eo loco ab eo designato, nõ duos homines, sed duas arbores inuenisse se asseruerunt. illis digressis proditor ad locum ascendit, viditq; Gregorium cum Diacono manibus in cœlum elatis orantem, qui persequentibus duæ arbores fuisse videbantur: Quare proditor à peruersa iniquitatis via pedem referens suum detestatus est flagitiũ, & ad pedes Gregorij accidens cõuersus ad Christum ex persecutore: cũ eo factus est profugus, séque Deo tanquam nouam hostiam consecrauit, per pœnitentiæ viã ad patrẽ cœlestẽ rediit.

IN

Digitized by Google

IN DOMINICAM INFRA octauam Epiphaniæ,

Concio.

THEMA: *Fili quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc. 2.

1. POſtrema vos à me concione inuitatos memini, vt ſi quid à vobis toto huius anni decurſu perditum ſit, hodie hic, vno inuento, reperire poſſitis. Quare cuiuſque modò conſcientiam appello, vt ſincerè coram Deo, iuxta illius teſtimonium, quiſque reſpondeat, dicátque ex animo quid maximè à ſe hactenus amiſſum indoleat, & ad quid quærendum feſtinat. Alius, vereor, ſi ſine vlla velit diſſimulatione reſpondere, prolem maximè ſe indolere amiſſam, dicet, ad eámque præ cæteris, quærendam properare; alius rei domeſticæ iacturam paſſum cóqueretur, quàm omnium virtutum acquiſitioni præponit; alius proximos præ ſe ſublimari liuore contabeſcens ingemiſcet, alius iniuriam ſibi illatam nondum vindicaſſe, grauatim ferre fatebitur: alius denique nihil ex animi ſententia in hoc mundo ſibi ſuccedere, ſed quaſi fortuna ipſi nouerca, omnia peſſum ire præcipuè ſe dolere, reſpondebit, & tamen vix vllus, licet mortifero peccati veneno infectum, ſe ſentiat, ex animo, ob peccatum dolet, neque ob omne bonum, per illud perditum, deflet. Heu! [neſcit flere, neſcit, inquam, flere, qui flenda committit, & cùm ſit ipſe lachrymabilis, non habet culpæ lachrymas ſuæ.] Eſtne quiſpiam ergo inter nos, qui verè dicere poteſt ſe die ac nocte, ob ſummum bonũ amiſſum ingemiſcere? Quoniam pauci prô dolor! inter nos huiuſmodi inueniri poſſunt, qui Deum perditum

Varij varia ſe amiſiſſe dolent ſed quod amiſiſſe dolẽdum non dolent.

Aug. Pſ. 118.

ditum lachrymis,& eiulatibus proſequentes dolere ſe proteſtantur, hinc tantam ac tam inuſitatam noſtram ingratitudinem & Dei oblitionem, quæ talis eſt;vt non modò Deum non quærimus, ſed ipſum etiam derelinquimus, exclamans Ieremias admiratur:[Obſtupeſcite cœli ſuper hoc & portæ eius deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus:me dereliquerunt fontem aquæ viuæ,& foderunt ſibi ciſternas diſſipatas,quæ continere non valent aquas.] Ecce ipſi cœli noſtram quodammodo admirantes ingratitudinem, veluti ratione vtentes, qua nos,heu! priuati ſumus, obſtupeſcunt, ac ſimul cohorreſcunt, & portæ eius, emiſſis veluti omnibus Angelorum legionibus, ad incredibile hoc ſcelus, quaſi deflendum,deſolatæ relinquuntur.Quod enim ſcelus grandius,quàm Deum totius dulcedinis fontem,ex quo Spiritus Sanctus aqua viua, vt Chryſoſtomus loquitur, procedit, relinquere, & ad ciſternam hanc mundi diſſipatam, quæ ſalientes in vitam æternam gratiæ aquas, non valet continere, relicto omnium bonorum fonte,accurrere?

Ierem.2.

Chryſoſt.de Sancto Spiritu.

Quantum incurrunt malũ qui Deum deſerunt.

2. Sed quemadmodum populus ille in Deum ingratus ſuo inimico in prædam datus:ſic nos in tanti ſceleris pœnam præda ſimus diabolo. [Quare,inquit, factus eſt in prædam, populus meus?nunquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam?] Nobis idem hodie qui præuia gratiæ ſtella, tanquam duce, ad Chriſti cunabula inuitabamur, & oblatam nobis gratiam negligebamus, ſummum illud obtinget malum à Deo ſcilicet creatore noſtro abduci, & dæmonis ſubiici tyrannidi. Hinc ſubdit,[Scito ergo & vide, quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem Dei apud te.] Conſidera, inquit, quod amiſeris, quando à ſuaui IESV complexu abductus, diabolo te comitem præbuiſti, & vide, quantum incurriſti malum, cùm animæ tuæ ſolatium

ſolatium perdidiſti, & quàm amarum tibi eius ſuauitate ac conſuetudine priuari! Sed heu! velut inops conſilij, & rationis expers, malum hoc neque malum, neque amarum, ſed bonum & ſuaue exiſtimas. IESVM perdidiſti, & hoc tibi ſuaue ducis, vt nimirum ſine eo liberius fœdæ carnis voluptatibus vaces, vanáque mundi crepundia conſectans, te beatum hìc duobus immerſum malis prædices! O vtinam, mutato conſilio, ex toto corde Dominum amiſſum quæras! [Ego (inquit mater eius,) & pater tuus dolentes quærebamus te.] Ah prò dolor! ſi pecuniam, ſi aureum annulum, ſi gemmam, aut aliquid huiuſmodi perdidiſſes, ſumma cura, ac diligentia iter retexeres! At væ tibi ſi gratiam, ſi virtutem, ſi cœlum, ſi Deum amiſiſti, fúſque déque ferre ſoles, quo tamen amiſſo, cætera omnia perdis: [Scito ergo & vide, quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem Dei apud te, quia qui eum reliquerit difficulter reperiet.]

Cõcionis diuiſio.

3. Quatuor in hac concione dicam. Primùm quatuor genera hominum ſuperbos, inuidioſos, luxurioſos & auaros vix Chriſtum perditum reperire. Deinde quanta cum diligentia Maria illum quæſiuit & inuenit. Tertiò quanta nos ſolicitudine ſponſæ ac Mariæ exemplo eum perditum quærere oporteret. Denique in tanto animæ noſtræ negotio, propoſito nobis Ethnicorum exemplo, qui magnam ſuorum Deorum curam habuerunt, minimè dormiẽdum. Sed prius Spiritus Sancti gratiam Virgine ſalutata exoremus. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Nihil ſuperbia peius cui Deus hoſtem indicit.

4. Vultis vobis declarem, quibus maximè amarum ſit, & malum Deum amiſiſſe? iis ſanè qui vix vnquã ſemel amiſſum reperiunt, cuiuſmodi ſunt ſuperbiæ faſtu turgidi, qui pluris ſuam faciunt excellentiam,

lentiam,quam infinitam Dei celſitudinem.Hinc Dominus huiuſmodi hominum monſtris bellum, teſte
Ambr.in ſer. ſerm.7. Ambroſio,indicit:[Tanquam,inquit,ſuæ contumeliæ propulſator veluti quoddam ſuſceſit aduerſus ſuperbiam ſpeciale certamen:tanquam dicat,meus iſte aduerſarius eſt, qui me laceſſit, mihi debetur iſta
Hier. ep.47. ad Antoniũ. congreſſio. Vide, frater, inquit Hieronymus, quale malum ſit,quòd aduerſarium habet Deum. Nec mirum Deum ſuperbiæ bellum indicere, quæ à Dei iniuria cepit exordium. [Maximum igitur peccatum,
Ambr. ſer.7. in Pſ.118. Ambroſio auctore,in homine ſuperbia eſt, quandoquidem inde manauit noſtri origo delicti. Hoc telo nos primùm Diabolus vulnerauit, & perculit. Nam niſi homo ſerpentis perſuaſione deceptus,ſicut Deus eſſe voluiſſet,nunquam feralis culpæ ad nos tranſiſſet hæreditas. Quid igitur hoc peccato poteſt eſſe deterius,quòd à Dei cœpit iniuria?] Quare cùm ſuperbia initium omnis peccati ſit, ac in Dei tendat iniuriam,& contra omneſ virtutes, auctore Gregorio,militet,dicente: [Nequaquàm vnius virtutis ex-
Gregor.l.14. Moral.c.18. tinctione contenta,contra cuncta animæ membra ſe erigit,& quaſi generalis ac peſtifer morbus, corpus omne corrumpit.Cuiuſcunque ſemel animam occupauit,ita peruerſæ celſitudinis ſuæ faſtu abripitur vt Deo relicto, cui tanquam ſuo principio adhærere oporteret, ſe ipſum cum Lucifero ſui principium
Aug.l.14.de ciu.Dei.c.13. conſtituat. Quare Auguſtinus meritò interrogat quid ſit ſuperbia:[Quid eſt,inquit,ſuperbia niſi peruerſæ celſitudinis appetitus?peruerſa enim celſitudo eſt,deſerto eo,cui debet animus inhærere,principio, ſibi quodammodò fieri atque eſſe principium. Hoc fit cùm ſibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit,quàm ipſe ſibi]quaſi malè ergo ſe Deus cum ſuperbis ſemper habeat illos fugit,tanquam ſibi infenſiſſimos, illiſque quotidie reſiſtit, tanquam
Iacob.4. inimicis.[Deus vtique ſuperbis reſiſtit]quamobrem quoties ſeſe magnificat ſuperbus, Deus eius deſpicit

cit magnificentiam,quoties criſtas ſuas attollere affectat, Deus illas deiicit, & in tantùm eius ſemper conatibus ſeſe obiicit,vt à ſæculi exordio cum illo contenderit. Decreuit aſcendere Lucifer ſuper altitudinem nubium [ſed detracta eſt ad inferos ſuperbia eius.] Voluit Adam Deo ſimilis eſſe & [comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis] ille Deum amiſſum nunquam inuenire potuit. Hic Deum tandem inuenit,ſed tanto cum labore vt nongentos & triginta annos eum amiſſum deflendo, pœnitentiæ lachrymis ſuíque humiliatione quæreret, idque ſtatim à commiſſo peccato. Quare ſi vis Deum per ſuperbiæ typum non amittere, ſimulatque aduerteris aliquod eius principium in animo tuo obortum pœnitentiæ lachrymis & humili tui ſubmiſſione penitus à te amoue,iuxta illud Diui Gregorij ſalutare conſilium[Vitium ſuperbiæ, inquit, ab ipſa mox radice ſecandum eſt, vt cùm latenter oritur, tunc vigilanter abſcindatur,neprouectu vigeat, ne vſu roboretur. Difficile enim in ſe quiſque inueteratam ſuperbiam deprehendit: quia nimirum hoc vitium, quantò magis patimur, tantò minus videmus. Sic quippe in mente ſuperbia, ſicut in oculis caligo generatur. Quò ſe hæc latius dilatat, eò vehementius lumen anguſtat. Pauliſper ergo elatio in præcordiis creſcit, & cùm ſe vaſtius extenderit, oppreſſæ mentis oculum funditus claudit, vt captiuus animus typum elationis & pati poſſit,& tamen id quod patitur videre non poſſit.]Hoc Diui Gregorij ſingulare documentum, quilibet ſibi arripiet, ſi ſecum diligentius perpendat quantum damnum ſit à Deo ſeparari. [Scito ergo & vide,quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum,& non eſſe timorem Dei apud te.]

Iſa.14. Gen.3. Pſ.48.

Gregor.l.24. Moral.c.28.

Superbus & Deus ſimul eſſe non poſſunt.

5. Deus & ſuperbus ſimul eſſe non poſſunt,ſi ſuperbia in te regnat, Deum excludis: [coanguſtatum eſt enim ſtratum ita vt alter decidat & pallium

Iſa.28.

pallium breue vtrúmque operire non poteſt] licèt cor hominis capaciſſimum ſit, ita tamen anguſtum ſuperbiâ, quæ alioqui inflare illud ſolet, redditur, vt immenſa Dei maieſtas, cuius ſedes iuſti anima, ex eo ſtatim decidat, vno ſuperbiæ flatu; ſuperbiam enim ſecum in vno corde tanquam corriualem nunquam admittit, quin potius, illâ cor occupante, ipſe ſtatim è cordis ſtrato excidat, eóque potius, quòd cordis pallium adeò breue ſit, vt ſub eo non poſſint ſimul colligi duo ſibi contrarij. Quare ſi Deum velit cooperire, nudum à ſe diabolum, per ſuperbiam coriñhabitantem expellat, & è contrario ſi dæmoni, per altum animi faſtum aliquam ſui partem tradere velit, Deum diſcoopertum è cordis lecto eiiciat, neceſſe eſt. Ergo quoties ſuperbia turgidus, plus æquo inſoleſcis, diabolum admittis, & Deum dimittis: Duo enim in vnico cordis noſtri ſtrato ſibi contrarij ſub eodem amoris pallio dormire neſciunt. Sicut ergo vnum regnum duos non admittit pares; ſic in cordis noſtri regno duo ſupremi Reges, alter ſummè humilis, alter ſummè ſuperbus dominari nequeunt. Vnde Cyprianus. [Quando vnquam regni ſocietas, aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſiit, quos vnum vteri cepit hoſpitium, vnum nó capit regnum.] Scito ergo & vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, quia qui eum reliquerit difficulter reperiet.

Simile.

Cyprian. l. de idolo. vanitate.

Exemplis declaratur Deũ & Dæmonem non poſſe eſſe ſimul. Simile.

6. Si Romulus & Remus, ſi Iacob & Eſau, ſi ſanctiſſimi etiam viri Abraham & Loth corregnare minimè poterant, multò minus Chriſtus erit in eo cordis regno quod per ſuperbiam diabolus occupat. Sicut enim neque mundus duobus illuſtratis ſolibus, neque vna nauis duobus regitur clauibus: Sic neque vnum cor duobus gubernari dominis è diametro ſibi oppoſitis poteſt; ſcriptum eſt enim: [Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.] Quómodo ergo in corde ſuperbia inflato, & dæmoni ſubdito

Chri

Christus inhabitabit? [Quæ enim participatio lucis ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial?] quî fieri poteſt, vt eundem clauum duo ſimul moderentur naucleri, quorum alter in Orientem, alter in Occidentem nauigat? Quomodo ergo ſimul ſuperbiæ Rex & humilitatis auctor idem cor tanquam humanarum actionum clauum gubernare valet, cùm Christus in cœlum; Dæmon in infernum nauiget? quoties ergo per ſuperbiam dæmonem intromittis, Deum infinitum bonum dimittis. Scito ergo, ô ſuperbe, & vide quàm malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, quia qui eum reliquerit difficulter reperiet. 2. Cor. 6.

7. Vix deinde, qui per inuidiam Deum amiſit, vnquam reperiet. [Inuidia ſiquidē, auctore Chryſoſtomo, peſtiferum malum, hominem in diaboli conditionem, atque in dæmonem immaniſſimum conuertit: inuidia prima hominis Abel cædes apparuit: inuidia fraterna charitas contempta eſt: inuidia ſanguine hominis terra primò maculata] impium Cainum in fratrem armans interfecit, & proinde inter primos hominum meruit inferni incola haberi. Quamuis enim Dominus ab eo peccati ſui confeſſionem elicere conaretur, vt ſic Deum fratricidio amiſſum, recuperaret; tantùm tamen hoc malum in eius animo inualuit, vt nullo Deus artificio deteſtationem illius ſaxeo eius cordi potuerit imprimere, palluit enim eius anima, & penitus aruit, quia oblita eſt comedere lachrymarum panem, & tota rancoris felle impleta adeò eſt, vt diuini verbi mella pœnitentiam illi ingerentis omnino, tanquam amariſſima abſynthia, reſpueret: in quem illud Amos quadrat [Olineta veſtra, & vineta veſtra comedit eruca] inuidia ſiquidem per erucam ſignificata, omnia eius animæ bona conſumpſit, & deuorauit, ſicuti ferè in omnium animis, quas occupat ſine vllo ſenſu omnia deuaſtat, eruca enim (vt ait Hieronymus) non

Chryſoſt. ho. 41. in Matt.

Deus inuidia amiſſus vix recuperatur.

Amos 4.

Simile.

Digitized by Google

auolat, vt locuſta,& huc illúcque diſcurrens ſemeſa dimittit,ſed permanet perituris frugibus,& tardo lapſu pigriſque morſibus vniuerſa conſumit:ita inuidia ſemper animi bona exedit, nec auolat, aut quieſcit,donec omnia,quæ potuit abſumpſerit,nihil itaque in impij Cain animã boni reliquit, ſed mentem eius tabefaciens,cuncta,quæ pœnitentiam ſuggererent,prorſus conſumpſit. Vnde bene à Sapiente dicitur[Vita carnium ſanitas cordis, putredo oſſium inuidia]per vitam carnis B.Gregorius,infirma quædam,ac tenera, & per oſſa fortia acta ſignificari docet:& plerúmque,inquit, contingit,vt quidam cum vera cordis innocentia,in nonnullis ſuis actibus infirmi videãtur:quidã vero iam quędã ante humanos oculos robuſta exerceant; ſed tamen erga aliorum bona intus inuidiæ peſtilentia latenter tabeſcant. Bene ergo dicitur,vita carnium ſanitas cordis; quia ſi mentis innocentia cuſtoditur, etiam ſi qua foris infirma ſunt,quandoque roborantur,& rectè ſubditur:putredo oſſium inuidia, quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta virtutum. Oſſa quippe per inuidiam putreſcere eſt, quædam etiam robuſta deperire. Innocens Abel infirmior & abiectior fratre ſuo Caino in ſuis actibus viſus, quippe qui ouibus præfuit, iſto agriculturæ operam nauante, quod humanis oculis multò præſtantius paſtoritio officio appatet: quia tamen erga fratris ſui oblationes,intus inuidiæ peſtilentia tabeſcebat,quæ foris fortia virtutũ acta,de frugibus nimirũ terræ munera Domino ab eo oblata videbantur,per liuoris vitium ante Dei oculos perierunt,mentis innocentia fratris eius munera Deo grata acceptáque efficiente: [reſpexit enim Dominus ad Abel, quoniam, vt ait Irenæus, cum ſimplicitate & iuſtitia offerebat: non ad Cain, quoniam cum zelo & malitia, quæ erat aduerſus fratrem ſuum diuiſionem habebat in corde.] Quare cùm inuidia radix ſit malorum omnium, Cypriano auctore,&

Prou. 14.

Grego.5. Moral.c.34.

Ire. l.4.c.34.

Cypr.ſerm.de zelo & liuore.

ctore, & omnium fons cladium, ac ſeminarium delictorum, quid mirum ſi ille dæmon ſemel Caini animum perfectè poſſedit, omnem ſibi pœnitentiæ aditum occluſiſſe, & Deum à ſe penitùs abieciſſe. Scito ergo & vide quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, quia qui eum reliquerit per inuidiam, difficulter reperiet.

Cuius cor ſemel occupauit inuidia, omni penè caret remedio.

8. Et vt hoc clarius in impio iſto Cain, tanquam in viuo ſchemate vobis proponam, conſiderate mecum, quibus modis Dominus eius animum rancore contabeſcentem, ad pœnitentiam excitare conatus ſit. Perpetrato igitur ſcelere, eum aggreditur, vt tanti mali confeſſionem eliceret: [Vbi eſt, inquit, Abel frater tuus?] tantùm abfuit, vt ſuaui hac interrogatione, eius animum emolliret, vt potius in ſcelere obfirmatus inflexibilis culpam confiteri nollet, qui Deo interroganti, & omnia ſcienti reſpondit, [Neſcio.] Ecce quomodo huiuſmodi peccati genus cor adeò durum efficiat, vt nullam admittat medicinam. [Nam (vt ait Caſſianus) quem ſemel veneni ſui peſte corrupit penè dixerim carere remedio.] Verè caret remedio, qui tam impudenti vultu audet ipſi Deo mentiri: Neſcio, inquiens. At vt infinitam huius peſtis malitiam mentiſque cœcitatem, quam ſuis poſſeſſoribus incutit, declaret impudenter refractariæ negationi arrogans ſubiungit reſponſum: [Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?] Sed ô infinita Dei clementia, quamuis tuis reſiſtat miſericordiæ machiſis, non iraſceris, non indignaris, non eum mendacij arguis, ſed leni reſponſo, durum eius cor emollire aggrederis, vt te Deum, per inuidiam amiſſum, pœnitentiæ lachrymis quærat. [Quid feciſti:] inquis, cui cùm reſponſum nullum daret, factúmq; impudenti ſilentio negaret, blandè indicas omnia oculis tuis aperta, & cùm nolit

Caſſia. collat. 18. c. 17.

factum fateri, confeſſum & probatum fratris eius ſanguinis clamore conuincis.[Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra]ac proinde,cùm tuum ſcelus,ob impœnitens cor tuum, & inuidia inflammatum ſit deſperatum, vſque adeo enim incurabilis eſt iſta pernicies, vt blandimentis exaſperetur, infletur obſequiis,muneribus irritetur,quia,vt Salomon ait: nihil ſuſtinet zelus : quanto enim amplius alius aut humilitatis ſubiectione aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit;tanto ille maioribus inuidiæ ſtimulis incitatur, qui non niſi ruinam aut mortem eius cui inuidet concupiſcit, cùm, inquam, hoc grande tuum malum deſperatum ſit ; ecce tanti flagitij ſubſequitur vindicta!nunc igitur maledictus eris ſuper terram. O quanta hæc calamitas, à Deo maledici & primam eius incurriſſe maledictionẽ,& vt clarum fiat,illum veniam nunquam obtenturum, ob peruicacis animi contumaciam, à ſe veluti eum abigens.[Vagus,inquit,& profugus,eris ſuper terrã] quàm difficulter itaque qui ſemer per inuidiã Deum amiſit inuenit[inuidia enim peſtiferum malum, vitæ interitus, peſtis naturæ, aduerſa omnibus bonis ex Deo venientibus,demum ipſi Deo cõtraria.]Et cùm Deus totus ſit gratioſus,totus miſericors,totus melleus,totus amabilis, totus bonus, nihil eius gratiæ, nihil miſericordiæ,nihil melli,nihil amori,nihil deniq; bonitati eius magis repugnat,quàm inuidiæ rãcor.Fugiamus ergo inuidiæ peſtem. Non enim licet euadere ignẽ diabolo paratum,ab hoc malo non liberatos,liberabimur autem, ſi cogitemus,quomodo Chriſtus & nos dilexit,& alterutrum amare præcepit.At quomodo nos dilexit ? Pretioſum ſanguinem dedit pro nobis,qui eramus inimici, & modò peccaueramus : hoc etiã fac pro fratre.Nam propterea dicit,Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos:imo verò nec ita menſurã ſtatuit. Nam ipſe pro inimicis hoc fecit, at non vis tuum pro fratre ſanguinem effundere. Quid igitur illius

Caſsia. loco citato.

Baſil. homil. 11.

Chry. homil. 53.

illius ſanguinem fundis ex oppoſito mandatum impugnans: Qui verò Dei mandatum impugnat Deum ipſum impugnat, atque adeo ſummo ſe priuat bono. Scito ergo, & vide, quàm malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum; quia qui eum reliquerit, per inuidiam, difficulter reperiet.

Qui Deum per luxuriã dimiſit difficulter reperiet.

9. Sed quid de luxurioſis dicam, quorum ſocietatem adeo puritatis auctor abhorret, vt in animam ſemel his ſordibus ſubiectam neſciat niſi ægrius redire. [Nã luxuria debellatis propriis moribus, vt ait Cyprianus, totum hominẽ ſuum ſub triumphũ libidinis facit, blanda prius, vt plus noceat, cùm placet, exhauriens rem cum pudore, hoſtis continentiæ, frequenter perueniens ad ſanguinẽ, cupiditatũ infeſta rabies, incendium cõſcientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis] quomodo ergo puritatis auctor cõmercium habere poſſit cum eo, in quo dominatur tãta luxuriæ peſtis, quæ ita hominem, quæ ſemel occupauit, nunquam quietum permittit, vt cum aliqua mentis tranquillitate cogitet, à ſuo domicilio puritatis amorem expuliſſe. Sæuus enim criminum, vt ait Ambroſius, ſtimulus libido eſt, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium, amentes inquietat, lapſos incl inat: nullus peccandi modus, & inexplebilis ſceleru m ſitis, niſi morte amantis extingui non poteſt.] Quamuis quidem alia ſint hoc libidinis vitio maiora peccata, nullum tamen ferè eſt ob eorum fœditatem & ſordes, quæ diuinæ puritati æquè ſunt contrariæ & pœnis cœlitus illatis obnoxiæ. Nã ob illud peccati genus totum terrarum orbem inundantibus diluuij fluctibus deleuit, dixítque dolore iactus intrinſecus Deus pœnituiſſe ſe hominem feciſſe, quod tamen ob nullum aliud peccatum dixiſſe legimus. Nam quamuis Adæ peccatum, quod cæterorum origo fuit, & Cain fratricidium maximè fuerint deteſtabi

Cypri de bono pudicitia.

Quanta mala luxuria ſecum inuexit.

Amb. l. 1. de Cain & Abel c. 5.

ſtabilia, ob hæc tamen, neque pœnituiſſe ſe Adam
Gen.6. feciſſe, neque Cain, expreſſe vnquam ſignificauit: verùm, ex profeſſo, ob carnis fœditatem quaſi indignans, non tantum pœnituiſſe ſe hominem feciſſe, ſed ſuum etiam ſpiritum in eo non remanſurum aſſeruit, quia caro, id eſt carnalis, ergo qui amittit hoc modo etiam Deum difficulter ab eo inuenietur. Scito ergo, & vide, quàm malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, quia qui eum, per luxuriam reliquerit, difficulter reperiet.

Cypria. ſerm. de ieiunio. 10. Vt ergo per libidinem Deum non amittas
Initiis reſiſtendum non eſt. diaboli primis, vt monet Cyprianus, titillationibus
Hiero. in Eccle. c. 9. obuiandum eſt, nec coluber foueri debet, donec in
Simile. ſerpentem formetur. Diabolus ſerpens lubricus eſt, Hieronymo teſte, cuius capiti, ſi non reſiſtatur non eſt dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur. Et quemadmodum miles ianuam domus ingreſſus, facilè totam domum occupat, eiuſque ſubſtantiam penitus diripit: ſic carnis tentatio, ſi cordis ianuam ſemel ingreſſa, libidinoſis inflammet illud facibus, facilè de eo triumphat, diuinumque gratiæ ac meritorum theſaurum expilat. Si ergo ſapis, clauſo cordis oſtio, eius primis inſultibus viri-
Hieron. Epiſt. ad Euſtochiũ. liter reſiſte: [nolo ſinas, inquit Hieronymus, cogitationé libidinis creſcere, nihil in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat, dum paruus eſt hoſtis, interfice: nequitia, ne zizania creſcant, elidatur in ſemine. Audi Pſalmiſtam dicentem; filia Babylonis
Pſ.136. miſera? beatus qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus, qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram. Quia enim impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere, innatum medullarum calorem; ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cæperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram, petra autem Chriſtus eſt] ſed ſi forte aditum cogitationi, tua dederis negligentia; & periculum ſit, ne per conſenſum caſtitatis amatorem expellas, magno affectu clama ad eum, qui in tuo

corde

corde periclitatur, libidinosis alioqui expellendus incendiis clama, inquam, IESV fili Dauid miserere mei. Ad hoc te B. Hieronymus excitat [statim, inquit, vt libido titillauerit sensum, aut blandum voluptatis incendiū dulci te calore perfuderit, erumpe in vocem, Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciet caro; Et cùm paululum interior homo inter vitia, atque virtutes, cœperit fluctuare, dicito: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Domino, quia confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus. Dic cum Sapiente [sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & idcirco adi Dominum cum illo & deprecare illum. Sic Susanna in angustiis posita ad Deum confugit. sic Apostolus ter Deum rogauit vt à vehementibus carnis stimulis liberaretur: sic Augustinus clamauit: [ô amor, qui semper ardes, & nūquam extingueris: charitas Deus meus accende me: continentiam iubes: da quod iubes, & iube quod vis.] sic Iustina, teste Nazianzeno, cùm eius pudicitiam expugnare Cyprianus Magus tentaret, omni humana ope destituta, ad Deum & Beatissimam Virginem confugiēs, Magum statim dæmon obsedit: sic Beatus Thomas Aquinas viso impudenti scorto in suo cubiculo: Ne sinas quæso, exclamauit, Domine IESV, & tu sanctissima mater, & Virgo Maria, vt tam immani me scelere obstringam, & statim titione ex igne rapto, meretricem expulit, in cuius constantiæ præmium, concluso cubiculi ostio, à duobus Angelis lumbos sibi constringi sensit, quo factum est, vt nullo, in posterum, cupiditatis igne inflammaretur. Quàm bene huiusmodi intellexerunt valde malum esse & amarum relinquere Dominum.

Dan. 13.
2. Cor. 12.
August. 10. confess. c. 29.
Gregor. in laudem Cypriani.
Surius in eius vita.

11. Quare nullum remedium efficacius ad extinguendum in lumbis nostris libidinis ignem, quàm ob oculos nobis ponere Christum, quasi præsentem, & cruci pro nobis suffixum, quod nobis suadet Pius Hugo de S. Victore, & vtinam persuadeat.

Nihil efficacius quàm Christum crucifixum intueri.

Hugo l. 3. de anima. c. 23.

[Quoties, inquit, te sentis turpibus cogitationibus pulsari,& ad illicitã delectationem affici,toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te. Intuere quomodo à Iuda Iudæis traditur,& quàm viliter pertractetur, blasphemetur,& colaphizetur, iudicetur, & condemnetur, expolietur & flagelletur,ad vltimum verò cõtumeliis affectus,inter duos latrones suspendatur; clauis affixus,sputis derisus, spinis coronatus, lanceâ perforatus,ex omnibus partibus sanguinem profundat, & inclinato capite emittat spiritum. Ita Redemptor tuus moritur pro te,& tu nescis, cuiusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente?]nescis,inquam, huiusmodi libidinis sordibus puritatis auctorem in te quodammodò extingui.Scito,ergo,& vide,quàm malum,& amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, quia qui eum reliquerit per libidinem difficulter reperiet.

Auaritia Deus amissus rarò reperitur.

12. Quid denique de auaris dicam, qui ita se penitus à Deo auertunt, vt finem suum in auro ac cista collocatum habeãt, vnde Spiritus sanctus adeo eos detestatur vt iis nihil sceleſtius esse asserat[auaro nihil est sceleſtius.]Quid ita?quia(vt ait Augustinus)auari frui volunt nummo, vti autem Deo,quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. Quia nimirum licèt Deum agnoscant,& reuereantur, tanquam rerũ omnium parentem, immoderato tamen affectu,quo in sordibus pecuniæ inhæresc unt, eum vltimum finem & summum bonum esse re & facto negare videntur. Itaque in pecunia acquiescunt, ac si nulla Dei cura, & prouidentia egere deberent vnquam. Cùm igitur cor eorum præ Deo, pecuniæ adhæresc it,ita cum illa coalescit, vt vnum inter se fiant, in eius naturam,quod amat transiens. quare terream,si terram amet,naturam induit, iuxta illud Augustini. [Talis est quisque, qualis eius dilectio est, terram diligis, terra es: Deum diligis, quid dicam Deus

Augu. de ciuitat. Dei l. 11. c. 25.

Aug. tract. 2. in Epist. Ioannis.

dis]

eris.] terreno autem homini Deus, qui omnino cœleſtis eſt, ſe coniungere dedignatur. adeo verò terrenus eſt auarus, vt nihil in eo præter terram ſit. Vnde Chryſoſtomus. Quid manibus, inquit, auari ſceleratius? quid oculis impudentius & caninum magis? non aſpicit homines, vt homines, neque cœlum, vt cœlum, ſed omnia pecuniam eſſe putat. Quare ob pecuniæ auiditatem omnia perdit, perdit enim, Apoſtolo teſte, bonorum omnium fundamentum, fidem nimirum, radix autem omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerũt à fide. Vides ergo, inquit Ambroſius, quia qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit. Auaritia enim cœcitas eſt, errorem religionis inducit. Cœca inquam eſt auaritia, ſed diuerſis fraudum occulta ingeniis: non videt quæ diuinitatis ſunt, ſed cogitat, quæ cupiditatis ſunt.] Quamobrem tantæ curæ auari animam ſemper lancinant, Baſilio teſte, vt nunquam Deo vacare illi liceat. [Quanto, inquit, diuitiæ magis augeſcunt, tanto plus adferunt curarum. Iudex expectatur, & auarus cogitat, ne in ius trahatur, ne orphanus ſuas lachrymas in foro palam faciat. Nocte conſultat, quomodo manè, quoſdam aduocatos ſibi præparet, quomodo in iudicio mentiendo pauperem deſtitutum opprimat. Eius animam hæ curæ continuò mordaces abſumunt. Canis latrat, auarus putat furem eſſe, Mus forte perſtrepit, & auari cor ſalit, quemlibet vel puerum ſuſpectum habens. Filios iam grandes vt inſidiatores aſpicit, quod eorum iã ætas ſucceſſionem expetere videatur.] Ecce quàm miſer auarus, qui ſic pro terra, quam tamen relinquere cogitur, & cor ſuum cruciat, & omne bonum amittit. Scito ergo, & vide, quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, quia qui eum reliquerit, per auaritiam, difficulter reperiet.

Chryſoſt. oratione 7. in auaros. Ambroſ. ſer. 59.

Baſil. hõ. 11.

Multorum auaritia grauiter caſtigata.

Tecum, obſecro, diligenter cogita, quàm grauibus pœnis diuinitus caſtigata ſit multorum auaritia, vt

quorum

quorum pœnas perhorreſcas, eorum etiam remis veliſque auaritiam fugias. [Giezi, vt ait Caſſianus, ea quæ, ne ante poſſederat volens acquirere, non modò gratiam prophetiæ non meruit poſſidere, quam per ſucceſſionem velut hæreditariam à ſuo habuit magiſtro ſuſcipere: verumetiam è contrario æterna lepra ſancti Eliſæi maledictione perfunditur. Iudas autem volens reſumere pecunias, quas anteà Chriſtum ſecutus abiecerat, non ſolùm ad proditionem Domini lapſus Apoſtolatus perdidit gradum, ſed etiam vitam ipſam communi exitu finire non meruit, eamque βιοθάνατε morte concluſit. Ananias verò & Sapphira reſeruantes partem quandam ex his, quæ poſſederant Apoſtolico ore morte mulctantur.] Achan ob furtum anathematis Hierico habita ſorte lapidatur. Saul Rex ob greges & armenta Amalecytarum contra diuinum mandatum ſeruata, à Deo, & regno eiicitur. Ioel & Abias iudicij peruerſores malè mulctati ſunt. Achab cum Ieſabele eius vxore Naboth Iſraëlitæ interfector & vinearum cruentus occupator malè periit. Ecce quò auaritiæ libido hominem præcipitet, quomodo à Deo in æternum ſui amatorem ſeparet! Scito ergo & vide quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, quia qui eum reliquerit, per auaritiam, difficulter reperiet.

Caſſia l. 7. inſt. monaſ. cap. 14.

4. Reg. 5.

3. Reg. 8.

Secvndvm Pvnctvm.

14. Videamus ſecundo iam loco, quomodo Maria Chriſtum Dominum amiſſum quærat vt eius inſiſtentes veſtigiis, ſi quando Deum mortifero perdamus peccato ſedulò quæramus. Intueamur, obſecro, quàm ſolicitè per tres hos dies Maria amoris Iesv veluti telo ſauciata, ad inſtar capræ, ſagitta infixæ, ad dictamnum feſtinantis, anhela, ad filium veteri ſui perditum properet! Quoties tanquam viuali amoris arundine eius cordi infixa, à filij aſpectu ſublata exclamet. Vulneraſti cor meum, fili mi, vul-

Quàm ſolicitè Maria Chriſtum quærit.

Cantic. 4.

neraſti

nerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui! O quàm potens amoris hæc arundo, vt non tantum cor matris ea vulneres, sed etiam illam excordaueris,& stupefeceris, vt septuaginta interpretantur ἐκταρδίωσας. Nihilominus tamen adeò fuit tui memor,tuo corde, loco sui quasi vtens,vt requiem non quæsierit vllam,donec te tandem repererit.Quanta verò amoris significatione id præstiterit, ex quærentis te solicitè amorosis verbis clarum fiet. [Num quem diligit anima mea, inquit, vidistis? adiuro vos filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.]Ecce quàm diligenter,quàm solicitè, quanto amoris deliquio, quærat te infantem vteri sui perditum! *Cantic.3.*

15. Amoris ea natura est,vt sibi dilectum,ab omnibus nosci, ac diligi debere putet. Quæ causa fuit cur Maria obuios quosque in mulierum comitatu, & via, quasi de noto ipsis puero interrogat. [Num quem diligit anima mea vidistis?]Ô amor(inquit Bernardus)præceps,vehemens, flagrans impetuosè qui præter te aliud cogitare non finis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te,te contentus, captiuam ducis rationem, & intellectum, mirabiliter triumphum agens rerum omnium. En omne quod cogitat ista,quod loquitur te sonat, te redolet, & aliud nihil:ita tibi ipsius & cor vindicasti & linguam.[Num quem diligit anima mea vidistis:]quasi verò hi sciãt quid cogitet ipsa?non explicat verbis sponsi nomen, vt perpendas amorem, hunc sanctum, non lingua æstimandum esse, & verbo, sed opere & veritate. Et præterea quoniam sicut idioma Græcum,qui Græcè peritus non est,intelligere non valet,sic & proprios amoris terminos, ac nomina solus amans intelligit, aliis autem illa loquens apparebit barbarus. At isti vigiles, qui idioma amoris callebant docent dilectam:tenui illam nec dimittam, deinde id ipsum exemplo Iacob Patriarchæ declarat: dixit Iacob Angelo, *Amoris natura describitur.* *Bernard.ser. 79.in Cãtic.*

Angelo,cum quo luctabatur vsque mane postulanti, vt eam dimitteret, quia viderat appropinquantem auroram: non dimittam te, nisi benedixeris mihi,& benedixit ei in eodem loco, & post hoc dimisit illum. Sponsa autem etiam benedictione consecuta, inuento eo, quem diligit anima eius, ait: tenuí eum nec dimittam:dimittere eum non vult, nec ille forsan minus teneri vult, de quo dicitur : delitiæ meæ esse cum filiis hominum. Quid hac copula fortius, quæ vna duorum tam vehementi voluntate firmata est?tenui eum nec dimittam, & tenetur illa iuxta illud,tenuisti manum dextram meam,non teneret nisi toneretur misericordia Dei.]Sed quoniam illis ignotus est dilectus,respondent qualis est dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum: te quidem inter omnes filias Ierusalem pulcherrimam cernimus, ac proinde filium te quærere, tibi persimilem, non dubitamus: huiusmodi tamen vidisse nos ignoramus : quare signa nobis eius pulchritudinis profer, vt si posthæc contigerit, in huiusmodi oculos coniicere, nunciemus ei,quia amore langues: qualis est ergo dilectus tuus?

Pueri amissi descriptio.

16. Hæc dilecti mei pulchritudinis vobis signa. [Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis eius. Caput eius aurum optimum:tanta puritas & excellentia sanitatis filij mei vt omnium rerum puritatem & excellentiam superet:omnia eius opera aurea resplendent charitate, comæ eius sicut elatæ palmarum: affectus illius cogitationes & gratiæ ex capite illius, vt ait Theodoretus,fluentes meritò comæ vocantur, aureum imitantes colorem,ex capite enim aureo non nisi aurei capilli nasci possunt, sicut elatæ palmarum : elatæ enim,vt ait idem auctor,sunt fructus palmarum masculorum,qui fœminis adiuncti tempestiuos etiam illarum fructus fieri curant. Quoniam igitur, qui Christo,inquit, crediderunt variis eius muneribus

Theodo. in comment. super Cant. 7.

fructifes

fruentes pietatis fructum ferunt, meritò comæ eius elatis comparantur. Dicuntur autem nigræ quasi coruus, vt per profundum & obscurum colorem abdita & inaccessa incarnationis eius ratio declaretur. Oculi eius sicut columbæ, simplices sine dolo, sine malitia, mentis candorem in se exprimentes, ac cœlestes ex se occultæ diuinitatis radios emittentes. Labia eius labia distillantia myrrham primam, eius enim verba adeo gratiâ sunt aspersa, vt nihil redoleant, præter misericordiam, & sanctitatem: nasus eius sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. *Cant. 7.* Sed quid naso, inquis, cum turri, nam nasi tanta magnitudo, non pulchritudinem adfert, sed deformitatem: noli in cortice literæ hærere, frange nucem, nucleum ede: animæ vim odorandi spiritalem nasus significat: magnus nasus, magna est odorandi res cœlestes, terrenásque explorandi vis; hac pollet filius meus, qui veluti, in editissima turri collocatus, tum cœli delitias & diuitias; tum terræ fæces lutúmque intuetur. Aures verò eius ad obedientiam effectæ iuxta illud psalmistæ, [aures autem perfecisti *Psal. 39.* mihi.] quæ instrumenta sunt per quæ superiorum præcepta, quibus debetur obedientia accipiuntur. Filius autem meus ob id præsertim corpus humanum accepit, vt Patri Deo per obedientiam in forma serui obsequeretur, & obsequendo pro peccatis totius mundi satisfaceret, iuxta illud Apostoli de eo aliquando pronunciandum. [Ego veni non vt faciam volũtatem meam, sed eius qui misit me.] *Ioan. 5. & 6.* Porro *Cantic. 6.* sicut cortex mali punici, sic genæ eius, cuius granorum purpureorum multitudo, cœlestium animæ eius gratiarum in vultum redundantium exteriùs indicat, & sicut vnum, inter omnia poma, punicum coronatur, sic inter omnes martyres principem infinitæ gloriæ coronam in ipso instanti acceptationis moriendi, pro humano genere præceptum, vnus meruit tanquam caput omnium martyrum accipere, pulcherrimæ ergo huius mei genæ quæ non tantùm

ex

ex internis animi virtutibus nitorem acceperunt, ſed ex illa etiam purpurea martyribus debita corona purpureum induerunt colorem[iſtæ igitur ſunt genæ(vt ait Ambroſius)in quibus ſolet nitere verecundia, pulchritudo fulgere, in quibus aut flos iuuentæ, aut perfectæ ætatis inſigne eſt. Collum inſuper eius ſicut turris eburnea.Sicut enim ebur fortiſſimum, & candidiſſimum; ſic filius meus, qui Eccleſiæ collum eſt & fortiſſimus eſt, nam licèt omnes ſiue tyranni, ſiue hæretici conentur huiuſmodi collum præcidere,& Eccleſiam interimere, ſemper tamen irritos eorum conatus reddet: quippe cùm Eccleſiæ collum fit eburneum,quod armis minimè cedit, & candidiſſimus, quamuis enim errorum fuligine eius candorem obſcurare tentent; tantum abeſt, vt collum hoc albiſſimum, aliqua inficiatur caligine, vt potius maiori cum luce, ſuam exerat pulchritudinem, qua eorum tenebræ diſſipentur. Prætereà pectus eius ſpiritus ſancti ſacrarium in quo tanquam in ditiſſimo Trinitatis gazophylacio, ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei: Meliora etiam ſunt vbera eius vino fragrantia, vnguentis optimis: meliora ſanè, quæ ingenitæ ſunt manſuetudinis argumenta. Duo ſponſi vbera,ait ſeruus eius Bernardus, duo in ipſo ſunt ingenitæ manſuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, & clementer reſpicit pœnitentem. Gemina,inquam, dulcedo ſuauitatis exuberat in pectore Domini Iesv, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas.] Hæc duo ſuauiſſima vbera premet ſponſus amabilis, aliquando adultior factus infans vteri mei, prætérque benignus vt miſericordiæ lac nobis puſillis exhibeat. Venter etiam filij mei ſicut aceruus tritici vallatus liliis.] fame laborauit orbis vniuerſus, ſed horreum frumenti admirabile parauit Deus, vnigeniti nimirum ſui vterum integerrimum, a cuius vterum tanquam ad imi[illegible]ntum & inexhauſtum

Ambroſ. de obitu Valentini.

ad Coloſſ. 2.

Cantic. 1.

Bern. ſerm. 9. in Cant.

Cant. 7.

tri

tritici aceruum mortales omnes gratiæ fame laborãtes confluere possunt, nam infinitis saturandis satis supérq; est: vt autem intelligatis Iosephum nihil in hunc aceruum tritici contulisse vnigeniti vterus vallatus vndíq; liliis dicitur, quæ lilia filij mei perfectissimam Virginitatem significant. Huiusmodi etiam liliis me vallatam aliquando Matthæus videbit cùm in filij mei Genealogia loquendi modum mutaturus sit, in cæteris enim verbo genuit vtetur, at cùm ad Ioseph sponsi mei méque peruenerit, verbum genuit, explodet, eiusque loco subdet, de qua natus est IESVS qui vocatur Christus. [Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis] manus dilecti mei velut sphæræ, siue globuli aurei, quæ in orbem continuo per beneficentiam feruntur rotatu, suarúmque gratiarum lucem, & influxum omnibus communicant mortalibus: Quemadmodum cœlestes illi globi, motu suo, hæc omnia inferiora fœcundant: plenæ insuper hyacinthis, pulcherrimis ac pretiosissimis gratiarum annulis, ex charitatis auro affabrè factis: nulli enim annuli magis manus ornant, quã aurei, quàm bona, inquam, opera, charitate aurea, quæ manus efficiunt aureas. Et pedes eius tanquã colũnæ ignis; pedes, inquam, eius misericordia & iustitia, quarum alteram in primo suo hoc aduentu potissimum ostẽdit; alteram in iudicio ostendet: vniuersæ enim viæ Domino misericordia & veritas. Duobus itáq; his quasi pedibus ad nos venit Christus: ambo autem instar columnarum sunt propter firmitatem & potentiam, quam in misericordiæ & iustitiæ operibus declarabit, & etiamnum declarat. Porrò istæ columnæ sunt igneæ, ob amoris ardorem, quem nõ miserando tantum, sed puniẽdo etiam demonstrabit, quam ob causam meritò spõsa dixit: [Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.] Verè enim duo hi pedes filij mei, columnæ sunt, fundatæ super bases charitate aureas, quæ tam in misericor

Cantic. 5. *Simile.* *Apoc. 10.* *Cantic. 5.*

Cant. 7. ſericordiæ, quàm iuſtitiæ operibus mirificè reſplendebunt. Denique ſtatura eius aſſimilata eſt palmæ. Quemadmodum enim palma, quo maiori pondere deprimitur, eo maiori impetu aſſurgit: ſic filij mei, ſtatura rectitudo eſt bonæ operationis, quæ ad terrenam concupiſcentiam incuruari deſpiciens totam ſe ad cœleſtia ſuſtollit. Deinde quia palma in inferioribus aſpera videtur, in ſummo autem pulchritudinem & fructus ſuauitatem oſtendit: ſic filius meus aſperos, in terra, pro humani generis redemptione, ſuſtinet labores, ſed æternæ beatitudinis fructus, tanquam ſuorum laborum mercedem nobis, promerebitur, aſpera quidem palma eſt iuxta terram, quia paſſionem noſtri gratia Chriſtus ſubibit: pulchra eſt & dulcis in ſummo, quia gaudebit in preſſuris & exaltabit, ſciens quòd merces noſtra copioſa ſit in cœlo. Denique quia palma manus victricis ornamentum eſt, ſtatura ergo ſponſi animæ meæ aſſimilatur palmæ, cùm in amorem ſupernorum erectus meditatur: interim in acie conſiſtens brauium illud, quo victor finito paſſionis agone, corpus eius donandum nóſque gratia ac æterna gloria cumulandi ſimus. Qualis eſt ergo dilectus tuus petitis? tanta eius diuinitatis altitudo & humanæ ei aſſociatæ naturæ, vt ſingularis ſit ac præ omnibus admirabilis ſpecies decoris eius, totus ītaquè, (vt ſeptuaginta vertunt) deſiderium, totus deſiderabilis; dubitans enim virgo quibus eum præterea laudibus cumulet, vno verbo ſe expedit, & cuncta complectitur, ne in ſingulis, inquit, eius pulchritudinis partibus explicandis morer. Totus eſt deſiderium, totus eſt miſericordia, totus eſt amor, ita, vt omnes ad ſe trahat. Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem.

A fœminarũ comitatu in virorum abit vt qua-

17. Qua puelli pulcherrima deſcriptione illectæ ſtatim in eius amorem inardeſcunt, & ſeſe Beatiſſimæ Virgini comites, vt [illegible] qui

quirant, adiungere desiderantes, aiunt. Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum, quia amore eius languemus. Illa veluti impatiens moræ, se ab earum comitatu subducens, ne moram, vt solent fœminæ, texant, pergit, cum festinatione ad virorum comitatum, quibus statim: Num quem diligit anima mea vidistis? vidistísne lumen oculorum meorum, solatium vitæ meæ, & spem posteritatis Adæ? Circumspexi ego quidem, circuiui, consideraui omnes vias, vt si fortè eum procul redeuntem intuerer, sed eum non vidi: vidistísne ergo eum vos? siletis: vestrum mihi silentium suspectum. Heu, heu me miseram! quid agam? puer non comparet, & ego quò ibo? quò nam abiit dilectus meus? quæsiui eum in mulierum comitatu, & non inueni eum, vocaui eum, & non respondebit mihi. Heu, heu me miseram! quid agam? puer non comparet, & ego quò ibo? vbi eum prætereà quæram? vbi eum inueniam, si neque hîc inueniatur? Adiuro vos filij Hierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo: Dicite vbi posuistis eum & tollam eum. Ibo sola, nihil terrebit fœmineam audaciam. Tacetis. Vestra me taciturnitas lancinat. Heu heu me miseram! quid agam? puer non comparet, & ego quò ibo? Ibo & circumibo omnia loca, non dabo somnum oculis meis, non dabo requiem pedibus meis, clamabo, vociferabor, donec inueniam quem diligit anima mea. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum & plorabo die ac nocte amissum filium æterni Patris & meum: agite igitur oculi mei, lachrymas effundite, plorate & nolite deficere donec inueniam, quem diligit anima mea.

rat dilectum suum.

18. Quo obsecro, doloris iaculo tenerrimum Virginis pectus hoc triduo sauciatum putatis? audistis

Cùm negligit in fœminarũ comitatu,

neque in vivorum filium inuenerit seſe ad patrẽ cœleſtem conuertit.

audiſtis caſtiſſimam veluti turturem ſuo deſtitutam compare hactenus gementem, & inter turbas quærentem, quem diligit anima eius. Contemplemur modò eam lachrymoſis oculis in cœlum coniectis in hunc lugubrem modum cœleſtem Patrem quaſi coràm alloquentem. O Pater æterne tuum mihi vnigenitum pretioſiſſimum illum omnium bonorum theſaurum, non meis quidem meritis, ſed tua infinita miſericordia ſeruandum commiſiſti, néque tanquam thecam affabrè virtutum ſplendoribus exornatam, in qua gemmam illam cœleſtem nouem menſium ſpatio incluſiſti, mundo oſtendiſti: ſed modò nimis afflictam tuo & meo filio ſpoliatam veluti ſexus immemorem vagantem & quærentem pectoris mei & tui ô Pater vides ab æterno ſingulare ornamentum neſcio cuius culpa amiſſum: vides, ſed miſericordiæ oculis in ancillam tuam in filij tui gerulam intuere: nam ecce abiit theſaurus meus, gemma tua deperdita, an mea id factum negligentia? an fortè quia tanto indigna filio? Sed vt vt eſt, eum mihi commiſiſti, illum ego amiſi. Ergo ſicuti miſericordia tua tanti mihi muneris cauſa fuit; ſic illa filium mihi reſtituat meum. Redde mihi ò Pater lætitiam ſalutaris tui, ſine eo enim viuere non poſſum, ſine eo etiam mori nolo; viuere enim mihi Chriſtus eſt & mori lucrum, mihi Chriſtus & in vita & in morte lucrum, ideo enim viuere non recuſo, nec mori timeo, modò tam in morte quàm in vita Chriſto ſeruiam. Chriſto vniar, Chriſtum lucrer, qui amor meus eſt & omnia, præter eum nihil amo, nihil timeo, vnde ſi Chriſtum inuenero & lucrata fuero perinde mihi eſt ſiue viuam ſiue moriar. Conſidera ô Pater ancillæ tuæ anguſtias, memineris antiquarum tuarum miſericordiarum quibus me præ cæteris mulieribus præueniſti: memineris ô Pater te nuncium miſiſſe Angelicum ad Paſtores ut ad præſepe perducerent

Philipp. 1.

ducerentur, vbi vnigenitus tuus primogenitus meus meæ humanitatis pannis inuolutus iacuit! recordare Pater fulgentem illam ſtellam à te miſſam, quæ ab extremis terræ oris magnificos illos Reges cum locupletiſſimis muneribus ad infantis mei incunabula deduxit: reuoca ô Pater in memoriam coniugi meo Ioſepho intempeſta nocte te Angelum delegaſſe, vt tempeſtiua fuga pueri mei ſaluti conſuleret! mitte igitur nunc quoque vel Angelum vel lucis tuæ radium tanquam viæ ducem qui me rectà in deſideratos filij mei amplexus rapiat? Quis enim mei alioqui miſerebitur? quis me conſolabitur? quis indicabit mihi, vbi poſitus ſit, vbi cubet, vel in nocte vel in meridie quem diligit anima mea? ſi tu ô Pater mihi tuam negaueris opem?

19. O Gabriel, Dei Angele, qui olim fuiſti tantæ lætitiæ nuncius, qui ab auguſtiſſimo illo trium perſonarum Concilio legatus ad me miſſus, modò mei commotus miſeria, noua fungere legatione, meæque ſuccurre calamitati? Cur cùm verum ſit (vti tum affirmaueras) Dominum mecum eſſe, ſubtracta mihi hodie eius præſentia? cur cythara mea verſa eſt in luctum? cur extrema illius infiniti gaudij luctus veluti infinitus occupat? vbi gratia illa, quam inueniſſe me apud Deum dixiſti? cùm hodie omnis gratiæ fonte videar quaſi deſtituta, tanto viduata filio? quare ô Gabriel, vt vera ſint in perpetuum, quæ mihi aliquando denunciaſti, ſicuti nuncius fuiſti ab auguſtiſſima Trinitate ad me deſtinatus vnigeniti æterni Patris in meo vtero incarnationis, mei etiam hodie gratia, legatione fungi, apud filium ne dedigneris, vt ſicuti illi placuit in vtero meo concipi, & ex me naſci: ſic etiam ad ſinum matris ſuæ redeat: fouebo illum, ne dubitét, & curabo ne iterum à meis manibus elabatur niſi ad præceptum patris. O quàm luctuoſæ hæ Virginis lamentationes; eóque magis quia neque Pater neque Angelus, pro voto

Cum à patre non exaudiatur ratio vertit ſe ad Gabrielem tanti olim boni nuncium.

eius ſuccurrit miſeriæ. Hinc tandem ad filium ipſum conuerſa, ecce vt exclamat! Fili mi IESV, IESV fili mi, vbi modò latitas, matre tua omninò deſolata! Ecce quomodo amore tui langueo! Ecce quomodo dolore deficio! ecce quomodo clamore rauceſco! Vide & conſidera ſi eſt dolor ſicut dolor meus! Oſtende igitur mihi tandem aliquando faciem tuam, & ſalua ero; ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora: indica mihi vbi lates, quia à te pendet anima mea, aut tu ad me citò veni, qui noſti vbi ſim, aut me ad te duc fili mi. O ſi tantus cœleſtis huius ſponſæ dolor, ſi adeò fuerit anxia, quæ tamen ſine ſua culpa filium amiſit, quàm anxij, quàm ſolliciti, quàm perplexi nos eſſe debemus, cùm Chriſtum, qui in animis noſtris per gratiam innaſcitur, noſtra tamen culpa, antequàm per bonorum operum exhibitionem in nobis matureſcat, tetra peccati labe ſuffocamus, eiicimus, perdimus. Verè ſollicitos nos eſſe oporteret, eúmque vndequaque perquirere, vt ſi fortè à nobis anxiè vocatus redeat, & de nouo animis noſtris innaſcatur & matureſcat. Sed heu tantùm abeſt, vt eum ſic amiſſum diligenter quæramus, vt etiam ſæpius ferreis clauſtris & adamantinis peſſulis noſtræ conſcientiæ oſtia obdamus, ac pulſanti & quærenti in animum noſtrum aditum obſurdeſcamus!

Ad filium ipſum conuertitur.

TERTIVM PVNCTVM.

20. Tertio audiamus loco, quanta cura, ſollicitudine ac labore ſponſum animæ noſtræ per lethalem noxam amiſſum Mariæ & ſponſæ exemplo excitati, quærere debeamus. Surgam, inquit, Sponſa & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. Quæ-

Quæramus Chriſtum cũ ſponſa & Maria. Cantic. 3.

Digitized by

gamus itaque & nos à peccatorum consuetudine, & per virtutum semitas progrediamur, eamus non sistamus donec amissum animæ nostræ sponsum diligenter quæramus; quæramus, inquam, illum etiam instar Mariæ dolentes, per contritionem, nihil nobis sit iucundum, nihil delectabile, nihil quod adferat animæ nostræ solatium, donec inueniamus illum quem diligit anima nostra. [Ecce, inquit Maria, ego & pater tuus dolentes quærebamus te] non in peccati lecto, per noctis tenebras quærendus [non enim in cubilibus & impudicitiis] inueniri potest, non [per vicos & plateas] vbi rixæ & contentiones esse solent [non enim in contentione & æmulatione] inuenitur, non intempesta nocte inter vigilum turbas, vbi gula & ebrietas vigere solet: [non enim in commessationibus & ebrietatibus] IESVS reperitur. Doceat verò nos his ambagibus decepta sponsa rectam, inueniendi animæ nostræ sponsum, viam: [In lectulo, inquit ipsa, meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum & non inueni.] Ecce quomodo insinuat sponsum non posse reperiri, ab impudicitiæ sectatoribus! quare subdit [surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni.] Ecce quomodo indicat sponsum animæ, inter turbas & contentiosos minimè reperiendum. Denique [inuenerunt me, inquit, vigiles, qui custodiunt ciuitatem] quos interrogat, [Num quem diligit anima mea vidistis?] Neque inter illos etiam eum reperit; qui morantur in vino epotando, & student hauriendis calicibus. At paululum, cùm pertransisset eos, inuenit, quem diligit anima eius, extra nimirum hominum turbas, in loco pacis & quietis. Ecce quàm diligenter eum quæsiuit, quæ nunquam quieuit, donec eum inuenit, licèt diu quærendo & vocando

ad Rom. 13.

Bern. ser. 75. super Cant.

vocando sese fatigaret. [Nõ est reuersus, inquit Bernardus, sponsus ad vocem & votum reuocantis. Quare? vt desiderium crescat, vt probetur affectus, & exerceatur amoris negotium. Sanè ergo dissimulatio est non indignatio. Sed superest vt quæratur si fortè reperiatur quæsitus, qui vocatus non venit, dicente Domino: [Omnis qui quærit inuenit,] inuenit ipsa & tenuit eum & non dimisit, quæsiuit dolore incitata ob sponsi absentiam, inuenit perseuerandi studio, tenuit amoris amplexibus, & apud se custodiuit bonorum operum exercitatione.

Deus amissus quærẽdus cõtritione, confessione, satisfactione.

21. Sic nos eum quæramus dolore incitati absentiæ ipsius, quæramus, inquam, vera cordis contritione, inueniamus eum sincera nostrorum peccatorum confessione. Teneamus eum debita satisfactione, & foueamus eum apud nos pertinaci virtutum bonorúmque operum studio: sic enim Dauid eum quæsiuit, inuenit, tenuit, & fouit, percussit autem cor Dauid eum, postquàm numeratus est populus, vbi insinuatur cordis contritione Deum ab eo quæ-

2. *Reg.* 24. situm. Deinde dicit Dauid ad Dominum: peccaui valdè in hoc facto, vbi vera facta confessione ab eo Deus inuentus esse declaratur. Nam re ipsa audire

2. *Reg.* 12. meruit sicut aliàs: [trãstulit Deus peccatum tuum.] Denique placauit Dauid Dominum oratione & subiectione ad flagella diuina, sponte suscipienda. Ego, inquiens, sum, qui peccaui & ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me & contra domum Patris mei. Ecce sceleris satisfactione Deum inuentum

Ambr. de obitu Theodosii Imperatoris. tenuit, & fouit. [Bene hoc dixit, inquit Ambrosius, qui regnum suum Deo subiecit & pœnitentiam gessit, & peccatum suum confessus veniam postulauit: ipse per humilitatem venit ad salutem.] Hæ sunt tres viæ, contritio cordis, oris confessio, & operis satisfactio, per quas quærendus est nobis Dominus, & tres dies, quibus cum Maria dolentes Deum

quærere debemus, & inuentum ita tenere, vt nunquam in posterum eum dimittamus.

Qvartvm Pvnctvm.

22. Denique quarto imitemur loco in tanto animæ nostræ negotio saltem idololatras, & in primis Michæ in suos Deos sibi sublatos recuperandi affectum. Nam cùm quidam milites de stirpe Dan ingressi domum eius, vi abstulissent Deos eius aureos, ita permotus fuit, vt statim eos, cum omni festinatione insequeretur, clamans, plorans ac vociferans: Illi verò cùm Micham sibi acclamantem insequi respexissent, dixerunt ad eum: Quid tibi? quid clamas? quibus respondit: Deos meos tulistis quos ego feci, & sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis mihi, quid tibi est? Ecce Diaboli milites, peccata nimirum ingressa sunt domum Michæ, pauperis scilicet peccatoris animam, & inde abstulerunt infinitum gratiæ thesaurum, pretiosissimam illam gemmam, quam omnibus diuenditis bonis, tot laboribus, ieiuniis, afflictionibus homo emit, hanc, inquam, abstulerunt, in qua omnes scientiæ ac sapientiæ cœlestes thesauri reconditi erant, abstulerunt gemmam illam infiniti pretij Dei filium, qui tanquam pretiosissima margarita æterni Patris pectus ab æterno magnificauit: abstulerunt, inquam, inhabitantem nobis gratiam, vt qui paulò ante ditissimi fuimus, derepente pauperrimi facti simus Michæ: Sed ô cur non illius in Deos suos zelum, ac amorem erga Deum verum nobis per latrones illos sublatum ostendimus? Ille secutus latrones clamans ac plorans, toties ingeminat: [Deos meos abstulistis] cur nos etiam non insequimur latrones, peccata scilicet lachrymis & clamoribus, quæ à nobis Christum sustulerunt, cur non semper eiulans ac clamans anima nostra identidem ingemiscat, [Deduc quasi torrentem lachry- *Thre.* 3.

Iud. 18. *Saltem nobis imitandus affectus idololatrarum in falsos Deos.*

Digitized by Google

mas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui, effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini,] donec inuenias quem perdidiſti: Ille non ceſſauit donec clamoribus laceſſiti latrones, coacti ſint inſequentem, & plorantem interrogare: quid clamaret: quid ploraret? Quid tibi, inquiunt? Cui inclamas? O, inquit ille, Deos meos tuliſtis; & proinde omnem ſubſtantiam meam: Non ceſſes ergo anima mea clamare, plorare; vociferari, poſt latrones, poſt peccata, quæ Deum tibi quodammodo ſurripuerunt, dicáſque: O Deum meum, non quem ego feci, ſed qui fecit me, abſtuliſtis, ſubſtantiámque meam diripuiſtis, omnia gratiæ dona, omnia virtutum ornamenta, omnia bonorum operum merita expilaſtis, & dicitis, quid tibi? Cui clamas? reddite mihi Deum meum, ſponſum animæ meæ, cuius præſentiam deſidero, cuius abſentia contabeſco, cuius amore langueo: Scito ergo & vide quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem Dei apud te.

Rectè peccator qui Deũ amiſſum non quærit, colũba ſeducta & ſine corde cõparatur. Oſee 7.

23. Sola columba, ait Hieronymus, ablatos ſibi pullos non dolet, non requirit; hinc Dominus non immeritò nos, qui nobis ſublatum animæ noſtræ columbinum pullum IESVM minimè dolemus, neque inquirimus, non columbæ ſimpliciter ſed ſeductæ comparat: [Factus eſt, inquit, Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor.] Quid enim aptius nobis comparari poſſit, quàm columba ſeducta non habens cor: anima enim noſtra vel carnis ſeducta illecebris, vel mundi decepta vanitatibus, vel diaboli circumuenta fraudibus cor ſuum à ſe rapi permittit, & ideò columba ſeducta, non habens cor eſſe cenſetur. Nónne anima illa ſeducta, quæ vili carnis voluptate æternam vendit diabolo hæreditatem? nónne anima illa minimè habere cor cenſeri debet, quæ [illegible] Chriſt[illegible]

Christum perditum,non semel de eo quærendo cogitat? nonne seducta illa anima quæ dolo à diabolo seducta per pœnitentiæ dolorem animæ suæ sponsum diabolica sibi surreptum fraude non quærit, neque curat vt amissam recipiat gratiam, neque luget in quàm miserando iacet statu: quo quid miserius? [Quid est,ait Augustinus, miserius misero non miserante se ipsum?]quid est ergo miserius anima à diabolo seducta, quæ neque suam agnoscit miseriam, neque dicenti credit, neque monenti obtemperat, neque seductam se sentit, neque Deum amissum quærit.Sed heulquid mirum?facta est enim quasi columba non habens cor: cor enim eius mentita peccati dulcedine seductum diabolus rapuit! quomodo ergo sine corde suam agnoscere miseriam, aut dicenti crederet, aut monēti obtemperaret,aut seductum se sentiret!quomodo Deum amissum quęreret, cuius cor peccati illecebra seductum in obscuro iniquitatis sepulchro & à Deo vera luce longissimè separatum iacet! Solis iustitiæ radios non percipit,ideo frigidum:longè à summo bono remotum,ideo malum: longè ab infinita puritate recessit, ideo impurum: longè à vita manet,ideo mortuum: quomodo ergo huiusmodi cor frigidum,obscurum, malum, impurum in quo nullus vitæ motus suam agnoscere miseriam potest? quomodo cor mortuum dicere potest: Exquisiuit te facies mea? quomodo cor peccatis putridum in se sentire gratiæ incorruptionem valebit.Si vis ergo sapere & dilectum quærere,diligenter cor obscurum, frigidum,malum,impurum, mortuum, putridum è tuis viscеribus per fortissimum pœnitentiæ pharmacum eiice, vt nouū cor,per gratiam in te creetur,cor,inquam,gratiæ radiis coruscum, charitate calidum, bonis operibus bonum, puritate mundum,vitæ gratiæ viuum:virtutibus incorruptum, in tuis creatum viscеribus quærat, & latum sibi Christum, doleat amissam gratiam; mise

Augusti. l. 1. confess. c. 13.

Digitized by Google

miſerimúmque animæ ſuæ ſtatum agnoſcat ingeminans. Scito & vide, quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem Dei apud te.

Æneas in ſuos Deos pietas nos vrgere deberet ad quærẽdum Deũ verum.

24. Imitemur vel Ethnici illius Æneæ de ſuis Diis non amittendis curam & ſollicitudinem: fugienti enim patriæ incendia ab inimicis facta poteſtas eſt, vt quod maximè in bonis amaret id ſecum aſportaret: ille verò magna præditus in ſuos Deos pietate ac religione, illos præ reliquis omnibus, elegit, cuius virtutem ac religionem hoſtes ſuſpicientes, illi etiam permittunt, vt quod ſecundo loco maximè diligeret id ſecum auferret, qui Patrem ſuum Anchiſen omnibus præferens diuitiis, à præſenti liberauit incendio; cuius virtutem magis obſtupeſcẽtes hoſtes; vt quod tertio loco præcipuum haberet, id ſecum etiam ferret liberè concedunt: ille omnibus diuitiis poſthabitis, amicos elegit. Tam rara autem eius virtus adeo ipſis hoſtibus placuit, vt omnibus etiam eum, cum amicis, bonis donarent. O ſi nos Dominum Chriſtum qui Deus noſter eſt, qui pater, qui amicus, qui diuitiæ nobis eſt, omnibus præferre vellemus, quomodo etiam omnia Deus bona nobis amiſſa redderet, ſed quoniam & parentes, & amicos & diuitias illo ſæpe pluris facimus, fit vt Deo per noſtrã iniuriam, amiſſo, illa etiam omnia amittamus. Heu! quàm mali rerum æſtimatores ſumus, quàm iniuſtè omnia ponderamus! verè [mendaces filij hominum in ſtateris] mendaces qui in altera ſtateræ lance creaturarũ, in altera creatori poſito præeligimus! moritur tibi filius, ſummo afficeris dolore: moritur verò in te quodammodo per peccatum Deus, & tãtum abeſt, vt dolore crucieris, vt potius læteris cùm malè feceris & exultes in rebus peſſimis: verè [mẽdaceſ filij hominũ in ſtateris] bonorum omnium naufragiũ paſſus es, doles & vehementer doles, & cùm Deum amiſeris nihili facis: verè

P. ſ61.

verè[mendaces filij hominũ in ſtateris]pes tuus aut manus,aut caput, aut pectus tibi dolet, omnia quæris medicamenta,& tamen Deum, qui omnibus his ſanandi vim tribuit,amiſſum non quæris!verè[mendaces filij hominum in ſtateris]incendio domus tua conflagrat, tibi prima cura vt ab incendio bona peritura eripias, & tamen cor tuum concupiſcentiæ igne inflammatur, nec inde extrahere vis Deum tuum, quem libidinis incendio quodammodo comburis. Non ſic Æneas Deos ſuos incendio reliquit, ſed eos præ omnibus, à flammis vendicare feſtinauit! vtinam ergo qui hactenus in ſtateris mendaces fuimus,in altera ſtateræ parte Deum poſitum, diuitiis omnibus in altera poſitis, præferamus, vt ſic cum Deo cætera omnia poſſideamus,qui enim Deum poſſidet omnia poſſidet.

Auguſt. Qui Deum habet omnia habet,qui illo caret licet multa habet nihil habet. Exod.3.

25. [Qui te,(inquit Auguſtinus) Domine habet beatus eſt licet reliqua non habeat,& ſi reliqua omnia habet,& te non habet, beatus non eſt: & ſi te & omnia alia habet, beatus eſt, non quia reliqua habet,ſed quia te habet]ſi ergo reliqua omnia amiſeris ſed Deum poſſideas,nihil amiſiſti, quia omnia in te habes,quia eum habes, qui in ſe omnia habet. Vnde ipſe Moyſi [oſtendam tibi omne bonum] ſi itaque omnia præter Deum habeas,illo tamen careas nihil habes, cùm illum non habeas qui omne bonum in ſe habet.Scito ergo & vide quàm malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deuum tuum, nihil tamen adulterio,quod omne excludit bonum adultero iucundius: nihil diuitiis auaro ſuauius,quæ vera bona non ſunt, ſed animam pungentes ſpinæ. Sed quid?quo magis ſol ad occidentem vergit eo magis eius excreſcunt vmbræ, qui tamen in meridie poſitus breuiſſimas iacit!ſic quo magis iuſtitiæ ſol à nobis recedit eo maiores terrenarum rerum vmbræ nobis apparent, qui tamen in medio cordis noſtri hemiſpherij collocatus, ita earum decreſcere facit vmbras, vt nullius momenti aut durationis nobis eſſe

Simile.

Ierem.6. esse videantur.[Væ ergo nobis quia declinauit dies, quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi.] Nihil superbo clarius quàm elatæ mentis fastigio cæteros superare [cùm tamen vbi superbis, auctore Au-
Augusti. ser. 33. de sanctis. gustino, ibi quod acceperas perdis:] Scito ergo & vide quàm malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, solo Deo viues & solo Deo diues eris, & eo solo beatus, quo solo si cares, mortuus es animâ, licèt corpore viuas: pauper es, licet vniuersa habes: infœlix es, licet omnibus corporis delitiis quotidie fruaris, cùm tua anima suo priuetur delicio, quàm itaque malum & amarum est illud te perdidisse, in quo [in æternum viueres, in æternum ditescerès, in æternum beareris, quo si fueris spoliatus, omnia tibi in æternum obuenient mala. Ipse autem Dominus non obscurè indicat
Apoc.2. quantum malum illud sitte Deum perdidisse. [Memor, inquit, esto vnde excideris] in memoriam reuoca cùm à Dei excidisti amicitia, à summo gratiæ fastigio ad profundissimam peccati foueam te præcipitatum: perdidisti Deum infinitum, thesaurum illum desiderabilem, qui requiescit in tabernaculo iusti, quo solo ditissimus est, etiamsi omnibus aliis careat: perdidisti, inquam, & in æternum incurristi malum, retexe viam cum Maria, cum sponsa, quære diligenter per tres pœnitentiæ vias, per contritionem, per confessionem, per satisfactionem, quem dilexit aliquando anima tua: egredere foràs pauper cum paupere Micha, & tactus dolore cordis intrinsecus clama, vociferare, eiulare, Deum meum tulistis, gratiæ thesaurum expilastis, omnem substantiam meam abripuistis, reddite mihi salutare meum, importunus ero, nusquam quiescam, neque vnquam reuertar donec inuenero, quem diligit anima mea: eripiam Deum meum cum Ænea ex impuro cordis incendio pœnitentiæ lachrymis penitus extincto, ac animæ meæ ardentidem repetens: Scito quàm malum & amarum est

relinquisse

reliquisse te Dominum Deum tuum & non esse timorem Dei apud te: in amplexu Dei sui per pœnitentiam inuenti viuere & mori persuadebo.

EXEMPLVM.

Pater Elias, Brugēsis aliquando Rector, ni fallor, hoc mihi retulit.

26. Vni è Societate IESV Patribus res scriptione & admiratione digna contigit: cùm enim Pater quendam sibi olim familiarem iam proiectæ vitæ aliquoties adiret vt eum à peccatorum cœno educeret & ad vitæ pristinæ candorem reuocaret, sed in cassum omnia tentauit: quare eum increpitans mortemque illi minitãs sempiternam non sine summo animi dolore è domo egreditur. Sed vix incepto itinere cùm derepente refractarius ille subito corriperetur morbo, totisque contremiscceret artubus, sibique persuadens spreti consilij pœnam se dare, festinè per famulum abeuntem Patrem accersiri iubet, qui non impigrè nactus huiusmodi opportunam diuinitus occasionem rediit, ægrumque vt par erat ad vitæ discessum comparauit, qui salutari pœnitentiæ sacramento ritè communitus Christique corporis alimento refectus animum paulo post reddidit, quo nuncio insequenti die valde manè lætior factus Pater statim sese accinxit, vt piaculare pro defuncti anima sacrum faceret, in cuius introitu cùm sese de more crucis signo stans ante altare muniret: ecce tibi prosiliens ab altaris cornu tetrum quoddam spectrum cuius vi ac impulsu in terram Pater prosternitur, qui tamen statim resumpto spiritu assurgens sacrum aggreditur opus. Sed iterum repulsus in terram deiicitur, at eodem animi robore, quo prius surgit, & sacrum inchoans tertiò deiicitur, exclamans itaque Pater (rei euentum expectante populo attonito simili) adiuro, inquit, te in nomine Dei omnipotentis vt statim declares quid sis, & quid tibi causæ sacrum mysterium interpellandi? ille sub hæc luctuosa ac flebili voce: sum, inquit,

quit, miſerabilis illius anima, cuius tu paulò ante confeſſionem audieras, æternis addicta ſuppliciis. cui Pater: Nonne cum debita contritione pœnitentiæ acceſſiſti ſacramentum? Acceſſi: nunquid integrè & ex animo omnia quæ menti occurrerunt peccata confeſſus es? Integrè & ex animo omnia confeſſus ſum: Nonne ſatisfactionem tibi impoſitam explere omnino propoſuiſti? Omnino. Quid ergo nonne Deum peccatis à te perditum tribus his expletis reperiſti? Reperi. Quid tandem? me miſerum! adeo debilitatæ longa peccati conſuetudine animæ vires fuere vt præteritarum ſordium obiectis imaginibus ſtatim à confeſſione earum delectatione illectus ſuccubuerim, Deum iterum perdiderim ſuffecto in eius loco Dei & hominis inimico. Inueni Deum per ſacramenti gratiam: ſed proh dolor! inuentum mea ſocordia elabi permiſi, quo facto inopina in me ruit mors, ſagittis confixit, furiis deuouit infernalibus. Deſine igitur pro damnato exorare, cùm in inferno nulla ſit redemptio.

IN DOMINICAM SECVNDAM poſt Epiphaniam,

Concio.

THEMA: *Hoc fecit initium ſignorum* IESVS *in Cana Galilææ & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Ioan. 2.

Similia. Sole illucescente, Phosphorus obſcuratur, Chriſto per miracula mundũ illuminante Ioãnis gloria obfuſcatur.

1. QVemadmodum ſolis aduentum, ille diei prænuncius φώσφορος indicat: ſic Ioannes diuinæ prænuncius gratiæ, Chriſti, qui ſol iuſtitiæ appellatur, toti mundo aduentum prænunciauit. Et quemadmodum ſole, ſuis effulgente radijs, & eius rum efficiente diem, Phoſp[illegible] eius claritate [illegible] cura

obſcuratur: ſic ſole illo cœleſti, ab alto oriente, miraculorum hodie radiis coruſcante, & clarum gratiæ diem, in diſcipulorum animis efficiente, Phoſphorus ille veri luminis prænuncius, Ioannes, ſuos ſubtraxit radios. [Illum, inquit, oportet creſcere: me autem minui, propter hoc veni, vt manifeſtetur in Iſraël:] quaſi dicat: Ego tanquam matutina ſtella, ſolem, iuxta Patris mei Zachariæ prophetiam, præiui, præiui, inquam, tanquam matutinum aſtrum iuſtitiæ ſolem, diuinum verbum, ſub humanitatis nube contectum, quod vbi ſuis coruſcum radiis, digito demonſtraui, dicens: [Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi!] ab ipſo mihi emendicatos vitæ ſplendoris radios, in eius præſentia, vt ſubtraham, qui ab eius ortu diminui cœperunt, monet mea indignitas, cùm non ſim dignus, coram eius diuinitatis maieſtate comparere; imo ne ad humanitatis eius pedes accedere [non ſum enim dignus, vt ſoluam corrigiam calceamenti eius.]

Ioan. 3.

Ioan. 1.

2. Hinc tanquam lucifer manè oriès, magni Solis, oborto lumine, ſcintillulâ, quam vitæ meæ exemplo emicãtem vidiſtis, quaſi extinctam, ſub meæ naturæ vilitate, abſcondam, tanto præſertim veri ſolis fulgore, ſeſe per totum terrarum orbem ſpargente, vt qui hactenus, ſub obſcura ſuæ humanitatis nube Deus delituit, iam ipſam ſuæ humanitatis inaurans nubem diuinitatis ſuæ radiis, variè, ad inſtar pulcherrimæ Iridis exornans, diuinos fulgores longè latéque ſpargat, quibus ſe Deum, ſub humanæ naturæ velo, hactenus occultum, toti vniuerſo demonſtret, méque tantum eius prænunciũ, ac veluti Phoſphorum, qui eius indicaret aduentum, ſignificet: [Fuit enim homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioãnes, non erat ille lux: ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine] hodie verò fulgentiſſimos huius luminis radios euibrare voluit, quibus illuſtri miraculo edito, aquam in vinum vertendo, ſuam manifeſtauit gloriam, & clarè diſcipulorum cordibus

Ioannes non fuit lux vera ſed teſtimonium perhibuit de lumine.

Ioan. 1.

illuxit,vt in eum perfectè crederent.

Concionis diuisio.

3. Quatuor hac Concione dicenda. Primum Deum nihil prætermisisse, quod nostræ saluti necessarium foret,quare vanis ementiti honoris imaginibus,quasi per somnium euanescentibus putidam voluptatis aquam in gratiæ vinum nobis vertit.Secundum,matrem filij secutam misericordiam gratiæ vinum nobis petere & impetrare. Tertium diabolum prius quod melius est, posterius quod deterius est vinum nobis propinare.Quartum fœlicem esse,qui Christum ad suas inuitat nuptias, sicut infœlicem, qui dæmonem. Inuocata Spiritus sancti gratia per Mariæ interceſſionem , quæ necessitatibus nostris prompta succurrit , hæc ex ordine exponenda. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Nihil omisit Dei filius quod saluti nostræ conduceret.

4. Cùm filius Dei,nostri causa,homo factus sit, nihil penitus eorum omisit , quæ ab æterno vidit, nostram salutem promotura:Quare à primo suæ cõceptionis momento,ita paulatim illam,tanto studio operatus est, quasi ab ea, eius salus, & gloria penderet,cùm tamẽ eius hoc nihil interſit.[Quid enim prodest Deo, vt ait Iob , si iustus fueris ? aut quid ei cõferes,si immaculata fuerit vita tua.In omni enim, vt ait Gregorius , quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Deum iuuamus.] Nõ itaque satis illi fuit adeo sese,in virgineo vtero exinaniuisse;vt formam serui indueret,nisi etiam nouissimus,vt ait Isaias,virorum esset,à diuersorio,tanquam peripsema excluderetur,in vili stabulo inter bruta animantia,media hyeme,nascerętur, & octaua à Natiuitate die, instar furis,in furto deprehensi,& conuicti,probrosa inureretur Circumcisionis nota : Deinde, quasi sui impotens,ab Herodis furore in Ægyptum fugeret , ab hinc verò,vsque in hunc penè diem,vti Ioannes docet, tantum coleret silentium , vt à verbis, & miraculis abstineret, hoc enim miraculum, initium eius miraculorum esse asserit , quippe ; quod miracula, tanquam

Iob.22.
Greg. in illum locum.
Isa.48.

tanquam quædam authentica ac diuina ſigilla doctrinæ confirmandæ adhiberi ſoleant: cùm verò nulla fuerit ratio Chriſto miracula patrandi, donec ſuæ doctrinæ nobis aliquando explicandæ tanquam diuina quædam ſigilla illa adhiberet, hactenus abſtinuit: vbi verò manifeſtandæ gloriæ ſuæ tempus aduenisſet,& ad ſe conuertendi, miraculorum gloriâ, homines vidiſſet occaſionem, miraculum hoc edidit, vt qui tamdiu immenſam ſuam diuinitatem,ſub anguſta,& obſcura noſtræ carnis nube,continuit,illam per inſigne aliquod miraculum manifeſtet, vt quem hactenus, tanquam abiectum,vilem, ac è plebis fæce hauſtum, multi contempſerunt, iidem, tanquam verum Meſſiam, ex miraculorum poteſtate,ac doctrinæ ſoliditate agnoſcerent,diuinamque in eo naturam,cum humana,irrefragabili nexu, copulatam adorarent.Ecce quanta Saluatoris Chriſti de hominũ ſalute ſollicitudo,qui noſtræ infirmitati conſulens,ſuã prius doctrinam miraculo,veluti diuino confirmare ſigillo, voluit; quàm ſeſe nobis verum eſſe Meſſiam, credendum proponeret! Nam quemadmodũ Regium ſigillum, literas à Rege miſſas,teſtatur:ſic, per diuinum hoc miraculi ſigillum,à Patre æterno, ſe miſſum manifeſtare placuit. Hinc ait,[Ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me,quia Pater miſit me.]

Miracula ad doctrinæ confirmationem adhiberi ſolent.

Simile.

Ioan.5.

5. Primum itaque admirandũ eius opus, aquam in vinum conuertit.[Vinum (inquit Maria filio ſuo) non habent:] Ecce quomodo mater filij imitetur charitatem: Nam cùm filius Dei, nobis charitatis vinum defeciſſe videret, noſque quotidie ciſternas concupiſcentiæ putidas, pleno ebibere hauſtu, æterno Patri dixit: Vinum non habent, charitas penitus in hominum cordibus extincta eſt, omnis enim caro corrupit viam ſuam, ita, vt quilibet poſt concupiſcentias ſuas abierit. Dereliquerunt enim me [illegible] virgines germinantis, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ neque aquam

Digitized by Google

in vitam æternam ſalientem continere poſſunt, neque diuini amoris vinum recipere, cùm concupiſcentiæ ac libidinis ſordibus impletæ ſint. [Vinum (ergo) non habent,] gratia Dei carent: limoſas carnis paludes hauriunt: ſtagnantes cupiditatis aquas, ex impuro cordis ſtagno, venenoſo voluptatis hauſtro eductas, ſibi inuicem propinant, quæ neque ſtomachi languentis vim excitant, neque animæ ſitim extinguunt. [Sicut enim (vt ait Iſaias) ſomniat eſuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: Et ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt] quoties hoc experiuntur, qui contempto gratiæ vino, ad putidas carneæ voluptatis ciſternas confugiunt, & vanis rerum, ficti ſplendoris oſtenſione decepti, imaginibus rapiuntur: nam quo ſæpius ex illis bibunt, eo magis etiam ſiti inardeſcunt, neque magis ſatiantur, quàm ſi per ſomnium comederent, & vina biberent pretioſa, ac in ſublimi honoris gradu ſeſe collocatos ſomniarent. Nam quid aliud poſt multas expertas carnis voluptates, alias ſine menſura appetere, & poſt multos honores acquiſitos, alios ſublimiores ambire, quàm per ſomnium comedere, & in ſummo dignitatis loco ſeſe ſublimatos imaginari, cùm æquè explendæ adhuc libidinis, ac honorum cupiditatis appetitus, poſt tot ſordidas cõcupiſcentiæ epotas aquas, ac poſt tot honorum gradus decurſos remaneat, ac ſi illos quis per ſomniorum repræſentationẽ, eluſus experiri ſibi videretur, qui tamen in huius vitæ vaniſſimo ſomno, hoc ſolum agunt, vt miſerum eludant, ac momẽtaneæ voluptatis delectatione decipiant, in futura verò æternæ durationis vita, ita eum crucient, vt ob ſomnitã breuis fœlicitatis voluptatem, æternis affectum doloribus, tartareo igni cremandum conſecrent, quem non per ſomnium, ſed veriſſimè & per totam æternitatis durationem, cum ingenti luctu & mœrore ſentie-

Iſa. 29.

Nihil voluptate, & honoribus vanius.

6. Meritò igitur breuis hic voluptatis hauſtus, & vanæ honorum imagines ſomno comparantur. Nam ſicut voluptatis ſomnium dormienti placet, & vt ſomnium quo minus putat, ſtatim euaneſcit: ſic breuis voluptatis delectatio, ac vanus honorum ſplendor, tanquam ſomnium ſomnianti euaneſcunt. Quod ſomnium ſomnianti euaneſcens graphicè Gregorius exprimit, cùm illud rebus exiguis & quàm citiſſimè deficientibus comparat. [Iniquorum, inquit, potentia fœni floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria dum nitet cadit: dum apud ſe extollitur repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima reuocatur: ſic ad nubila fumus attollitur, ſed repente in nihilum tumeſcendo diſſipatur. Sic ab infimis nebula deſcendendo ſe erigit, ſed exortus hanc ſolis radius, ac ſi non fuerit, abſtergit. Sic in herbarum ſuperficie, nocturni roris humor aſpergitur, ſed diurni luminis ſubito calore ſiccatur: ſic ſpumoſæ aquarũ bullæ inchoantibus pluuiis excitatæ, ab intimis certatim prodeũt, ſed eo celerius diruptæ depereunt, quo inflatæ citius extenduntur, cúmque excreſcunt, vt appareant, creſcendo peragunt, ne ſubſiſtant. De iniquis igitur temporalis gloriæ elatione tumentibus, ſed tamen nulla in hac ſoliditate durãtibus dicitur rectè: [Eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent.] Ecce quibus rebus vanas honorum imagines, ac fœtentes, ex fœdæ libidinis ciſternæ voluptatis hauſtro aquas eductas, Gregorius comparat, ſomnio, flori, fumo, nebulæ, rori, bullæ quæ ſtatim exorta euaneſcunt, marceſcit igitur velut in ictu oculi vniuerſa illorum gloria & ſicut ſummitates ſpicarum, ipſi conterentur. Sicut enim ſpica de ſtipula decidens, cùm primùm ex culmo excuſſa eſt, nullum amplius humorem haurire poteſt: ita contabeſcent huiuſmodi ex illa, in qua floruerat fœlicitate decuſſi, & truculentiſſimæ necis falce demeſſi. Iam tunc igitur

Simile.

Greg. 17. Moral. c. 5. Rebus vaniſſimis voluptas & honos comparatur.

Similia.

Ieb. 24.

Pineda in eũ locum.

ampliſſimorum bonorum, vberrimorúmque fructuum, quaſi granis turgentibus onuſti, diuinæ iuſtitiæ adminiſtris, quaſi meſſoribus vberem & copioſam ingentis ſupplicij ſegetem præbebunt. Summus igitur rerum arbiter, condigno ſupplicio, ſuæ iuſtitiæ virga illorum capita velut ſummas frumenti ariſtas, nullo negotio decutiet. Quid ergo horribilius, quàm illas appetere voluptatum, ac honorum per ſomnium imagines, quarum acerba ſupplicia, per tenebroſam æternitatis noctem, ſine fine, re vera, perſoluenda.

Iona 4. *Voluptas & honos breui tranſeũt ſed aculeum cõſcientiæ inſixum relinquunt.*

7. Non iniuria huiuſmodi hominum genus, qui harum rerum amore decipiuntur Ionæ conferri poſſunt, cui præparauit Dominus hederam tanquam vmbraculum, quo à ſolis æſtu protegeretur: [Et lætatus eſt Ionas, ſuper hedera lætitia magna.] Ecce quàm exile in ſpeciem Ionæ ſolatium exhibitum, cuius tamen cauſa incredibili affectus eſt gaudio, in quo vmbratili gaudio, tanquam in depicto ſchemate inanis peccatorum lætitia adumbratur, qui in hiſce futilibus rerum ſomniis, ſuam ponunt fœlicitatem, nec aduertunt hanc breui, tanquam ſomnium tranſituram, ſéque vacuos, ac æterno conſcientiæ ſtimulo exagitatos, relictum iri: ſimul enim cum hedera præparauit Dominus vermem aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hederam & exaruit: ſic conſcientiæ vermis, & voluptatis ac honoris ſtagnantibus aquis enatus, tanquam vipera animæ viſcera corrodit: ſimul enim cum carnis ac honoris voluptate vermis exoritur, continua nimirum exardeſcens cupido, quæ paulatim, & corporis & animæ ſubſtantiam exedit, ac ex ſe crudelem gignens ſerpentem, animæ viſceribus inhærentem, in æternum reliquit. Quanto ſatius relictis cupiditatis, ac fugacis honoris turbidis aquis, vinum illud cœleſte, pœnitentiæ hauſtro pleno ore epotare: hoc vinum nobis hodie à Patre expoſtulat filius: Vinum, inquit, gratiæ, ô Pater, non habent! quid facies ergo, ô Pater, vinum non habent!

Vt

Vt verò Patris vocem filius audiuit,dicẽtis:[Quem mittam,& quis ibit nobis. Dixi, ait. Ecce ego,mitte me.Et dixit Pater:vade.] Ecce ego à Patre hodie miſſus vobis amoris vinum propino, putentes concupiſcentiæ aquas in defæcata caſtitatis vina vertam,vertam vinum in ſanguinem meum,vinum germinans virgines , vinum quod infundi , tantum in mundiſſima cordis vaſcula debet.Hoc vinum Paſſionis calici immiſcens ſponſæ ſuæ Eccleſiæ propinauit. *Zacha. 9.*

8. Repudiata Synagoga, Chriſtus huius dulciſſimi vini hauſtu,tanquam inebriatus,in duro Crucis lecto decubuit,ex cuius dormiẽtis latẽre,ſicut olim ex Adami Eua virgo prodiit; ſic Eccleſiam virginem prodiiſſe ſcriptura teſtatur, cui vt teſtis eſt Auguſtinus,lauandæ,ac dotandæ ſanguis,& aqua ex eodem lateris fonte ſubſecuta eſt.[Aſcendat,inquit ſponſus noſter thalami ſui lectum, dormiat moriendo , aperiatur eius latus , & Eccleſia prodeat virgo:vt quomodo Eua facta eſt ex latere Adæ dormientis; ita & Eccleſia formetur ex latere Chriſti in cruce pendentis.Percuſſum enim eſt eius latus , & ſtatim manauit ſanguis,& aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina ſacramenta:Aqua,in qua eſt ſponſa purificata:ſanguis, ex quo inuenitur eſſe dotata. O magnũ myſterium, de ſponſo ſponſa naſcitur,&, vt naſcitur , ſtatim illi coniungitur, & tunc ſponſa nubit : quando ſponſus moritur,& tunc ſponſus ſponſæ coniungitur , quando à mortalibus ſeparatur:Et quando ille ſuper cœlos exaltatur,tunc iſta in terra fœcundatur.] ô verè vinum germinans virgines , vinum humana fœcundans corda,vinum quo vnum cum Deo efficimur,& in eius ſponſa adoptamur,vinum, quo d non tantum nobis ex lateris vaſe expromi cupit , ſed ex quinque illis vulnerum doliis,in ſeptem ſacratiſſima Eccleſiæ vaſa dimanans,nobis quotidie propinat. *Sicut Eua ex Adami late- reformata,ſic Eccleſia ex Chriſti latere.* *Auguſt. l. 2. de ſymbo. ad cathe. c. 6.*

SECVNDVM PVNCTVM. *Secundum punctum.*

9. Sicut hoc cœleſte vinum filius nobis ſemper

Digitized by Google

Maria filij sui imitatur pietatem.

expoſtulat; ſic Beatiſſima Virgo, quod ſecundo loco dictũ volo, filij ſui miſericordiæ exẽplum ſecuta, miſeriæ ac verecundiæ cõiugum ſuccurrere exoptans, vinum à filio ſuo petiit, & impetrauit: [Vinum (inquit) non habent:] ſic etiam nobis cœleſte charitatis vino indigentibus, cum filio, æterno Patri dicet: [Vinum non habent!] [Quid enim, vt ait Bernardus de fonte pietatis procederet, niſi pietas? quid mirum ſi pietatem exhibent viſcera pietatis! nonne qui pomum in manu tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi ſeruabit odorem? quantum igitur viſcera illa virtus pietatis effecit, in quibus nouem menſibus requieuit.] Vinum ergo non habent, inquit fons pietatis. O quàm bene ſui filij nouit ingenium! ſatis enim illi fuit, præſentem filio ſignificare neceſſitatem. Non enim ignorauit illa, quæ ab eo omnem hauſit pietatem, eius benefaciendi promptitudinem. Propoſuit ergo tantummodò vini penuriam, breui expectans largam filij ſui benedictionem. [Vinum, (inquit,) non habent.]

Bernard. ſer. de nuptiis. Simile.

Aliud nobis vinum Maria à filio ſuo impetrat.

10. Hoc vino, multo præſtantius vinum nobis quotidie, à filio ſuo impetrat, non ex hydriis aquæ hauriendum; ſed ex eius latere, manibus ac pedibus, imo ex toto corpore, tanquam ex perenni dolio expromendum! Hoc verè vinum illud eſt, quod germinat virgines. Hoc illud vinum eſt, quod ex quinque vulnerum doliis, in ſeptem illa diuina ſacramentorum vaſa quotidiè influit, quæ nunquam vti vaſa illa viduæ Eliſæi exhauriuntur, licèt ex illis omnia filiorum Adæ debita perſoluantur. Nec vnquam vini huius perpetuus curſus ceſſare poteſt, quin in omnia Eccleſiæ membra, ſemper deriuetur, & quo magis capax appoſitum illi vas, eo etiam magis fluxus eius augeſcit, neque vnquam ſicut Eliſæi oleum ſtat, ſed quo maiori copia in ſubiectum animæ vas influit, eo illud, ſua vi, ita dilatat, vt nunquam ſic impleatur, vt ſtare poſſit. O quàm præſtans hoc vinum, quod Maria nobis impetrat.

4. Reg. 4.

11. Vinum,

11. Vinum, inquit, non habent. In hac temporanea nuptiarum solemnitate sex hydrias aqua impleri iussit, Maria tantum proponente vini penuriam, quæ statim in vinum eius benedictione conuersæ, corporis tamen tantum sitim, ad breue tempus, extinguunt. At verò non sex aquæ hydrias; sed septem sacra gratiæ vasa, præstantissimo sui sanguinis vino, nobis impleta (Maria cooperante, quæ purissimo suo sanguine corpus illi ac sanguinem ministrauit) reliquit, quod suis semper conuiuis ebibendum exhibet, omnibus animæ morbis medicinam faciens, quodque gratiæ sitim non extinguit, sed magis ac magis irritat, optimum æternæ beatitudinis vinum in finem reseruans, quo omnes animæ appetitus tandem satiabuntur. [Satiabor cùm apparuerit gloria tua.] Hoc nobile vini poculum, quod non tantum ad breue tempus, corporis sitim sedat, sed veluti, diuino quodam gloriæ diluuio, totum hominem, & corpore & mente absorbet, & inebriat, iuxta illud Psalmistæ: [Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos]: Hoc, inquam, vinum quotidie nobis propinat Maria per gratiæ nobis impetrationem, quæ vini gloriæ, quasi botrus est. [Vinum (inquit) non habent] vberes gratiæ latices sempiternæ gloriæ vini fontes peccatoribus desunt. [Infirmata est vitis] & non est in ea vua [vinum ergo non habent. [Ego quidem quasi vitis fructificaui] accepto enim gratiæ rore ita animæ meæ vinea sese virtutum gemmis induit, vt perfectas gratiæ vuas cœlesti vino turgentes extulerim, superno quotidie irriguo perfusa, idcirco cùm plena essem gratiâ, adhuc in me spiritus sanctus superuenit, vt quod super plenitudinem acciperem in peccatores redundaret, & cùm plena essem mihi, adhuc superplena fierem illis. Cùm ergo vinum non habeant, de plenitudine mea accipient, ad hoc enim superplenum animæ meæ dolium, gratiæ vino, Spiritus sancti illapsu effectum, vt quos gratiæ fontes cœlitus exciperem tan-

Septem Ecclesiæ sacramenta, tanquam vasa sui sanguinis vino plena, nobis reliquit.

Psal. 16.

Psal. 35.

Isa. 24.
Eccl. 24.

Bern.ſerm.in Natiuitate Mariæ.

B.Virgoaquæ ductus gratiæ.

quam aquæductus ad peccatores deriuarem. Quare meritò Bernardus aquæductum gratiæ Mariam nominauit[ſanè,inquit,ipſa ſeſeplenitudo exinaniuit,vt fieret nobis iuſtitia,ſanctificatio & redéptio:deriuatus eſt fons vſque ad nos,deſcendit per aquæductum vena illa cœleſtis. Aduertiſtis iam,ni fallor,quem velim dicere aquæductum, qui plenitudiuem fontis ipſius de corde Patris excipiens,nobis edidit illum: Noſtis enim cui dictum ſit:Aue gratiâ plena.An verè inueniri potuiſſe miramur,vnde tantus & talis fieret aquæductus , qui nimirum inſtar profecto ſcalæ illius,quam vidit Iacob,cœlos tãgeret imo & tranſcenderet , & viuidiſſimum illum aquarum, quæ ſuper cœlos ſunt,poſſet attingere fontem.]Vinum(inquit) non habent, & tamen tanta eſt eius miſericordia,vt de ſuo dolio,gratia redundante , cœleſtis vini pocula haurienda proponat, licèt quotidie filium vrgeat, vt maiora gratiæ incrementa tribuat ingeminans:[Vinum non habent.]

12. Sed quoniam , quicquid in nobis eſt ſpei,& gratiæ ex Maria redundat,illam nos etiam ardentibus orationum votis vrgeamus,vt non tantum cœleſtis vini pocula,ſed ipſum nobis exponat gratiarum dolium,vt pleno hauſtu , per illam,de fontibus ſaluatoris bibamus,dicamus illi:Vinum non habemus: miſerta olim coniugum vini penuriam,ad filium conuerſa , Vinum , inquiſti,non habent,ad te itaque nos conuerſi,in qua poſt Deum omnem ſpem collocatam habemus , gratiæ vinum nobis deeſſe, cum gemitu tibi ſignificamus:vinum non habemus. Sicut ergo filius tuus,tuo ſatisfecit deſiderio,& miſeriæ ſuccurrit coniugum, propoſita tantum illi neceſſitate:ſic hodie ab eodem nobis impetra, exhibito ipſi libello ſupplici , in quo peccatorum vota explicentur,cœleſtis vini abundantiam,cuius fortitudine corroborati,à peccatorum ſordibus abluti,cum mentis iubilatione , ſine timore,de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi,in ſanctitate,

Luc. 1.

&

& iustitia,coram ipso omnibus diebus nostris. Et si fortè tibi respondeat: nondum venit hora mea:cùm tuipsa superplena fis,suppositas tibi saxeas cordium nostrorum hydrias, in molles vtres per te conuersas,de tua gratiæ plenitudine imple;cùm plena enim tibi esses,superplena facta es nobis. [Plena, inquit Bernardus,est gratia,& gratiam adhuc inuenit : digna prorsus inuenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo,nec suo potest esse contenta beneficio: petit superfluentiam ad salutem vniuersitatis. Spiritus,inquit,Sanctus superueniet in te, & pretiosum illud balsamum,tanta tibi copia , tantáque plenitudine influet , & vt copiosissimè effluat circumquaque. Intuere ô homo consilium Dei:cœlesti rore aream rigaturus totum vellus prius infundit;redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam:altius ergo intuemini , quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari,qui totius beneficij plenitudinem posuit in Maria , vt si quid spei in nobis est, si quid gratiæ,si quid salutis, ab ea nouerimus redundare , quæ ascendit delitiis affluens, hortus planè delitiarum , quem non modò afflauerit veniens , sed & perflauerit superueniens Auster ille diuinus , vt vndique fluant & effluant aromata eius,charismata scilicet gratiarum.]

Bern. ser. in Natiuitate Mariæ.

Quod in nobis est spei & gratiæ redũdat ex Maria.

13. Quandoquidem igitur per ipsam,in nos, diuina operatione , tanta deriuetur gratia , non cessemus illam vrgere donec dona sua in nobis ita augeat , vt animæ nostræ conchæ superni roris latice impleantur. Nam quemadmodum vellus illud Gedeonicum repletum rore expressit , ita in concham Gedeon vt illam impleret; sic cœlestem rorem,qui in Virginem descendit Christum nimirum, siue eius gratiam ex Virgine, tanquam ex vellere exprimere debemus , & mentium nostrarum conchas implere: quod tunc facimus cùm Virginem ad beneficia diuina nobis impetranda aduocatam adhibemus.Huic ergo cœlestis vini gratiæ à Christo in Mariam descendenti

Sicut Maria à Christo, sic nos per illam, gratia vinũ impetremus.

Digitized by Google

ſcendenti munda cordis ora ſupponamus, vt ſalutaria ſanguinis pocula in perpetuæ dilectionis ſignum pleno hauſtu bibamus, quibus bibentes ſobrij, licèt diuino inebrientur Spiritu, efficiuntur: [Calix meus, inquit ipſe, inebrians, quàm præclarus eſt!] Ad hunc nos calicem per matris ſuffragia inuitat, ad præclarum, inquam, calicem, qui ſic bibentes, vt ait Cyprianus, inebriat, vt ſobrios faciat, vt mentes ad ſpiritualem ſapientiam redigat, vt à ſapore iſto ſæculari, ad intellectum Dei vnuſquiſque reſipiſcat. Infœlix ergo, qui contempto hoc ſalutari vini calice, quo ſitis ſimul vitiorum extinguitur, & animæ ſordes abluuntur, ad fœtentes carnis ciſternas ſeſe conuertit, ex quibus limoſas quotidie fœdæ voluptatis aquas ſorbere cogitur. O quantum hæc lethifera voluptuoſæ aquæ ciſterna, ab illo Chriſti ſanguinis poculo differt! Verè [vua eorum, vua fellis, & botrus amariſſimus. Vinum eorum fel draconum & venenum aſpidum inſanabile.] Hoc eſt illud vinum ex impuro cordis noſtri ſtagno hauſtum, quod diabolus ſuis propinat conuiuis. Vinum verò quod nobis Maria procurat, non ex aliquo fœtenti ſtagno eductum, ſed ex puriſſimo filij ſui fonte, non ex amariſſimo voluptatum botro preſſum, ſed ex ſanctiſſimo totius corporis eius botro ac paſſionis torculari calcatum, & flagellis expreſſum emanauit: Hinc ipſe, [Ego ſum vitis vera.] Sanè vera: nam inſtar vitis, omnem ſuum ſanguinem in paſſionis torculari expreſſum, ac in ſacratiſſima ſeptem Eccleſiæ vaſa infuſum, nobis prælibandum, ſingulis diebus offert. Sicut enim è botris per torculare preſſis vinum elicitur, in dolia reponendum: ſic pulcherrimus ille botrus Chriſti corpus, tot tormentorum veluti torcularium generibus calcatum, & preſſum ſeptem ſacratiſſima Eccleſiæ vaſa pretioſiſſimo ſui ſanguinis vino impleuit, è quibus omnes, pro varietate animæ infirmitatum, poſſunt ebibere; iuxta illud Iſaiæ: [Hau-

Cypria. in illud Pſ. 22.

Deut. 32.

Ioan. 15.

Simile.

Iſa. 12.

rietis

rietis aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris, & dicetis in illa die : confitemini Domino & inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius] vbi nimirum aquam, subita mutatione, in vinum conuersam videbitis : tunc, inquam, dicetis in illa die, Confitemini Domino. Hæc est illa aqua, quæ à Christi corpore, tanquam ex cœlesti paradiso, in quinque diuisa capita emanauit, quæque in cordis Mariæ fontem dilapsa, suo impetu per Mariam, tanquam per misericordiæ ostium, continuo in nos dilabitur fluxu, & in tot se diuidit riuos, quot alueos, ad nostrarum animarum penetralia paratos inuenit. Hæc est illa aqua, quæ vniuersum Ecclesiæ agrum, cœlesti perfusum irriguo martyrum, semine fœcundat ; Hæc est illa aqua, quæ animas, tanquam plantas irrigans, viuaci suo impetu in cœlum rapit. Hæc est illa aqua, quæ ex fonte illo Christi latere, lanceâ penetrato, in septem se diuisit riuulos, de quo Zacharias : [In die illa, inquit, erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatorum & menstruatæ.] Fons, inquit Gregorius, quippe occultus vnigenitus Patris inuisibilis Deus, fons verò patens est idem Deus incarnatus, qui fons patens rectè domus Dauid dicitur : quia ex Dauid genere, noster ad nos redemptor processit. Ierusalem autem visio pacis interpretatur. Hi ergo Ierusalem habitant, qui in visione pacis intimæ mentem figunt, & ex illo perenni gratiarum fonte, lætitiæ sempiternæ vinum bibunt. Hæc est denique illa aqua, quam amoris ictu, è cordis imo eductam, Samaritanæ obtulit. [Qui biberit, inquit, ex aqua quã ego dabo ei non sitiet in æternum, & fiet in eo fons aquę salientis in vitã æternã.] Qui enim fontem habet in pectore, sitire nõ potest : non laborabit vnquã cœlestis aquæ penuria, semper enim in visceribus eã gestabit, nisi lethali culpa fontẽ obstruat, sed potius

Zacha. 13.

Greg. in Eze. hom. 20.

Ioan. 4.

Digitized by Google

potius augebitur,& fiet in eo, fons aquæ gratiæ ſalientis, in vitam æternam. Nunquam enim areſcit gratiæ aqua,niſi per peccatum mortale, fonte arefacto,ſed ſemper ſalit, ſemper aſcendit, donec ad originem ſui ad perennem illum auguſtiſſimæ Trinitatis diuinitatis fontem,attingat.Sicut enim aqua tantùm aſcendit;quanta eſt altitudo loci,vnde fluit: ſic gratiæ aqua,cùm ex Trinitatis gremio, tanquam ex fonte fluat, ad Deum aſcendit & ſalit. Hæc gratiæ aqua,ſi nobis deſit, ecce mater miſericordiæ nobis adſtat, quæ promptè noſtris annuens votis, filio dicet,[Vinum non habent:] Viuificãte Spiritus Sancti gratia carent,per quam humana natura, ab ariditate,vt ait Cyrillus, infœcunditatéque, ad priſtinam pulchritudinem ac viriditatem irrigata recurrat, magno virtutum numero florens; & charitate erga Deum ſuauiſſimos fructus producens. Vinum ergo non habent, ſed putridam ex voluptatũ cloaca ſtagnantẽ aquã,quæ cõcupiſcentię ſitim minimè ſedat, ſed potiùs eam magis accendit.Sicuti enim febri laborantis æſtuoſa,& aquam petentis, ſi ori aquæ poculum porrigas,tantùm abeſt, vt ſitim eius mitiges, vt etiam irrites magis: ſic hæ cœnoſæ voluptatum aquæ exorbitantis concupiſcentiæ ſitim minimè extinguunt,imò potiùs magis ac magis inflãmãt.[Omnis quippe voluptas execranda aqua in puteo eſt in profunditate tenebroſa, vt ait Auguſtinus, quam hauriunt homines miſeri cupiditatum hydria. Vinũ ergo non habent.] Viua gratiæ aqua non fruuntur, qua tartareo igni deſtinati, mortifero contaminati crimine,mundati reuiuiſcant, efflореſcant, fructúſque Deo gratos afferant.

Simile.

Cyril. 10ã. 4.

Simile.

Tertiũ punctum.

Tertium Punctum.

Diabolus prius quod delectabile eſt, & poſterius

14. Tertio propoſui loco, quomodo diabolus more inuitantium prius vinum, quod melius eſt,& poſteà quod deterius eſt, ſuis conuiuis bibendum propi

Digitized by Google

propinet. Licet enim mentitum cupiditatum vinum, melleo quodam liquore, in ſpeciem, comminiſcere ſoleat, vt guſtanti appareat ſuauiſſimum, tanta tamen, ad extremum ſitientis animam amaritudine afficit, vt eam penitùs enecet. Sub ea enim ſubdolæ dulcedinis imagine, veluti ſub dulci veneno, peſtem, animarúmque mortem abſcondit, quæ improuiſo peccati veneno, incogitantem interficit [fauus enim diſtillãs labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouiſſima autem illius amara, quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps.] Quemadmodum, vt ait Lyranus, abſynthium in viſceribus, ab aliquo ſumptum, amareſcit: ita peccatum admiſſum, intra ipſam conſcientiam amaritudinem generat, quæ tanta eſt, vt ipſum Deum, natura ſuauiſſimum, amarum, id eſt, iratum efficiat, iuxta illud Oſeæ: [pereat Samaria quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum] abſynthium vſque adeò eſt amarum, auctore Origene, vt melli, ſuccus eius iniectus, amaritudine vincat ſuauitatem mellis, & cogat amarum eſſe, quod dulce eſt. Sed omni abſynthio infinitè amarius peccatum; quippe, quòd Deum ipſum, natura ſua omni melle dulciorem, amarum reddat; ſicut ipſe apud Oſeam conqueritur [Ad iracundiã me prouocauit Ephraim in amaritudinibus ſuis:] quaſi diceret, vt ait Hieronymus, ſceleribus ſuis amarum me fecit eſſe, qui dulcis ſum. Ecce quomodo dæmon morem ſequitur hominum, qui primum bonum vinum ponunt, & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt. Dæmon peccatum voluptatis ſuauitate abſconditum, carni & ſenſualitati periucundum ſuis conuiuis prius porrigit, quo vbi fuerint quaſi ebrij, omni quæ peccato inerat illecebra, penitus detracta, ipſum peccati abſynthium, cuius amaritudine, iam ſeſe interfectos ſentiunt, illis denudat, iuxta illud Iob [Cùm dulce fuerit in ore eius malum abſcondet illud ſub lingua ſua.] Ecce quomodo peccati venenum, ſub dulci carnis illecebra abſcondit, donec traiecta in animæ

quod conſcientiam amaricat, offert.

Prou. 5.

Oſea 14.

Origo. ho. 12. ſuper Ezec.

Oſea 12.

Iob. 20.

quaſi

Digitized by Google

quaſi ſtomachum malum latens, in animæ viſcera euibret. Hinc ſubditur [panis eius in vtero illius vertetur, in fel aſpidum intrinſecus.] Quemadmodum perturbato ſtomacho, omnia in eo alimenta ita commouentur, vt ſæpè cum vomitu anima ipſa exhaletur: ſic euenire ſolet peccatori. Nam perturbato animi ſtomacho, peccati veneno, ita omnes voluptatum illecebras euomere cogitur, vt cum vomitu etiam animam proiiciat. Quare ſequitur [diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre eius abſtrahet eas Deus.] Sicut qui noxium aliquem cibum ſumpſit, vnà cum eo bonos etiam euomit; ſic qui voluptatibus indulget: non ſolùm ipſas, ſed etiam bonorum operum merita, quæ poſſidebat, plerumque amittit, & quod ſuaui infectum veneno poculum vſque ad fæces exhauſit, mortifero malo in cordis mentíſque ventriculo tormina & anxietates incredibiles, & moleſtiſſimam quandam vomendi neceſſitatem cauſante, cum ſumma amaritudine, cum anima eiiciet.

Similia.

Simile. Quemadmodum enim magna extimulatus fame tanta ſibi appoſitum auiditate epulum comedit, vt neque de cibi qualitate inquirat, neque quanti conſtitit ſolicitus ſit, ſed ſatis illi, licèt veneno ſit infectus, illo ſuam explere ingluuiem, tantáque cibi allectus dulcedine, bolum guſtu ſuauiſſimum, antequàm in ſtomachum trãſmittat in ore verſat, voluit ac reuoluit, & in ea reuolutione, & ſenſu voluptatis mirabiliter delitiatur; qui tandem in ſtomachum traiectus, ſuam veneno vim exerente, comedentem interficit: ſic porrectum à diabolo peccati poculum, mortifero temperatum veneno, tanta peccator auiditate haurit, vt præ eius ſuauitate, quam lingua ſentit, extremum in poculo abſconditum malum, minimè attendat; donec in fel aſpidum, quæ cum quodam voluptatis ſenſu interimere ſolent, ei vertatur, in ſempiternum animę interitum. [Caput aſpidum fuget: & occidet eum lingua viperæ.] Ex huiuſmodi peccati poculo caput aſpidum fugit peccator: nam quoties

peccati

peccati dulcedine illectus peccatum per conſenſum perficit,toties mortiferum inde venenum tanquã ex ſerpentis capite,ex prima nimirum peccati delectatione euibratum haurit.Nã ſicuti ſerpentes,qui morſu interimunt,venenum quod in capite habent,cum morſu inſtillant:ſic peccatum lethale,quod ſui conſenſu tãquam morſu interimit,in capite ſuo,hoc eſt, in ipſa peccati prima delectatione,venenum habet, quod cum conſenſu,tãquam cum morſu animæ peccantis inſtillat,illámque lingua viperæ occidit.Quẽadmodum enim vipera enaſcens matris ſuæ viſcera exedit,reddítq; ipſi parienti priſtinam libidinis voluptatem exitialem : ſic peccatum,per conſenſum in voluntate commiſſum,quędam fit quaſi crudelis vipera,quæ per externum peccati actum naſcens,& in lucem prodiens matrem ſuam,voluntatem nimirum, per quam cum voluptate concepta fuit,enecat,eiúſque viſcera ita exedit, vt exeſis animæ viribus Deo penitus moriatur.Ecce quomodo dæmon primò bonum vinum ponit,& cùm inebriati fuerint peccatores,tum id quod deterius eſt illis propinat. *Simile.*

15. Quàm diuerſum hoc vini poculum, ab eo, quod Chriſtus & Maria ſuis propinãt conuiuis,diabolus primo loco offert vinũ, quod ſpeciẽ boni præ ſe fert:deinde cũ conuiuas hoc venenoſo ebrios poculo reperit,ſuã illis inſtillat amaritudinem, quam, ebrietatis inſenſibilitate penitùs abſorpti, minimè perſẽtiſcũt:[Repleuit me amaritudinibus,inebriauit me abſynthio]in quẽ locum Hieronymus. [Qui abſynthio inebriatur, id quidẽ, quod ſumit amarũ eſt: & tamen nõ intelligit,præ ebrietate eandem amaritudinẽ,qua repletur:ſic námq; humanũ genus, recto Dei iudicio in calamitatibus ſuis ſibi dimiſsũ,atque per eaſdẽ voluptates ſpõtaneis tribulationibus traditũ abſynthio eſt ebriũ,quia & amara ſunt,quæ pro huius vitæ amore tolerat, & tamen eandem amaritudinem cœcitate cupiditatis quas inſenſibilitate ebrietatis ignorat] donec mortiferum peccati *Diabolus vinum veneno infectum ſuis conuiuis propinat.* *Thren.3.* *Hier.in illud Thren.3.* *Simile.*

venenum, in animę viſcera deſæuiat, tunc heu! ſerò ſæpiùs, ſic infectum exclamat peccati veneno, ſęque mentita voluptatis delectatione omnino deceptum. Ecce quomodo dæmon primò bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint peccatores, tum id quod deterius eſt illis propinat.

Exẽplo Euæ & Adami deceptorũ oſtenditur quod diabolus prius quod delectabile, poſterius quod acer propinet. Gen. 3.

16. Quod guſtu delectabile, ac viſu pulchrum eſt nobis dæmon prius obiicit, venenum verò ſub hoc delectationis fuco abſconditum, ab oculis noſtris penitùs amouet: ſic primos noſtros parentes decepit, cũ lignum vitæ guſtu ſuauiſſimũ, & viſu pulcherrimũ, illis oſtenderet, occultans in eius eſu, Dei indignationé, ac mortem ſempiternã. [Vidit mulier quod bonũ eſſet lignum ad veſcẽdũ, & pulchrũ oculis, aſpectúq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, dedítq; viro ſuo, qui comedit.] Ecce diaboli epulum! aperti ſunt oculi amborũ, & cognouerunt ſe omni nudos gratia, ac partem inferiorem contra rationem rebellare, & rationem contra Deum. Vnde putabat Adam ſe à Deo abſcondere, & peccatum, quaſi vallum inter ſe & ipſum collocans, tutum ſe eſſe exiſtimauit, [in qua occultatione, vt ait Gregorius, non ſe Domino ſed Dominum abſcondit ſibi.] Ecce quale abſynthium, quale venenoſum voluptatis poculum, in hoc diaboli conuiuio, noſtris parentibus propinatũ! Verè rectè ait Architriclinus, [Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt.] Ebria fuit Eua ex pomi riſu, & guſtu, ſed latens ſtatim ſenſit venenum. Nam non citiùs pomũ guſtauit, ac viro porrexit, quàm omni gratia ac vitæ innocentia ſeſe ſpoliatã intellexit. Hinc quaſi inuidens adhuc innocẽtię ſocij, in eandem ſecũ calamitatis abyſſum, eadẽ cõcupiſcentiæ eſca eum traxit. Eſcam enim mortiferũ abſcondentem hamum, ſed fallaci tectam delectatione, viro porrigit, quam vbi comedit animæ viſceribus hamum mortifero ictu adigi ſenſit. O quanta hæc Adami fuit ebrietas, ex mulieris amore profecta:

Gregor. l 22. Mor. c. 13.

cta:vnde vtrique quod deterius erat irę Dei poculũ à diabolo propinatum eſt, quo infectus mortiferæ damnationis ſententiã,vt ait Gregorius,ad poſteros miſit. Ecce quomodo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint tunc id quod deterius eſt. *Greg. Pſ. 2. pœniten.*

17. Hoc pacto diabolus omnes decipit in initio, quod ſplendidum,quod ſuaue,quod delectabile ſuis proponit cõuiuis:quibus fœdæ voluptatis illecebra iã ebriis amariſſimas propinet peccati fęces. Sic ſuũ conuiuam diuitẽ epulonẽ ad extremas perduxit miſerias. [Epulabatur quotidiè ſplẽdidè.]Ecce diaboli epulũ conuiuæ ſuo propoſitum:ſed attendite fæces: mortuus eſt diues ille,& ſepultus eſt in inferno:tantáq; laborauit ſiti,in flãmarum medio poſitus,vt exclamaret, [pater Abrahã miſerere mei,& mitte Lazarũ,vt intingat extremã digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguã meam, quia crucior in hac flamma.] Cui quaſi reſpondens,ait:Omnis homo primũ bonũ vinum ponit : recordare itaq; quia recepiſti bona in vita tua:& cũ inebriati fuerint tũc id quod deterius eſt.Nunc igitur cruciaris poſt delitias æternis traditus flãmis. Sic etiam aliũ ſuum conuiuam Aman tãdem ad ſummã perduxit ignominiã:audite quã ſplẽdidũ conuiuium,quàm dulce honoris poculum, per Regem Aſſuerũ illi exhibuit[Rex Aſſuerus exaltauit Aman,& poſuit ſolium eius ſuper omnes principes, quos habebat:cũctíq; ſerui Regis,qui in foribus palatij verſabãtur,flectebant genua,& adorabãt Amã] Ecce omnis homo primũ bonum vinũ ponit.Sed audite quas fæces illi diabolus honoris magnitudine ebrio,propinet!Appingi illũ patibulo,quod parauerat Mardochęo iubet Aſſuerus. Ecce quomodo cùm inebriati fuerint diaboli conuiuæ,quod deterius eſt illis prębeat.Quã infœlices ergo ſunt,qui diabolum in nuptiis ſibi aſſociãt:quã infœlices qui ab eo propoſiti conuiuij & ſuauiſſimi vini in poculis inauratis ſibi propinati finẽ non ſedulò conſiderãt. Monet Sapiens inuitatos à Principe vt diligenter attendant, *Luc. 16.* *Eſther 3.* *Idem ſubiectis exemplis declaratur.*

Prou.23. quæ ſibi poſita ſunt. [Quando,inquit,ſederis,vt comedas cũ Principe,diligenter attende,quæ ſunt appoſita ante faciem tuam,& ſtatue cultrũ in gutture tuo:ſi tamẽ habes in poteſtate animã tuam.]O quàm ſalutare Sapientis conſilium!Quare à Principe tenebrarum ad conuiuium inuitatus,quo fine te inuitet, attende, quantum immixti veneni habeat diligenter cõſidera:caue ab auratis eius poculis,in quibus peccati abſynthiũ deliteſcit:non te cõuiuij ſplẽdor, neque vini color ita capiat,vt tui non ſis cõpos.Statue cultrum in gutture tuo,reſtringe gulam tuam,veluti cultro gutturi immiſſo, illud extremi iudicij cõſentatione veluti ancipiti gladio confidens , ne vlla ratione peccati delectationi cõſentias. Cogita totum epulũ,licet,in ſpeciem,opiparum,mortifero penitus infectũ veneno.Cogita vinũ licet in vitro ſplendeat, in nouiſſimo inſtar colubri morſurũ [Cùm ſplẽduerit in vitro color eius ingreditur blãdè,ſed in nouiſſimo mordebit, vt coluber , & ſicut regulus venena diffũdet.]Sicut itaq; nihil in colubro,quod venenoſum non ſit,adeò vt eius etiã halitus inficiat:ſic nihil in hoc voluptatis epulo , à diabolo nobis exhibito, quòd non ſit venenũ.Et ſicuti regulus etiã longè à ſe poſitos venenũ euibrando internecat;ſic hoc diaboli vinũ,ſuo tantùm odore,vel colore,ſui contemplatores, antequàm perſentiſcant interimit. Ne intuearis igitur vinum eius quando flaueſcit,cùm ſplenduerit in vitro color eius , ſed Sapientis potiùs conſilium diligenter attendas,quãdo ſederis, vt comedas cum Principe diligenter attende, quæ ſunt appoſita ante faciem tuam,alioqui tibi voluptatis vino inebriato, quod deterius eſt propinabit:propinabit,inquam,diuinæ iræ,æternæque calamitatis poculum , quo corpus,& animam ſempiternis conſecret ignibus.

Simile.

QVARTVM PVNCTVM.

Quartũ punctum.

Nihil melius quàm viriq;

18.Quarto denique conſideremus loco,quàm fœlix ille ſit,qui Chriſtũ ad ſpirituales inuitat nuptias. In huiuſmodi enim nuptiis nobile gratię vinum de-

eſſe

eſſe non poteſt, vbi amor viget, obedientia prompta eſt, pax & concordia floret. Hanc viri cum vxore concordiam, quæ ex ſpiritali matrimonio, prius cum Deo inito, enaſcitur, coniugum diuitias & fœlicitatem eſſe Chryſoſtomus docet. [Illæ, inquit, veræ ſunt diuitiæ, illæ ſunt maximæ facultates, ſic vir cũ muliere non diſcordet: ſed coniuncti ſint, vt corpus vnum. Tales, & ſi in paupertate ſint, & ſi in vilitate, omniũ ſunt beatiſſimi, & in continua conſiſtũt tranquillitate] imò tranquilliſſimum mariti portũ, tranquilliſſimam vxorem vocat [portus, inquit, eſt mulier & maximum ſecuritatis remedium. Quòd ſi ventis, & fluctibus portum liberaueris, ex foro regreſſus tranquillè viues] ſicuti è contrario mulierem inquietã totius domus naufragium appellat: ſubdit enim [ſi perturbatione, & tumultu impleueris portũ tibi ipſi longè grauius ſtrues naufragium] & tandem ſic cõcludit, [Omnia faciamus, vt vxorem vitæ ſociam, & huius negotiationis, & nauis ſumma cum tranquillitate domi contineamus. Hoc pacto cætera omnia tranquilla ſuccedent, & ſecurè præſentis vitæ pelagus tranſmittemus.] Quod facilè conſequi poſſunt ij coniuges, qui ſpiritali cum Deo connubio, per gratiam inito, ad corporale coniugium Chriſtum ac Mariam inuitant. Nulla enim ibi poteſt eſſe inquietudo, vbi Chriſtus menſæ aſſidet, & Maria de coniugum neceſſitate ſolicita.

vxoris cõiunctio, in Dei amore fundata.

Chryſoſt. ho. 38. in Gen.

Chryſoſt. ho. 26. in ep. 1. ad Corinth.

19. Ex huiuſmodi matrimonio, quòd Chriſtus & Maria ſua honorãt præſentia, cui opẽ ferunt & gratiæ vino ſuccurrunt, maxima Eccleſiæ Dei emolumenta prouenire ſolẽt, & in primis Virgines naſci, quæ Eccleſiam Dei vitæ inuocentia accenſis charitatis lãpadibus illuminent, radix ſiquidem Virginitatis huiuſmodi, vt ait Nazianz. coniugiũ eſt. Quare, vt ait Hier. ſicut poma naſcũtur ex arbore, frumẽtũ ex ſtipula: ita ſancta Virginitas ex nuptiis] Deo cõſecratis. Deinde ex huiuſmodi nuptiis, præter pacem illã, cõcordiãq; inter ipſos cõiuges, Reip. propugnacula,

Matrimoniũ multorũ bonorum ſeminarium.

Greg. Naz. in carmin. de Virgi.

Hier. l. 1. aduerſus Iouinianum.

Ecclesiæ lumina, ac totius religionis columnæ enascuntur. Matrimonium enim sanctum, tum Ecclesiæ, quæ in terris versatur, tum illius quæ in cœlo est, quoddam est veluti seminarium, nam ex illo oriuntur, ex quibus in orbe hoc peregrè agens Ecclesia conflatur; ex illo summi Pontifices originem trahunt, ex illo Episcopi, ex illo Sacerdotes, ex illo viri religione florétes, ex illo sancti Imperatores, Reges ac Principes prodierunt, qui tãquam viui lapides in Ecclesia hodie triumphante artificis manu, suo ordine, collocati sunt. Ecce sic benedicetur, qui timet Dominum! Quis ergo ad suas nuptias Christum & Mariam non inuitabit, quorum benedictione proles sanctè educata crescit in structuram sanctam, aliis parentum incuria, & absentia Christi ac Beatæ Virginis malè educatis in diaboli speluncam addictis.

Proles sanctè & piè instituenda.

20. Educate itaque prolem, vt monet Apostolus, in disciplina, quod certum præsentiæ Christi ac Mariæ vestris nuptiis argumentum est, educate illam in doctrina Christi: Christianis moribus, ac monitis, quibus modum bene ac Christianè viuẽdi addiscat imbuite: maximus enim thesaurus, quem illi relinquere potestis est sancta educatio, à qua pendet tota hominis vita, imo salus & beatitudo æterna. Quare dum tenera est ætas, eam per alicuius magistri industriam ad sanctæ vitæ regulam efformate, in hoc sit vestra cura. [Nam, vt ait Augustinus, in prole attenditur, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur.] Hic finis est nuptiarum, liberos gignere, qui Deum colant, ament, venerentur, alioqui si Dei spiritum in prole nascentem, prauo vitæ exemplo extinxeritis, castitatis desideria, vitæ licentia: pietatis studium, mundi vanitate: vitæ perfectionem, dissolutis moribus suffocaueritis, eamque ornatui corporis, trepudiis, conuiuiis, aliisque vitæ laxioris irritamentis studere coëgeritis, neque Christum, neque Mariam vestris interfuisse nuptiis ostenditis, neque prolis curam

August. l. 9. de Genes. ad liter. c. 7.

Digitized by Google

ram habere ſignificatis, quod quàm Deo diſpliceat docet exemplo Prætextatæ Hieronymus. [Prætextata, inquit, nobiliſſima quondam fœmina iubente viro Hymetio, qui patruus Euſtochij Virginis fuit, habitum eius cultúmque mutauit &, neglectum crinem mundano more pexuit. Vincere cupiens & virginis propoſitum & matris deſiderium: & ecce tibi eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem. Túne auſa es viri imperium præferre Chriſto? tu caput Virginis Dei tuis ſacrilegis attrectare manibus, quæ iam nunc areſcent, vt ſentias excruciata, quid feceris, & finito menſe quinto, ad inferna duceris. Sin autem perſeueraueris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis, & filiis. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignauit interitus. Sic vlciſcitur Chriſtus violatores templi ſui, ſic gemmas & pretioſiſſima ornamenta defendit.] Hæc ille. *Hiero. Epiſt. ad Læt.am.*

Punitio extincti ſpiritus.

21. Neque tantùm huiuſmodi pœnâ Prætextata, ob neglectam prolis curam affecta, ſed plurimos etiam parentes multis plexos infortuniis legimus. Et inter cæteros Heli, qui filios ſuos diuina ſacrificia temerantes coram Domino minus ſeuera animaduerſione plexit, & ſuam, vt ait Chryſoſtomus, & illorum ſalutem perdidit. Horum, inquit ipſe, filiorum Heli hæc fuere crimina, ventris ingluuies, & fornicatio: quos cùm talibus deditos vitiis Pater non corripuit, aut coërcuit, & ſuam & illorum ſalutem perdidit. E contrario verò Anna eiuſque filius Samuel æterna laude digni, quod illa filium ſanctè à ſe educatum à teneris Deo vouerit, & iſte à puero nutritus in templo tanta virtutis indicia à prima ſtatim ætate prætulerit, vt antequam ad viriles annos euaderet inter mirabiles prophetas Chryſoſtomo auctore inſcriberetur. Et de Anna Ambroſius. Egregia ſanè fœmina, quæ ſibi nihil reliquit, totum quod habuit Deo obtulit, cuius

Sicut Deus punit, ſic etiam præmiat proliũ bones inſtructores.

1. Reg. 2. Chry. aduer. vitupe. vitæ monaſt.

Chry. de prouidentia Dei l. 1. Ambroſ. ad Virgines exhorta. Chry. hom. 2. ſuper lib. Reg.

vita inſtitutio diſciplinæ eſt, & quædam formula caſtitatis, bono propoſito, & meliore magiſterio. Exemplum enim viduitatis, & virginitatis magiſterium. Et de vtroque Chryſoſtomus. Non exiſtimabat Anna eſſe tutum relicta domo aſcendere in templum, quod cùm accepiſſet donum non ſuſtineret abſque dono comparere, eóque tanto tempore remanſit, vt cum dono compareret. Adduxit ac reliquit, nec puer à mamma diuulſus moleſtè tulit, ſed ad Dominum reſpexit, qui matrem creauerat, nec ipſa mater doluit à puero ſeiuncta, propterea quod naturalem affectum vicit interueniens gratia: & vterque ſe alteri conuiuere exiſtimabat. Sanctum ergo connubium Elcane cum Anna, ex quo ſuſcepta & educata tam ſancta proles.

Ob peccata parentum proles pœna temporanea plectitur.

22. Imo non ſatis Deo aliquando ipſos parentes punire, ob praua proli exhibita exempla; ſed ipſam etiam prolem eadem cum parentibus temporali pœna grauiter ſæpe plectit. Hinc infantes Sodomitico incendio periere, & in communi diluuio omnes fluctibus obruti ſunt, ob parentum peccata, ac peſſima poſteris data exempla. Inſuper Ægyptiorum primogeniti ab Angelo ob peccatum Regis ac parentum recuſantium dimittere Dei populum interempti ſunt. Porro tota familia Core, Datan & Abiron ob principum ſeditionem contra Moyſen interiit. Prætereà ob peccata Amalecitarum paruuli diuino iuſſu trucidati ſunt, ob peccatum etiam Acham imperauit Dominus vt domus eius cum paruulis tota deleretur. Et filium Dauidis ex adulterio ſuſceptum ob Patris homicidium & adulterium è medio ſublatum ſcriptura teſtatur. Ob peccatum prædicti Heli & victus eſt Dei populus, magnáque clade affectus à Philiſtæis, Arcam amiſit, Ophni & Phinees interfectis, quo nuncio conſternatus cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium Heli, & fractis ceruicibus mortuus eſt: nurus autem eius vxor Phinees prægnans vicináque

Gen.10.
Gen.7.
Exod.12.
Num.16.
Ioſue 17.
2. Reg.11.
1. Reg.4.

Digitized by Google

cináque partui audito nuncio quod capta esset Arca Dei,& mortuus esset socer suus,& vir suus,incuruauit se;& in ipso enixu expirauit. Ob peccatum numerati populi indiscriminatim magni & paruuli peste ad septuaginta millia breui spatio absumpti sunt. *2.Reg.24.*

Ob peccatum Ieroboam eius familia punitur.Baasa eiusque filius Ela & tota Baasæ domus, ob delicta sua miserè perierunt.Sic posteri Achab ob peccatum eius pœnas dedere.Cham peccante in Patrem suum Noë,maledictus est filius eius Chanaam. Giezi peccantis lepra ad eius transmittitur posteritatem. *3.Reg.14.* *3.Reg.16.* *Gen.9.* *4.Reg.5.* *Mala.1.*

Odium Dei in Esau transiit ad filios,quoad pœnam temporaneam Effusi Christi sanguinis vindicta, ad Iudæorum posteros deriuatur. Sanguis eius super vos & super filios vestros. Quare Psalmista precatur,vt in memoriam redeat iniquitas Patrum in filiis,qui peccata parentum imitati sunt,in conspectu Domini.Et ipse Dominus:Ego sum Deus tuus fortis zelotes, visitans peccata parentum in filios in tertiam & quartam generationem eorum,qui oderunt me.Quanti itaque refert vt parentes præclaro vitæ exemplo posteris suis præluceant, ne illi alioqui parentũ peccata imitãtes æterna simul pœna plectãtur. *Matt.27.* *Ps.108.* *Exod.20.*

23. Quamobrem infœlices illi sunt, qui cum diabolo nuptias ineunt, ex cuius monstroso complexu, non homines ad Dei imaginem, & similitudinem effictos, sed monstra quædam suscipi, ex propositis nobis exemplis didicimus. Hinc inter ea quid aliud esse potest, quàm perpetua omnium rerum perturbatio, discordiæ, iurgia, & pugnæ à Patre discordiarum disseminatæ.Virorum quidé est diligere,ait Chrysostomus, obtemperare vxorum. Vnde si quisq;quod se decet attulerit & præstiterit, firma, inquit, persistent omnia. Vir si diligat, vxor quoq; ex eo reddetur amica,vxor si subdita sit,reddetur ex eo vir quoque mansuetus. Sed dæmon in suis nuptiis hunc ordinem inuertit, quippe qui *Infœlices qui cum Diabolo nuptias ineunt.* *Chryſ. hom. 10. ad Coloſ.*

Digitized by Google

amariſſimum in concupiſcentiæ contractu ſuccubæ ſuæ animæ peccato infectæ , poculum propinat. Huiuſmodi verò ſunt , qui libidinis & non prolis gratia matrimonium contrahunt , neque ad celebrandas prius cum Chriſto ſpiritales nuptias, neque ad exhibendum illi ſplendidum caſtitatis epulum , ante corporale matrimonium ſeſe accingunt , ſed potius eheu ! ſi aliquando ſponſalia, cum Chriſto , per gratiam contraxerunt , illa per inexplebilem concupiſcentiæ appetitum reſcindere feſtinant , vt coram eo impudentius , noua cum eius aduerſario ineant. Hinc bonis illis carent quæ Deus iis impertire ſolet , qui cum timore Domini , & prolis amore potius , quàm libidinis explendæ gratia nuptias ineunt , in quibus neque mater IESV, neque IESVS ipſe , neque eius diſcipuli inueniuntur , neque veræ lætitiæ vinum , ſed gratiæ vinum in turbidam conuerſum aquam , adulteria , rixas , liberorum iniquitatem , domuſque perturbationem ſecum inuehit , neque prolis educatio , quæ maximè in matrimonio ſpectanda : tota enim huiuſmodi nuptiarum ſollicitudo in cute curanda , in luxuria explenda poſita eſt , cuius rei argumentum certum eſſe poteſt , quod minorem curam prolis habeant , quàm mancipiorum. Satis enim illis, ſi carnis ſuæ ac libidinis mancipia ſint , ſi ſuperbiæ ſerui. Quare illos locupletare diuitiis, ac vitiis , quàm virtutibus malunt , vt tam ſui, quàm liberorum curam penitus negligere glorientur. Hinc Chryſoſtomus. [Tam noſtram, inquit , quàm liberorum noſtrorum curam negligimus , ac vnum ſolummodò reſpicimus , vt magis locupletati magnum pecuniarum numerum aliis relinquamus , qui pariter aliis relinquunt. Sic pecuniarum tranſmiſſores , vt ita dicam , ad poſteros , non domini ſumus : nec ſentimus

Chryſ. hom. 20. in Matt.

timus hac vecordia seruis nostris viliores nos reddere. Nam seruos quidem, etsi non sua causa, attamen nostra castigamus: liberis verò tantum prouidentiæ nequaquam tribuimus. Cur mancipiis dixi, cùm vel pecudibus ipsis minoris fieri videantur? maiorem enim asinorum atque equorum, quàm filiorum curam habemus. Nàm si burdonibus atque asinis agaso præficiendus est, non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus. Sin verò ad colendum filiorum ingenium pædagogus sit nobis inueniendus, qui casu oblatus fuerit, eum recipimus: nec consideramus nullam artem hoc artificio sublimiorem inueniri. Quid enim maius quàm animis moderari, quàm adolescentulorum mores effingere? Omni certè pictore, omni statuario, cæteríque eius modi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuuenum animos fingere non ignoret.] Quàm meritò nuptias has quibus potius diabolus, quàm Christus assistit & coniugum inauditam in prole educanda negligentiam acerbè perstringit.

S. Doctor. Huiusmodi nuptiæ gratia carent.

24. Porro neque huiusmodi nuptiæ sacramenti gratiam, quæ pacem, concordiam, tranquillitatem ac amorem secum inuehit, consequuntur: nescit enim cum effræni libidinis æstu cohabitare, qui omnem verum inter coniuges amorem in gratia fundatum excludit. Ergo si sapimus sponsalia cum diabolo inita rescindamus, & noua cum Christo ineamus, vt ad nuptias corporis inuitatus, festinus adsit dulcissima matre ac morigeratis discipulis circunseptus, vt illis bonis nostræ condecorentur nuptiæ, quorum absentia efficitur, vt illis penitus careamus. Non sint nostrarum nuptiarum conuiuæ libidinosi, diaboli satellites, non sint paranymphæ impudici amplexus, non sint illarum testes tenebrarum Angeli, qui sese in nostra armant viscera, admota caliginosa libidinis face, vt quos libidinosis iaculis confodere possint, secum ad tartarum in prædam rapiant. Meminerimus

rimus quid ſeptem illis viris Sanctiſſimæ Saræ maritis contigit. Tradita,inquit ſcriptura, fuerat Sara ſeptem viris,& dæmonium nomine Aſmodæus, occidit eos mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam.Hanc verò pœnæ cenſuram ideo in eos infligi Raphael Angelus aſſerit, quod explendæ libidinis cauſa ita matrimonium ineunt vt omni diuino timore excluſo ſoli veneri vacent. Hi,inquit, qui coniugium ita ſuſcipiunt,vt Deum à ſe & ſua mente excludant,& ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.Huiuſmodi enim dæmonem & non Deum, Aſmodæum virtutum deſtructorem non Mariam virtutum omnium ſeminarium, ſuarum cupiditatum turbam, non Chriſti diſcipulos ad ſuas vocant nuptias. Non ſic eos docet caſtiſſimus ille ac ſanctiſſimus adoleſcens Tobias, neque caſtiſſima etiam eius coniux Sara ſuo prædicat exemplo, quorum alter poſt nuptiale epulum, ſuam vocat coniugem, vt ſimul Deum ad ſpiritales celebrandas,cum illis, nuptias, prius inuitarent, quàm licitæ vacarent voluptati: [Exurge (ait Tobias coniugi ſuæ) & deprecemur Deum hodie,& cras,& ſecundum cras,quia his tribus noctibus Deo iungemur,tertia autem tranſacta nocte, in noſtro erimus coniugio.] Quàm præclarum adoleſcentibus matrimonio coniungendis documentum, quo docentur prius ſpirituales cum Deo nuptias inire,quàm matrimonium conſummẽt! Altera verò cum Dei timore orationem cum viro ſuo aggreſſa,vſque ad tertiam perſeuerauit noctem; vnde ambo benedictionem in ſemine Abrahæ in filiis ſuis conſecuti ſunt, in cuius rei ſignum ſalutare, quaſi vini poculum illis porrigens,non vnam benedictionem Deus impertiit,ſed infinitas penè, vt meritò à ſacra pagina ſancti ſanctorum filij nominentur. Quàm fœlices igitur coniuges illi, qui Chriſtum matrémque eius ac diſcipulos ad ſuas inuitant nuptias.

Tobiæ 3. Quanta in libidinoſos Dei vindicta.

Tob. 6.

Præclarum maritandis documẽtum.

25.Vti

25. Vtinam, inquis, meis breui futuris nuptiis, tam nobiles adſint conuiuæ, quorum præſentia mihi, & poſteris meis benedictionem merear! Sanè ſi Chriſti verbis fidem adhibes, eiuſque velis conſilio acquieſcere, Chriſtus facilè aderit tuis nuptiis, tibique poſteriſque tuis largam, ab eo, benedictionem obtinebis: ad nuptias itáque pauperes voca, in quibus ſingulis Chriſtum inuitas, & quod ſingulis tribuis Chriſto tribuis. Non mihi credis? crede ſaltem ipſi Chriſto hoc tibi aſſerenti. [Quamdiu, inquit, feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Vide (inquit Ambroſius) quos tibi det gratia debitores, facit tibi Patrem debitorem Deum qui pro munere, quo pauper adiutus eſt, fœnus exſoluet, quaſi boni debitor creditoris. Facit tibi debitorem filium Dei, qui ait: [Eſuriui, & dediſtis mihi manducare. Quod enim vnicuique minimorum collatum fuerit, ſibi dicit eſſe collatum.] Ecce tui epuli accepratio. Ecce ſimul debitoris, de reddēdo debito cum fœnore ſyngraphum! Inuita ſimul matrem eius, vt ſi tibi gratiæ vinum deſit, ad filium conuerſa dicat: [vinum non habet.] Et qui tam facilè corporeæ ſubuenit neceſſitati, ſpiritali non ſubueniet? inuitatus ad corporeas coniugum nuptias feſtinè venit, ad ſpiritales non accurret? à matre ſolicitatus aquam in vinum conuertit, & ab eadem ſolicitatus gelidum cor tuum, in amoris ignem, non conuertet? inuitatus hodie liberalem ſe oſtendit inuitantibus, parum cibi ſumpſit, ſex verò vini præſtantiſſimi hydriis coniuges donauit, & tibi petenti cœleſtis gratiæ vinum, ob pauperi datum beneficium negabit? non ſex vini materialis hydrias, ſed ſeptem ſacra Eccleſiæ vaſa præſtantiſſimo gratiæ vino plena, tibi proponet, vt inde quantum velis gratiæ haurias. Tanta ſiquidem eius eſt munificentia, vt in rependendis beneficiis à nulla velit creatura ſuperari, qui pro vno centum & vitam æternam rependit, centuplum, inquit, accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Nonne inquit Ambroſius

Qui vult habere Deum, Mariam & Apoſtolos cōuiuas pauperes inuitet.

Matth. 25. Amb. de Nabutheo Iezraelitac. 14.

Qui minuendat ſolicitatui, non dabit maius? vinum dedit coniugibus rogatus & non dabit gratiam nobis efflagitantibus.

Matt. 19. Amb. l. 2. de Abraham c. 10. Auguſt. ſer. 40. de verb. Domini.

broſius incrementa bonorum accidentium, cum animæ corporíſque remuneratione promittit? [Chriſtus dicit, ait Auguſtinus, parua mihi das, plura reddam, terrena das, cœleſtia reddam, temporalia das, æterna reſtituam, teipſum tibi reddam, quando me tibi reddidero.]

Petamus ex toto cordis affectu cum Maria vinũ & impetrabimus.

26. Vinum, inquit Maria, non habent: ecce ſtatim ſex nobiliſſimi vini hydrias coniugibus miniſtrauit! vinum, inquit, non habent. Tanta ſanè eſt eius benefaciendi propenſio, vt ſatis ſit illi noſtram proponere tantùm neceſſitatem. Quiſque ergo ei dicat: Vinum non habeo: dicat, inquam, cum Maria, ex profundiſſima ſui comminiſerationis abyſſo, Vinum non habeo, gratia careo, in Dei amorem nequaquam inardeſco, mihi meæ dominantur cupiditates, in incertum diuitiarum rapior, facilè diaboli ſuccumbo tentationibus. Vinum ergo non habeo, & ſtatim non ſex vini hydrias, quæ breui ſpatio vix ſufficiunt, ſed ſeptem gratiæ ſuæ perẽnes tibi fontes aperiet, quorum ſalutares ſcaturigines in tot ſe diuidunt alueos, quot hominum animæ ſuos illis aperiunt ſinus. Haurietis ergo cœleſtis gratiæ aquas, vinum germinans Virgines, cum gaudio de fontibus ſaluatoris. Hodie cùm aquam in vinum vertiſſet, miniſtris dixit: [haurite.] Idem etiam nobis hodierno die ingeminat: [Haurite] haurite pretioſum gratiæ vinum, ex ſeptem ſaluatoris ſacramentorum fontibus: haurite, inquam, adeo enim ſalutari gratiæ vino abundant, vt nunquam exhauriri poſſint. Ex his itaque fontibus cœleſte gratiæ vinum nobis licet quotidie tot ſitulis depromere, quot bonis cogitationibus, verbis, operibus, tanquam hauſtris in ſaluatoris cordis puteum dimiſſis abundamus: Vinum hoc igitur gratiæ, iuſtis hic quotidianus eſt potus, in Dei regno breui pretioſius gloriæ poculum bibituris.

EXEMPLVM.

Cicero Tuſc. 5.

27. Cùm quidam ex Dionyſij Syracuſanorum tyranni aſſentatoribus Democles commemoraret copias

copias eius, opes, maiestatem, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negarétque vnquam eo beatiorem quenquam fuisse; vísne igitur, inquit Dionysius, ô Democle, quoniam hæc te vita delectat ipse, eandem degustare & fortunam experiri meam: cùm se ille cupere dixisset collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimè textili stragulo, magnificis opibus picto, abacósque complures ornauit argento auróque cœlato, tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eósque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis extruebantur, fortunatus sibi Democles videbatur. In hoc medio apparatu, fulgentem gladium è lacunari seta equina appensum dimitti iussit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam: denique exorauit tyrannum vt abire liceret, quoniam beatus nollet esse. Ecce qualia diabolus suis conuiuis epula apparat! non porrigebat manum in mensam Democles impendente territus gladio: nonne potiori nos ratione manus ac ora à diaboli mensa cohibere oportet, cùm simul in ea mors æterna lateat nostrísque inde ceruicibus Dei iustitiæ gladius immineat.

IN DOMINICAM TERTIAM post Epiphaniam,

Concio.

THEMA: *Ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare, & extendens Iesus manum tetigit eum dicens: volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius.* Matth. 8.

1. MAgnus proculdubio ab omnibus terræ partibus ad eum medicum fieret concursus,

Quàm facili remedio Christus omnibus tum corporis, tum animæ morbis medetur.

sus, qui omnia morborum genera, sine vlla incisione, carnificina, aut cauterio, sed solo verbo, vel attactu, vel nutu, vel aspectu, aut nudo etiam voluntatis suæ imperio sanare posset, neque ea tantùm facilitate sanitatem corporibus, sed etiam animis conferret, modò perfectus ægri consensus, ac flagrans sanandi desiderium, ad id concurreret. Ecce vobis huiusmodi medicus, qui omnia morborum genera sine huiusmodi asperis mediis curare solet, & qui quotidie animarum morbis (modò voluntatis consensus præbeatur, morbi agnoscatur fœditas, suauis admittatur conscientiæ purgatio, firmumque concipiatur animi propositum, nunquam in mortiferos animarum morbos recidendi salutarique proposita satisfactione) mederi festinat, qui, inquam, tantùm verbo non modò frequenter corporis morbos expulit, sed mortuos ad vitam reuocauit. Vnicum viduæ filium vita defunctum, sola vnius verbi imperio, tacto loculo, ad vitam excitauit. [Surge (inquiens) & resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui.] Insuper tactu suo hydropicum pristinæ reddidit sanitati: [Ipse verò apprehensum sanauit eum.] Solo præterea volùtatis nutu filium Reguli morti proximum sanitati restituit. [Vade, inquit, & filius tuus viuit] quo dicto reliquit eum febris. Nudo etiam voluntatis suæ imperio, fimbriæ attactu, mulierem, quæ sanguinis fluxu annis duodecim laborabat, curauit. [Accessit retrò & tetigit fimbriam vestimenti eius, dicens intra se: si tetigero tantùm vestimentum eius salua ero.] Quo viuaci (annuente Iesv) desiderio [salua facta est, ex illa hora.] Porro hodie manus suæ attactu mundauit leprosum. [Extendens Iesvs manum tetigit eum dicens: mundare. Et confestim mundata est lepra eius.] Nudo etiam voluntatis imperio omnia quæcunque voluit fecit, licèt ad nostram instructionem, externas aliquando adhibuerit in ægris curandis ceremonias, omnia tamen solo voluntatis nutu, cui omnia subsunt, potuit.

Luc. 7.

Luc. 14.

Ioan. 4.

Matt. 9.

2. Quod

2. Quòd verò animarum morbis facilè medeatur, omnes illi testes penè sunt, quorum corporeos curauit morbos, testes & illi quorum vni dictum: [Confide fili, remittuntur tibi peccata tua,] & nos salutari præmissa confessionis purgatione, à grauissimis animæ morbis liberati in cœlum transuolamus. Cur igitur ad hunc medicum, non statim accurrimus, vt animæ lepram, quæ infinitè illa corporis periculosior, detestabilior, & ex se curatu difficilior vnius verbi imperio [Absoluo] per suum administrum detergat? Et verò maria traiicimus, regiones peragramus, substantiam expendimus, totam denique ætatem consumimus, vt corporum morbis medicinam adhibeamus: vt animæ verò grauissimos morbos tollamus, neque opus est maria traiicere, regiones peragrare, substantiã expendere, neque vnum sæpe temporis momentum insumere, cùm hic animarum medicus huiusmodi sit, qui vbique reperitur, solo curat nutu, qui temporis momento non astringitur, confestim enim (vt scriptura hodie docet) ad eius tactum mundata est lepra, [Cessit enim (vt ait Chrysostomus) extemplo Christi iussui natura, cum tanta vtique celeritate, quanta Deum conuenit operari, & profectò maiore, quàm Euangelista memorauit. Nam ipsum (confestim) multo est tardius, illius operis celeritate, quo leprosi facta est curatio.

Matt. 9.

Recurrẽdum ad huiusmodi corporum & animarũ medicum.

Chrysost. hom. 26.

3. Ex hoc Euangelio, de leproso, duo mihi explicanda elegi. Alterum ex enormitate ac fœditate corporeæ lepræ, peccati lepræ turpitudinem. Alterum quanta cum promptitudine nostris Deus succurrat miseriis, qui hodie rogatus leprosi morbum alioqui incurabilem, statim sanauit. Prius inuocato Spiritus sancti auxilio per filij Dei Matris deprecationem, solitam illi exhibendo salutationem. Aue Maria.

Concionis diuisio.

PRIMVM PVNCTVM.

4. Quanta peccati lepræ miseria, ex ipsius cor-

Quanta cor-

Potiùs lepra miseria, ex qua discequã ea peccati infectio.

poreæ lepræ natura,ac conditionibus perspicuè cognosci potest,quippe, quæ consimiles animæ imprimit effectus. Hoc morbi genus omnium opinione miserrimum, tum quia penè incurabile, tum quia totum hominis corpus defœdat, eneruat, & vsque ad ipsa ossa exedit, ac in eiusmodi statu hominem constituit, vt quoddam potius monstrum, quàm hominem esse iudicares. Hinc tanquam naturæ abortus,omnibus tam parentibus, quàm amicis, imo & propriæ etiam vxori adeo abominabilis est, vt eius conspectum, colloquium, & societatem vix ferre possint. Quare in veteri lege cautum fuit, vt huiusmodi lepra infecti,ab hominum congressu prohiberentur, & separati extra castra soli habitarent.

Leuit. 13. [Omni tempore,quo homo leprosus est (ait lex vetus)& immũdus,solus habitabit extra castra, habebit vestimenta dissuta,caput nudum,os veste contectum,contaminatũ ac sordidũ sese clamabit.]Quàm misera huiusmodi excõmunicatio,à qua,nullusquantumuis nobilis, aut dignitate præeminens, si lepra infectus sit,excipitur. Hinc Regem Azariam lepra à Deo percussum vrbe ac regno cessisse legimus,ac in libera commoratum domo. Et sanctissimum illum à Dei ore laudatum Iob in sterquilinio sedisse lepra infectum Augustinus est auctor. [Ecce,inquit,sanctus Iob,iustus, sapiens,diues, rectus,& timens Deum,& tamen leprosus efficitur,extra castra proiicitur, ab hominibus despicitur, & deseritur, ab vxore blasphematur.Ecce quomodo in virũ sanctissimum lepra ita desæuiit,vt extra ciuitatẽ etiam deiectusomnibus fieret abominabilis, de qua re grauiter conqueritur. [Fratres, inquit,meos longè fecit à me, & noti mei, quasi alieni recesserunt à me,dereliquerunt me propinqui mei,& qui me nouerũt obliti sunt mei]quos ipsa naturæ & sanguinis communio familiaritate & necessitudine coniunxit,hos ipsa calamitas abstraxit, & à me abalienauit,& illorum in me odium conflauit,quos ipse calamitatis aspectus deberet ad misericor

4. Reg. 15.

Augusti. ser. 32. *ad fratres in eremo.*

Iob. 19.

ricordiam prouocare. Quanta ergo miseria corporea infici lepra, quo fit, vt homo quasi excommunicatus, ab omnium abigatur societate, & solus atque despectus in suo computrescere tabo permittatur, donec exesis penitus carnibus, neruis ac ossibus, calamitosus, nisi miraculo liberetur, pereat.

Quale monstrũ leprosus.

5. Si huiusmodi horrendum spectaculum, nobis ob oculos semper haberemus, si hominem variis fœdè contaminatum scabiei maculis, tumido corpore, & quasi exustis omnibus membris, incredibili laborantem siti, graui putrescentis corporis pondere collabascentẽ, inusitata ementitę pinguedinis mole lassum, fœtentibus vndique carnibus, adeo, vt eius halitus tanto graueolens fœtore alloquẽtes inficeret, inexplicabili insuper vexatũ pruritu, digitis ita intumescentibus & putrescentibus, vt vnguibus omnino deficiẽtibus sese scabere non posset, sed vix testa tantã vndequaque erũpentem saniem radere valeret, si, inquã, huiusmodi monstrum his leprę infectũ deformitatũ varietatibus, ob oculos semper poneremus; nemo sanè nostrum foret, qui huiusmodi lepram non execraretur, nemo qui non omnem moueret lapidem, si ea vel minimũ se infectum sentiret, antequã inualescceret, vt quàm citissimè ab illa sese expediret, nemo qui non omnia ea, quæ in tantã nos calamitatem coniicere solent, euitare conaretur. Quare meritò lex huiusmodi hominem extra castra abire iubet, à quo vel intuẽtibus tã grande imminet malũ; meritò etiam vestibus vtebatur dissutis, vt ne quod toto corpore serperet malũ, consuta tectũ veste, incautos inficeret. Insuper caput habere nudum oportuit, vt ex pilorũ denudatione se lepra infectos indicarent, & propterea os veste cõtegere iubebantur, ne graui halitus fœtore, intuentes corrumperẽt. Denique ipsimet suæ turpitudinis præcones à lege constituti, contaminatos se, ac sordidos clamabant, vt nemo, qui ad eos sponte imprudẽtius accederet, suæ

Explicatur ratio habitus leprosi.

Digitized by Google

cusationem, cum per præconis vocem lepræ cognitionem quilibet accipere potuerit.

Quàm graphicè describitur hic Auaritiæ lepra.

6. Vultis modò in huiusmodi monstro, quasi in viuo schemate, peccati lepra infectum graphicè depictum videre? vultis horrẽdum monstrum variis conspersum peccatorũ sceleribus, superbia tumidum, exustis rabida ira viscerũ fibris, incredibili pecuniæ laborãtẽ siti, graui defœdatæ animæ pondere in imum tartari delabentem, inusitata pinguedinis ex gula contractæ, mole obesum, putrescẽtibus ita animæ visceribus, vt eius conuersationis modus, tanto libidinis, ac turpium colloquiorum fœtore, audiẽtibus grauis sit, quo ipsum etiam aërem inficere videatur; digitis adeo auaritiæ tabo intumescẽtibus & vnguibus putrescentibus, vt ad bursam eos extẽdere, ad eleemosynas, egenis largiendas, non valeat, sed ex implacabili pecuniæ pruritu, quo sine intermissione torquetur, cum vnguibus, hoc est, manuũ rapina habendi desiderio facere satis non possit auaritiæ saniem radere, inuidiæ testa cogitur; vultis, inquam, huiusmodi coram intueri monstrum: verbi gratia in auarum coniicite oculos, lepra enim nostra auaritia est, & auarus leprosus est: & quod de auaro dico idem etiam de luxurioso, ambitioso, &c. intelligite.

Omnes lepræ conditiones auaro ascribuntur.

7. Sicut igitur lepra vniuersi corporis humoris corruptionem gignens, omnia eius membra ita inficit, vt nullum suo fungi officio possit: sic auaritiæ lepra omnes animæ affectiones corrumpens, ita omnes eius facultates inficit, vt nulla suo satisfacere muneri valeat, animámque, quam semel occupauit, adeo suis expilet virtutibus, vt ne vestigium quidem in ea relinquat honestatis. Hinc Leo Papa: [Amore pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullúque est iustitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi fecit habitaculum. Quemadmodum lepra etiam

Leo in quodam sermone.

etiam,minimo aliquādo attactu alios inficit:sic hæc auaritiæ lepra, quos vel leuiter attingit, ni statim mala eius affectio penitus tollatur, commaculat. Hinc Hieremias Propheta hac auaritiæ contagione omnes suo tempore, deplorat infectos. [A minore (inquit) vsque ad maiorem,à Propheta vsque ad Sacerdotem,omnes auaritiam sequuntur.] Quanta hæc auaritiæ infectio, quæ omnium penitus hominum ordines ita infecit, vt neminem ab eius contagione immunem esse sentiat. Etiam proh dolor! nostri temporis statum auaritiæ tabo infectum cum Propheta meritò deplorare possumus, cùm eo omnes penè hominum ordines infectos esse videamus. Vnde Rabanus exclamat: [O pestis maligna auaritia, semper bonis animis decertanda, quem illæsum, quem incorruptum dimittis! genus humanum confudisti, tu discipulum comitem Christi ab Apostola-tu præcipitasti, tu milites custodientes sepulchrum captiuasti: nunquid nō benedictum est: Pecuniæ obediunt omnia.] O quàm contagiosus huiusmodi auaritiæ morbus! quàm longè latéque suum spargit venenum! quàm multiplices ex se vitiorum ramos expandit! Cùm enim auaritia omnium malorum (teste Apostolo) sit radix, ex illa omnium vitiorum germina pullulare, quis inficias ibit? Si enim vt idem ait Apostolus, ex radice sancta rami sancti: à contrario sensu ex impia radice, ac maledicta ramos impios, ac maledictos erumpere oportebit. Vultis huius impiæ radicis impios, à Petro Rauennate, recensitos surculos audire? [Malorum radix cupiditas (inquit) transgressionis est mater magistra nocendi,& primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fouea scandalorum.] Ecce quot mali surculi, ex vna pullulant radice, qui tanquam steriles malæ radicis rami animæ terram depopulātur, vnde anima, quam semel auaritiæ lepra possedit, tāquam monstrum ex variis, atque inter se pugnātibus

Hier. 8.

Raban. super Matt. 1. Tim. 6.

Pet. Rauen. ser. quodam.

vitiorum deformitatibus,quodammodò conſtat.

Auaritiæ lepra ita homi nem inficit, vt nolit ſui ſtatus miſeriam cognoſcere.

8. Quare tantùm abeſt, vt tot vitiorum peccator conſcius, ſeſe cum leproſo ad Sacerdotis pedes, penes quem omnis lepræ dignoſcendæ,ac mundandæ poteſtas eſt,abiiciat;vt potius diuitiarum magnitudine inflatus, omnes præ ſe deſpiciat, ac contemnat,altiúſque cæteris ſapere præſumat,cuius alti ſupercilij tumorem Apoſtolus redarguit : [Diuitibus huius ſæculi (inquit) præcipio non ſublimè ſapere.] Ecce quomodo auarus ex lepra elephantiaca , ex qua variæ in humano corpore maculæ enaſcuntur, incidat in leoninum, quæ ex cholera ſanguinem inficiente proficiſcitur. Nam ſicuti ſuperbia plerúmque iræ eſt ſeminarium : ſic ira indignans aduerſarij proſperitatem , in ſuperbam degenerans inuidiam, auara quadam libidine omnibus indignatur proſperitatem , ſibíque vi rapere aliena ſuadet, omnéſque ſuis denudare bonis, vt ſolus ipſe dominetur. Hoc lepræ genus leoninum appellatur,quę præcipuè per ſuperciliorum depilationem cognoſcitur , quæque oculos non parum inficit.Quid,obſecro,magis pauperum ſupercilia bonorum depilatione,per fraudes, & dolos & iniuſta emẽtiti iuris diuerticula deprimit,quàm diues auarus? Quid magis animæ oculos inficit,quàm inexplebilis habẽdi cupiditas,quæ ita eos excœcat,vt cœleſtibus omnino deſpectis terrenis inhient bonis.Cœca,(inquit Ambr.)eſt auaritia, ſed diuerſis fraudum oculata ingeniis , non videt, quæ diuinitatis ſunt , ſed cogitat quæ cupiditatis ſunt. Oculos ſiquidem ſuos ſtatuerunt declinare in terram.Et Chryſoſtomus : Quid auari oculis impudentius,& caninum magis ? non aſpicit homines,vt homines,neque cœlum vt cœlum,ſed omnia pecuniam eſſe putat. Quanta hæc auaritiæ miſeria, quæ non tantùm bonorum depilatione contenta , ſed ita cœcos ſui amatores efficit , vt infœlicem ſuum ſtatum minimè agnoſcant.

Ambr.ſer.59.

Chryſo. orat. 7.in auaros.

Diabolus pri

9. Quamprimùm Nabuchodonozor ciuitatem

Hiero

Hierosolymitanam intercepit, facta in templum irruptione, candelabrum aureum, cuius lumine totum illustrabatur templū, è medio sustulit, & statim ipsum templum profanauit. Sic diabolus nobiscum agit, vbi animam nostram, quę templum est Spiritus Sancti per peccatum ingreditur, eum plerúmque auaritiæ lepra inficit, quæ rationis lumen statim extinguat, quo extincto, omnes eius facultates, ac operum merita expilat, ac prophanat. *mòextinguit rationis lumen, deinde ex; ilat homi nem omnibus virtutū meritis.*

Vultis hoc vobis ex Sacra Scriptura, alio subiecto declarem exemplo? Cùm Rex Sedecias Nabuchodonozoris potentiam fugiens ciuitatem suam desereret, à militibus comprehensus est ac Regi sistitur, in quem seueriſſimam huiusmodi sententiam tulit Nabuchodonozor præmittens, vt ait Iosephus, post multam obiurgationem fracti fœderis improperium, & inter cætera ait illi: magnus Deus, qui odio habens tuam nequitiam nostro te subiugauit imperio, vt 52. eius filij coram eo trucidarentur, deinde oculi illius pugione effoderentur, ac tandem catenis vinctus in Babylonem mitteretur. Quàm graphicè in aliena persona Spiritus Sanctus auarum suarum cupiditatum catenis constrictum nobis ob oculos exhibet! Auarus tam multiplici spe lucri abductus Dei mandata, susque déque ferens, succumbens auaritiæ suæ libidini, arcè animæ suæ deserit, suóque inimico Mammonæ diripiendam ac profanandam relinquit: qui vbi in eam suam exercuit tyrannidem idolorum seruitute eam profanans, auarum ipsum comprehendit, cuius filios coràm interfecit, omnium bonorum operum merita per auaritiæ sagittas interimit, quibus vndequaque confossis, ad extremum oculi ei eruuntur, vt facilius per peccati consuetudinem, ad peccatorum confusionem abductus manus ac pedes tot auaritiæ vinculis, quot desideria rerum habendarum concipit, constringantur, vt nihil in posterum boni operari possit. [Primogenita enim mors (vt ait Iob de peccatore loquens) deuorauit pulchritudinem cutis illius,

4. Reg. 25.

Ioseph. l. 10. c. 10.

Iob. 18.

illius,& consumpsit brachia eius.]Peccatum primogenita mors vocatur, & maximè auaritia, quæ cæterorum radix est.hæc mors primogeniti peccati deuorat pulchritudinem animæ cutis, nam sublata chatitatis pulchritudine, in diaboli degenerat similitudinem:deinde consumit brachia,quæ sunt bonorum operum instrumenta, vnde vel misericordiæ opera non præstat, vel si aliqua præstet, nullius sunt meriti.Quanta hæc auari miseria,vt animæ suæ pulchritudinem exuat, & bonorum operum instrumenta amittat, vt ad instar leprosi, ita manus & pedes,voluntatem,& intellectum; omnésque animi facultates, ac mentis affectiones inhabiles habeat, vt nulli rei, præterquàm (ob continuum auaritiæ pruritum, quo ad instar leprosorum auarus vexari solet) animæ vulneribus scabendis subseruiant. Sed quemadmodum leprosis digiti intumescunt & putrescunt, vt vnguibus se scabere nequeant, vnde saniem(vti de sancto Iob scriptura commemorat)testa radere coguntur:sic auaris adeo intumescere,ac putrescere digiti solent,vt nesciant illos ad crumenam porrigere, quo aliquid pauperibus elargiantur, & aliena restituant,sed suę conscientiæ testa saniem radere coguntur, dum conscientiæ stimulis,tamquam implacabili pruritu vexati, vmbratili quadam confessionis specie,pruritum potius excitant,quàm temperant. O quàm periculosa hæc leprę species,cuius pruritus scalpendo indies augescit, cui numquam mederi quispiam potest,nisi aliqua fortissima ac auari ingenio amarissima adhibeatur medicina. Nam sicuti putridæ carnes resecari solent, ne totum corrumpatur corpus:sic cor auaritiæ tabo corruptum, nisi diuini medici dextra confessionis lancea cruentetur, ac aperto vulnere, vsuræ, ac iniquorum contractuum nouas inuentiones, tanquam corrumpentes humores è suo corde expellat, nunquam sanari poterit.

Simile.

Inexplebilis auari sitis.

10 Sed huic maximo malo multo maior accedit cala

calamitas, inexplebilis nimirum sitis, quæ lepræ morbo infectum semper consequitur. Quæ sitis, obsecro, molestior continuæ pecuniæ cupiditate? quæ inexplebilior quàm illa, quæ suam etiam vendere animam cogit? In littore Affricano (vt refert Pierius) columna erat in qua vir insculptus, cui serpens diro morsu sitim, quæ nulla aqua sedari poterat, afferebat. Nam licèt fœminæ aquam sitienti propinarent, eius tamen nequaquam sitis sedabatur. Ecce vobis ob oculos auari hominis depicta imago, qui tot auaritiæ morsibus exulceratus adeò sitit, vt licet semper inferat, nunquam tamen dicit: satis est: [vnus ex illis sanguisugis, quæ semper dicunt: affer, affer, quarum habendi (vt ait Sapiens) libido nunquam expleri potest. Quippe cuius inexplebilis sitis serpenti illi persimilis, qui morsibus suis sitim augebat; nam quos desideriis, tanquam diris morsibus extimulat, adeò ardenti pecuniæ siti conficit, vt quò magis inferunt, eò magis inferendi cupiditate inardescent, & sic inexplebili semper conficiuntur siti. Quid hoc lepræ genere miserius? Prætereà quemadmodum leprosis, ex sanguinis corruptione adulterina quadam pinguedine obesis viscera computrescunt: sic auarus ex morum corruptione, & iustitiæ neglectu, aliena rapiens, nescio, quibus adulterinis operibus turgescit, animæ visceribus penitus cupiditate habendi ita tabescentibus, vt eius anhelitus etiam ipsum aërem quodammodo inficiat. Quid hoc monstro tetrius? quid execrabilius? quid magis intuenti horrorem possit incutere? Si ergo leprosus adeo sit deformis, vt, eius aspectum, societatem ac anhelitum execremur, nonne multò magis auarum, qui Deo ac hominibus execrabilis est, fugimus? dissutis insuper vestibus auarum videtis incedere, qui pulcherrimam virtutum vestem aureo charitatis filo contextam, auaritiæ spinis dilacerauit! [Beatus ergo qui

Prou. 30.

Apoc.16. vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & appareat turpitudo nuditatis ſuæ. Veſtimentum, inquit Gregorius, tuũ operatio tua eſt, cuſtodi ergo ne deripiant alieni laborem tuum, ne denuderis & appareat ignominia tua.] Infœlix igitur auarus, qui operationem ſuam in diuitiis iniquè acquirendis collocat: infœlix quia alienis eius laborem diripientibus denudatur, eiúſque toti mundo ignominia propoſita tanquam leproſus ab omni bene ordinata ſocietate abigitur, & inſtar leproſi ex omnibus vitiis diſſuta & lacera indutus veſte turpitudinẽ ſuam potius prodit, quàm tegit. Nudo etiam capite leproſus incedebat, vt ex pilorũ raritate huiuſmodi ſe infectum morbo omnibus demonſtraret, auaro nudum etiam caput, qui per auaritiam iuſtitię coronam amiſit? Hinc Propheta huiuſmodi monſtri ſtatum deplorans ait: [Væ nobis quia peccauimus, cecidit corona capitis noſtri.]

Gregor. in 4. Pſal. pœnitẽtia.

Thren.5.

11. Porrò veſte ſua auarus os contectũ habet. Nó enim ſpecioſa laus in ore peccatoris, cui Dominus per Iſaiam exclamat: [Cũ multiplicaueritis orationem non exaudiã.] Cur ita? [Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt] manus auari plenæ pauperum ſanguine, qui ex eorũ ſudoribus diteſcere ſolet, qui cordis illius ſanguinẽ improbo labore exhaurit, eiúſq; labores in ſua rapit cõmoda. [Væ ei, qui multiplicat non ſua,] væ qui ſuis rebus minimè contentus inexplebili cupiditate aliena rapit, & nunquam ſatiatur [vſquequò & aggrauat contra ſe denſum lutũ. denſo enim ſe luto aggrauat, qui per auaritiam, teſte Gregorio; terrena multiplicans, peccati ſui ſe oppreſſione coangultat! Nunquid non repentè conſurgent, qui mordeant te] cùm maximè enim ſecurus ſibi videtur auarus, ſurgunt contra eum fures, & latrones, qui eum latrociniis infeſtant, & quaſi mordentes omnes eius diuitias diripiunt [propter ſanguinem hominis] ob hominum ſanguines, quos iniquis cõtractibus & malis artibus ebibit. [Væ qui

Iſa. 1. Væ auaro qui multiplicat non ſua.

Abac.2.

Greg. 34. Mora. c. 9.

congre

congregat auaritiam malam domui ſuæ]væ qui per auaritiam congregat multas diuitias , quæ ſibi ſuiſque poſteris noxiæ erunt , & magnæ ruinæ cauſa. Putat enim ſi ſemel potens fuerit,& magnis ſeſe diuitiis ampliauerit, tutúmque fore ab omni infortunio, ſuámque diu duraturam potentiam. Sicuti auis cùm in excelſo nidum conſtruit,exiſtimat neminem ſibi nocere poſſe , aut nidum ſuum deorſum præcipitare. [Sed cogitauit confuſionem domui ſuæ.] Cùm enim per fas & nefas potentiam , & diuitias ſuas augeret cógitans de poſteritatis ſuæ perpetuitate, ſtatim ſæpe omnibus exutus bonis , ſibi & poſteritati confuſionem & ignominiam ſempiternam parit. [Et lapis de pariete clamabit.] Lapides,inquam,& ligna,quæ fraude comparaſti ex tuis ipſius ædificiis contra te clamabunt,& tantæ iuſtitiæ vindictam à Deo expoſcent : lapides clamabunt de pariete, & ligna, quæ in medio ſtructuræ ad continendos parietes collocantur, & nunquam hactenus apparuerunt,reſpondebunt huiuſmodi æterna dignum pœna,quibus verbis indicat Propheta:quæ occulta modò videntur Deo apparebunt, quem nihil latere poteſt , & clamabunt & accuſabunt delinquentem. O quanta hæc Dei in auaros indignatio , qui toties væ omnia importans mala in illos fulminat ! quomodo eorum peccata exaggerat , vt ipſos etiam lapides,& ligna ex malè acquiſitis , in fabricam conſtructa,in eos coniuratura aſſerat,væque illis ſempiternum inclamatura. O ſi lapides , & ligna vindictam in eos expetitura,quid cæteras creaturas,quibus illi abuſi ſunt,facturas putabimus ? quid denarij & oboli ? quid ſolidi & libræ facient ? ſibi inuicem acclamabunt ; væ qui nos , è pauperum ſanguinibus congregauit:væ qui eorum ſudores auaritiæ ſiti extimulati biberunt: Væ qui[æſtimauerunt luſum eſſe vitam , & conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrum , & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere.] O quanta æſtuaret ſiti viator ille, qui in *Sapien. 15.*

occur

occurrentis ſibi ſinum ſudore manantem, vt ſudore
Simile. expleret ſitim, inuolaret! Huiuſmodi auari ſitis eſt, qui pauperum ſudores ebibit, neque eorum ſudore contentus, niſi etiam cordis eorum ſanguinem pleno quotidie hauſtu ebibat: neque ſanguine etiam ſatiatur, inſaturabilis ſanguiſuga, donec ſanguine turgeſcens cum auarorum anteſignano Iuda viſcera,& animam ad inſtar ſanguiſugæ euomat: [Nihil ergo iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.] O quid agis auare? quid Iudæ inexplebilem pecuniæ ſitim affectas? Ecce tibi de monte feſtinat IESVS, vt ſui pectoris, in quo omnes ſapientiæ ac ſcientiæ theſauri latitant, ſalutari hauſtu tuam extinguat ſitim. Surge ergo cum Matthæo à telonio, ſurge cum leproſo,& dic: [Domine ſi vis potes me mundare!]
Eccle.10.

SECVNDVM PVNCTVM.

Quanta ad nos iuuandos celeritate Chriſtus accurrit.

12. Secundo dicendum loco, quanta cum promptitudine, noſtris Deus ſuccurrat miſeriis, qui hodie ſtatim rogatus leproſi morbum, alioqui incurabilem ſanauit. Imo tanta ad nos iuuandos celeritate vtitur, vt ſuper ventorum pennas equitare dicatur:
Pſ.103. [Qui ambulat ſuper pennas ventorum.] Verè enim Deus ſuper pennas ventorum ambulat, qui quaſi ab alatis ventis, tanquam velociſſimis quadrigæ ſuæ equis, vectus, celerrimè ad nobis opé opportunè ferédam feſtinat. Hinc etiã ſuper alas Cherubin, propitiatoriũ collocatum erat, vt ingens ſuũ oſtenderet ad nos volandi deſiderium, & maximè, vbi opus ſuum, quod in cœlis olim ædificauit, ante filij ſui incarnationem, miſericordiam nimirum ad terram deferret! [Quoniam dixiſti: in æternum miſericor-
Pſ.88. dia ædificabitur in cœlis.] Hæc verò tua miſericordia in cœlis plerumque manſit, donec filius tuus illam, tanquam ſibi proprium opus, ſecum ad terram traxerat.

Digitized by Google

traxerat. Hinc Dauid cùm diutius expectatione illam operiretur exclamauit:[Domine in cœlo miſericordia tua.] Sed vbi prophetico lumine filium Dei in terra naſciturum vidit rurſus exclamauit: [Miſericordia tua Domine plena eſt terra :] quaſi dicat opus illud tuum, quod ab æterno ædificare decreueras,& quod de facto in cœlis ædificaueras, iam video in terram breui tranſlatum iri. Ad nubes vſque oportuit nos hactenus aſcendere, antequam in terris filius Dei naſceretur, vt tenuem tantummodo miſericordiæ ſtillam cõſequeremur: at modò filio Dei,in terra, nato, miſericordia tua Domine plena eſt terra.

Pſ.35.

Pſ.118.

13. Quoties Moyſes in altiſſimos conſcendere montes debuit, vt peccantibus Iſraëlitis miſericordiæ tuæ ſtillam infunderes? Quoties tecum quaſi acriter pugnauit,veritate ac iuſtitia, eius conatibus reſiſtente, & è nubibus, quaſi iacula minaciter intentante,fumi ſiquidem,fulgura,tonitrua,terræ motus cùm tuam ei legem dares, hanc fuiſſe concertationem teſtantur.[Veritas enim tua vſque ad nubes] eam ſiquidem tanquam ſiniſtram manum olim è cœlo vſque ad nubes extendebas, quæ hominibus, peccatorum pondere onuſtis, aſcenſum montis prohibebat.[Beſtia quæ tetigerit montem, lapidabitur] imo ipſi Moyſi ita identidem reſtitit, ne miſericordiam populo obtineret, vt neceſſe fuerit extenſam eius in vindictam manum orationis catena colligare, donec quaſi victa & ligata ad Moyſen clamaret: [Sine me,vt iraſcatur furor meus contra eos,& deleam eos.]Ecce quomodo manum eius ligauit! Qui enim dicit, [Sine me] vt ait Hieronymus,oſtendit ſe ligatum:quando dicit,dimitte me, oſtendit ſe teneri poſſe,ne faciat quod minatus eſt. Dei enim potentiam ſerui preces impediebant,cùm verò eum Moyſes nollet dimittere (tanto vindicandi ſe deſiderio flagrauit)eius animum præmio emollire tentat [faciam,inquit,te in gentem magnam.]Ecce præmium.

Quàm difficulter vel miſericordiæ ſtilla olim à Deo impetrabatur.

Exod.32.

Exod.32.

Hieron. ad Gaudentiũ.

Sed

Digitized by Google

Sed cùm nec prece nec precio eum dimitteret, permiſit è cœlo Deus vſque ad nubes,& inde in terram miſericordiæ ſtillam influere, ſuæque miſerationis effectum oſtendere: ſubditur enim,[placatuſque eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum.] Vbi verò filius Dei noſtram induit mortalitatẽ, carnea ornatus trabea, miſericordiam, ſub ſuæ trabeæ velo, ſecum plenis velis detulit,palámque mundo illam oſtendit:miſericordiâ enim Domini plena eſt terra. Hinc veritas, quæ è nubibus acre nobis bellum inferre ſolebat, ſua ſponte, depoſito omni deſiderio vindicandi, in terram etiam dẽſcendit, pacémque cum miſericordia iniens, iuſtitiam nobis reconciliauit. [Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.] Hinc Deus quaſi ventorum pennis veluti perniciſſimis quadrigæ ſuæ inuectus equis, nobis ſuis fratribus, miſeria oppreſſis, miſericordia ſemper comitante, opem ferre feſtinat. [Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio eius] verè ſaltus giganteus, egreſſio eius è cœlo in terram.[Deſcribitur (inquit Euſebius Emiſſenus) eundi & redeundi velocitas, ſed diſcurſus neſcit immenſitas : quia Deus vbique totus eſt. Accedere ad nos miſericordia potuit,recedere à ſe plenitudo non potuit.]

Pſ.44.

Pſ.18.

Euſeb. de Natiuit.Domini hom.1.

14. Statim ac Centurio eius opem implorauit dicens : Puer meus,Domine, iacet in domo paralyticus, & malè torquetur] feſtinauit : [Ego veniam & curabo eum.] Regulus rogauit eum,vt deſcenderet priuſquam filius eius moreretur] accedens miſericordia feſtinauit, nam ſtatim mentis deſignatione ſanauit eum.[Vade,inquit, filius tuus viuit.] Archiſynagogus indicauit ei filiam ſuam mortuam, & deprecabatur eum [veni,inquiens, impone manum tuam ſuper eam vt ſalua ſit & viuat,feſtinauit: abiit enim cum illo, quam manu apprehenſam reſuſcitauit. Statim ac hæmorrhoiſſa veſtimenti eius tangeret

Matt.8.

Ioan.4.

Exemplis Chriſti ad opem ferendam feſtinatio declaratur.

Marc 5.

ret fimbriam fluxum eius ſanguinis ſtitit: feſtinauit enim virtus ex illo in illam abiens, quæ priſtinæ illam reddidit ſanitati. Hodie leproſus ait: [Domine ſi vis potes me mundare] feſtinauit, reſpondit enim: Volo, mundare, & confeſtim mundata eſt lepra eius. *Ibidem.*

Et nos quoque ad ſe feſtinare vult. Zachæus feſtinãs deſcendit, & accepit illum gaudens. Et ideo (ait Ambroſius) probauit Dominus eius affectum & eum celeri remuneratione donauit, dicens: Quia hodie huic domui ſalus facta eſt. Feſtinemus & nos vt eius celerem experti miſericordiam verè dicamus: Miſericordiâ Domini plena eſt terra, quippe quæ adeo celeriter noſtris ſuccurrit miſeriis, vt omnes ventos pernicitate vincat, cuius rei certiſſimum argumentum eſt: Quod multò citius leproſum hodie curauerit, quàm ipſum verbum, confeſtim ab Euangeliſta prolatum eſſet. Hoc enim proprium Dei opus eſt, noſtri miſereri ac proinde feſtinat; ſicut alienũ ab eo opus eſt, nos punire, ac proinde quaſi plumbeo pede, ad punitionem procedit. Hinc Propheta *Luc. 19. Ambroſ. de Cain & Abel l. 1. c. 8.*

miſericordiam à Deo, quaſi proprium opus in cœlo ædificari aſſeruit. [Quoniam dixiſti in æternum miſericordia ædificabitur in cœlis] cùm tamen iuſtitiæ ac punitionis opus, illi alienum, in terra ſemper exercuit. [Vt faciat opus ſuum, alienum opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo:] quaſi diceret, minimè opus meum iraſci, aut punire, ſed alienum & peregrinum: non enim ex animo meo, ſed à iuſtitia mea, ab alienis peccatis prouocata, quodammodò coactus, punio, aut iraſcor, qui ſaluator ſum. Hoc eſt, ait Dionyſius, Hæc impiorum perditio, non propriè competit Deo, cui proprium eſt miſereri, parcere, & ſaluare: Damnare verò & punire alienum eſt ab eo, & proprium malitiæ noſtræ] quod clarè per Prophetam meum Ieremiam ſignificaui, qui mei ingenij pulſum probè tangens ac intelligens ait: [Non ex corde ſuo humiliauit & abiecit filios hominum] id eſt, non eſt *Eſa. 28.* *Thren. 3.*

cordis

Digitized by Google

cordis eius punire, ſed id facit ſceleribus acclamãtibus, & iuſtitia eum, ad id, prouocante, quomodo enim ex animo dici poſſit punire, qui [tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominem quem creaui.] Et ideo (inquit Hieronymus) non hîc ſeueritatem, ſed clementiam Dei ſonat dum peccator hic, pro ſuo ſcelere viſitatur, nec ad æternos cruciatus ſeruatur.] Non ergo ex animo punire dici potuit, qui non ſtatim peccatum à primis noſtris parentibus commiſſum punire feſtinauit, ſed poſt meridiem, ambulando, expectans illorum pœnitentiam, quaſi plumbeo venit gradu. Quomodo ex animo punire dici poſſit, qui ſi quando ad vindictam, prouocantibus hominum peccatis, & inſtigante illum iuſtitia, manum cogitur extendere, id quodam doloris ſenſu præſtare videtur, vti per Prophetam ſuum Eſaiam manifeſtauit, exclamans: [Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.] Quomodo punire ex animo poſſit ille, qui licet intentatum, in noſtras ceruices, ſtrictum teneat gladium, antequam tamen feriat, iuſtum aliquem quærit, qui pro nobis contra illum ſtaret: quod apertè per Prophetam Ezechielem indicauit dicens: [Quæſiui de ipſis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus, contra me, pro terra, ne diſſiparem eam, & non inueni] & quia non inuenit: ſtatim ſubdit: [& effudi ſuper eos indignationem meam, & in igne iræ meæ conſumpſi eos] vbi verò ad miſericordiam præſtandam allicitur, moram non contrahit, non ambulat, ſed currit, prius miſericordiam præſtat, quàm expectetur, opus ſiquidem eius miſericordia, ſicuti alienum ipſi opus vindictam ſumere: vnde hodie ex monte currit, vt miſericordiam præſtet, ſibi occurſurum præſciens leproſum fide ac ſpe bona plenum, qui accedens dixit: [Domine ſi vis potes me mundare.] Ille ſtatim extendit manum illam ſalutiferam, eúmque tangit aiens: [Volo: mundare:] Opus enim eius miſericordia, quæ eum, vt nos

Gen.6. *Hieron. in Gene.c.6.* *Eſa.1.* *Ezechiel.22.*

nos,non tantùm à corporis lepra ; sed potius etiam à spiritali animæ vindicaret , de monte descendere compulit:præsertim, cùm non ignorauerit voluntatem Patris sui esse,hominum sanctificationem. Quæ est,inquit Ambrosius,voluntas Patris,nisi vt veniret Iesvs in hunc mundum , & nos mundaret à vitiis? Audi leprosum dicentem:Si vis potes me mundare. Respondit Iesvs, volo: mundare : & statim secutus est effectus sanitatis. Vides quia filius arbiter suæ voluntatis est , & Christi voluntas eadem quæ paterna est.]

Ambros. de fide l 2.c.3.

15. Leprosus ille Naaman Syriacæ militiæ Princeps de Elisæo grauiter conquestus est, quòd egressus domo sibi non occurreret , vt lepræ locum tangeret , sed quasi contemptim, per internuncium, ad Iordanis aquas mitteretur. [Putabam, inquit,quod egrederetur ad me,& stans inuocaret nomen Domini Dei sui,& tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.] At nos, qui peccati lepra infecti sumus, de nostro Elisæo conqueri nequaquam possumus. Nam sicuti de monte hodie festinauit, vt leprosum sanitati restitueret : sic è cœlorum excelso vertice, ad nos quotidie accurrit,vt peccati lepram è nostris eximat animis.Et sicuti non satis illi fuit verbo, aut nutu leprosum sanare , nisi etiam eum tangeret : sic ad nos veniens peccati lepram nostræ animæ visceribus inolitam suæ diuinitatis virtute tangens , penitus extergit, neque ad Iordanis aquas nos mittit, sed confecto ex suo pretiosissimo sanguine balneo nostram lauat lepram,mundátque. [Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.] O ineffabilis Dei dignatio! ô promptitudo ad misericordiam impertiendam expeditissima ! Non abhorruit lepram tangere, à qua omnes fugiebant, non dedignatus est leproso sibi in via occurrenti obuiare, licèt iuxta legis præscriptum , ab omnium consortio fuerit amandandus , non differt medicinam adhibere,sed statim ait,[Volo:mundare.]

Semper Deus paratus vt nostram lepram sanet. 4.Reg. 5.

Apoc. 1.

Digitized by Google

Accedẽdum cum fide viua, cum leproso ad Christum.

16. O vtinam quoties nos peccati lepra infectos sentimus, sic pleni bona spe ac fide viua animarum, ad nos festinare medicum, cogamus! vtinam quoties etiã sese nobis festinè offert, ad eius pedes, illiusq; administri sacerdotis trepidi prouoluamur. Sic leprosus hic, bona spe, ac fiducia plenus, è monte ad se Christum descendere fecit, procidens in faciẽ, vti Ioannes ait, rogauit eum, dicens: [Domine si vis potes me mundare.] Ecce quomodo, viua agnoscat fide, Christi diuinitatem. [Si vis] inquit, quasi dicat: Scio in te esse omnem curandi facultatẽ, quia Deus es, tantùm ergo dic, & mundabor. Ecce in faciem prostratus te Deum meum agnosco, cui soli latria debetur, si vis ergo, cùm de tua potestate nihil ambigam, potes me mundare. [Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.] Nullam in meis operibus fiduciã pono, cùm à meipso salutẽ non sperem, sed si tu vis potes, in quo omnem spem collocatã habeo, & cùm volueris facies. Ecce quãta leprosi huius humilitas, quanta fides, quanta spes, quanta in suis viribus diffidentia. Hinc Ambrosius:

Psal. 43.

Ambros. l. 5. in Luc. to. 5.

[Quod in faciẽ procidit humilitatis est & pudoris, vt vnusquisque de suæ vitæ maculis erubescat; sed confessionem verecundia non repressit, ostendit vulnus, remedium postulauit, dicens: Domine si vis potes me mundare: de voluntate Domini, nõ quasi pietatis incredulus dubitauit, sed quasi iniquitatis suæ conscius, non præsumpsit: religionis autem & fidei plena confessio est, quæ in voluntate Domini tribuit potestatem: si vis, inquit, potes me mundare, immundus sum, meipsum mundare nescio, quare cùm omnem habeas potestatem, tantùm dic & fiet.]

Origen. in hũc locum.

17. Accedamus & nos ergo qui peccati lepra cõmaculati sumus, & in faciem cum leproso procidamus, sit nostra confessio religionis ac fidei plena, cum leproso clamemus: [Domine si vis potes me mundare:] vrgeamus illum, vt nos monet Origenes: [Domine qui dignè adoraris, qui meritò coleris, te ego

ego Dominum adoro, ideóque te Dominum dico, per te enim omnia facta ſunt. Tu ergo Domine ſi vis potes: voluntas enim tua opus eſt: voluiſti, vt hæc immundiſſima lepra ſuper me veniret, ſiue propter mea peccata, vt correptus pœnitentiam agerem, ſiue propter tuam prouidentiam, vt mirabiliter me mũdans magnificareris, omnia diſpenſanter, & prudenter facis, & ſalutem largiter tribuis. Siue ergo hanc leprã propter peccata mea portaui, dimittens culpas meas, munda me, ſiue propter prouidentiã tuam, me mirabiliter munda, vt ab omnibus magnificeris, Domine ſi vis potes me mundare. Volũtas tua opus eſt, quia & opera tuæ volũtati obediunt.]Domine ergo qui dignè adoraris, qui meritò coleris, nos te in terra proſtrati humiliter adoramus: Aperi nobis gratiarũ tuarũ theſaurum, aperi patentem aquæ viuæ fontem peccatoribus obſeratum, aperi, inquam, domui Dauid gratiæ fontẽ, in ablutionẽ peccatoris & mẽſtruatæ. Aperi cor miſericordia redundans, ex quo, tanquã ex perenni fonte, aquam in vitam æternã ſalientem hauriemus. Si vis potes. Ecce Domine cum leproſo ad pedes tuos proſtrati, fide viua, ſpe pleni, charitate incenſi, vti ſperamus, clamamus: Domine ſi vis potes nos mundare. Olim per Salomonem dixiſti. [Per miſericordiã & fidem purgantur peccata] Ecce fides nos ad te hodie tanquam viæ dux certiſſima dirigit! Ecce miſericordia feſtinè te fecit, nõ tantùm à monte hodie, ſed anteà è ſinu Patris ad nos deſcendere! Ecce ergo fides, ecce miſericordia! Quid igitur prohibet nos mundari, & ab hac peccati lepra expiari? Si itaque vis potes, inclina voluntatem, oſtende potentiam, ſanitatem confer. Fides noſtra te inuitet, tua te vrgeat miſericordia: dic: Volo, dic, mundare, & confeſtim mundabimur, & ſuper niuem dealbabimur.

Feruens ad Deum, vt à peccati lepra mundemur. Apoſtrophe.

Zach. 13.

Prou. 13.

18. Recordare, Domine, quomodo olim Nabuchodonozor Rex Baby. de filiis Iſraël ſibi pueros egregios eligi iuſſerit, in quib. nulla eſſet macula, decoros for-

Dan. 2.

Digitized by Google

ma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia & doctos diſciplina, & qui poſſint ſtare in palatio Regis.] Ecce Domine in conſpectu tuo ſtamus, electi, vti ſperamus, ex ingenti damnatorum maſſa, licèt nondum ab omni peccati lepra ita mundi ſimus, vt in tuo palatio adhuc comparere mereamur: tu tamen, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, nos munda. O ſi nos tanto ad Chriſti pedes deſiderio accederemus, ſi ad ſacerdotis genua tam ardenti motu prouolueremur: ſi tam viuaci accurreremus fide, ſi peccati verecũdia noſtrá acceleraret confeſſionem, ſi ex intimo cordis fundo cum leproſo clamaremus: [Domine ſi vis potes nos mundare;] audirent tunc ſinguli: [Volo: mundare.] Accedamus itaq; ſpe pleni, & licèt, ob peccati leprá accedere paueſcamus eius tentare miſericordiam, dicamuſque cum illo peccati lepra aliquando infecto. [In te Domine ſperaui, non cõfundar in æternũ, in iuſtitia tua libera me. Videtis, inquit Auguſtinus, quia & pauet, & ſperat. Videtis quia pauor iſte non eſt ſine ſpe. Etiãſi eſt aliqua in humano corde conturbatio, non recedit diuina cõſolatio.] Vidimus leproſum, vno ſanari verbo, Mundare: quidni & ſperemus animæ noſtræ leprã vnico etiam miſericordiæ verbo mundari: mundare: accedat cum fiducia leprę manifeſtatio, confiteamur peccatum, & ex intimo cordis affectu dicamus: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam. Vult, inquit Baſilius, tui miſereri iudex, téque miſerationibus ſuis complecti, ſi modò poſt admiſſa humilem te factum & contritum inueniat. Inſuper, ſi quæ clam cæteris, & in arcano deſignaſti, prodideris, & euulgaueris fratri citra pudoré vllum.] Cur ergo non ad illum feſtinamus, intellectũ dabit & inſtituet nos in via pœnitentiæ. [Intellectũ, inquit, tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris.] Per ſpiritum ſanctum, inquit Euſebius, dono ſapientiæ ſpiritalis illuminamur, ædificamur, erudimur, inſtruimur, conſummamur, vt illam ſancti Spiritus

Vt pleni bona ſpe ad lepram peccati abſtergendam ad Chriſtũ recurramus, incitamur exemplo leproſi.

Pſ. 30.

Auguſt. in illum Pſ.

Baſil. Pſ. 32.

Pſ 31.

Euſeb. Emiſ. hom. de Pẽte.

ritus vocem audire poſſimus[Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris.] Et ne tenebris peccati obſcurati, à pœnitentiæ via aberremus ſubdit,[Firmabo ſuper te oculos meos.]Non auertã oculos à te, ſed perſeueranter, & ſtabiliter oculo benignitatis te aſpiciam, ac proinde internum prudentiæ auxilium, & externum prouidentiæ ſemper tibi aderit.Quis tot prouocatus miſericordiæ argumentis,non recurreret ad animarum medicum, qui hodie è monte feſtinauit, vt corporis lepram, quæ animæ(cuius gratia de cœlo in terram accelerauit) minimè nocere potuit,mundaret?

19. [Dixi] ait Dauid animæ lepra laborans[confitebor aduerſum me iniuſtitiã meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.]Quàm ineffabilis hæc Dei miſericordia, qui ita propenſus eſt ad peccati lepram, quam tamẽ maximè execratur, ex peccatoris anima detergendam,vt ſi quis,ex vero cordis affectu doleat,ipſam etiam peccati confeſſionem miſerando & parcendo præueniat.Dixi,inquit,confitebor. Quid dixiſti ô Dauid? Dixi confitebor:confeſſio mea nondũ ad os peruenerat: nam dixi tantùm:[Confitebor] & cùm nondum confeſſus eſſem, hanc Deus cordis mei vocẽ audiuit. [Confitebor.] Vox mea nondum in ore erat, ſed auris Dei iam in corde erat[Præparationem enim cordis mei audiuit auris tua, ac proinde remiſiſti iniquitatem cordis mei,quia dixi,confitebor,dixi,inquam, compunctus corde[confitebor]aduerſum me iniquitatem meam, & tua Domine miſericordia non expectauit confeſſionem illam,qua dixi: peccaui Domino, ſed ex paterna & ſingulari benignitate remiſit impietatem peccati mei, quod ex Propheta tuo Nathan didici, qui ait:Dominus trãſtulit peccatũ tuũ à te. O quãta hæc Dei noſtri miſericordia? quòties enim nos corde contrito,& pœnitenti accedimus,vt peccata noſtra ore confiteamur, antequam ante Sacerdotis pedes prouoluimur,audit anima noſtra:[Volo:mũdare]

Quàm citò Deus miſeretur.

Pſ 9.

2.Reg. 12.

antequam oris confeſſio fiat,imo vbi ſtatim [confitebor] contritionis actum eliciens dixit,audit: Dimiſſa ſunt peccata tua. Dixerat leproſus: [Si vis]Dominus reſpondet[volo]dixerat [potes me mundare] reſpondet imperatiuè:[mundare,id eſt,mundus eſto: quibus verbis,& ſuam monſtrauit diuinitatem, qui non aliena,ſed propria poteſtate volendo, ac iubendo leproſum continuo ſanauit, & infinitam etiam ſuam oſtendit miſericordiam, tam promptè hominem mundando, quem omnes à ſua expulerunt ſocietate. Propoſita itaque nobis infinita ſimul eius poteſtate,ac miſericordia, in huius leproſi prompta curatione,cum eo dicamus.[Si vis.]Et Dominus reſpondebit[volo]dicamus[potes me mũdare,]& audiemus diuinum reſponſum, nos ſimul mundans [mundare]& ſicut confeſtim mundata eſt lepra eius, ſic nos à peccati lepra mundati, audiemus, Dimiſſa ſunt peccata veſtra, mundi eſtis ab omnibus inquinamentis veſtris.Ite in pace.

Exemplvm.

D. Anton. 2. p. ſua ſumm. tit. 1. cap. 3. §. 6.

20. D. Antoninus exemplum nobis proponit quod auaritiæ lepræ corruptionem clarè oſtendit. Cùm auarus quidam proximus eſſet morti,à parentibus & amicis ſeriò admonitus, vt ſe ante mortem Deo reconciliaret, ac præteritarum culparum confeſſionem ſalutarem faceret,quibus in hunc modum reſpondit,neſcio,neſcio id præſtare, quia corde careo, cumque amici inſtarent eum mentis impotem exiſtimantes,peterentque quî fieri poſſit, vt viuas,ſi corde careas?quis tibi eripuit cor?non, inquit, non ſum impos mentis,& quod dico veriſſimum eſt,corde careo,& vt id certò vobis conſtet, ite ad ciſtam vbi pecunia mea eſt, in qua tanquam in vltimo fine ſpem meam collocatam habui, ibi meum cor inuenietis,quo dicto deſperatus,ſine vllo pœnitentiæ ſigno,mortem obiit: parentes verò ſeſe ad ciſtam referunt,

ferunt, vbi inter pecunias cor eius miraculo efformatum, vti moriens dixerat, inueniunt, vt intelligerent affectum illius amoremque in pecuniam absorptum fuisse. Ecce quàm tenaciter eius animæ viscerибus mortifera adhæsit auaritiæ lepra, vt & corde eum spoliarit, nec in eo quidquam gratiæ reliquerit, quo ad animarum medicum recurreret, vt cum hoc Euangelico leproso clamaret: [Domine si vis potes me mundare.]

IN DOMINICAM QVARTAM post Epiphaniam,

Concio.

THEMA: *Ecce motus magnus factus est in mari, ità vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.* Matth. 8.

1. SIcut mater prolem ad ambulandum prouocans, sese iuxta abscondit, eamque ambulare solùm permittit, cùm verò ei casum imminere videt, ante ruinam vlnis eam excipiés, manibus vtrinque corpusculum ambit, ac oscula identidem ei infigens, quasi è summo ereptæ periculo congratulatur: quo ardentiorem prolis in se amorem excitet: sic Deus cùm in via mandatorum suorum cúrrere nos vult docere, se subinde subtrahit, & quasi abscondit, vt quàm parum sine eius actuali gratia possimus, intelligamus, & quàm infirmi simus Dei destituti auxilio, nosque omni exposítos ruinæ semper esse percipiamus, si diuina desit gratia. Cùm verò nobis imminere casum videt, sese speciali gratiæ suæ auxilio adesse ostendit, & ne cadamus, suam supponit manũ nostróque gressus dirigit ne impingamus. [Apud Dominum enim egressus hominis dirigétur, & viam *Ps. 36.*

Simile. Quanta nos cura Deus à casu seruet.

Digitized by Google

eius volet]ipſe itaque eſt,qui greſſus noſtros dirigit, vt viam eius velimus, & ſtatim,vbi eius viam ſequi volumus, nos non ſinit cadere , niſi in peccata ſæpe venialia, ad noſtræ infirmitatis inconſtantiam nobis declarandam.Hinc ſubdit: [Cùm ceciderit non collidetur:quia Dominus ſupponit manum ſuam.]Ecce quomodo maternum imitetur affectum,nos ſuis excipiens vlnis ,manus ſupponit,ne ſaltem ad duram peccati mortiferi impacti petram confringamur, & præ animi in nos teneritudine paternum nobis quaſi oſtendens pectus, exclamat: [Oſculetur me oſculo oris ſui] vt è ſummo peccati diſcrimine erepti, tanta eius de noſtra incolumitate ſolicitudine excitati feruentius eum in poſterum amemus. Hinc Theophylactus aſſerit Chriſtum ſuam ad modicum diſtuliſſe periclitantibus Apoſtolis opem ferre, vt miraculum clarius fieret , & diſcipulorum memoriæ tam inſigne beneficium tenacius inhærens ad amorem eos prouocaret : [permiſit , inquit , diſcipulos turbari,vt clarior fieret ſua virtus. Solent enim homines tunc meminiſſe eius qui ſaluat , quando à magnis periculis eripiuntur. Propterea non in principio , ſed in articulo periculi excitatus illos ſeruauit. Quos enim (vt ait Gregorius) Deus in æternum diligit , aliquando ad tempus relinquit. Vnde ſcriptum eſt : Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcõdi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui] in hoc etiam Patris ſingularem in filium affectum declarans , qui filio peccanti indignatur faciémque illi abſcondit , donec emendatus reſipiſcat , vbi depoſita aſperioris vultus indignatione, eum in ſuam recipit gratiam. Sicut enim nihil magis Patris iram mitigat, quàm commiſſæ culpæ pœnitentia : ſic nihil magis Dei iram ſedat , quàm morum emendatio , ac matura delictorum pœnitudo.

Cantic. 1.

Greg. in cap. 30. Iob.

2. Hinc

Digitized by Google

2. Hinc vbi populus Israël, vitulum aureum pro Deo vero adoraret; licèt in se diuinam exasperasset iram, ac indignationem; Deus tamen sese paratum ostendit tantum condonare flagitium, si pœnitens sese eius verberibus, nudum exponeret: [loquere, inquit, filiis Israël: populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui & delebo te.] Ecce magna eius indignatio, sed in momento indignationis abscondit faciem suam: nam statim subditur: [Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi.] Ecce quomodo in misericordia sempiterna misereri voluit! depone, inquit, ornamentum tuum, pretiosas, quibus vsus es, vestes in lætitiæ signum, dum vitulum aureum adorares, ac pœnitentiam age, nudumque te meis verberibus exhibe. Ecce quomodo Deus morem irati Domini imitetur, qui seruum, quem flagris excipere cupit, nudari præcipit; sed ad misericordiam tamen Dominus nolter verbis sequentibus propensum se ostendit, [Vt sciam, inquit, quid faciam tibi.] Volebat itaque Dominus, vt egregiè notauit Hieronymus, vt Israël nudum, & spoliatum vestibus illi se verberibus ac flagris cædendum præsentaret, seséque illa humiliatione, & pœnitentiæ habitu, ob idololatriæ crimen commissum, reprehenderet, vt sic Deus videns eum humiliatum, & ad verbera expositum, [Deposuerunt enim, vt ait sacra scriptura, filij Israël ornatum suum] ad misericordiam commoueretur, & peccatum condonaret. Tantæ virtutis est pœnitentiæ imaginem præferre, vt statim diuini numinis iram placet. Licèt ergo Deus, ob peccata à nobis faciem in momento indignationis suæ abscondat, permittátque animæ nostræ cymbam variis, ac vehementibus tentationum fluctibus concuti: si tamen eius nos potenti subdamus manui, & pœnitétiæ verberibus dorsa denudátes, conclamemus, ex intimo cordis affectu: [Salua nos Domine perimus.] Vre, seca, dilania hîc corpus nostrum, vt in æternum & corpori & animæ

Dei indignatio, si nos peccati pœnitet, momentanea.

Exo. 33.

parcas,tunc demum in misericordia sempiterna misertus nostri, & peccata remittet, & vehementibus tentationum fluctibus vt subsidant,imperabit.

Concionis diuisio.

3. Tria in hodierna concione dicere proposui.Primum, tot passionum & cupiditatũ ventis ac tempestatibus cymbam animæ nostræ exagitari, vt periculum sit,ne pereat. Secundum,eius periculum augeri dæmone illam, non tam suis quàm illius armis oppugnante.Tertium denique si velimus illam ad æternæ fœlicitatis portum perducere, viã per Christum commõstratam percurrereoportere.Quàm vt fœlici nauigationis cursu semper teneat,orãdus est spiritus sanctus, qui nauim ad desideratum cœli portum solet perducere per Beatissimæ Virginis Mariæ intercessionem. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Animæ cymba passionum procellis agitatur.

4. Tot furentibus animæ nostræ cymba fluctibus concutitur,quot passionum, & vitiorum in illa procellasconcertare persentiscimus,quæ cũ penè infinitæ sint,infinitisetiam quodammodo perturbationum tempestatibus agitatur,vt miraculum sit, illam, non quouismomẽto subrui.[Magnam,inquit Ambrosius, faciunt tempestatem multitudines cupiditatum: imperauit Christus ventis & mari,tẽpestatémque compescuit: sic imperet ratio fide illustrata cupiditatibus,fietque tranquillitas.Si iracũdia,auaritia,libido, ambitio,veluti procellosi venti fluctus in corde concitant,rationem fidéque expergefaciamus,increpent ventos,dicant mari:tace,obmutesce.]Vidit Zacharias quatuor quadrigas egrediẽtes de medio duorũ mõtium,in quadriga prima equi rufi,in quadriga secunda equi nigri,in quadriga tertia equi albi,in quadriga quarta equi varij & fortes:]per has quatuor quadrigas diuersas hominũ animas quæ quatuor pernicibus & incitatis equis,animi nimirum quatuor passionibus,ægritudine,gaudio,metu,cupiditate,præcipites,in quæuis illicita ferũtur intelligere possumus, quæque egredientes de medio duorũ montiũ,mentis scilicet

Ambros. in Apologia Dauid.

Zach. 6.

Digitized by Google

ſcilicet & volũtatis,adeò periculoſis rationẽ turbinibus inuoluunt, vt niſi ſtatim diuini timoris fræno cohibeãtur, in æternæ ſalutis naufragiũ miſerã impellant animã.Hi ſunt furioſi equi,quos Sacr.Script. ſubneruari præcipit:Equos eorũ ſubneruabis, iuxta illud Orig.[Sed & ſi paſſiones corporis,inquit,id eſt, libidinẽ,laſciuiam,vel ſuperbiam ac lenitatẽ,quibus infœlix anima,vel,vt equitans vectatur,& fertur ad præcipitia,equos nũc dici & currus intelligamus,& ipſos eſſe,qui ex præcepto Dei ſubneruari iubẽtur.] Huiuſmodi ergo immoderati ac effrænes animę equi ſubneruandi ſunt, alioqui ſecũ vitiorũ agmina,quæ penitus rationem perturbant, ac de ſua quodãmodo ſede præcipitant,inuehent,animámq; ſuis implicantes vorticibus,in profundũ barathri imũ demergũt. *Ioſue* 10. *Orige. ho.* 15. *in Ieſum Naue.*

5. Diuerſitas coloris equorum,diuerſa ſignificat vitia,quæ indomitæ paſſiones in animæ cymbam,tãquã malè ordinatos remiges ducunt,per equos enim rufos aduſti ſanguinis affectus, qui in rancorem & vindictam erumpunt,deſignantur,per equos nigros teterrimi ſanguinis affectus, qui in teterrimam ſimulatæ ſanctitatis hypocriſim, qua incitati hypocritæ,cùm ieiunant triſtitiam præ ſe ferunt, faciéſque ſuas exterminant,vt appareant hominibus ieiunantes,ementitæ pœnitentiæ habitu placere hominibus quærunt, & vanam aucupantur gloriam, per equos albos delicatioris ſanguinis affectus, qui in lætas, molles, effœminatas emergunt operationes, quos Sapiens graphicè his verbis depingit: [Venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant:nullum pratum ſit, quod non pertrãſeat luxuria noſtra, nemo noſtrũm exors ſit luxuriæ noſtræ. Vbiq; relinquamus ſigna lætitiæ:quoniã hęc eſt pars noſtra & hęc eſt ſors noſtra.]Deniq; per equos varios ex vtroque colore temperatos,moderatioris ſanguinis *Quàm diuerſi hominum affectus iuxta naturæ complexionẽ.* *Sap.* 2.

ſanguinis affectus,qui neque penitus in auſteritatis, triſtitiæ aut mœroris opera ſeſe efferunt, neque penitus carnis illecebras ſectantur, ſed nunc hæc;nunc illa,cuius gratia,magis quàm cæteri,vulgò placent: fortes tamen huiuſmodi equi ſunt,ita enim ſuperbię typho inflantur, vt nemini velint cedere, ſuámque excellentiam,cum offenſione omnium cęteris omnibus præferunt. Hi ſunt decumani fluctus, qui nobis maximè dominantur,quos reliquę vitiorum procellæ inundantes ſequuntur, quique rationem vehementer perturbant, ac animæ cymbam obruunt, hi ſunt quatuor venti cœli,qui in hanc nauem, præter ventorum naturam ſimul irruentes eius latera contundunt,& concitatis vitiorum tumultibus, in profundum barathri demergunt: aſſiſtunt autem coram dominatore omnis terræ, quippe cùm per eos ſoleat Deus refractarios etiam in hac vita caſtigare, animámque quæ Deum cognitum minimè glorificat,quotidianis ærumnis affligere: iuxta illud Apoſtoli, [Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt,aut gratias egerunt, propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis, qui commutauerunt veritatem Dei, in mendacium, & ſeruierunt creaturæ, potius quàm creatori,qui eſt benedictus in ſæcula.Amen.]

Rom. 1.

Equi carnis noſtræ ſubneruandi.

6. Quare ſi velimus in animæ noſtræ naui Chriſtum reſidere,rationiſque clauum regere, animi paſſiones ſint moderatæ,vitiis penitus emortuis,diuinę legi ſint dicto audientes, & licèt dormienti Chriſto, nonnihil ſeſe motitent, & fluctus cient,ſi tamen cum Apoſtolis fidelis anima exclamet:[Domine ſalua nos perimus]Dei ſtatim ſentiat auxilium. [Ne timeas eos, inquit Dominus Ioſue,cras enim hac eadem hora, ego tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſraël,equos eorum ſubneruabis, & currus igne cõbures.]in quem locum Origenes, [Quorum equi ſubneruantur?eſt etiam hoc operæpretium quærere

Orig.ho 15. *in Ieſum Naue.*

quærere. Equos, inquit, Iabin subneruandos. Iabin autem prudentia interpretatur vel sensus. Quæ est ista prudentia, vel quis sensus, cuius subneruandus est currus? illius nimirum, de qua Apostolus: quia prudentia carnis inimica est Deo; & ille sensus, de quo dicit: inflati sensu carnis suæ. Iabin verò Rex Asor, Asor autem aula interpretatur. Hæc est Asor, quæ omnium horum regnorum obtinere dicitur principatum, qui intelligitur princeps huius mundi regnans in aula, id est, super terram, vel quod maius est, in vitiis carnis. Sed & omnium illorum Regum, quorum vim secundùm nominum suorum interpretationem, iam antè exposuimus equi ab IESV dicuntur interfici, quorum nos si rectè sub IESV duce militamus, debemus in nobismetipsis abscindere vitia, & accepto spiritali gladio subneruare omnem istum equitatum pessimum vitiorum. Sed & currus debemus incendere, id est, omnem à nobis arrogantiæ & elationis spiritum resecare, vt vltra non in equis, neq: in armis, sed in nomine Domini Dei nostri inuocemus.] Ex quibus Origenis verbis facilè intelligimus quinam sunt isti equi, qui eneruari debent, qui currus, & quæ quadrigæ. Vitiorũ igitur affectus, seu effrenatæ cupiditates, quibus in peccati abyssum inducimur, meritò dici possunt quadrigæ, quippe quæ à virtutum studio, à Dei mandatorum executione, atque adeò ab ipso Deo, nos auertentes, ad creaturas, sceleráque omnia rapiunt, animæque cymbam in omnium vitiorum oceanum traducentes, æternæ damnationis naufragium pariunt.

7. Vultis coràm oculis intueri harum passionum, siue effrænatarum cupiditatum assurgentes fluctus, quibus penè Augustini animæ cymba in vitiorum pelagus abducta naufragium passa: [Dicebam (inquit) apud me intus: ecce modò fiat, modò fiat, & cum verbo iam ibam in placitum, iam penè faciebam, & non faciebam.] Ecce quibus contrariis ventis cymba eius agitetur! & subdit; nec relabebar tamen

Contrariorũ vẽtorum pugna describitur. Aug. lib. 8. conf. cap. 11.

Digitized by Google

men in priſtina: ecce conatus egregij nautæ, contra paſſionum ventos reluctantis: [Sed de proximo ſtabam & reſpirabam.] Ecce aduerſi venti aliquantula ceſſatio, [& item conabar] diuina adiutus gratia Dei inſpirationibus tanquam Fauonio animæ puppim à tergo impellenti cooperabatur, [& paulò minus ibi eram,] ecce vehemens diuinæ gratiæ impulſus,quo animæ cymba per paſſionum oceanum pergere contendit, [& paulò minus iam iámque attingebam & tenebam.] Ecce quomodo pacatum ſecuritatis ac ſalutis portum ferè attingat, [& non ibi eram,nec attingebam, nec tenebam hæſitans mori morti, & vitæ viuere.] Ecce quomodo in ipſo iam quaſi portu aſſurgunt iterũ ventorum contrariorum tẽpeſtates,quibus,inter denſas noctis tenebras cymbæ latera adeò ſuccutiũtur, vt neſciat quò vela vertat,omnibus penè animę naufragiũ minãtibus,[plúſque in me valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitũ,punctúmq; ipſum tẽporis,quo aliud futurus erã,quantò propius admouebatur, tantò ampliorem incutiebat horrorem.] Ecce quàm valido impetu horribilis luxuriæ flatus cymbã impetat, vt niſi diuinæ gratiæ inſpirans Fauonius, cymbam ad tranquillum ſalutis portum dirigeret, in æterni naufragij rupem iamiam impacta periret, tantò enim certantium paſſionum ventis,& ad naufragium contendentibus horrore percellebatur, vt vix vnquam optatum ſalutis portum tenere poſſe crederet.Sed ecce derepentè diuinitùs aſpirans gratia, qua inter procelloſos periculoſi oceani fluctus, ventis vndequaque inter ſe concertantibus cymba ſe continuit, neque retrò,neque etiam vlterius pergebat, ſed ſuſpenſo nauigationis curſu, in medio oceano hęrebat donec tandem ſedatis ventis,proſpero nauigationis curſu ad portum ferretur:[ſed non recutiebat retrò, nec auertebat,ſed ſuſpendebat.]

Licèt mare tranquillum

8. Sed vt mare ſemper tempeſtatibus obnoxium: ſic vitæ noſtræ curſus, inter paſſionum procellas

ſein

ſemper ſubeſt naufragij periculo,& licèt modò trã- quillo fruamur animo, quia tamen in tempeſtuoſo ſemper verſamur oceano, vehementibus obnoxio paſſionum tempeſtatibus, ſtatim ex tranquillitate ad turbationes trãſit. Quare cùm Auguſtinus facta aliqua tranquillitate animæ ſuæ cymbam ad portũ dirigeret, ecce tibi inolitarum paſſionum tempeſtates eius curſum impediunt: [retinebant me (inquit) nugę nugarum,& vanitates vanitatũ, antiquæ amicę meę, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: dimittísne nos? & à momento illo non erimus tecum vltrà in æternum? & à momento non tibi licebit hoc & illud vltrà in æternum?] Ecce quàm grauis ſubitò exoritur tempeſtas, vt verè meritò cum Apoſtolis exclamare poſſit: [Domine ſalua nos perimus.] Quare ſubdit: [& quæ ſuggerebant in eo, quod dixi hoc & illud quæ ſuggerebant, Deus meus, auertat ab anima ſerui tui miſericordia tua.] Ecce quomodo inuocat diuinum ſibi auxiliũ contra decumanos in ſe irruentes carnalium cupiditatum fluctus: [quas (inquit) ſordes ſuggerebant, quæ dedecora? [& licèt contra paſſionum ictus animosè cymbam impelleret, ventorum tamen quaſi ſtridore à tergo murmurante, retrò nonnihil retorquebatur cymba, eiúſque curſus retardabatur [& audiebam (ait) eas iam longè minus, quàm dimidius, non tanquam liberè contradicentes eundo in obuiam, ſed veluti à dorſo muſſitantes,& diſcedentem quaſi furtim vellicantes, vt reſpicerem; retardabant tamen me cunctantem abripere atque excutere ab eis, & tranſilire quò vocabar, cùm diceret mihi conſuetudo violenta, putáſne ſine iſtis poteris?] En totius concupiſcentiæ inſultus, ſed remiſſior prævalente gratia & conſtantia B. Auguſtini! Quamuis enim continuis agitaretur fluctibus, ita tamen ſeſe ſtrenuè geſſit, donec Dei fauore incolumis ſalutis portũ teneret, ſetirétq. Chriſtũ quaſi hactenus in ſe dormiété

ſit, tamen tẽpeſtati obnoxium.

Horrẽda paſſionum tempeſtas.

exci

Digitized by Google

excitatum, qui ventis & tempeſtatibus imperauit; [aperiebatur enim tandem aliquando(ipſe ait)ab ea parte qua intenderam faciem,& quò tranſire trepidabam caſta dignitas continentiæ ſerena,& nón diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens,vt venirem neque dubitarem,& extendens ad me ſuſcipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipſa continentia nequaquàm ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine.Et irridebat me deriſione exhortatoria,quaſi diceret:tu non poteris quod iſti & iſtæ? an verò iſti & iſtæ in ſemetipſis hoc poſſunt,ac non in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis.Quid in te ſtas & non ſtas?proiice te in eum, noli metuere,non ſe ſubtrahet vt cadas. Proiice te, ſecurus excipiet te, ſanabit te.] Ecce quàm vehementi impulſu diuinæ gratiæ remige ſubnixa caſtitas, tanquam nauta experiens cymbam ad portum promouet,adhuc tamen aduerſorum ventorum ſibilus non ceſſat, ſed quaſi indignantes ſibi ereptam cymbam,cuius curſum impedire non poſſunt,vectú tamen vexare iratis ſtridoribus non deſinunt. Quare ſubdit, [& erubeſcebam nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam.]Sed vt inanis hic ventorum ſtridor ceſſaret continentia à Deo inſtructa iubet Auguſtinum imperare ventis & malas ſuggeſtiones obſurdeſcere: [obſurdeſce aduerſus immunda illa membra tua ſuper terram vt mortificentur, narrant tibi delectationes,ſed non ſicut lex Domini Dei tui.Iſta(inquit) controuerſia in corde meo, non niſi de me ipſo aduerſus meipſum.] Quanta hæc paſſionum inter ſe concertatio? quanta carnis & ſpiritus luctæ, vt animæ cymba tot diuerſis agitata vẽtorum turbinibus, & tot furentium varietate fluctuum concuſſa, niſi diuina gratia ſuccurriſſet ſtatim ſubrueretur: Inter quos

quos Augustinus ancipiti versatus animo, tandem commotione cessante, sensit animi tranquillitatem & desideratum salutis portum attigit, [quasi (inquit) luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt, & suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum: & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat, eiiciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas, eiiciebas & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior.] *Aug. l. 8. cõf. cap. vlt.*

9. Si igitur velimus cum D. Augustino fortiter resistere, & passionum insultus vi remigum perfringere, & tumentes cupiditatum fluctus diuina gratia proscindere, licèt molestius sese ingerant, licèt subinde delectationis titillatione vrgeant, licèt ad inolitam te consuetudinem pellicere conentur, licèt intestinum cieant bellum, modò displiceant, vinces, velint nolint, & ad optatum plenis velis peruenies portum, animæ cymba, cœlestium mercium, locupletata copia. [Indicitur (inquit Augustinus) tibi bellum, non solùm aduersus suggestiones diaboli, sed aduersus te ipsum. Quomodo aduersus teipsum? aduersus tuam consuetudinem malam, & aduersus vetustatem vitæ tuæ malæ, quæ trahit te ad solitam consuetudinem, & refrænat à noua; indicitur enim tibi quædam noua vita, & tu vetus es, nouitatis gaudio suspenderis, vetustatis onere prægrauaris, incipit tibi esse bellum aduersum te, sed ex qua parte tibi displices, iungeris Deo, & ex qua parte iam iungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te, quia ille tecum est, qui omnia superat. Attende quod dicit Apostolus: Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Vnde mente? quia displicet tibi vita tua mala. Vnde carne? quia non desunt suggestiones & delectationes malæ: sed ex eo quòd mente iungeris Deo, vincis quòd in te non vult sequi (nimirum suggestiones & concupiscentiam tibi reluctantem) præcessisti enim ex parte, & ex parte tardaris. Trahe te

Si cupiditatis motus displiceant, licèt molesti sint non succumbimus, sed meremur.

Aug. in illud Psal. 75. & factus est in pace, &c.

ad illum,qui te.ſurſum tollit,pondere quodam vetuſtatis grauaris,clama,&dic:[infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius.]& Chriſtum quodammodò dormientem in te, tuo excitabis clamore,& imperabit ventis & fluctibus, iiſque dicet, obmuteſcite.

SECVNDVM PVNCTVM.

Quanto in periculo verſatur anima cymba dæmone illam ſeptem peccatorum triremibus impugnante. Simile.

10. Secundo dicendum loco, quanto in periculo verſetur animæ noſtræ cymba,his paſſionum ventis,ac fluctibus concuſſa, præſertim dæmone illam, non tam ſuis quàm illius armis oppugnante, qui illam inter paſſionum procellas aliquando fluctuantem,omni vi aggreditur,& eo tẽpore maximè,quando miſera anima ſibi tranquilla frui pace paſſionibus obſequendo videtur, vt incautam, & inter turbas ſecuram intercipiat.Sicut itaque Pyratæ onerarias, ab India venientes auri & argenti maſſis plenas,in aliquo obſcuro maris angulo operiuntur,donec ex inſidiis illas adoriãtur,expeditis triremibus, quæ concatenatis remigantium mancipiis,ad quamlibet maris partem inflectuntur.His itaq; onerarias naues adeò dextrè cingunt,vt ad deditionẽ eas breui cogãt,licèt non ſine pugna & ſanguine:ſic diabolus onerarias cœleſtibus plenas mercibus in hoc tẽpeſtuoſo mundi oceano animas, inquam, meritis ac gratia locupletatas operitur, eóq; diligentius,ſi vehementibus paſſionum motibus obnoxij ſint,vt ipſa perturbatione,tanquam armis contra eas vtatur,vel aliquãdo etiam illis ſedatis,ſeſe ingerit, opportunis præſertim ad manũ habitis,illas inflammandi occaſionibus,vt eas quaſi ſecuras,improuiſo aduentu,expeditis cingat triremibus,quibus eas,ſi fieri poſſit,licèt non ſine pugna vincat. Septẽ itaq; inſtructus triremibus dæmõ hanc onerariã inuadit,quibus ſingulis tot præſunt remiges,quot malè ordinatæ,ex anima paſſiones aſſurgũt,vt eam ſuis vincat armis:Hinc eius ſubdolã B.Ioannes machinationem præuidens, huiuſmodi animæ cymbis, ad quas euertendas magnus

gnus ille Archipyrata dæmon cũ ſeptem peccatorũ triremibus in mare deſcendit,væ extremú malorum interminatur exclamãs: [Væ terræ & mari,quia deſcendit diabolus ad vos habens irã magnam, ſciens quod modicũ tempus habet.]Heu quid faciét igitur cymbæ paſſionibus debiles,cũ contra ſe Archipyratam illũ expanſis tentationũ velis, paſſionũ ventum' pro ſuo arbitratu excitantẽ, & magno impetu ſeptẽ armatus triremibus,per decẽ partes irruptionẽ facere conátẽ viderint![Ecce(inquit Ioannes)draco magnus rufus habens capita ſeptem.]Ecce tibi archipyrata dæmon habens ſeptẽ triremes,ſeptem capitalia peccata,quibus animæ cymbas, per decẽ expugnare partes conatur.Hinc enim ei Ioannes decẽ appingit cornua,quibus decẽ vitæ noſtræ fundaméta, decem nimirũ decalogi præcepta cõuellat:&ad maioré terroré ſingulis illis ſeptẽ vitiorũ capitibus ſiue triremibus diadema impoſitũ eſſe aſſerit, quo ſignificet illas ſemper ferè victoriam reportaſſe, ac proinde neminem illis reſiſtere poſſe ſine ſpeciali Dei auxilio:opus ergo eſt,vt cum Apoſtolis clamemus: Domine ſalua nos,perimus. *Apoc.12.*

Si noſtra cymba ſuis armamentis ſit inſtructa euadet illæſa. Iob.41.

11.His ergo inſtructus triremibus nos aggreditur: in ipſo itaq; illius primo aggreſſu ne cymbã vel intercipiat,vel paſſionũ fluctibus obruat, ad diuinum clamare auxiliũ neceſſe eſt,præſertim cũ nõ ſit ſuper terrã, vt ait Iob) poteſtas quæ cõparetur ei,quia factus eſt vt nullũ timeat. Cymbæ noſtræ interim gubernaculũ ſit fides:ſine hac enim impoſſibile eſt placere Deo, ac cymbã ad deſideratũ ſalutis portũ dirigere: anchora ſit firma ſpes,qua iacta inter decumanos paſſionũ fluctus, & furentes cupiditatũ ventos firma,illæſa & incõcuſſa nauis maneat,ſpes enim nobis eſt velut anchora,quæ retinet animã noſtram ne cõmoueatur.[Ecce quatuor venti(ait Daniel)pugnabant in mari magno,]quatuor nimirum paſſionũ venti, quibus in hoc magno mundi oceano animæ cymba quatitur, & in abyſſum demergitur, niſi ſpe *Dan.7.*

Digitized by Google

firma ſolidetur; Vela huius cymbæ ardens charitas qua inter medios fluctus animosè cymba nauiget: ventus propitius cymbam à tergo impellens Spiritus Sancti continuus flatus; [Spiritus vbi vult ſpirat,] quo cymbæ vela expanſa proſpero nauigationis curſu ad cœleſtem portum nauim rapiunt; Malus Chriſti crux, quæ aduerſis reſiſtens paſſionum ventis & cupiditatum fluctibus vela, cæteráque cymbæ armamenta à tempeſtatibus ſeruat; nautæ Apoſtoli qui indefeſſo labore & orationis ſuffragio aſſurgentibus paſſionum ventis, & furentibus cupiditatum procellis velificent, & ſecum nauigantes animent: Nauclerus Chriſtus, qui clauum tenens cymbam regit, oculis in acum nauticam ſemper intentis, in ſuam nimirum diuinitatem, à qua omnia diſponuntur & diriguntur. Si his noſtræ animę cymba inſtructa ſit, inſurgat diabolus, excitet paſſionum ventos, inflammet obiectis rerum obſcœnarum imaginibus cupiditatem, tamen diuina gratia euadet illæſa, licèt aliquando (vt fit) nobis contra paſſionum ventos pugnantibus, & contra cupiditatum fluctus abeuntibus nonnihil cymba lædatur: fieri enim non poteſt vt toties huiuſmodi ſuccuſſa tempeſtatibus nó ſentiat leuem aliquam exorbitantis animi oblectationem, vel iræ commotionem, quæ cum aliqua veniali macula admittuntur.

Ioan. 3.

Si Mariæ cymbam abſorbere voluit, nõne timẽdum noſtræ?

12. Sed quoniam inuenta fuit vnica mulier, cui Deus ad fugam arripiendam duas magnæ aquilæ alas accommodauit: Beatiſſima nimirum Virgo, quæ nulli vnquam peccato obnoxia fuit, & quæ alarum celeritate, humilitatis nimirum & amoris velis eius impetum fugit, tanta in eam exarſit ira, vt cùm eam impetere peccati veneno non poſſet, omnes quaſi triremium ſentinas exhauriens ſordes ac putentes in vnum collectas aquas poſt illam euomuerit: [& miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.] tot enim hæreſes de

Apoc. 12.

Virgine,

Digitized by Google

Virgine, ac Virginis partu excitauit, quot in vna pectoris sui cloaca congregatas habuit, quas post eam etiamnum euomit. Sed eius conatus in irritum cadunt: nam terra sordidum ab immanissimo dracone fluuium immissum, & post mulieris terga velocissimè dilabentem, non sine miraculo absorbuit. Nestorium enim, Cerinthum, Hebionem, Manichæum, Valentinum, Heluidium, Iouinianum iam diu terra absorbuit, & ad æternæ damnationis cloacam transmisit. Si itaque tanta exarsit ira in Dei matrem, vt opus illi fuerit magnæ illius aquilæ filij sui alas assumere, quo furorem serpentis fugeret, nobis etiam extimescendum, ne nostræ animæ cymbam in eandem secum tartari abyssum præcipitet, nisi quotidiè clamemus vt sua archithalassus ope nobis subueniat qui matrem suam eius subtraxit tyrannidi. Licèt enim cymba nostra suis armamentis instructa esse videatur, & archithalassus in nauis puppi sedere, Apostolis tanquam peritis nautis circumcursitantibus, & orationis suffragio nobis succurrere volentibus, tamen si nos sponte diaboli triremibus arma suppeditemus, passionibus fræna laxemus, cupiditatibus indulgeamus, quæuis illicita sensualitati arridentia sectemur, nósque diabolo sic peccatorum catenis colligatos in remigantes tradamus, & volũtatis consensus in remiges porrigamus, tantùm abest vt Christus & Apostoli nostram tueri velint ab pyratarum insultibus cymbam, vt potius in tantæ impudentiæ vltionem, sua nos ope destituant, & naufragium fieri patiantur, cùm vltrò hoc ipsi naufragium procuremus: nam spreta Christi & Apostolorum in totius vitæ nostræ nauigationis cursus directione, arma & remiges diaboli triremibus offerimus, quibus cymbã vel intercipiat, vel tentationum fluctibus obruat; & ne expedita arma illi desint, quibus cymbam euertat, tot illecebris illa tanquam cote exacuimus, vt semper in promptu arma habeamus ancipiti acie limata, vt quoties

dæmon ſuas triremes animæ noſtræ quaſi mari committere velit, toties ad littus arma & remiges paratos inueniat.

13. Hæc cupiditatum arma in littore, hoc eſt, in exterioribus animæ ſenſibus reperiuntur, per hos enim parantur, & inimico ſuppeditantur, parantur immiſſis à dæmone vel mundo vel carne per exteriora obiecta rerum illicitarum in ſenſus imaginibus, quibus vbi incauti oblectantur, idonea fiunt arma, quibus à dæmone anima crudeliter oppugnetur, quæque in ſuo primo, in animam expugnandam, aggreſſu voluntatem titillationibus afficiunt, quo illi tandem deceptæ extorqueant conſenſum: tum verò inſtar magni miraculi eſt, ſi ſic noſtræ animæ cymba in peccatorum cœnum demerſa clamemus: [Domine ſalua nos, perimus:] nemo enim ſemel in peccatum prolapſus ſine diuinæ gratiæ auxilio, opem ex animo efflagitare poteſt, neque ſeſe à peccatorum lethargo excitare, cùm nullus à morte ſeipſum ſuſcitare valeat. Tunc igitur clamandum fuiſſet, & Dei auxilium inſtantius petendum, cùm nondum arma dæmoni, neque conſenſum remiges ſubminiſtrauimus, clamandum, inquam, tunc fuit: Domine ſalua nos, perimus, tunc exclamandum cùm ſuccreſcentium malarum cogitationum in animis noſtris capita efferre incipiebant, tunc antequam per conſenſum in perfectos excreuiſſent dracones cymbam quaſi pacificè poſſidentes, tunc, inquam, ad petram illidenda erant, tunc facilè furioſum ſeptem dæmonis triremium, ſeptem, inquam, capitalium peccatorum impetum, confregiſſemus. [Beatus igitur (vt ait Pſalmiſta,) qui tenebit & allidet paruulos tuos (ô filia Babylonis miſera) ad petram.] Paruulos hos B. Hieronymus cogitationes eſſe indicat, [ac ſi diceret, vidi mulierem, concupiui eam: niſi ſtatim abſcidero concupiſcentiam illam, & alliſero ad petram dum parua eſt cõcupiſcentia, non poteſt poſteà abſcindi quando excreuit. Beatus ergo qui abſcindit & al

Ante con ſenſum in peccatũ Dei auxiliũ implorandum.

Pſal 136. Hiero. in illũ locum pſal.

Digitized by Google

& allidit ad petram, hoc est ad Christum succrescē-tes malæ bestiæ cupiditatis, cogitationes. Filia ergo Babylonis misera, id est, mala animi cupiditas, quæ ex se in anima malas ac turpes gignit cogitationes, quæ nisi statim resecentur, ad instar draconum sua nos inuoluunt cauda, ac sui pectoris venenum nostris instillant animis. [Qui sunt, inquit Augustinus, paruuli Babylonis? nascentes malę cupiditates, ne igitur cupiditas nequam prauæ consuetudinis robur accipiat cùm parυula est, allide illam. Sed times ne allisa non moriatur? ad petram allide quæ est Christus.] O si sedulam in exturbandis animæ cupiditatibus operam in principio dum paruulæ sunt adhiberemus demersis diaboli septem triremibus & cornibus eius decem, quibus nos impellit ad nostræ vitæ fundamenta, decem nimirum decalogi præcepta penitus cõuellenda, auulsis, & coronis eorum capitibus detractis, quibus de nobis toties reportasse victorias gloriatur, nostræ aιimæ cymba è tot tempestatum insultibus vindicata ventis & fluctibus cõquiescentibus, Christõq; in puppi excitato, clauũmque dirigente, prosperum æternæ gloriæ portum incolu mis teneret.

Aug. in illũ locum Psal.

14. Quemadmodum enim triremes secundo vento ac velis expansis maris nesciunt tumentes percurrere fluctus, si desint remiges, & remigantium promptitudo: sic peccata capitalia licèt non desint prauæ dæmonis, tanquam prosperi venti, suggestiones, veláque animæ terna, intellectus nimirum, voluntas ac memoria turpium rerum imaginibus veluti expansa: nihil tamen aut parum animæ cymbæ nocere possunt, si illis remiges voluntatis scilicet consensus denegentur, cessétque ipsius hominis cõcursus. Tempestatem quidem horrendam, nisi principiis obstemus, excitabunt, & horrendum in membris litigium, [sed tene (vt monet Augustinus) membra tua aduersus concupiscentias tuas malas: surrexit ira, tene tu manum coniunctus Deo: potuit sur-

Nihil Diabolus suis suggestionibus afferre potest, si desit noster consensus.

Aug. in illud Ps. & factus est in pace locus eius.

gere,sed non inuenit arma,apud iram tuam impetus est, apud te arma sunt , si impetus inermis, & discit iam non surgere , qui frustra surrexit.] Licèt ergo materiam suggerant magnæ perturbationis, vt quasi propè sit nauem in speciem mergi , tamen si nullo consensu dato quàm citissimè Christum in te quasi dormientem in tui auxilium excites, nihil efficient.

Aug. serm 3 hom.hom.17.

Hinc Augustinus:[Audisti,inquit,conuicium,ventus est, iratus es,fluctus est ; vento igitur flante , fluctu surgente periclitatur nauis , periclitatur cor tuum: audito conuicio vindicari desideras, & ecce vindicatus es , & fecisti naufragium , & quare hoc? quia dormit in te Christus,quia oblitus es Christum,excita ergo Christum ; recordare Christum, considera illum,& cum tentatione prouentum facies.]

Tertivm Pvnctvm.

15. Tertio dicendum loco, si velimus cymbam nostram ad æternæ fœlicitatis portum perducere, viam in hoc periculoso mari , nobis , per Christum commonstratam percurrere oportere , persequitur enim nos,vt ait Hieronymus,hostis cui nomina mille mille nocendi artes. [A Domino igitur (vt ait Psalmista) gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.]Sed[noli ergo(ait Augustinus) per aliá viam velle ire,quàm per illam qua ipse iuit:dura videtur: sed ipsa est tuta via,alia fortè delicias habet,sed latronibus plena est.]Ecce quomodo Augustinus omnem aliam viam huius mundi maris , licet periucunda videatur,præter Christi viam, plenam esse latronibus, ac pyratis asserat, solúmque illum eorum euadere insidias, qui Christum in tam periculosa nauigatione, tanquam archithalassum sequitur[cùm enim ceciderit iustus non conturbabitur.] quid ita? quia dominus firmat manum eius. Ecce(inquit Augustinus) quid est velle viam Christi ? contingat illi vt aliquam tribulationem patiatur, aliquam contumeliam,aliquam afflictionẽ,aliqua damna, proponit sibi

Qui aliam, quàm Christi viã perambulat, periculosè ambulat.

Hiero. ep. 1. ad Heliodor. Psal. 36. Aug. in Psal. 36.

ſibi dominum ſuum, quanta genera tentationum paſſus eſt,& non turbabitur,cùm ceciderit,quia dominus confirmat manum eius, quia prior paſſus eſt: Quid enim timebis ô homo, cuius directi ſunt greſſus vt velles viam Domini! quid timebis? dolores? flagellatus eſt Chriſtus:contumelias?audiuit dæmonium habes: factioné & conſpirationem malorum? conſpiratum eſt aduerſus illum: aſtiterunt Reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius: conuenerunt vt ait Proſper in veritate in ciuitate iſta aduerſus puerum ſanctum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes,& Pilatus, & populus Iſraël, facere quanta manus tua & conſilium prædeſtinauit fieri, falſa teſtimonia? contra ipſum ante & poſt mortem falſa producta ſunt teſtimonia.] Quàm tutò igitur nauigat,qui per viam à Chriſto deſignatam,in procelloſo hoc mundi pelago, animæ ſuæ cymbam peragit, in qua nauarchus eſt Chriſtus, nautæ Apoſtoli, clauus fides, anchora ſpes, vela charitas, ventus ſpiritus Sancti gratia,malus crux.

Pſal.2.

Proſper reſponſ. ad excerpta Genuen. dubio 8.

16. Prima via,quam Chriſtus in hoc tempeſtuoſo mundi pelago nobis commonſtrauit eſt humilitas: Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, ſub cuius vmbra ita dextrè humanitatis ſuæ cymbam diabolo occultauit,vt qui viſa Chriſti conſtantia in ieiunio, & tentationum victoria Deum eſſe illum iudicet, perſpecta deinde eius in paſſione humiliatione, & in vitæ totius decurſu infirmitate, de eius diuinitate dubius hæreret: hanc itaque viam nobis percalcandam ſignificauit, ſi velimus proſpero nauigationis curſu diaboli triremibus ſuperatis æternæ fœlicitatis portum tenere. [Sola (inquit Bernardus) eſt humilitas, quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam: hæc eſt via, non eſt alia præter ipſam, qui aliter vadit, cadit potius quàm aſcendit. O peruerſitas! ô abuſio filiorum Adam! quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem

Prima Chriſti via humilitas. Phil.2.

Bern.ſerm.1. de Aſcenſione.

Digitized by Google

facillimum,ipsi & leuiter ascendunt, & descendunt difficilius, parati ad honores, ad celsitudines graduum ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelicis humeris formidandas:ad sequendum autem te Domine Iesu vix inueniuntur, qui vel trahi patiantur, qui duci velint, per vias mandatorum tuorum.] Heu! quàm pauci securam hanc, in inquieto hoc mundi pelago, viam humilitatis arripiunt, cuius causa tamen Deus formam serui accipiens è summo altitudinis gradu quasi sese deiiciens exinaniuit semetipsum,vt superbum hominé doceret humilis Deus. [Quanta ergo, vt ait Gregorius, humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est,vsque ad passionem factus est paruus! quia enim perditionis nostræ originem superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei.]

Christus è cælo descendit vt nos doceret humilitatem. Greg. lib.34. mor. cap.21.

17. Hanc humilitatis viam Ioannes Baptista, qui speculum contemptus humanæ gloriç in vita, habitu & moribus extitit,arripuit:quare cum in solitudine omnem penè vitam perageret,diuino iussu, inde egressus,nec Helias,nec propheta,nec Messias, cùm posset haberi, voluit, sed vox clamantis in deserto,qua nihil vanius,& fragilius. Eandé etiã Paulus & Barnabas humilitatis viã ingressi,cum Lystrénses ob sanatum claudũ diuinos illis honores deferre vellent,conscissis tunicis,exilierunt in turbas clamantes:viri quid hæc facitis? Petrus quóque & Iohannes eandem amplexi sunt,concurrente enim populo ob simile miraculum, & admirante,dixerunt: [viri Israëlitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?]Sic omnes quotquot dæmonis insidias vnquam euitarunt, hanc humilitatis viam arripuerunt,ad quam eius superbia descendere non possit. Quisquis ergo nostrũ periculosas diaboli triremes fugere velit,Deíq; gratiarum imbre perfundi quotidie cupit,humilitatis viam ingrediatur,in qua

Ioan.1. Humilitatis viam sancti percurrunt.

Act.14.

Act.3.

cum

cum timore & tremore animæ ſuæ cymbam ſaluam incolumẽque ſeruabit. Quare Auguſtinus ait: [Deus eſt qui operatur in vobis, ideo cum timore, & tremore vallem facite, imbrem ſuſcipite, depreſſa implentur, alta ficcantur: gratia pluuia eſt. Quid ergo miraris, ſi Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam? ideo cum timore & tremore, id eſt cum humilitate: noli altum ſapere, ſed time, time, vt implearis; noli altum ſapere, ne ficceris.] Velis ergo remiſque ad humilitatis vallem confugiendum, vbi & firma cymbæ ſtatio eſt, & continua è cœlo in eam gratiæ irrigatio.

Aug. ſerm. 2. de verbis Apoſtoli.

18. Secunda, quam nobis commonſtrauit viam obedientiæ: [Aures (inquit) perfeciſti mihi.] quo ſignificat ſummam patri obedientiam, quatenus homo à ſe præſtandam. [In capite enim libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.] Quaſi dicat, caput & ſumma omnium ſcripturarũ ea eſt, vt faciam voluntatem tuam, quæ eſt, vt ego pro hominum ſalute, vitam ſanguinemque profundam: igitur ego libenti & prompto animo accepi, eodemque perficiam; itaque hoc tuum præceptum, in medio cordis mei repoſui, vt illud, ſummo ſtudio, ac prompta voluntate adimpleam. Si per hanc obedientiæ viam cymbæ noſtræ curſum direxerimus, ſæuiat licèt diabolus, omnes tentationum procellas excitet, ſeptem ſuis inſtet triremibus, per decem, cymbam noſtram, partes, impugnet, vt decem Chriſtianæ vitæ fundamenta cõuellat, velit nolit, ad deſtinatum æternæ beatitudinis portum, noſtra cymba incolumis percurret, victoria de hoſte parta, magnificata: [Vir enim obediens (vt ait ſcriptura) loquetur victorias, quia dum alienæ voci humiliter (vt ait Gregorius) ſubdimur, noſmetipſos in corde ſuperamus] & ſic duplici victoria de nobis & inimico noſtro dæmone aucti, ad obedientiæ turrim cum Chriſto confugimus. Nihil igitur nobis arduum ſit in hac obedien

Pſ. 39. Secũda Chriſti via obedientia.

Prou. 21.

Greg. lib. 34. mor. c. 34.

Leo ſerm. 5. de Epipha.

dientiæ via,nam[nihil(vt ait Leo)arduum eſt humilibus,& nihil aſperum mitibus,& facilè omnia præcepta veniunt ad effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.] Quare ſi tibi in ipſa obedientiæ via aliquid fortaſſis durum occurrat, recurrendum ad obedientiæ magiſtrum, vt quod tibi deſit in prompta obedien-

Hiero. epi. 4. ad Ruſticũ.

tia,ab eo diſcas: [nulla enim(vt ait Hieronymus)ars abſque magiſtro diſcitur, etiam muta animalia, & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos: in apibus principes ſunt, quibus cæteræ obtemperant, grues vnam ſequuntur ordine literato;Imperator vnus,iudex vnus prouinciæ. Omnis ordo eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur; in naui vnus gubernator, in domo vnus Dominus, in quamuis grãdi exercitu vnius ſignum expectatur,& ne plura replicando faſtidium legenti faciam: per hæc omnia ad illud tendit oratio,vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, ſed viuere debere ſub vnius diſciplina rectoris.] Ecce quomodo in omnibus obſeruantia requiratur, vt omnes vni obediant iuxta ordinum diuerſitatem:

Bruta animantia obedire nos docent.

[quod enim (vt ait Chryſoſtomus) chorus eſt ſine coryphæo,exercitus ſine duce, nauis ſine nauarcho, grex ſine paſtore, hoc eſt ſubditus ſine præpoſito.] Sicut ergo expedit choro promptè ſeruire & præcentorem ſequi, vt nulli vocibus diſcordent, ſed iuxta præcentoris præceptum congruè ac concinnè canant;& ſicut expedit ad victoriam conſequendam exercitus ducem ſequi; & ſicut expedit ad optatum fœlici nauigatione portum tenendum induſtrij nauarchi directio;& denique gregi,vt à lupo immunis ſit, & bene paſcatur expedit ſuum ſequi paſtorem; ita planè ſubdito, vt tutò in via mandatorum Dei currat, proficiátque, expedit promptè obedire rectori ſuo:hæc eſt enim via, quam Chriſtus ipſe nos docuit ſuo exemplo Patri ſuo obſequendo,quatenus homo fuit.

Res inanima

19. Hanc etiam obedientiæ viam res etiam inanimæ

nimæ nobis commonstrant, quæ natiuo quodam obedientiæ motu tanquam ratione vtentes quàm promptissimè diuina facessunt mandata: [lustrant enim, vt ait Iob, per circuitum quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, & ad omne, quod præcepit illis super faciem orbis terrarum.] Licet hic de nubibus fit sermo, quæ ad naturæ auctoris imperium nunc sese in aquam, nunc in rorem, nunc in nebulam, in niuem, in pruinam vertunt, quarum tanta etiam est aliquàdo celeritas & admirabilis discursus creatori suo obediendo, vt ventorum impulsu circulum solis diurni describere & conficere videantur; & enim ex quacunque horizontis parte venti spirent: vndecunque etiã nubes excitantur, vt vel ibidem imbres effundant, vel in oppositas regiones impellantur; licèt inquam de nubibus fit sermo, in omnes tamen rerum inanimatarum naturas quadrat, quæ virtute quadam, vt Theologi vocant, obedientiali, sine vlla tergiuersatione Dei præcepto obsecundant. Quis ergo nostrum est, qui obedientiæ viam ingredi detrectabit, cum etiam & bruta ipsa, & res inanimæ naturæ quodam impulsu Deo obediendum doceant? *obedientiam docent.* *Iob. 37.*

20. Tertia, quam ille insuper nobis commonstrauit via est purpurea, sui sanguinis colore aspersa: per hanc, sicuti ipse diabolo inuitos omnes qui Christi causa suum fuderũt sanguinem, suæ animæ cymbam, ad optatum cœli portum traduxerũt, cui securæ patientiæ viæ illud Canticorum ferculum referuatur: [fecit sibi Rex Salomon ferculum, cuius ascẽsus purpureus.] Per ferculũ cœlestis gloria, quam Rex ille pacificus Christus, sui sanguinis effusione, nobis cõmeruit, significatur; ad quam sicut ipse, post sanguinis sui effusionem, ac crucis ignominiam ascendit: ita eo nobis impellenda animæ cymba, si martyres esse velimus, per ascensum purpureum, per viam nimirum nostro sanguine purpuratam, per hãc viam martyres omnes confractis ac expugnatis diaboli triremibus, cymbas suas traiicere fecerunt. Quare Hieronymus: *Tertia Christi via est martyrium.* *Cant. 3.* *Hiero. lib. 2. in Ezech. hom. 15.*

[Ascen

[Aſcenſum,inquit,habet purpureum, quia maxima multitudo fidelium in exordio naſcétis eccleſiæ,per martyrij ſanguinẽ peruenit ad regnũ.] Vtinã per aſcenſum hunc purpureũ,ad glorię cœleſtis ferculum, animæ noſtræ cymbas oblata martyrij occaſione,generoſo animi impetu impellamus. Sed quoniã nemo fortè noſtrum dignus eſt,vt illã Chriſti purpuratam ſanguine viã calcet,induamus nos byſſina trabea, vt ſic ſaltem,hac regia induti veſte, per viã faciliorem cymbam ducamus. Qui ergo tantum auri charitatis non habent,vt ſuo ſanguine purpurati,Chriſtum,per vaſtum paſſionis pelagus,inſequantur:tantum ſaltem argenti candoris conſcientiæ habeant, quo ſe byſſino induant veſtimento.

Beda in illud Prou.31. Byſſus & purpura.

21. [Byſſus ſiquidem indumentum Eccleſiæ eſt, vt ait Beda, in candore puræ conſcientiæ & conuerſationis.]Sicuti purpura indumentũ eſt,quo martyres ſui ſanguinis conſperſi purpura induuntur : ſic conſcientiæ candor cæterorum ſanctorum veſtis eſt,quia in Eccleſiæ domicilio ſplendeſcunt,vnde meritò Eccleſia electorũ floribus vernans in pace habere lilia dicitur,ſicuti in bello roſas.Quam pulchrè duplicem hanc veſtem tanquam vexilla eleganter depicta Auguſt.Eccleſiæ naui tribuit:[O verè(inquit)beata mater Eccleſia,quã vincentiũ glorioſusmartyrũ ſanguis exornat,& cãdida induit virginitas:floribus eius nec roſæ nec lilia deſunt.Certent igitur ſinguli ampliſſimas accipere dignitatũ coronas , vel de virginitate cãdidas,vel de paſſione purpureas in cœleſtibus caſtris,pax & acies habent flores ſuos , quibus milites Chriſti coronãtur.Si ergo rubicundã martyrij coronam neſcis adipiſci, rape ſaltem candidã puræ conſcientiæ veſtẽ:[Non enim,vt ait Hieronymus,ſolùm effuſio ſanguinis in martyrio reputatur, ſed deuotæ quoque mẽtis ſeruitus iminaculata quotidianũ martyriũ eſt;illa corona de roſis & violis texitur:iſta de liliis.Vnde & in Cantico ſcribitur Canticorũ: [fratruelis meus candidus,& rubicũdus,& in pace & in bello

Aug. ſer.37. de ſanctis.

Hieron. epi. 27. in Epitaph. Paulæ. Cant. 5.

Alia via per puræ conſcientiæ cãdorem.

bello eadem præmia vincẽtibus tribuens.]Quã fœlix igitur anima illa,quæ si nõ possit,per purpuream, saltem per candidam puræ conscientiæ viam ad securum fœlicitatis portum suam perducit cymbam.

22.Sed quoniam aliã,heu!sequimur, quàm Domini viam,hinc licèt cymbã animæ nostræ Dominus conscẽdat,licèt in puppi sedeat,licèt clauum teneat,parum tamen nobis sæpe prodest.Tanta siquidem passionum tẽpestas,in anima oriri solet,quibus consensum præbet,vt misericordiæ potius vela sibi cõtrahi, quàm expandi mereatur,clauũ potius relinqui, quã dirigi; vnde quasi officij pertæsus clauũ quodãmodo deserens,dormire potius nobis,quàm vigilare videtur.Sed tamẽ tanta eius in nos misericordia,vt cymbam penitus non deserat; sed in illa quàsi dormiat, donec consensu etiã triremiũ Gubernatori,tanquam remige tradito,exorta in illa tempestate,eius gratia præuenta,illamque excitante,è peccati cœno,Christum excitet. O peccator, peccator!ecce tibi adest Christus,licèt dormiat,illum excita:excita,inquã,illum cupiditate honorum,vel diuitiarũ,vel vindictæ, vel concupiscentiæ te pulsante & vincente:excita illum & dic,[Domine vim patior, responde pro me:] coniice in eum cruci suffixum oculos, pro inimicis orantem, ignominiis & contumeliis appetitum penitus tacentẽ.Verberibus tui causa cõcisum,lachrymantem,brachiis extensis, omnes ad sui amplexum peccatores allicientem:dimisso ad oscula capite,nos omnes prouocantem:aperto latere inimicos ad pœnitentiam suscipientẽ:intuere detractis vestibus nudum,& sua nuditate nos gratiæ veste contegat:vibicibus plenum,vt peccatorum nostrorum vibices sanet.Clama itaque in hunc modum admirandum hoc intuẽs spectaculũ,dic:[Domine salua nos,perimus: Intentam in nos Patris tui iram precibus ac lachrymis compescuisti,eandem modò in nostrũ caput insilire paratã depelle,remoue tantæ iræ causas, has, inquam,cupiditatum tempestates,quasi decumanos in

Qui aliam viam quàm Christi sequitur, semper in periculo versatur.

Digitized by Google

in nos fluctus insanientes mitiga. Septé quibus quotidie animæ nostræ cymba oppugnatur triremes; in vastissimum passionis tuæ mare demerge. O si sic nostris oppugnati cupiditatibus Christum ad nos propugnandum excitaremus quàm citò ille expergefactus cupiditatum ventos ac tempestates in animæ nostræ mari sedaret; quanto cum gaudio exclamaremus: [Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?]

EXEMPLVM.

Polydor. Virg. hist. Angl. lib. 7.

23. Canutus Rex Anglorum piissimus animi causa secundum oceani littus deambulans, ibi à milite auribus seruiente appellatur Rex regũ longè omnium potẽtissimus, qui hominibus, qui mari, qui terræ latè imperitaret, vt illius assentationes vanas coargueret, vestẽ exuit, ex ea globũ fecit, superque sedit quã proximè aquã, dicens, vnda tibi iubeo vt ne pedes meos tangas. Suis mirantibus cur hoc faceret, vnda insurgẽs totum madefecit. Tũ ille, En Principes vocatis me regem, qui hanc paruulã vndam meo imperio cohibere nequeo? Nullus mortalium est tali nomine dignus: est Rex pater Christi, cum quo ille regnat, cuius nutu cuncta reguntur, hunc veneremur, hunc regem appellemus, hunc regum omnium dominum cœli, maris, terræ rectorẽ profiteamur, præterea neminem. Vintoniã profectus, coronam quam gestabat, capiti imaginis Christi crucifixi, quæ in templo Sanctorum Petri & Pauli pendebat, suis manibus imposuit: nunquam posthac eiusmodi ornamẽto capitis vsus insigni. Quàm fœlici nauigationis cursu passionum & cupiditatum ventis & fluctibus omnino sedatis, pius Rex animæ suæ cymbam ad desideratum æternæ beatitudinis portum, deuictis hostium triremibus traduxit, quas, humilitatis armatura instructus demersit in profundum barathri triremium gubernatoribus detractis victoriæ coronis, cuius rei gratia suam Christi regiam dedicauit coronam.

IN

Digitized by Google

IN DOMINICAM QVARTAM post Epiphaniam,

Concio secunda.

THEMA: *Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt naicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.* Matth. 8.

1. LVcanus memoriæ prodidit, Cæsarē vehementi orta in mari tempestate, ac periclitante naui, Amiclæ nauarcho dixisse: [Ne time asquoniã fortuna Cæsaris tecum est.] Potiori sanè iure Christus hodie Apostolis, præ maris tempestate, perterritis, & naui quasi procellis exhausta, è somno excitatus ait: [Quid timidi estis modicæ fidei?] nescitis Deũ vobiscũ naui gare? nescitis me maris ac terræ dominiũ habere? nescitis me illi terminos præscripsisse, quos nequaquã transgredi poterit? [Circũdedi illud terminis meis] montibus nimirũ altissimis, & fortissimis littoribus circũseptis, quibus tãquã irrefragabilibus limitibus, & perpetuis legibus illius impetũ ac elationẽ cõfregi: [& posui vectẽ & ostia] pessulũ nimirũ firmissimũ, quo claustra, ostiorũque portas obstruxi, ne sæuiret [& dixi, vsque huc venies, & non procedes amplius, & hìc confringes tumentes fluctus tuos.] Et licèt in ipso littore decumani eius fluctus mirum in modum efferari aliquando, superbire & intumescere videantur, legem tamen illis semel præstitam, nunquam violant, neque vltra præscriptos limites progrediuntur, & qui eius sæuitiam sic semper cohibet, non poterit etiam subitam eius hodie exortam compescere tempestatem! Nonne ego qui Deus sum, maris habenas laxare, vel cõstringere pro arbitrio possum de cuius potestate olim propheta vaticinatus est? [Tu dominaris potestati maris] eius elationes

Lucan. lib. 5. de Pharſ.

Si Rex nobiſcum quis cõtra nos?

Iob. 38.

Pſ. 88.

Digitized by Google

comprimendo [motum autem fluctuum eius tu mitigas]imperij tui virtute[dixi olim]&[ſtetit ſpiritus procellę]Inſurgẽtibus ſiquidẽ procelloſorũ ventorũ impetibus,adeo exaltati ſunt fluctus maris,vt cœlos ipſos attingere viderẽtur,ſed ſtatim meo iuſſu refracti vſque ad abyſſos momẽto deſcenderunt:[Aſcenderũt vſq;ad cœlos,& deſcẽderunt vſq;ad abyſſos.]

Pſ. 106.

Si Chriſtus ſemper clauũ teneat nihil naui timendum.

2.Licèt igitur Eccleſiæ nauis in procelloſo mari ità agitetur fluctibus , vt videatur aſcendere vſque ad cœlum , & ſtatim deſcendere vſque ad abyſſos , tamen Chriſto clauũ ſemper tenẽte,obrui minimè poteſt,& licèt dormire in ea videatur , perſecutionum fluctibus eius latera contundentibus,tamen cor eius ſemper vigilat,diuinitas nimirum,quæ nunquã illam adeo procellis agitari permittit,vt ſubmerſionis periculum incurrat,ſed vt ad Eccleſiæ probationẽ, vel ad coronas martyribus fabricãdas,vel vt illã ſua cõſtãtiaac fortitudine in tolerãdo perſecutionũ impetu illuſtriorẽcorã omnibus aduerſariis reddẽs omnibus ſuperiorẽ efficiat,præſertim quãdo eã ſuis oppreſſam perſecutionũ tempeſtatibus exiſtimant: [Cùm enim infirmor tũc potens ſum]cũ Eccleſia eiuſque mẽbra affliguntur,tũc maximè gratiæ,patiẽtiæ,magnanimitatis,humilitatis inſtructa viribus à Chriſto roborãtur,qui nũquã illa deſerit,ſed tẽpeſtatis tẽpore,vires illis ſuppeditat,quibus inoffenſo nauigationis curſu, ad propoſitũ ſibi æternæ vitæ portũ, perducant,modò in mediis fluctibus, Chriſtũ quaſi dormientẽ,orationis clamore excitẽt:[Domine ſalua nos,perimus.]

Licèt Eccleſia nauis perſecutione exerceatur non tamen obruitur. Pſ. 106.

3. Magna olim excitata procella,turbati filij Iſraël conclamarunt ad Dominũ;anima ſiquidem eorum in malis tabeſcebat] præ animi nimirũ conſternatione vitalis ſpiritus animíque vigor deficiebat: [Turbati ſunt,& moti ſunt ſicut ebrius , (naufragio iamiã imminẽte,conſilij inopes quo ſe vertere ignorabãt,imò inſtar ebriorũ vacillabãt illis pedes,nutabat iudiciũ, & omnis ars ac nauigãdi peritia ob ſubitã fluctuum turbationem,quaſi abſorpta videbatur. Quare ſubdit

[&

[& omnis sapientia eorum deuorata est.]Ecce quantus in eos irruit timor! sed clamorum iamiam quasi naufragantiũ excitatus sonitu Dominus,eos à tanto eripuit vitæ periculo]& clamauerunt ad Dominũ cũ tribularẽtur.]Ecce eorũ clamor![& de necessitatibus eorum eduxit eos]ecce subita liberatio!neque tãtùm cõtẽtus fuit,sua illos præsentia corroborare;& præsentissimam illis statim opé adferre,sed eos etiã liberans procellæ imperauit,eiusq; impetũ cõpescuit[& statuit procellã eius in aurã.] Procellas nauis latera contundentes subitò in tranquillitatem mutauit:[& siluerunt fluctus eius,& lætati sunt quia siluerunt & deduxit eos in portũ volũtatis eorũ.]Ecce hodie eadem Christo potestas in mare,fluctus ac vẽtos,& ne ignorem illũ fuisse,qui olim filios Israël à tãta vindicauit tẽpestate,vẽtis,ac procellis imperãs,hãc subitò hodie exortã procellã cohibuit, sicuti sæpius posteà præstitit,nã assurgẽtibus cõtra Ecclesiæ nauim Neronis,Domitiani, Decij,Seueri,& Diocletiani , Maximiani,Iuliani Apostatæ,& quotidie hæreticorũ tempestatibus,semper opé tulit,& licèt subinde Ecclesiæ nauis vsq;ad abyssos demergi videretur,ita tamen eã Deus sẽper sursũ eleuauit,vt vectos in cœlũ exoneraret,& quãuis subinde è nauigãtib' aliqui deficerẽt viribus,vtomniscorũ sapiẽtiadeuorataesse videretur, tamẽ Dominus rationũ clamore excitatus statim periclitanté nauim ad tranquillũ pacis portũ traducit.

4.Quare si quando in posterum contingat nos,siue persecutionum,siue tentatìonum, siue cæterorũ malorum tempestate agitari Christũ nobiscum esse velim intelligamus,iuxta illud Prophetæ : [Cùm ipso sum in tribulatione] per internã nimirũ consolationem, vt ait illustrissimus Bellarminus , & ineffabilis dulcedinis influxum,quo modo mater ægrotanti filiolo maiora signa beneuolentiæ exhibet, quàm cæteris filiis beneualentibus,[Inuoca me(inquit)in die tribulationis: vult enim (vt ait Bernard.) hominem idem conditor alto quidem salubríque consilio tribula

In periculo inuocãdus est Deus qui periclitantibus succurrit.
Ps. 90.
Ps. 49.
Bern. de diligendo Deo.

bulationibus exerceri, vt cùm defecerit homo, & subuenerit Deus, dum homo liberatur à Deo, Deus ab homine vt dignũ est honoretur.]Subdit.n.Prophe-ta: eruã te & honorificabis me.]Quis ergo posthac de Dei diffidet auxilio, si in Petri naui manserit, tanquam insignis nauta, ope sua, quantum potest, illam iuuando, ac resistendo persecutionum fluctibus, eóq; diligentius remis incumbendo, quo maiori conatu à diaboli ministris hanc impugnari viderit, séque ab eorũ insultibus mirabiliori ratione vindicari, expectétque quamdiu in hoc turbulento mundi pelago nauigauerit tribulationum procellas, quas patientia ac longanimitate superare debet; meminerit cessasse tunc ventum, qui Petrum in submersionis periculum coniecit, vbi in Christi nauiculam susciperetur, cùm tamen hodie in Christi nauicula collocatus ferè patitur in speciem naufragium. Quo docemur licèt ex hoc, vel illo periculo, Dei beneficio, liberemur, ab omni tamen metu, ac trepidatione immunes nos esse minimè existimandum, sed eo animosius, ad futura nos pericula comparare oportere, quo mirabilius præterito liberati sumus periculo.

Concionis diuisio.

5. Quatuor dicam. Primum, è præcipuis Ecclesiæ notis vnam persecutionem pati: cùm sic suo capiti conformetur quilibet, & ecclesia in suis crescat mébris euadátque aduersariis fortior, Christo pede suo dextro illos edomante. Secundum, diuersos ecclesiæ persecutores, per diuersos equos à Ioanne indicari, qui ab equite albi equi vincuntur. Tertium, quibus Christus dormit. Quartum denique, quomodo Christus à nobis excitãdus. Petenda Spiritus Sancti gratia per B. Virginis Mariæ intercessionem. Aue Maria.

Primum Punctum.

Vna ex præcipuis Ecclesiæ nota, persecutionum fluctibus cõflari.

6. Cùm variis agitari persecutionum tẽpestatibus, è præcipuis sit veræ Ecclesiæ eiusq; filiorũ nota, à mũdi exordio, magnis illã procellis contũdi Deus permittit. Sic Cain, cũ gigãtibus aliisque tyrannis, nascente Ecclesia, vsque ad Noë tẽpora Ecclesiam persecutus est.

est. Deinde à secunda mundi ætate à Noë vsque ad Abrahã impius ille Rex Nemrod, & Meropes architecti turris Babel fideles exagitarunt. Præterea, ab Abrahã vsque ad Moysen, quæ fuit tertia mũdi ætas, Pharao aliique tyranni in Ægypto & Sodomis Dei electos opprimere nõ destiterũt. Porrò à Moyse vsq; ad captiuitatẽ Babylonicã, quę fuit quarta mũdi ętas, Ieroboã, aliiq; improbi reges Israël & Iuda idololatriã induxerunt, quæ grauissima fuit persecutio. Inde verò vsq; ad Christi tẽpora, quę fuit quinta mũdi ętas, Nabuchodonosor, Antiochus Epiphanes aliiq; huius farinæ, Dei Ecclesiã vexare perrexerũt. Deniq; Nero, aliiq; Imperatores Romani ante Cõstãtinũ, & post illũ, plures, nec nõ varij hæretici à Simone Mago, vsq; in hodiernũ diẽ vexare, dilaniare, perfringere Petri nauim etiãnũ contẽdunt. Fluctuauit quidẽ aliquãdo, tot tyrannorũ tẽpestatibus hinc inde iactata, nunquã tamen submersa, tot hæreticorũ cõtrariis opinionũ vẽtis flãtibus sæpècõcussa, nũquãtamẽ obruta fuit: quati enim potest, obrui nõ potest, oppugnari potest, sed nõ expugnari, fluctibus concuti eius latera possunt, sed minimè auelli, neq; deiici, firmata enim est super firmam petrã, Christũ Dei filiũ [quẽadmodum.n. (vt ait Gregorius) Arcturus semper versatur, & nũquã mergitur: ita Ecclesia persecutiones Ethnicorũ & hærecorũ sine cessatione tolerat: sed tamẽ, vsque ad mũdi terminum, sine defectu, perdurat.] Nec mirũ, [qui enim graditur super fluctus maris, qui facit Arcturũ & Oriona,] erectas in Ecclesiam persecutionum vndas calcat. Cùm enim sæuiẽtem huius mũdi amaritudinem in Ecclesiam videt, ac tempestuosi maris, fluctus persecutionum, tempestate erigi, adeò illas miraculorum obstupefactione, vel incredibili martyrum constantia frangit, vt tumore humanæ vesaniæ mitigato, quasi erectas in cumulo vndas (vt ait Gregorius) calcet. Sicuti enim Oriones in ipso pondere hiemalis temporis, oriuntur: ita martyres persecutionũ pondere, tormentisq; quasi in media hieme exagi

Ecclesia quatitur est, mergi non potest.

Greg. l. 9. Mor.

Iob 9. Similia.

Inuicta martyrum constantia.

exagitati,incredibili quodam animi vigore, contra tormentorum vim aſſurgentes,dum perire videntur, tum maximè oriuntur. Et quemadmodum Orion cũ diſtricto gladio,ex ſyderibus conſtante, depingitur: ſic ille ipſe perſecutionis gladius, quo martyres interficiuntur,cœleſtibus coruſcat ſyderibus: imo totus cœleſtis eſt ac ſidereus, & ex ſyderibus conflatus:tot enim martyres, ſyderibus, in cœlo rutilant, quot perſecutionum flagellis exercentur. Hinc Chriſtus beatos illos aſſerit,qui ob iuſtitiam perſecutionem patiuntur:[Beati (inquit)qui perſecutioné patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorum.]Ecce quàm magnum præmiũ,perſecutionem patienti Chriſtus pollicetur, in cœleſti curia conferendũ! In cruce enim acetũ propinatum eſt Chriſto, poſt reſurrectionẽ mel comedit:acetum perſecutionis & amaritudinẽ hîc guſtantibus,mellis dulcedo in cœlo proponitur. Hoc excitati præmio Chriſti martyres cataſtis, equuleis, & crucibus ſcalam ſibi in cœlũ cõfecerunt.Hoc excitatus Andreas non modò patienter crucẽ ſubire voluit;ſed eminus in illã intuens,in hæc exultationis verba erupit: [O bona crux diu deſiderata, & iã concupiſcéti animo præparata:ſecurus & gaudens ad te venio.] Nõ modò ergo patienter(vt ait Bern.) ſed & libenter,verũ & ardenter ad tormenta ſicut ad ornamenta,ad pœnas ſicut ad delicias properabat.] Sic beata Agatha hoc excitata præmio generosè ad carcerem feſtinauit, de qua Eccleſia canit: [Agatha lætiſſimè & glorianter ibat ad carcerem: & quaſi ad epulas inuitata agonem ſuum Domino precibus commendabat.] Sic illuſtres illi Marcus & Marcellianus, hac præmij ſpe animati in perſecutione triumpharunt, quos ad ſtipitem alligatos, & clauis confixos ſic torrori reſpondiſſe legimus: [Nunquam tam iucundè epulari ſumus, quàm hæc libenter Chriſti cauſa perferimus, in cuius amore nunc fixi eſſe cupimus. Vtinam tam diu hæc nos pati finat,

Matth.5.

Bern. ſer. de trip gen.bo.

Digitized by Google

nat, quàm diu hoc corruptibili corpore vestiti erimus.] Hoc excitatus præmio Stephanus lapidum ictus (vt scribit Nyssenus) veluti suauem quendam rorem excepit, Sebastianus sagittas, Laurentius ardentem craticulam, Ignatius leones, alij cruces, gladios, denique mortem. Ecce Oriones in ipso persecutionum pondere, tot syderibus coruscantes, quot persecutionum tormenta sustinuerunt pulcherrimè exoriuntur, vt in communi omnium resurrectione, tanquam pulcherrima sydera, capiti suo Christo conformia fulgeant. *Nyss. in li. de beatitud.*

7. Ecclesiã itaque Dei variis exerceri persecutionum procellis, nihil est aliud quàm corpus capiti conformari, vt à capite, gratiæ hic influxum recipere, & in cœlesti patria gloriam illi consimilem possit. Cùm verò caput eius Christus persecutionibus nominis sibi exaltationem, nobisque sanctitatem, & gloriam commeruerit, necesse est, si velimus sanctificari, exaltari, & glorificari, eius insistamus vestigiis, & sub capite spinoso non simus membra delicata : [Impossibile enim est (vt ait Chrysostomus,) vt qui malis bellum indixerit, pressuris careat : nefas est pugilem Dei vacare deliciis, non licet epulari luctantem : luctamen enim sunt præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium : aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus : nullus vbi ad certamen se exuit, vnctúsque est, requiem quærit. Si enim requiem quæris, cur te exuisti? cur libidinibus & naturæ (tyrannis ac hæreticis) bellum indixisti.] At ne fortè aduersitatibus victi succumbamus, ille qui per totam suam passionem quasi dormiens aduersariis in se seruire permisit, eos quasi leo à somno tandem excitatus sonitu suo quasi quodam tonitru ita prostrauit, ac solo aspectu perterrefecit : [Aspexit enim & dissoluit gentes,] vt inferni ianuas perfringens opima illis detraheret spolia, ille, inquam, qui hæc à mortis somno experrectus præstitit, nos docet, *Christo passo nos oportet cõformari.* *Chrys. in illud Apostoli, omnes qui piè volunt viuere, &c. 2. Timoth. 3.* *Abacuc 3.*

Digitized by Google

docet,licèt dormire ſubinde in noſtris videatur perſecutionibus,euigilaturum ſe tamẽ,ac omnibus perſecutionum fluctibus tandem mitigatis,noſtris nos aduerſariis ſuperiores effecturum. Permittit itaque Eccleſiæ cymbam & fideles variis agitari perſecutionum ac tentationum tempeſtatibus, vt ipſe ſuam aduerſus earum procellas, virtutis magnitudinem oſtendat, nóſque illis ſuperiores eſſe palàm faciat, tantùm enim abeſt,vt Dei Eccleſia,eiúſque membra perſecutionibus concuſſa collabaſcant,vt ipſa etiam in ſuis magis creſcat membris. [Vt enim vineæ(teſte Iuſtino)putatione ad vbertatem prouocantur;ita (inquit)Eccleſia perſecutionibus creſcit.] Cui illud Tertulliani conçinit: [Plures efficimur quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.] Hinc B.Leo: [Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana quæ ſingula cadunt multiplicata naſcuntur.] Idem etiam S. Chryſoſtomus pulchra hac declarat ſimilitudine: [Sicut (inquit) plantæ rigatæ magis creſcunt:ita & fides noſtra oppugnata magis floret, neque horti aquis irrigati ita germinant, vt Eccleſiæ ſi martyrum ſanguine irrigentur.] Tot igitur in Eccleſiæ natũm aduerſarij excitent tempeſtates, tot martyrum ſanguinem effundant,quot in manibus gerunt gladios, non diminuent Eccleſiam prole, ſed potiùs numeroſiore augebunt.

Eccleſia perſecutione creſcit.
Iuſtin.in dialogo cũ Tripho.
Tert.in apo. ca.vlt.
Leo ſer.1. de S. Petr. & Paul.
Chryſ.ſer. in Iuuen.&Maxim. martyres.
Simile.

8. Poſuit dominus dextrum pedem,vti Scriptura commemorat, qui fortior & valentior eſſe videtur,ſuper mare natura inquietum,& procelloſum,& quod diuerſis ventorum flatibus continuò penè æſtuat:ſiniſtrum verò, qui debilior, ac minus expeditus eſſe ſolet ſuper terram, naturą ſtabilem, & quæ tutus eſſe portus ſolet nauigantibus. Quid, obſecro, hac Chriſti pedum poſitione aliud ſignificatur, quàm vbi maiores aduerſus Eccleſiam perſecutionum tempeſtates inſurgunt, maiorem etiam Chriſtum

Apoc.12. Dextero pede in mare miſſo Chriſtus fluctus eius cõpeſcit.

Digitized by Google

ſtum virtutis ſuæ poteſtatem exerere, & quaſi pedis dextri fortitudine in procelloſum perſecutionum mare protenſa, furentibus eius calcatis fluctibus obmuteſcat, vt meritò ab aduerſariis illud hodierni Euangelij vſurpari poſſit: [Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?]

Quatuor tyrannos in Ecclesiã fauentes dextero suo pede Cõſtantino, edomuit.

9. Galerio, Maximino, Licinio, & Maxẽtio in omnibus ſuæ ditionis prouinciis Dei Eccleſiam diuexãtibus, tot, ac tãtis perſecutionũ fluctibus vndequaque Petri cymbæ latera concutiebantur, vt in partes frangi, ac mergi videretur: ſed Dominus, quaſi iã re deplorata, pede ſuo dextro, Conſtantino nimirum, ad fidem conuerſo, tyrannos illos, qui tanquam efferueſcentia perſecutionis æſtu maria, incredibiliter efferati intumeſcebant, cohibuit; nam quatuor illos, ab Eccleſiæ perſecutione Cõſtantini induſtriã, ac armis ceſſare fecit, & imprimis Maxentiũ Romã tyrãnicè occupantẽ, coacto exercitu, cœleſti crucis ſigno diuinitùs oſtẽſo, mirificè animatus collatis ſignis profligauit. Deinde icto cũ Licinio pacis fœdere, & ad Cãtholicæ religionis defenſionẽ ſecũ, in ſpeciẽ conſpirãte, literas ad Maximinũ Orientis Cæſarẽ, minis plenas, ſi in Eccleſiæ perſecutione perſiſteret, exarauit, quibus licèt inuitus paruit, Galerio, ex Conſtãtini conſilio, perſecutionẽ ceſſare mandante, reſciſſis omnibus legibus, in Chriſtianos à ſe latis. Denique ipſum Liciniũ iterũ in Chriſtianos inſoleſcentẽ, bello primũ vicit, deinde occidi præcepit, quibus fœliciter peractis, ſũmã Eccleſiæ pacẽ, ac trãquillitatem cõſecuta eſt. Ecce quomodo Chriſtus Eccleſia periclitãte, ingẽtes perſecutionũ fluctus fortiſſimo pede ſuo Cõſtãtini nimirũ robore, nõ tantũ perfregit, ſed effecit etiã, vt cõcitatiſſimi perſecutionũ fluctus in auctorum capita irruerent, vt meritò interrogare poſſint. [Quis eſt hic, quia venti & mare obediũt ei?]

Omnia impõdere & mensura

10. Solet Deus noſtræ infirmitatis acutiſſimus explorator, nos vſq; ad extremum penè vrgere cõſtantiæ punctum, licèt omnes perſecutionum cauſas in

sura Deus permittit.

menſura,& numero,& pondere ſubminiſtret , vt in extremo poſiti diſcrimine , ad eum cum Apoſtolis clamemus : [Domine ſalua nos,perimus.]Quo clamore, veluti è ſomno excitatus, præſentiſſimam offerat opem. Sicut enim experiens medicinæ doctor, licèt ægro amaram miſceat potionem , ita tamen eam attemperat, vt nullum illi nocumentum, ſi præcepta medici obſeruet , ſed ſanitatem potiùs citiſſimam allatura ſit : ſic Chriſtus omnia certo pondere, certáque menſura , ac definita temporis duratione, amara perſecutionis pocula ſubminiſtrat , iuxta illud Pſalmiſtæ : [Potum dabis nobis in lachrymis in menſura.] Omnia ſiquidem in menſura , & numero, & pondere diſponit , quæ licèt ſenſualitatis guſtui inſipida ſunt, & moleſta ; rationis tamen palato gratiſſima , quippe quæ totius animæ ſalutem , maximum meritorum cumulum , ac ſempiternæ gloriæ pondus cauſant. Sicut ergo æger ſanitatis gratia , amarum exhaurit calicem vſque ad fæces , eúmque ſæpius ſibi porrigi efflagitat , vt citiùs corporis ſanitatem recuperet : ſic nos qui ægri animis ſumus , & in quibus adhuc fidei vigor quaſi langueſcit , ad Chriſtum animarum medicum,vna voce acclamemus, propoſito nobis æternæ beatitudinis brauio : Excita in nobis Domine magnum fidei ardorem:excita,inquam,amaris perſecutionum potionibus,moleſtis tentationum procellis, continuis improborum infeſtationibus, ardentes fidei in nobis flammas,vt cùm huiuſmodi nos tempeſtatum voluminibus quaſi ſubrui videamur , ſpe pleni,diſcamus ſimul conclamare :-[Domine ſalua nos, perimus.]

Simile.

Pſ.79.

Sap.11.

Iſid.14.Etymol.

Mergi admiranda & nobis imitãda natura.

11. Mergus auis(Iſidoro auctore)ſic dicta,ab aſſiduitate mergendi,prę̃uidens futurã maris tempeſtatem,quã citò poteſt,ad littora, cum clamore valido trãſuolat,quaſi opẽ cœlitus efflagitãs,vtab imminẽte liberetur periculo. Si igitur auicula ſolo naturæ inſtinctu ſeſe ad refugiũ recipiens natiuo clamore opẽ implo-

imploret,nonne par est vt nos rationis capaces, imminente nobis persecutionis tempestate , ad Ecclesiæ asylum confugientes, cum Apostolis clamemus: [Domine salua nos,perimus] pedémque tuum dextrum in persecutionum mare extendas, cuius virtute statim furentes subsidant fluctus,ac Ecclesiæ eiusque membris tranquillitas oriatur , vt inimici tui tam subito attoniti miraculo, suam agnoscentes imbecillitatem , infinitámque tui dextri pedis potentiam,quo persecutionum tempestates facilè pro tuo arbitrio sedes,exanimati interrogent. [Quis est hic quia venti & mare obediunt ei?]

Secvndvm Pvnctvm.

12. Huiusmodi Ecclesiæ persecutores Ioannes, per diuersa equorum genera,nobis ob oculos ponit, & imprimis per equum rufum, qui quasi martyrum sanguine rubeus,diabolum tantùm,gladio accinctũ, electorum sanguinem sitienti,sessorem admittit:diabolus enim tyrannos in Ecclesiæ persecutionem,veluti sæuientes equos., calcaribus ad cursum incitat, quo innocentum sanguinem effundant , quorum viscera tãtam induerunt crudelitatem,vt omnis obliuiscantur humanitatis, quibus propheta manus esse sanguine plenas asserit : [Manus vestræ sanguine plenæ sunt.] Horum tamen ita Deus misereri paratus est,vt si velint sese ab innocentium sanguine lauare,& mundos se ipsi sistere , & malum cogitationum suarum , iniquam nimirum in Christianos designationem auferre ab oculis eius, & peruersè agere quiescere,& discere benefacere,tunc (inquit) [si peccata vestra fuerint,vt coccinum, quasi nix dealbabuntur,& si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.] Quanta hæc in Ecclesiæ persecutores Dei dignatio, vt postquam martyrum sanguine suos purpurauerint gladios , tamen si resipiscere velint,& benefacere,coccineo Christi sanguine eorum

Ecclesiæ persecutores per diuersa equorum genera B. Ioannes significat.

Rufus equus sanguinariũ designat Tyrannum. Isai. 1.

Magna Dei misericordia.

Digitized by Google

rum abluentur peccata,donec ad instar niuis aut lanæ candidissimæ reddantur.Sed,heu! sicut lana,si nigra sit, alios non imbibit colores : sic huiusmodi si ad sanguinolentam eorum crudelitatem idololatriæ prauitatis nigredo accesserit, vix vnquam aliam possunt veræ religionis colorum varietatem admittere , quarum contumaciam peracerbè Hieremias perstringit:[Si mutare potest pellem suam Æthiops, aut pardus varietates suas,& vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.] Sicut ergo Æthiops adeo solis ardore exustus ita niger efficitur,vt nullo balnei genere nigror illi possit eximi,& sicut pardus quasdam à natura ita contrahit maculas , vt neque rasæ , neque radicitus auulsæ aboleri possint , quin repullulent : sic qui teterrimorum idololatriæ errorum varietati sanguinolentum adhibet suæ crudelitatis colorem,vix vnquam resipiscit.

Hiere.13.

Simile.

Niger equus hæreticum notat qui Dei Ecclesiã persequitur.

13. Huic rufo statim niger succedit, quia ex rufo martyrum sanguine tincto , in nigrum hæreseos equum sanguinarij isti prosiliunt. Nam ex persecutore nascitur hæreticus , sicut ex hæretico persecutor , ita vt pro expeditionum varietate , equos mutent,si persequi velint,vtantur rufo: si inter populos hæreseos venenum spargere , nigro : quare meritò Beda hæreticos secundum equum nigrum indicare dicit , quo etiam cacodæmon vehitur , stateram tenens manu fallacem, qui hinc inde discurrens, fuliginosos hæreticorum satellites , errorum tenebris inuolutos incitat , vt omnes , suæ fuliginis nigrefaciant maculis , cui dicto audientes , ab eius manu, dolosam rapiunt stateram , prauam scilicet de Ecclesiæ dogmatibus censuram, & obscuratam erroribus intelligendi facultatem , qua Scripturæ sensum malè ponderantes, vt lubet,deprauant, ad sui ipsorum interitum,& perditionem, iuxtæ illud B.Petri [In quibus sunt quædam difficilia intellectu (loquitur de Pauli epistolis) quæ indocti & instabiles deprauant: sicuti & cæteras Scripturas ad suam ipsorum

2.Petri.3.

rum perditionem.] Hæretici (inquam)qui cùm neque ingenio,neque doctrina defendere aut refutare talia difficilia possint, (nec enim vim, rationémque penitus peruidebant) deprauati sunt ab itinere recto, & cœlestes literas corruperunt, vt nouam sibi doctrinam sine vlla radicè ac stabilitate componerent.] Huiusmodi fuerunt, quotquot vnquam hanc Petri nauiculam subruere conati sunt; sed licèt Deus in his tempestatibus dormire videatur, dormit tamen in ipsa Ecclesiæ nauicula, vbi quilibet intra illam nauigans, orta persecutionum tempestate facilè ad eum recursum inueniet, ac tandem elisis hæreticorum viribus stabili & immota anchora, in tranquillitatis portu Dei Ecclesia persistet, lapis est enim ille, de quo Zacharias, oneris, qui dum leuatur, in ipso nixu & ponderis leuatione scissuram aliquam in leuantium corporibus relinquit.

Lactant. lib. 4. cap. vlt.

Zacha. 12.

14. Licèt hi Ethnici & hæretici cessent,ad breue tempus,Dei Ecclesiam persequi, non desunt tamen homines impij, qui iustos persequuntur: [Et ecce equus pallidus (ait Ioannes) & qui sedebat super eum nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum.]Per huiusmodi pallidum equum, impij Christiani intelliguntur, quorum conscientia, adeo stimulis vexatur, cùm contra eius dictamen operentur,vt ipsi semper pallidi sint, ex certa fide credens, sua sibi iniquitate infernum promereri. Qui equum hunc pallidum subsequitur, vt quos ex impiis,sessor mors sua deiicit falce, ille aperto ore recipiat. Huiusmodi pessima vitæ ratione Dei Ecclesiam eiusque membra persequitur! [Quid (inquit Augustinus) sic persequitur vitam bonorum, quàm vita iniquorum?non cùm cogit imitari,quod displicet:sed cùm cogit dolere quod videt: quoniam coram pio viuens impiè, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem. Nam sæpe & diu impiorum corporibus à sæcularibus potestatibus, & quorumlibet

Persequũtur probos improbi.

Apoc. 6.

Aug. epist. 145. ad Seuer.

rumliber vexationibus parcitur: piorum autem cordibus, à malis hominum moribus nunquam parcitur vſque ad ſæculi finem.] Huiuſmodi ſunt nomine tantùm Chriſtiani, ſed re ipſa perſequutores qui gloriantur liberos ſeſe, cùm tamen ſerui ſint peccati. [Quid prodeſt (inquit Euſebius) quòd quis liber eſt in natura, qui ſeruus eſt in conſcientia! Videmus nos extrinſecus generis claritate ſublimes, intrinſecus mentis infirmitate degeneres: innocentum dominos, & criminum ſeruos. Iſte obtemperat iniuſtitiæ, ille iræ: iſte ſuperbiæ, ille iracundiæ: iſte auaritiæ, ille luxuriæ. Neſcio quomodo ſe inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot domini in partes ſuas diſtrahunt.] Hi ſunt verè iuſtorum perſecutores, quorum cauſſa ſæpè magis triſtantur, quàm ob tyrannorum aut hæreticorum perſecutiones: [pia quidem, vt ait Auguſtinus, eſt iſta triſtitia, &, ſi dici poteſt, beata miſeria, vitiis alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærere: dolore contrahi, non amore attrahi.]

Euſeb. Emiſ. homil. 3. de paſ.

Aug. ibidem.

Hæc eſt perſecutio quam patiuntur omnes, qui in Chriſto piè viuere volunt, quæ adumbratur per illam Iacob & Eſau colliſionem in vtero materno: [Collidebantur in vtero eius.] [Sicut ergo duo paruuli, vt ait Auguſtinus, in vtero Rebeccæ collidebantur: ſic in vtero Eccleſiæ duo ſibi populi iugiter aduerſantur. In ventre ſpiritalis Rebeccæ, id eſt, Eccleſiæ, duo populi colliduntur: humiles ſcilicet, & ſuperbi, caſti & adulteri.] Quamdiu Eccleſia in hac vita militabit, hanc diuerſorum colliſionem ſentiet [Ego, inquit, Abel eſſe non ſuſpicor, qui Cain non habuerit: (ait Gregorius:) ipſa malorum ſocietas purgatio bonorum eſt.]

Gen. 25. Typus perſecutionis.

Aug. ſer. 78. de Temp.

Greg. lib. 9. epiſt. 39.

15. Licèt hi tres perſequentium equi nunquam vexare Dei Eccleſiam ceſſent, tamen neque rufo, neque nigro, neque pallido Ioannes victoriam tribuit, ſed illi tantùm, qui equo inſedit albo, quo innuere voluit, quod licèt tartareæ contra Dei Eccle-

Equus equi albi Chriſtus primùm alios equites vincit.

ſiam

siam legiones insurgant, licèt nigrore ac hæreseos fuligine tincti infernales canes oblatrare non desinant, licèt improbi Christiani suorum scelerum turpitudine maculam Dei Ecclesiæ inspergere contendant, tamen ab equite illo albo innocentiæ candore, ac morum integritate perillustri, Christo nimirum, qui huius Ecclesiæ naui, in extremo positæ periculo, opem ferre solet, omnes vincentur: [vidi (inquit Ioannes) & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.] Equus ille albus læti ac puri coloris, diuini verbi prædicatorem significat, cui tanquam generoso equo Christus, per orbem terrarum equitans insidet, arcu intento, ardentes diuini eloquij emittente sagittas, in dura hominum corda, vt ea sua vulneret charitate, & si nolint resipiscere, ea grauiter saucians, in orcum æternis cruciauda pœnis transmittat. Hinc dicitur exire vincens, vt vinceret, magno, vt ait Hieronymus, cœlestium exercitu in albis equis stipatus: [Ascendit (inquit) Christus in Apostolis, & postea in vno equo candido, quem alium non puto esse nisi Apostolum Paulum, super quem equitans omnem orbem peragrauit. Ascendit autem verbum Dei in equis suis, vt turbarentur aquæ multæ, hoc est, populi multi, vt errorem pristinum deserentes, veluti cõturbati venientem equitem susciperent,] & si non susciperent, confringeret eos, nec possint stare, & caderent subter pedes eius, vt vel sic saltem excitatæ aquæ, quæ hactenus quietè iacuerunt, ad cœlestem aliquem saporem reducerentur per Dei prædicatores, iuxta illud Gregorij: [Misit Dominus in mare equos suos turbantes aquas multas: quietæ enim aquæ iacuerunt: quia humanæ mentes diu sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt. Sed equis Dei mare turbatum est; quia missis sanctis prædicatoribus omne cor quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expauit.]

Apoc. 6.

Hieronym.

Greg. lib. 31. Mor. cap. 18.

Digitized by Google

TERTIVM PVNCTVM.

Dormit Christus, tamen nauim dirigit.

16. Tertio dicendum loco quibus Christus dormit. Licèt Christi verus & naturalis fuerit somnus, vti multi autumant, vero simile tamen est fuisse etiam voluntarium, & procuratum, vt tempestas, eo dormiente, & quasi sine eius consilio orta simul & humanæ naturæ veritatem in se ostenderet, & in extremo discrimine discipulos positos, ad se recurrere faceret. Dormiebat igitur in puppi, nauim ad portũ dirigens, diuinitate (vt ait Origenes) mare concitante. [Corpore (inquit) dormiebat, diuinitate verò concitabat mare.] Quoties verò persecutores, in Petri cymbam tempestates excitant, toties dormire videtur, sed clauum tamen tenet, & cymbam ad optatum tandem tranquillitatis portum ducit. Aliis quidem ita dormit, vt vix vnquam ad opem illis ferendam excitetur, quos in peccatorũ vltionem ita deserit, vt illis peculiaria deneget gratiæ auxilia, communi ac sufficienti tamen communit, cui si cooperari velint, saluari possint, qui tamen illo gratiæ auxilio, in sui perniciem abuti solent, quos propterea in reprobum sensum traditos Apostolus dicit, idque sua culpa, vt faciant ea quæ non conueniunt, probent non probãda, improbent probanda. Quos etiam in hac vita, Deus suis flagellat affectibus, mala enim flagitia ita eorum conscientiam, tanquam tortores flagellant, vt nunquam quietẽ capere possint. Hæc malæ conscientiæ tormenta, ex antiquis nonnulli, teste Macrobio, meritò vulturis imagine significari asseruerũt, iecur Tytij perpetuò dilaniãtis: [vulturem (ait Macrobius) iecur immortale tondentem, nihil aliud intelligi voluerunt, quàm tormenta malæ conscientiæ obnoxia flagitio, viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia, indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, sempérque curas, si requiescere forte tẽtauerint, excitãtis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec vlla sibi miseratione parcentis, lege hac, qua se iudice nemo nocens absoluitur, nec de se suam potest vitare

Orig hom. 6. in diuers.

Aliis dormit quibus vix vnquam opẽ fert.

Rom. 1.

Macrob. lib. 1. de som. Scip. c. 10.

Digitized by Google

vitare sententiam.] Ex quibus colligere licet cuiuslibet reprobi conscientiam, sceleribus obnoxiam sua sibi viscera rimari, & quamuis indefessa admissi flagitij admonitione sese laniari sentiat, nec vlla miseratione sibi parci, tamen tantùm abest, vt resipiscat, vt potiùs sententiam mortis in se ferens, dorsum Dei misericordiæ vertat. Huiusmodi planè ita Deus dormit, vt vix vnquam excitetur, quia in præsenti damnationis periculo pœnitentiæ clamoribus, eum excitare detrectant.

17. Aliis verò dormire videtur, quos persecutionum fluctibus contundi permittit, vt eorum spe ac confidentia in vltimo discrimine inualescente, discant in aduersis ad diuinum confugere auxilium. Sic hodie dormiuit in naui, quam fluctibus penè obrutam minimè statim liberauit, donec magno impetu ac clamore ab Apostolis excitatus mari ac vento imperasset: [propterea (inquit Chrysostomus) periclitantibus Apostolis non confestim succurrit Christus, sed quarta vigilia in mari ambulans venit ad ipsos, erudiens nos non esse citò solutionem calamitatum quærendam, sed magno animo aduersa proferenda.] Spe itaque pleni subire aduersa debemus expectantes certam tandem Dei opem. Sicut ergo neque prima, neque secunda, neque tertia noctis vigilia Apostolis in mediis positis aliquando fluctibus, ac procellis opem tulit, sed quarta tantùm ac extrema: sic hodie, licèt impedire omnem possit tempestatem, tantum tamen abest vt impediat, vt miraculo etiam de industria excitatam esse multi asserant, neque excitatum statim voluit compescere, sed sæuire potius permisit, donec naticula vndique fluctibus penè concussa, periclitaretur, vt nimirum discamus omnem in Deo fiduciã, cùm humana desunt remedia, collocare: [Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam, sicut anchoram, habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.] Quemadmodum

Aliis dormit ad eorum spẽ erigendam.

Chrys. homil. 51. in Matth.

Hebr. 6.

Simile.

modum enim anchora in medio fluctuum, nauim retinet,ne ventis ac procellis agitata abripiatur, & pereat: ita spes Sanctos in periculoso huius vitæ pelago, turbulentísq; persecutionum tempestatibus ita confirmat,vt stabiles, vndequaque fluctibus agitati,permaneant: quam anchorã ideo Apostolus in cœlum iacere præcipit, imò in ipsa sancta Sanctorũ in cœlis,tanquã in locum,ab omni persecutione immunem,& ob retributionis spẽ strenuè Christi gratia persecutiones tolerantibus,promissæ,ad stabiliẽdam anchoram,nauímque aptissimam. Hac verò cõfidentia veri,& non ficti fideles apparent qui aurum sunt,non aurichalcum,frumentum, non paleæ; nam vt ait Apostolus [tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio verò spem operatur, spes autem non confundit.] [Deus igitur(vt ait Sapiens) tentauit eos, & inuenit eos dignos se, tanquam aurum in fornace probauit illos.] Hinc non in principio tempestatis, sed in ipso periculi puncto, vt aliàs confidere discerent diuino auxilio, excitatus illos liberauit.Sic B.Paulo,& cum eo nauigantibus periculosè,subuenit. Cùm enim omnia nauis armamenta abiicerent nautæ,neque sole,neque syderibus apparentibus,per plures dies, (vt ipse Paulus testatur,) & tempestate non exigua imminente, adeo,vt ablata fuerit salutis spes:tunc tandẽ Deus suã Paulo opem attulit: astitit enim illi ea nocte angelus Dei dicens: [Ne timeas Paule, Cæsari oportet te assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum, ducentos nimirum septuaginta sex. Quanta hæc in mediis periculis à Deo missa consolatio, vt qui hactenus dormire visus sit,iam Pauli precibus, ac in eum confidentia,excitatus opem ferat præsentissimam! Quàm verè à propheta dictum: [Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.] Sic ad punctum in modico Bethuliam dereliquit, ita vt penè in hostium manus veniret,sed in puncto periculi, per mulieris spe animos-

Rom.5.

Sap.3.

Act.27.

Quàm promptè Deus suis periclitantibus opem adferat subiectis discitur exemplis.

Isa.54.

Iudith.13.

Digitized by Google

mosæ manum in miserationibus magnis liberauit eam. Ad punctum etiam in modico castissimam dereliquit Susannam vt ad ignominiosum,ex falsis senum depositionibus, traheretur supplicium ; sed in ipso periculi puncto,cùm populus eam,fiducia plenam, lapidibus obruere concurreret,in miserationibus magnis, spiritu Danielis pueri excitato, liberauit eam.Sic sæpius ad punctum in modico,in extrema incidere pericula Dauidem permisit , vt aliquoties ita à Saule obsideretur , vt nulla illi effugiendi spes affulgeret, vt furere, & instar stulti indecorè se gerere coram Achis cogeretur : sed in miserationibus magnis liberauit eum. Nam sicuti tunc,sic aliàs subitam illi , rebus ferè eius deploratis , opem præstitit. Nonne populum etiam Israël ad punctum in modico dereliquit,qui à Pharaone fugiês, ad tantas redactus est angustias vt nullum effugij locum, quo eius impetum declinaret , reperiret. Quippe cùm vtrinque inaccessis cingeretur montibus,à tergo grandis eius exercitus vrgeret , ante se vastissimum mare , omne præcluderet effugium : sed statim in miserationibus magnis liberauit eum. Nam in re adeo desperata Dei adfuit auxilium , quo factum est , vt ad imperium Domini , Moyse extendente manum super mare , illud fuerit exsiccatum, & aqua diuisa , ita vt ingrederentur filij Israël per medium sicci maris , erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & leua. Sic Petrum ad punctum in modico dereliquit, à Christo siquidem vocatus vndas calcauit , antequam autem ad manus eius pertingeret , validum expauescens ventum, mergi cœpit, sed statim in miserationibus magnis liberauit eum;Nam vbi Christo acclamaret: [Domine saluum me fac, extendens Iesus manum apprehendit eum,] & ait illi : [Modicæ fidei quare dubitasti ?] & tunc demum,eo in nauim recepto,cessauit ventus.

Dan. 13.

1.*Reg.* 21.

Exod. 14.

Matth. 14.

Illustrior redditur Ecclesia persecutione.

18. Licèt igitur Dei Ecclesia subinde , persecutionum fluctibus , Christo dormiente , obrui videatur,

deatur, tantam tamen semper eius curam gerit, vt quamuis eam aliquando deserere videatur, illam tamen, persequentium viribus confractis, illustriorem reddat. Quod insigni olim typo expressit Deus per Prophetam Zachariam: [Erit (inquit) in illa die, ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes qui leuabunt eum concisione lacerabuntur.] Hierusalem verò expositam, tanquam lapidem à quolibet eleuandum, Ecclesiæ persequentium vires confringentis typum gessisse, eleganter docet Hieronymus: [Mos (inquit) est vribus Palæstinæ, & vsque hodie, per omnẽ Iudæam vetus consuetudo seruatur, vt in viculis, oppidis, & castellis rotundi ponantur lapides, grauissimi ponderis, ad quos iuuenes exercere se soleant, & eos pro varietate virium subleuare, alij ad genua, alij ad vmbilicum, alij ad humeros, & caput, nonnulli super verticẽ, erectis iunctisq; manibus, magnitudinẽ virium demonstrantes, pondus extollunt. Sensus ergo est: ponã Hierusalem cunctis Gentibus, quasi grauissimum lapidem subleuandũ, leuabunt quidẽ eam, & pro virium varietate vastabunt: sed necesse est vt dum leuatur, in ipso nixu & leuatione ponderis, grauissimus lapis scissurã aliquam, in leuantium corporibus derelinquat: sic Dei Ecclesia', quasi lapis semper expositus fuit, quæ à variis tyrannorũ persecutionibus appetita, ita, vt alij eam in vna prouincia persequerentur, alij in integro regno, alij in alia, alij in Europa, alij denique in aliis omnibus penè orbis partibus: sed omnes, Deo quasi à somno experrecto, profligati, Ecclesia suum illustrius erigẽte caput, &, vt ait Hieronymus, omnes quotquot vnquam erant persecutores, qui contra domum domini dimicarunt, eo inebriati sunt calice, quem vniuersis gentibus propinat Hieremias, vt bibant & inebriẽtur, & vomant & insaniant.] Licèt ergo Dei Ecclesia tanquam lapis à quolibet persecutore, aliquousque eleuetur, tanto tamen eos pondere premit, vt instar illius

Zach.12.

Hiero.in cõment. super Zachar.

Omnis persecutor Ecclesiæ sua persecutione laditur.

Hiero.25.

Digitized by Google

illius Danielis lapidis, qui sine manibus de monte abscissus, statuam illam magnificam Nabuchodonosoris in pulueres redegit, omnes suos persecutores in nihilum quasi tandem conuertat, ipsa semper persecutionum varietate illustrior perseuerans: lapis enim oneris est, qui dum leuatur in ipso nixu & leuatione ponderis scissuram aliquam in leuantium corporibus relinquit. *Dan. 2.*

19. Huius rei exemplum, tyrannus ille ac Apostata Iulianus sit, qui adeò in Ecclesiæ cymbā sæuiit, vt quodammodò eam subruere tempestatū fluctibus putauerit: adeo enim in extremā efferatus est rabiē, vt ipsum etiam Christianum nomen penitus delere constituerit: quare lege cauit, ne in curia militarent, qui simulachris sacrificare detrectarēt. Insuper prohibuit ne prouinciarum præsides instituerētur. Præterea Episcopos ita muneribus deliniuit, vt plurimos ad defectionē ab Ecclesiæ gremio pertraheret. Grauibus porro pecuniarū mulctis iis etiā impositis, qui sacrificare denegarēt: plurimos etiam ad extremam redegit paupertatem, quam nacti occasionē in Christianos sæuiendi Gentiles, inquit Socrates, Christianos obruunt, fitq; cōcursus eorum qui philosophari dicebātur, & mysteria quædā instituuntur, ita vt inspectores viscerū pueros imberbes masculos, & fœmellas mactarent, & carnes eorū degustarent: quam crudelitatē cùm Christiani Iuliano retulissent, consolationis loco illis respondebat: vestrum est ferre, cùm afflictamini, hoc enim est Dei vestri mandatū. Præcepit ad malorū etiā cumulum, ne pueri Christianorum, in poëtis, ac reliquis cōmentatoribus Ethnicis instituerentur, ex ethnicorū enim lectione facultatē persuadendi parari putabat. In odiū quoq; Christianorū Iudæis fauit. Ecce in quanto discrimine Ecclesiæ cymba tā crudelib. persecutionis fluctibus, Christo dormiente quāsi obruta, versetur! sed tandē fideliū clamoribus ac lachrymis è somno excitatus, mari & ventis imperauit, & tyranno di-

Iuliani persecutio ex Socrate & Sozomeno. Socrates l. 3. hist. & Sozo. l. 5.

uinitus interfecto Petricymbam illustrioré reddidit. Coacto.n.exercitu aduersus Persas contédit,vbi cómisso prælio aderat ipse equo insidés, exercitumque confirmás,inermis tamé & sola spe fœlicitatis cófisus:Sed ecce præcisa est velut à texente vita eius,& dũ adhuc impias ordiretur in Christianos designationes,improuiso mors telo succidit eũ,qui accepto vulnere,vtestis est Theodoretus,manũ suã sanguine impleuit,lateri admotã,quo in aëra sparso exclamauit:vicisti Galilçe.Lapis enim oneris Ecclesia cúctis Gentibus proposita quę leuantes concisione lacerat.

Theod.lib 4. hist.eccles.c. 25.

Iuliani mors.

20.Non est itaque desperãdum nobis,licèt Ecclesiæ nauis,in qua à Deo positi sumus,vehementibus subinde concutiatur fluctibus : licèt enim equites rufi, & nigri equi è littore suis eam missilibus idendidem petant, vt iam propè sit , multos in ea Ecclesiæ naui saucios perire ; aderit tamen cœlitus diuinum illis auxiliũ;eques enim(vt ait Ioannes)albi equi,intento charitatis arcu, & sagittis potétissimis emissis, illos inimicorũ vulneribus saucios sanabit,& vtriq; equiti,quodam diuidétiæ vulnere,prostrato,prædam surripiens,os claudet inferni,qui pallidũ subsequens equum,prædæ etiã inhiat,cœlique aperiet ianuas,vt quos pallidi equi insessor mors,Deo præcipiéte,deiecerit,cœlum sibi in prædã rapiat,vt sic & militanté Ecclesiã, quæ in cœlũ,sanguinea indutos purpura suos transmittit,illustrioré efficiat,& triumphalécœlestium Ecclesiam,tam nobilibus hospitibus gloriosiorem redderet. Hoc animati equi albi equite,cœlitus opem ferente, in mediis persecutionum fluctibus Ecclesiæ Martyres de suis persecutoribus triumphantes,matrem suam;nimirum Ecclesiam,sua constantia illustriorem indies reddunt.

Licèt Ecclesia persecutionum fluctibus agitetur semper tamẽ diuinam sentit opem.

Lib. 11. hist. Eccl. c. 9.

21.Vultis Christi martyres diuino amore,& cœlestis gloriæ spe incitatos de suis audire persecutorib. triumphantes?Ecce vobis inter cæteros Magnus Basilius de suo persecutore Valente Imperatore triumphans! Cùm enim ab illo in exiliũ pro fide proscriberetur,

Digitized by Google

beretur, exhibitus est ad tribunal Præfecti, terroribúsq;& minis maximis actus,vt nisi præceptis Principis obediret,sciret sibi impẽdere interitũ.Ecce Valentis in Christi athletam comminatio! Sed audi illum de Valente triumphantem;subditur enim: Tum ille intrepidus,ad Præfectum: atque vtinam aliquid mihi esset digni muneris, quod offerrem huic, qui maturius Basilium, de nodo follis huius absolueret. Cumque daretur ei nox, quæ erat media ad deliberandum,denuò respõdit: Ego cras idem ero,qui nũc sum,tu te vtinam non mutares.Ecce Basilij de Valẽte & Præfecto triumphus. Alium Christi pugilem leonino animo præditum triumphantem audi,Chrysostomum scilicet, qui cùm ab Eudoxia in exilium cogeretur vt extrema quæq; expectaret,ad Cyriacũ scribens,in hæc infracti animi verba erupit:[Ego cũ è ciuitate fugarer,nihil horum curabam,sed dicebã intra memetipsum: si quidem vult me Regina exulem, agat in exilium. Domini est terra & plenitudo eius. Et si vult secare, secet: idem passus est Isaias, subscribat illi:si vult in pelagus mittere;Ionæ recordabor:si me lapidare vult, lapidet me: Stephanum habeo primum martyrem socium: si & caput tollere vult, tollat; habeo socium Ioannem Baptistam. Et si substantiam auferre, auferat. Nudus exiui de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Sed in his omnibus superamus] proposito nobis Christi exemplo, cuius gratia in spem erecti contra hostes trophæa erigimus, illos superando patientia, ac libenti animo tormenta & persecutiones tolerando, certi cum Paulo, per Dei gratiam,quia neque mors,neque vita, neque angeli, neque principatus,neque virtutes,neque instantia, neque futura,neq; fortitudo,neq; altitudo, neque profundũ,neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.[Hoc(inquit Chrysost.)testantur Apostoli, qui torrente totius orbis in se pariter irruente,tyrãnorũ scilicet atque populorũ,Iudæorũ, atq; Gentiũ,

Martyres Christi de persecutionibus triũphare exemplis docemur.

Chrysost. ep. 3. ad Cyriacum.tom.5.

Rom.8.

Chrys. hom. 25.in Matth.

Digitized by Google

ſuorum & alienorum,pulſata fluctibus rupe firmius conſtituerunt.] Quàm illuſtris illa mater tantorum martyrum ſanguine purpurata!

In Act. Tiburt. Conſtantia Tiburtij.

22. Vultis & alium charitate incenſum de iudice ſuo triumphanté audire!Ecce B.Tiburtius Torquato iudici inſultans,& de eo quaſi triumphans vt loquitur ! [Applica equuleos , ſuſpende Chriſtianos, damna , percute , incende , vniuerſa denique ſupplicia adhibe: Si exilium minaris;hoc philoſophantibus eſt totus mundus:ſi mortis ſupplicium; euadimus mundi carcerem : ſi ignes;maiora his in cupiditatibus incendia vincimus. Decerne quicquid libet,omnis nobis vilis eſt pœna, vbi pura comes eſt conſcientia.] Quàm multi huiuſmodi in Dei Eccleſia extiterunt athletæ, tot perſecutionum conflictati procellis , quos Deus,licèt dormire nonnihil videatur, ita mirabiliter tandem animat , vt victoria illuſtriores reddat. Nam eques ipſe , aduerſariis, electos ad defectionem , vrgentibus , exit vincens vt vinceret : exit , inquam , arcum manu tenens, vt ſagittet in occultis ſimul in Eccleſiæ naui poſitos , maculatos & immaculatos ; maculatos, vt incenſa charitatis ſagitta,immaculatos efficiat,ac ſuis inimicis terribiles : immaculatos verò ſagittat , vt charitate vulnerati illuſtriores in Dei Eccleſia euaderent pugiles , quibus ipſe , tanquam generoſis equis in hoc ſanguinolento perſecutionis prælio, vtitur. Hac potentiſſimi ſagitta , cæterorum nomine , ſponſa ſe vulnerata eſſe exclamat. [Vulnerata charitate ego ſum]& quomodo vulnerata?reſpõdeat Auguſt. qui hoc charitatis vulnere ſaucius dixit: [Inquietũ eſt cor meũ Domine donec requieſcat in te.Dicit ſe(ait)vulneratũ eſſe charitate,id eſt, amare ſe dicit: æſtuare ſe dicit:ſuſpirare ſponſo : vnde accepit ſagittam verbi.] Ecce quomodo ſagittet immaculatos vt ſuſpirent , per martyrium , ad deſideratos ſponſi ſui amplexus,ſubditur[Populi ſub te cadent]maculati, inquam , qui ſub iugo equitis ruſi

Deus maculatos ſagittat vt immaculatos efficiat,ſagittat & immaculatos vt illuſtriores efficiat.

Cantic.2. Conf.li.1.c 1. Aug.in pſ. 44.

&

& nigri & pallidi in Ecclesiæ tamen naui collocati persecutionum tempestatibus attoniti, ac ad defectionem parati, tuis petiti charitatis sagittis, ad te conuersi, vti Marcellinus, clamant: [Domine salua nos,perimus!]percussi enim aliquando cadunt, ac in terram prostrati, suã agnoscétes imbecillitatem:Domine:[clamãt,salua nos,perimus]qui à periculo erepti,ipsi etiam Ecclesiã suo sanguine illustriorem reddútaliquãdo hoste superato:lapis en oneris Ecclesiç.

23. Populos,inquit Augustinus,videmus subditos Christo,cadétes non videmus:exponit propheta vbi cadunt:in corde.Ecce quomodo sagittãtur in occultis maculati,vulnerantur,deiiciuntur;sed exclamare tandem coguntur: [Domine salua nos,perimus.]Imò adeo potens est equitis albi equi sagitta, Christi inquã,vt non tantú in Ecclesiæ naui positos immaculatos vulneret,sed extra etiá Ecclesiæ cymbã aberrantes charitatis vulnere saucios,ad nauim currere cogat.Sic Saulum Ecclesiæ persecutorẽ,charitatis vulnere prostratũ, nouo adhuc vulnere,erexit,& ad Ecclesiæ nauim perducés egregiũ illius instituit nauarchum,suóque sanguine Ecclesiã illustrauit.Nã,vt ait Augusti.vbi se erigebant aduersus Christũ,ibi cadunt ante Christũ:blasphemabat Saulus Christum:erectus erat,supplicabat Christo;cecidit,prostratus est,occisus est inimicus Christi, vt viuat discipulus Christi. De cœlo emissa est sagitta, corde percussus est Saulus;nódú Paulus:adhuc Saulus,adhuc erectus, nódũ prostratus:accepit sagittã,cecidit in corde,nõ.n.quo prostratus est in faciẽ;ibi cecidit in corde,sed vbi ait: Domine quid me iubes facere? modò ibas ad Christianos alligãdos,& perducendos ad pœnam,& modò dicis Christo,Quid me iubes facere? O sagittam acutam potentissimãque!qua accepta cecidit Saulus, vt esset Paulus. Ecce quomodo periclitãti Ecclesiæ, excitante in eam Saulo,qui adhuc rufo illi equo insidebat,persecutionem, albi equi eques succurrit,& quomodo ipsum persecutorem, nouo persecutionis

Beati Pauli conuersio.

Digitized by Google

modo charitatis confossum sagittis, exclamare coëgit:[Domine quid me vis facere?] perij, succurre: cecidi,attolle.Persecutus sum Ecclesiam tuã:ex persecutore fac propugnatorem,statim succurrit,attollit,& Ecclesiæ acerrimum instituit propugnatorem, qui eam tandem suo sanguine illustrauit. Ecce quomodo exiit vincens vt vinceret. Lapis ergo oneris Ecclesia cunctis Gentibus proposita, quæ leuantes concisione lacerat.

Christus dormit non ad perniciẽ, sed ad coronas nobis fabricandas.

24. Christus etiam aliquando dormire videtur; Ecclesiæ cymba decumanis persecutionum fluctibus agitata,idque non ad perniciem,sed ad coronas nobis fabricãdas.Hoc clarum est in illo horrendo persecutionis turbine à Nerone tyranno excitato, qui primam in Dei Ecclesiam grauissimam persecutionis tẽpestatẽ excitauit,quę adeo sæua ac vehemens fuit, vt verè Christus dormire videretur,ac Petri cymba periclitari, quo tempore quoniã plurimi sanguinem pro fidei defensione effuderũt,meritò diabolus tantæ persecutionis incẽtor,qui in hominũ perniciem semper incumbit, per equum illum rufum intelligi potest,cuius sessor crudelis ille ac sanguinarius Nero à nonnullis dicitur: cui ob summam immanitatem, ac ferociam datus est gladius magnus. Eò siquidem crudelitatis deuenit, vt non satis illi fuerit Romanam vrbem, per dies nouem fœdissimè incendio delere, nisi etiam Christianos,ad minuendam sibi conflatam inuidiam in incendij suspicionem vocaret, ac proinde ex iis plurimos, atrocissimis subiectos tormentis, & ludibriis, neci dedit, ac eò seuerior fuit hæc tempestas, quo sese in animos hominum insinuans, quasi per gradus, sibi viam ad omnem nequitiam faciebat. Nam in principio sui imperij nullam liberalitatis, nullam clementiæ, nullam comitatis exhibendæ occasionem intermisit. Hinc grauiora vectigalia, aut aboleuit, aut imminuit, & cùm de supplicio cuiusdam capite damnati, vt ex more subscriberet

Domitij Neronis persecutio.

admo

admoneretur: Quàm vellem (inquit Verſipellis) neſcire literas. Sed non diu ſub mentitæ pietatis velo nefandas animi potuit celare deſignationes. Nam nullus breui adhibitus delectus aut modus interimendi quoſcunque voluiſſet Chriſtianos. Sed nec populo, nec mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in ſermone communi, ἵνα θανάτου χαλκεμίχθῃ τῷ πυρί, id eſt, me mortuo terra igne miſceatur; imò inquit ipſe, ἵνα ζῶντος, id eſt, me viuente. Videtis qualis iſte fuerit ex omnium ſcelerum colluuione conflatum monſtrum, qui primus, edicto publico Chriſtianam euertere religionem conatus. Quare qui Chriſtianum nomen cõfitebatur, exquiſitiſſimis cruciabatur tormentis, & omnes eo nomine inſignitos, vt ait Tacitus, ferarum tergis, ad eorum ignominiã contectos laniatu canum interemit: alios crucibus affixit, aut incendiis abſumpſit, & vbi defeciſſet dies in vſum nocturni luminis illos vrebat. Cuius obſecro, hoc inſpecto laniatu cor nõ contremiſceret? quis non exiſtimaret in tãta perſecutionis procella Chriſtum dormire? Cuius animus tãta fæuitia in Dei electos impunè debacchante non titubaret? Quis non ſuſpicaretur Dei in Eccleſiæ cymbã deficere prouidẽtiã? Quis nõ ſibi perſuaderet homine nefario ſic in Dei domum, Chriſtiq; mẽbra deſæuiẽte, Chriſtũ opẽ ferre, vel nolle, vel non poſſe? Quis non accuſaret Chriſtum ſui oblitũ edicti, quòd in filios Belial olim hoc modo tulit: [Si audieris in vna vrbium tuarum dicentes aliquos: egreſſi ſunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuę, & dixerunt, eamus & ſeruiamus diis alienis, quære ſollicitè, & diligenter, rei veritate perſpecta, ſi inueneris certũ eſſe quod dicitur, & abominationem hãc opere perpetratam, ſtatim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniáq; quæ in illa ſunt, vſque ad pecora quicquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio plateartũ eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumes, & ſit tumulus

Tacit. li. 15.

Fluctuat Eccleſia.

Deut. 13.

mulus ſempiternus. Quid obſecro hoc edicto ſeuerius? quã vltionem adhibere potuit ſeueriorem in eos, qui Deo vero penitus ſpreto alienos ſequuntur Deos? & tamen Chriſte taces modò cõculcãte impio iuſtioré ſe. Quid quæſo, Chriſte, hoc tuo præcipis edicto? Nõ ſatis tibi fuit, vt tãti criminis rei, ferro aut igne interimerentur, niſi etiã pueri, qui nihil commeruerunt, eodem cum reis plecterentur ſupplicio? Quid animantia, quæ peccati incapacia ſunt? Quid ampla domorum ſupellex ſceleris commiſit? Quid parietes? Quid vrbis mœnia, vt ea funditus euertere, ſolo æquare, ac incendio in cineres redigere præcipias? ſeuera hæc admodum in ſeductores lex à te lata: & tamẽ quaſi ea iam abolita foret, impunè in nos graſſari ſeductores permittis, quaſi verſus nobis in crudelem? Hac ergo Neroniana perſecutione cõſpecta, hoc, inquam, viſo ſpectaculo, quis non perturbaretur? licèt Deus hanc oriri tempeſtatem permiſerit, communi tamen Eccleſiæ oratione omnibus vnaniter viris ac fœminis, pueris ac puellis conclamãtibus, Petri etiam ac Pauli oratione, quaſi è graui excitatus ſomno poſtquàm tot coronas ſuis athletis fabricatas vidit, tantæ tempeſtatis impetibus imperauit. Diuino enim conſilio factum eſt, vt Petrus & Paulus ex diuerſis orbis partibus Romam cõuenirent, vt afflictatæ Neroniano gladio Romanæ Eccleſiæ orationis ſuffragio ſuccurrerent, Simonémq; Magum, qui huius perſecutionis incentor etiã fuit, iuſta Dei vltione punirent: Nefarius enim iſte Simó multis ſeſe Chriſtum eſſe perſuadens, in gratiã Neronis volare pollicitus eſt: Dæmonum itaque arte, dum in aëra ſeſe quaſi volando libraret, precibus Apoſtolorum ſtatim ad terram proſternitur, iuxta Neronis cubiculum, vt auctor eſt Suetonius, quod ſuo cruore reſperſit: cuius miraculi occaſione, magis in Apoſtolos ſæuitum eſt: nam ea de cauſa in vincula coniecti, vſque ad martyrium in carcere detenti ſunt, vt ipſi etiam ſuis non priuentur coronis. Deus enim

Abacuc.

Sueto. in Neron. c. 12.

enim sicut persecutionum tempestates in Ecclesiam insurgere permittit, vel ad spem eius in aduersis excitandam, vel ad illam persecutione illustrioré reddendam, sic ad suos electos illustriori martyrij corona nobilitandos, & vt sese dignos huiusmodi diademate, toti vniuerso probent, singulari patiendi desiderio persecutionum fluctibus contundi permittit.

25. Dum enim superbit impius Christi pauperes persequendo, ea ipsa persecutionis flamma incenduntur pauperes, quasi per antiperistasin, ardentissimo charitatis igne in Deum inflammantur, atq; adeò eorum patientia, ac ardens patiendi desiderium, quasi terra persecutionum procellis admodum frugifera redditur, vti Magister sententiarum hûc Dauidis locum interpretatur ferè. Dû superbit, inquit, impius incenditur pauper. Quasi dicat, eo consilio tribulari finis pauperem, vt tui desiderio incendatur & purificetur. Quemadmodum enim fornax omnẽ auri consumit scoriam, illúdque purificat: sic tribulationis ignis vitiorum ligna in cineres conuertens sincerum ac probatum virtutis aurum omnino purificatum Dei oculis exhibet: & sicuti ignis licèt initio exiguus, flatu ac follibus magis ac magis accenditur: ita charitatis ignis licèt in principio exilis sit, tribulationis tamen veluti flatu ac follibus magis ac magis inardescit: hinc quò magis superbit impius, & fluctus excitat persecutionis in pauperem, eò etiam pauper magis charitatis igne inflammatur. Quare non sine alto consilio Deus permittit ingentes persecutionis procellas, in Ecclesiam excitari, vt magis ac magis in charitate crescat, vt splendidioribus progeniem suam coronis exornet. Quãobrem Deus persecutores nobis immittit, tanquam fabros, qui huiusmodi coronas in persecutionis officina concinnent: [Ecce, inquit, ego creaui fabrum, sufflantem in igne prunas.] Fabri siquidem sufflantes prunas sunt persecutores, qui ipso persecutionis flatu virtutes Sanctorum sufflant, & ad martyrium inflam

Ps. 9.

Quò magis persecutio saeuit eo puriores reddũtur ac ardentiores Christi martyres.

Similia.

Isa. 54.

Digitized by

flammant,imo & ſufflando illis gloriæ coronas conflant, & quando exiſtimant ardore perſecutionis illos conſumere, & tempeſtatum turbinibus inuoluere,tunc maximè eos in ſe incitant. [Hoc eſt enim(ait Chryſoſtomus)maximè mirabile,quia cùm plurimas illi paterentur inſidias , maximéque in illos tempeſtatum turbines frequentes irruerent, nequaquã tamen eorum animos labefactare potuerunt , nec eis aliquem incutere mœrorem. Exagitat te vndique inimicus, & afflictionibus mille circumdat, ſed clariorem tibi profectò texit coronam. Quod autem præcipuè mirandum eſt,non modò nihil omnino lædunt,qui talibus inſidias machinãtur,ſed eos etiã faciũt oppugnatione meliores.] Aurum enim probatũ ſũt,quod eò magis purificatur,quò in ſufflatorio prunis ardentibus ſubiectis folle inſufflante exardeſcit.

Chryſo. hom. 25. in Matt.

26. Sed ne debiliores in tanta Neronianæ perſecutionis tempeſtate iterũ dormire Chriſtum exiſtimarent,ac in deſperationis barathrum præcipitarentur , ita Apoſtolorum carcerem miraculis coruſcantem reddidit vt Proceſſum & Martinianũ carceris cuſtodes , & alios quadraginta ſeptem Eccleſiæ vexillo addendos curaret. Eos enim Apoſtoli in fonte ipſo in carcere per miraculum erumpente baptizarunt. Ecce quomodo Chriſtus poſtquàm coronas ſuis fabricatas perſecutionum gemmis ſatis vidit,à ſomno veluti excitatus Eccleſię cymbam à fluctibus perſecutionum conſeruet incolumem:[Portę enim inferi non præualebunt aduerſus eam.] Lapis ſiquidem oneris Eccleſia cunctis gentibus propoſita,quæ leuantes conciſione lacerat.

Proceſſi & Martiniani conuerſio.

Matth.16.

27. Licèt verò duo illi clariſſimi Eccleſiæ ſoles, Petrus & Paulus paulò poſt Neronis ſæuitia ſublati ſint, ita tamen reſperſus diuerſis in locis quaſi eorũ ſanguis , Eccleſiam diuerſis etiam veluti illuſtrauit radiis , vt pro duobus Solibus quos in alterum hæmiſphęrium tranſmiſit tyrannus,tot aucta in ſuo hemiſphærio fuerit Eccleſia Solibus , quot ſanguinis eorum

Illuſtrior fit Eccleſia Petri & Pauli martyrio.

eorum guttę extiterunt. Hinc Paulus longè antè miracula hæc in se & Petro, cæterisque Christi martyribus præuidens exclamauit: [Spectaculum facti sumus mundo & angelis & hominibus.] Talia enim sunt martyrum certamina, vt angelorum, imò ipsius Dei digna sint aspectu. Vnde inter crepitantes lapidum strepitus in genua prouoluto Stephano, & pro persecutoribus oranti apparuit Christus, stans, vt quasi qui anteà decumbens dormire videbatur, tum lapidum strepitu, tum Stephani oratione excitatus, opem ferre paratus staret, coronámque ex tot lapidibus pretiosis contextam, quot ab aduersariis in eius corpus lapides iecerant, capiti illius imponeret, & ad cœlestem gloriam statim transferret: Sic angeli etiam ad huiusmodi concurrentes spectaculum, certatim suam pugnantibus opem afferunt. Spectaculum ergo facti sunt Deo, angelis, & hominibus, vt qui suo purpurati sanguine ac fulgentissimis ornati coronis Ecclesiam tot solibus, quot effuderunt sanguinis guttas, clarificarunt; nobis etiam exemplo forent, vt huiusmodi gratissimum Deo spectaculum exhibeamus, præsertim cùm nihil certius sit, quàm nos matris nostræ viribus fisos, diuina circumseptos gratia, omnibus tyrannis tandem superiores fore, ipsósque in nostris vulneribus grauiter vulnerandos. [Qui enim aduersus stimulum calcitrat (vt ait Chrysostomus) sine dubio ipse cópungitur, suísque propriis ictibus vulneratur, & qui impugnat virtutem tenentes, ipse prófectò subruitur, & malitia tantò efficitur infirmior, quantò contra virtutem diutius præliatur. Et sicut qui ignem ligat in vestimento, illum quidem non extinguit, vestimentum verò comburit: ita etiam qui in virtute positos persequebantur, comprehendebant, ac sæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, se autem perdebant.] lapis enim oneris Ecclesia cunctis Gentibus proposita, quæ leuantes concisione lacerat.

1. Cor. 4.

Chryso. ibid.

Simile.

28. Denique

Digitized by Google

28. Denique dormire Christus videtur, non vt desit se inuocantibus, sed potius vt peccata seuerè castigans, alij pœnitentia ducti corrigantur. Quod clarè ostéditur in Titi ac Vespasiani sæua in Iudæos persecutione: His enim vsus est Deus, tanquam virga & gladio, vt Iudæorum in se crudelitaté corriperet: Quos tandé, Iudæis castigatis, tãquã inutiles virgas æterno consecrauit igni. Titus itaq; Vespasiani filius ex patris iussu vrbé imprimis Hierosolymã arctissima cinxit obsidione, Iudæósq; extrema cõfectos fame è ciuitate egredi coactos quingentos per dies singulos, & interdũ plures (vt Iosephus est testis) in conspectu cæterorũ crucibus affigi præcepit, quorũ tandem tanta fuit fugientium multitudo, vt iam spacium crucibus deesset, & corporibus cruces. Quare meritò tyrannicum hoc in Iudæos imperium equo illi nigro comparari possimus; tanta enim Iudæos inuasit tristitia, vt omnes pulla induti veste viderẽtur. Titus verò qui huic dominabatur equo, illíque insidebat stateram in manu habere dici poterat, vt omnes intelligerent hæc in Iudæos mala æqua diuinæ iustitiæ lance, inuecta esse, quæ à Deo exegit, vt qui innocentem crucis turpissima morte acclamantes, crucifige, crucifige, condemnarunt, eodem etiam crucis supplicio, ex iis plurimi perirent: [Et audiui (inquit Ioannes) tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium, bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario] quibus verbis manifestatur adeò contemptibiles fore Iudæos Romanis militibus, vt eos sibi in seruos assumere dedignarentur; sed per summum contemptum (vt aliqui affirmant,) ex nobilioribus decem vno denario, ex vulgo autem triginta, vno itidem denario venderent. Dignam sanè pœnam tanto scelere receperunt, qui Christum triginta argenteis sacrilega eruptione ad necem expetierant: Cautum tamen fuit equiti ne vinum, oleúmve lęderet, ne scilicet fideles, ac pœnitentes, qui vino optimo Dei palato periucũdo compa

Ioseph. l. 6. de bello Iud. c. 12.

Pereuntibus peccatoribus fideles euadunt.

Digitized by Google

comparantur,vtpote charitatis vino flagrantissimos & misericordiæ oleo perfusos,læderet, sed aliis pereuntibus;illi salui euaderent.Nam,vt auctor est Eusebius,[Ecclesia quæ tum erat Hierosolymis congregata , oraculi cuiusdam indicio , antequàm bellum oriretur , Hierosolymis migrauit : atque ita,inquit, obsidionis procellam & innumera mala,quibus Iudæi afficiendi erant,diuina prouidentia declinauit.] Cùm igitur Deus Tito fuisset,tanquam virga ac gladio vsus,vt reprobos puniret Iudæos,probis ad asylum conuocatis , in ignem tandem sempiternum coniectum è mundo hoc sustulit.A Domitiano enim fratre suo veneno è vita sublatus , inferorum ignibus addictus est. Lapis enim oneris Ecclesia cunctis Gentibus proposita,quæ leuantes concisione lacerat.

29. Vidistis viam quam tyranni Ecclesiæ, martyribus in cœlum abeuntibus, sternunt , quam suo ita consignarunt sanguine , vt in cœlum nobis subsequentibus adeò clarè iter panderent , vt errare nisi prudentes minimè possimus , & quos perire persecutionum tempestatibus , ac tormentorum fluctibus mali rerum æstimatores putarunt , eos parta de tyrannis glorioſa victoria , triumphantes cum palmis ac coronis cœlum petere intellexistis. Ad hoc spectaculum Deus, angeli , mundus , homines, quasi attoniti concurrerunt , vt pugnantes animent Deus & angeli , mundus & homines , vt terrore pœnarum quasi debilitatos vana spe à proposita ipsis palma deterreant. Hinc permissum fuit Neroni , ac Iuliano in rufis insidentibus equis , de terra auferre pacem , & vt homines sese mutuis conficerent vulneribus , datus est illis gladius : gladius ille magnus , qui iam tum contra Dei Ecclesiam euaginatus , & innocentum sanguine ebrius debacchari quotidiè minimè conquiescit. Datus etiam & equiti nigri equi , quo tot interfecit peccatores. Quare etiam-

Martyres ita suo sanguine viã nobis ad cœlum consignatam reliquerunt , vt errare nisi prudentes nõ possimus.

Digitized by Google

num horum successores persecutores : [Mucro, mucro, clamant alter ad alterum, euagina te ad occidendum , lima te vt interficias & fulgeas.] Sed audiant quid sequatur : [Vbi venerit dies , in tempore iniquitatis vestræ præfinita , dicetur , reuertere in vaginam tuam , in loco in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ : iudicabo te , & effundam super te indignationem meam in igne furoris mei, sufflabo te , dabóque te in manus hominum insipientium , & fabricantium interitum. Igni eris cibus , sanguis tuus erit in medio terræ , obliuioni traderis , quia ego Dominus loquutus sum.] Ecce quanta Dominus fulmina in omnes quotquot Ecclesiam afflixerunt intorsit : vbi enim vsus tyrannis, tanquam virgis , ac gladiis , vel ad eius spem erigendam , vel ad eam illustriorem reddendam , vel ad iustorum contexendas gloriæ coronas, vel denique ad punienda filiorum eius peccata, illos statim in ignem coniicit sempiternum. Sic tandem periit impius Iulianus , sic miser ac miserabilis Nero potit tot in Dei Ecclesiam crudelitates exercitas : alter telo ab incerto auctore emisso interiit, alter iuratus hostis à Senatu iudicatus adigens ipse iugulo proprio ferrum Epaphrodito à libellis iuuante , miserrimè periit. Titus verò, vti diximus, veneno sublatus, omnes sempiternis addicti sunt flammis. Lapis enim oneris Ecclesia cunctis Gentibus proposita, quæ leuantes concisione lacerat.

Ezech. 21.

Sicut virgæ tandem consũpta in ignẽ coniicitur, sic Tyranni in inferni focũ.

QVARTVM PVNCTVM.

Quomodo Christus excitandus.

36. Quarto denique loco, quomodo Christus à nobis sit excitandus, docebo. Quoties nobis etiam de animę salute desperantibus, succurrit, nemo ignorat, si tamen manus illi porrigere velimus. Nam in profundo desperationis barathro immersis toties exclamat : peritis, peritis ; toties extendit manum, præsentem afferens opem, toties inclamat: surgite à peccatorum

peccatorum cœno,toties,inuocate me,& vos à tãta peccatorum colluuie eruam:si me veluti dormientẽ excitare pœnitentiæ clamoribus velitis. Surgamus itaque è peccati cœno , eius gratia instigati, surgamus & orationibus pulsemus,ieiuniis petamus eius opem,eleemosynis clamemus : [Domine salua nos, perimus.] Et si fortè ob nostra demerita nobis dormire videatur,his multiplicatis clamoribus ad succurrendum excitabitur. Hodie ad ipsum discipuli graui excitata tempestate accesserunt:eúmque identidem conclamantes excitarunt.[Domine salua nos, perimus.]Accedamus ergo & nos precibus,ieiuniis, eleemosynis, lachrymis , morúmque emendatione, eúmque dormientem suscitabimus. Si renuimus,sed in peccatis tanquam iumenta in stercore suo computrescere velimus , opem ab illo expectare magnæ dementiæ est,iuxta illud Gregorij: [In flagellis põsitos, flagellis digna committere; cõtra feriẽtem est specialiter superbire,& sęuientis acrius iracundiam irritare , atque est primum genus dementiæ , nolle quempiam à malis suis iustè quiescere,& Deum iniustè à sua velle vltione cessare.]

Grego.l.8.ep. 41.ad Episc. Carthag.

31. Vehementi iactatam tempestate nauim,in qua Ionas vehebatur, nautæ primò exonerarunt : deinde iam quasi naufragio proximi clamauerunt ad Deum suum : Tertiò nauis Gubernator ad Ionam securè dormientem, accedens eum expergefecit , dicens: Surge , inuoca Deum tuum : postremò omnes simul nautæ,cognita tempestatis causa , ad Dominum clamauerunt:[Quæsumus Domine ne pereamus in anima viri istius , & ne des super nos sanguinem innocentem : & tulerunt Ionam , & miserunt in mare,& stetit mare à feruore suo , & timuerunt viri timore magno Dominum , & immolauerunt hostias Domino,& vouerunt vota.]Ecce quomodo Scriptura nos exactè docet quid in tempestatibus nobis obortis opus facto:illi imprimis sæuiente mari nauim exonerãt:idem nos oportet facere,vt monet Apostolus,

Ion.1.

Exẽplo nautarum qui Ionam tempestatis causa in mare proiecerunt, discamus Deũ excitare.

[deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum.] Quemadmodũ enim stadiodromi omni vestium rerúmque aliarum pondere depositο , leues, expediti,& agiles certamẽ ineũt,& in stadio decurrunt:sic nos,vt rectè huius vitæ stadiũ percurramus, peccati pondus,quòd nos à cursu in cœlum remoratur,deponere oportet, ac sic expeditos,leues ac agiles pergere in stadij cursu , licèt aspero ac difficili: [per patientiam igitur curramus ad propositum nobis certamen , aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum,qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.] Prius ergo animæ nostræ cymbam peccatorum fœcibus exonerare debemus, & tunc dabitur nobis patientia,thorax impenetrabilis , quo omnia hostium tela elidamus,quo persecutionis certamen alacriter sustineamus.Et ne fortè succumbere timeremus,nobis Apostolus omnium martyrum antesignanum proponit Christum nimirum semper contemplandum,vt sicut crucis pudorem , mortísque probrosæ ignominiam nostri causa contẽpsit:sic nos quoquẽ pudorem contemnamus,quem ignominiæ,opprobria, & persecutorum supplicia possunt afferre.

Similе.

Hebr.12.

Clamandum ad Deum in periculo.

32. Insuper iam quasi naufragium passuri clamauerunt ad Deum suum: vt nos intelligamus tunc clamorem nostrum exauditum iri, cùm à corde bene purgato , & à peccatis exonerato proficiscitur: [Inuoca me (ait ipse) in die tribulationis,eruam te, & honorificabis me.] Prætereà Gubernator Ionam securè dormientem excitat ; & nostræ nauis gubernatrix ratio securè dormientem in peccatis animam excitare debet,& cum Dauide clamare: [Illumina Domine oculos meos,ne vnquàm obdormiam in morte,ne quando dicat inimicus meus ; prævalui aduersus eum, id est,vt ait Flaminius : ope tua tanquam splendidissimo candore Solis dissipa noctem calamitatum mearum, ne crescentibus malorum tenebris, durissimo mortis somno consopiar.] Surga-

Ps.49.

Ps.12.

mus

mus ergo, ac tenebris nos tentationum obuoluti inuocemus Deum noſtrum; ac dicamus, noſtra ad eum facie conuerſa : Mentis noſtræ, ô Domine, tenebras pelle, ne prauis conſentientes deſideriis, in animæ mortem incidamus, & glorietur dæmon nos ſeruos tuos à ſe victos.

33. Poſtremò, omnes ſimul vocem in cœlum attollunt, conclamantes : [Quæſumus Domine ne pereamus in anima viri iſtius] & proiecta tempeſtatis cauſa in efferueſcens fluctibus mare, ſtatim deferbuit. O vtinam ſimul vna voce, omnia quæ in nobis ſunt ad Deum, quoties periculis circumcingimur, conclament: vtinam oculi ſuam edant lachrymabilem vocem : [Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.] Vtinam lingua ſuam etiam in cœlum vocem efferat: [Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui Domine.] Vtinam manus bonorum operum crebris pulſent quaſi vocibus ſemper Dei pectus: [Manum meam aperui inopi, & palmas meas extendi ad pauperem.] Vtinam cor meum continuis te vocibus fatiget charitate efferueſcens: [Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.] Tibi loquitur cor meum deſiderium ſuum, & oculi animæ tuam ſemper pulchritudinem præ cæteris omnibus, requirunt, ac proinde prima, & poſtrema cura mea eſt, vt conſpectum tuum quæram. Vtinam denique in linguas, omnia mea membra, viſcera, ſenſus conuertantur, vt ſemper ſine fine conclament : [Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto tuo, omnia oſſa mea dicant: Domine quis ſimilis tibi?] Sic tam à diaboli tentationibus, quàm à tyrannorum perſecutionibus liberabimur, ita vt neque membris Eccleſiæ, neque ipſi Eccleſiæ cymbæ, in qua ad æternæ ſalutis portum nauigamus, nocere poſſint. Lapis enim oneris Eccleſia cunctis gentibus propoſita, quæ leuantes conciſione lacerat.

Omnia quæ in nobis ſũt, vtinam ad Deũ clamẽt.

Pſ. 24.

Pſ. 136.

Prou. 31.

Pſ. 26.

Pſ. 102. *Pſ.* 34.

EXEMPLVM.

Belar. 34. Ob Boleſlai Regis crimina, & in Dei Eccleſiam contemptum, vniuerſam Poloniam Gregorius ſeptimus interdixit, Regẽ ipſum excommunicauit, regiúmque illi nomen ademit. Et quoniam Rex in ſua perſtitit malitia tanti pręſulis iram contemnens, grauiter à Deo punitus eſt. Nam in primis omnes eius ſubditi eum tanquam exitialem peſtem fugerunt, cumque neque huiuſmodi ſupplicio reſipiſceret, ſed potius audaciæ in ſceleribus perſeueraret, nouum ſupplicij genus Deus adiecit, bona enim Regni pars ab eo defecit, & qui in Regis fide permanſerunt, tot ſeditionibus ac grauiſſimis excitatis animorum contentionibus in inuicem exarſerunt, vt ſeſe mutuis cõficerent vulneribus. Neque id ſatis fuit vt ſaniora amplecteretur monita. Quocirca vltimũ Deus adiecit ſupplicium, de mentis enim ſede amotus per ſiluas fugitiuus ſuis inſequentibus canibus oberrans, ac derepente mortuus ab illis ipſis deuoratus eſt. Lapis enim oneris Eccleſia cunctis Gentibus propoſita, quæ leuantes conciſione lacerat.

IN DOMINICAM QVINTAM poſt Epiphaniam,

Concio.

THEMA: *Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, vnde ergo habet Zizania.* Matt. 13.

Mali & boni ſunt in Eccleſia.

1. EX hoc Euangelio, ſicut ex aliis ſcripturæ locis conſtat, in Dei Eccleſia non tantùm eſſe bonos, qui inſtar boni ſeminis, in bono Eccleſiæ agro ſeminati fructum, opportuno tempore, ferunt; ſed multos etiam, qui inſtar mali ſeminis, licèt in optima, ac exculta terra iacti ſint, fructum non faciunt, ſed potiùs bonos, ſuo malo exemplo, morúmque

que improbitate si non omnino corrumpere, virtutum saltem semina, gratiæ rore irrigata, ac paulatim in bonorũ operum segetem assurgentia, quo minùs ad maturitatẽ veniant, ita retardare conantur, vt sæpiùs cœlestem agricolã, matura spiritalis messis copia priuent, & non secus ac zizania in medio tritici superseminata, illius impediant incremẽtum. Noxiæ enim (vt ait Basilius) sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea est amicitiæ huius lex, & vis, vt per similitudinem malitiam cõiuncti indat: Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Sicut enim vas vrina, fecibus, aliisq; rebus putidis & corruptis plenum, si aperiatur, earumdẽ rerum putidũ, & corruptum odorem spargit, & exhalat, qui nares astantium ferit, & inficit, eisque subinde pestem & mortem afflat: ita mens vitiosa, putredinem, corruptionem, & vitium, quod in se habet, per os eructat, audientésque ferit, inficit & corrumpit. Nam quemadmodum ex pestilẽtibus locis sensim attractus aër, latentem corporibus morbum iniicit, quo paulatim intra hominis viscera grassante, corpúsque exedẽte, homo interimitur: sic in praua contingit consuetudine: nam pestilẽs malorum morum aër, ita sese latẽter in coniunctorum animas insinuat, vt virtutum semine, ex animæ agro penitus euerso, mortiferum gignat morbum: [commixti sunt inter gentes] Ecce zizaniis gentibus, Iudæi veluti triticum commixtũ. Sed attendite quomodo zizania triticũ corruperint: [Et didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum.]

1. Cor. 15. *Similia. Corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

Psal. 105.

Deinde hoc Euangelium docet, Deum non esse mali seminis, id est, malorum hominum, prout mali sunt, auctorem, quod apertè illis verbis declaratur: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet zizania? Nam Deus, ab initio, bonum condidit hominem, & iuxta illud Sapientiæ inexterminabilem. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis

Deus mali auctor non est, sed boni.

Sapi. 2.

Dæmon mali Auctor.

dinis ſuæ fecit illum. Quòd verò auctor mali Dæmon fuerit, zizaniorum ſator, idem Sapiens ex verbis ſtatim ſubiectis indicat, dicens : [Inuidiâ autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum :] Ecce quàm clarè Sapiens demonſtrat Deum auctorem boni, diabolum verò mali eſſe, cuius inuidiâ factum eſt, vt homo, qui fuit, per originis iuſtitiam, immortalis, illa per peccatum amiſſa, cuius auctor fuit diabolus, mortalis, ac omnibus ſubiectus miſeriis factus ſit. Idipſum Dominus hoc loco perſpicuè ſignificat, ſuis reſpondens ſeruis, vnde ager à ſe bono ſemine refertus zizania haberet interrogantibus dum ait: [Inimicus homo hoc fecit:] licèt verò homo non ſit, in illo tamen homine inimico Chriſtus dæmonem adumbrare voluit : quippe qui humanam imitans vocem, primo ac puro tritico, quod Deus in fertiliſſimo paradiſi agro ſeminauit, ſua ipſe ſuperſeminauerit zizania.

Deus bonum ſemen in paradiſo ſeuit, cui Diabolus ſuperſeminauit Zizania.

3. Vultis hoc ad oculum demonſtrem? Deus in mundi exordio, mundum, purũ, ac perpurgatum in paradiſi horto triticum ſeminauit : Quid enim aliud Adamus & Eua gratia ac originis iuſtitia ornati, quàm puriſſima tritici grana? quos in paradiſi agro iuſtos, pios, ſanctos, tanquam magnæ meſſis futuræ ſemina iecit. Sed illis dormientibus ac ſui ſtatus negligentibus, ecce inimicus homo, gratiæ, virtutum, ac bonorum omnium hoſtis, tantæ meſſis expectationi inuidit, ac proinde optimo ſemini, à Deo iacto, ſtatim ſua ſuperſeminauit zizania : Cur, inquit, præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi? Ecce quomodo callidus ſerpens, voce vtens humana, ſub amicitiæ ſpecie, zizania ſpargenda educit, quæ vix educta, triticum ſtatim infecerunt, nam imprudens Eua mentiens, animæ ſuæ agrum gratiæ tritico plenum, ſuperſeminandis zizaniis applicat, dicens : [Ne fortè moriamur.] Ecce primum zizanij iamiam iactum ſemen. Non enim dixit Dominus : ne fortè moria-

Gen 2.

mini;

mini ; sed absolutè, [In quocunque die comederis, ex eo morte morieris :]. Vbi verò diabolus sic paratum agrum reperit, ac primum à se iactum zizanij semen in mendacium excreuisse deprehendit, pergit audaciùs plura superseminare, donec omnem penitus assurgentis gratiæ tritici vim elideret : [Nequaquam , inquit, moriemini. Scit enim Deus , quòd, in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicuti Dij, scientes bonum & malum.] quod semen pleno exceptum sinu,ita statim creuit , vt omne prorsus gratiæ , ac iustitiæ originis triticum adeò euulserit , vt ex bonis mali , ex probis improbi , ex filiis Dei per gratiam,filij Diaboli per peccatum efficerentur. Quia ergo Diabolus malos ex bonis facit , & ex puro ac mundo tritico zizania procreat , hinc reproborum pater, ac sator esse dicitur.

4. Denique hoc Euangelium docet , magnam Dei esse in impios misericordiam , quippe , quos statim à peccato commisso, non vult sæpè eradicare, nec æterno deuouere incendio ; sed patienter eorum expectat pœnitudinem : [Misereris enim, (vt ait Sapiens) omnium Domine , & nihil odisti eorum , quæ fecisti : dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam,& parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine,qui amas animas.]Quam Dei misericordiam , si neglexerint , sed potiùs in peccati cœno immersi scelera sceleribus adiicere perrexerint in communi omnium messe, in inferno damnatos, tanquam paleas , comburendos tradet : [nisi ergo pœnitentiam egeritis , omnes simul peribitis.] *Magna Dei in peccatores misericordia* *Sapi.* 11. *Luca* 13.

5. Tria dicam : Primum, Semen à Deo in Ecclesia iactum Sanctos esse, qui, tanquam purum triticum,delicatus illi fit panis , quique ex se noua indies semina Deo producunt. Secundum , Ex Dæmonis satione dæmones procreari intellectu ac voluntate tanquam præcipuis animæ sulcis errorú,& *Concionis diuisio.*

Digitized by Google

carnalium illecebrarum zizaniis occupatis. Tertiũ, quomodo inimicus homo in ſua pergat ſatione, & quænam cœleſti tritico zizania ſuperſeminet. Sed de more Spiritus Sancti aſſiſtentiam deprecemur noſtris orationibus Beata Virgine cooperante. Aue Maria.

Primvm Pvnctvm.

Boni Dei triticum ex quo fit diuina menſa panis delicatus.

6. Qui ſeminat, inquit Chriſtus, bonum ſemen, eſt filius hominis, ager autem eſt mundus, bonum verò ſemen, hi ſunt filij regni: zizania autem filij ſunt nequam: inimicus autem, qui ea ſeminat, eſt diabolus. Totus itaque terrarum orbis eſt Chriſti ager, ſed maximè Eccleſia, in qua bonum ſemen ſeminat, viros nimirum probos, iuſtos, & ſanctos Apoſtolos, Prælatos bonos, cæteróſque Chriſti fideles longè latéque, per Chriſtianum orbem ſparſos: Hi enim purum Dei triticum ſunt, ex quo delicatus panis, diuino palato gratus efficitur, iuxta illud B. Ignatij [frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar.] Quemadmodum enim triticum, vt ex eo, Regio palato iucundus fiat panis, priùs è ſpicis excuti, deinde ventilari, mola atteri, cribrari, ſubigi & coqui debet: ſic vt iuſtus æterni Regis menſæ idoneus fiat panis à diuitiarum, & honorum ſpicis, imò ſpinis excuti, deinde variis mundi, carnis, ac dæmonis tentationum flatibus ventilari, nefaria obtrectantium lingua atteri, diuerſis impiorum perſecutionibus cribrari, & crebris pœnitentiæ lachrymis ſubigi, & demum igne charitatis excoqui etiam debet: ſic Ignatius Chriſti panis effectus, qui vbi ſeſe à diuitiarum excuteret ſpicis, variis nefariorum inſultibus, vt ipſemet teſtatur, ventilatus eſt: [de Syria, inquit, vſque ad Romam pugno ad beſtias, in mari & in terra, nocte diéque ligatus cum decem leopardis, hoc eſt, militibus, qui me cuſtodiunt, quibus

Hierony. de ſcrip. Eccl. Simile.

quibus,& cùm benefeceris peiores fiunt, dentibus leonum,tanquam mola attritus, igne charitatis excoctus, Dei palato panem delicatissimum sese præbet:Ignis,inquiens, crux, bestiæ,confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio,& tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm Christo fruar, vt tandem æterni Regis mensæ tanquam suauissimus panis apponar.]Ecce quàm bonus panis ex bono semine nascitur!

7. Huiusmodi etiam bonum semen fuit B. Laurentius,ex quo diuinæ mensæ idoneus factus est panis:è spicis enim diuitiarum excussus,quas pauperibus distribuit, variis impij tyranni minis ventilatus est,[fremuit enim prædo frustratus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vsum instituisset ardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur, renunciare Christo Laurentium iubet, & solidissimam illam Leuitici animi fortitudinem diris parat vrgere suppliciis.]Hinc quasi purum triticum, diræ subiicitur suppliciorum molæ,vt amoris diuini igne tandem excoctus,cœlesti mensæ panis efficiatur pretiosissimus. Nam laceros artus & multa verberum sectione conscissos subiecto præcipit igne torreri; cui Laurentius quasi placidum diuino palato se epulum exhibens: Assatum est,ait,satis,versa,& manduca. Ecce quàm delicatum epulum, ex delicato martyris semine,diuinæ mensæ appositum.

Leo in vitæ B.Laurentij.

Seipsum Laurentius epulũ Deo exhibet.

8. Bonum insuper huiuscemodi semen fuit B. Andreas,qui post tot iniuriarum, tormentorumque vicissitudines, dura crucis mola attritus, charitatis igne excoctus, cibum diuinæ mensæ sese præbuit. Huiusmodi semina nos esse oporteret: Tanta siquidem diuini verbi virtus; vt si in animæ agro bene parato,ac iugi suarum actionum examine quasi subacto, frequenti lachrymarum imbre tanquam irriguo inferius, & cœlesti gratiæ influxu, veluti irriguo cœlitus descendenti seminetur, non alium fructum,quàm Dei filios afferat,qui seminis instar alios etiam

Magna diuini verbi vis.

Digitized by Google

etiam ſibi ſimiles, verbo, exemplo, vitæ integritate procreent; ſic cœleſte illud ſemen diuinum ſcilicet verbum, in fœcundiſſimo virginis vtero iactum, illum Deiferum effecit, atque adeo ipſam Virginem Deiparam conſtituit, quod ipſam adeo omnium virtutum ſplendoribus interius ornauit, vt exterius mirificè redundarent. Nam tantus in eius vultu fulgor emicabat, vt eum intuentibus, teſte S. Ambroſio, caſtitatis amorem conferret. Sed in hoc minimè ſubſtitit ſeminis in virgineo vtero aſſurgentis incrementum, ſed tanquam è fœcundiſſimo agro ortum alia ſibi conſimilia produxit ſemina, Apoſtolos nimirum, quos ſui imitatores fecit; ex his verò, ſicuti ex fertiliſſimo ſemine, etiam vſque in hunc diem in Eccleſiæ agro infiniti penè ſibi inuicem viri ſanctiſſimi ſuccedunt, de quibus iam olim Iſaias vaticinatus, [Niſi Dominus, inquit, Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen quaſi Sodoma fuiſſemus] quaſi dicat: niſi Dominus ſui imitatores nobis tanquam diuina ſemina reliquiſſet, è quibus per continuam ſucceſſionem noua ac noua in Eccleſiæ agro ſanctorum virorum ſemina excreſcerent, tanta morum corruptione Eccleſiæ ager ſterileſceret, vt nihil præter vitiorum lolia, luxuriæ vrticas, auaritiæ ſpinas produceret, è quibus fuliginoſus panis diabolo quidam ſuauiſſimus conficeretur.

Ambroſ. l. de Inſtitu. virginis.

Iſaiæ. 1.

9. Si cœleſtis Pater, tanquam ſeminator huc accederet, cuius ſemen diuinum verbum, Chriſtum Dominum animæ agro bene ſanctéque diſpoſito iaciendum, iuſtitiæ ſolis, cœleſti radio, diuinum etiam ſemen, ab animæ viſceribus educente, ſi pluuia, qua ager hic animæ irrigetur, pretioſiſſimus eſſet Chriſti ſanguis, quem putaretis fructum productum iri? Si triticum triticum, ſi auena auenam, ſi hordeum hordeum, ſi quodlibet ſui ſimile progignere conetur, quem, inquam, fructum produci exiſtimaretis, Deo Patre, diuinum ſuum verbum, in animæ agro, variis virtutum culturis præparato, ſeminante? profecto

Homo per verbi diuini ſemen ſibi iactum Deũ quodammodo parit.

Digitized by Google

ſectò non alium, quàm quaſi Deum ipſum ! Ergóne derepente diuino, in mea anima, ſemine ſparſo, Deus quodammodò fio ? Quidni, ipſo Chriſto atteſtante,qui eos ipſemet Deos appellat,ad quos factus eſt ſermo Dei. Huiuſmodi ſanè terra fuit humilitatis vomere arata centurionis anima, in qua cœleſti ſemine iacta ſtatim Deifer factus eſt. [Humilitate, inquit Auguſtinus,Centurio placuit,tecto non recipiebat, corde recipiebat] quàm bonum ſemen in Centurionis corde, humilitatis vomere, præparato Deus iecit, granum nimirum illud cœleſte, quod in humili anteà virginis terra inſitum, toti vniuerſo fructum peperit. Vtinam animæ noſtræ terra inani elata typho,humilitatis vomere complanata, ſuſcipiendo diuino ſemini idonea reperiatur.Sed heu!ſicuti colles & montes, aquam à ſe repellunt, neque ſationi apti ſunt: ſic turgida animæ noſtræ terra gratiæ irriguum excipiens,à ſe dilabi in humiles patitur ac proinde inſitum ſibi ſemen, ſalutari deficiente gratiæ pluuia,licèt aliquando ſuſcipiat, plerumque exareſcit. Valles verò, & campi vbertate implentur,in quibus diuinum ſemen inſitum,magna ſumit incrementa,in humiles enim animarum valles gratiæ aqua dilabens,in ſenſus,tanquam in campos, per operationem ſeſe dilatat, & cœleſtis frumenti copia,& valles & cãpos replet, humiles enim Deus reſpicit gratiæ oculo, ſuperbos verò à longè cognoſcit, in illorum animis gratiæ ſementem quotidie facit, cuius fructus filiorum Dei procreatio, quàm montes ac ſuperbia tumidi, minimè recipiunt : vnde ex ſemine peccati, per diaboli induſtriam,illis inſito,fructus diabolo dignos plerumque producunt.

Auguſt. ſer. 74. de verbis Domini.

Simile.

10. Miramini tantam ineſſe diuino ſemini virtutem (quod tamen vulgò parui ducitur) vt qui illud in bene ſubacto animæ ſuæ agro ſuſcipit, derepentè per adoptionem Dei filius efficiatur. Sicut enim ignis ea,quibus inſederit, in ſuam traducit naturam,

Dei verbum tante virtutis eſt, vt diuinos efficiat homines.

Simile.

Digitized by Google

turam, & omnibus ad se accedentibus sui impertit consortium: sic diuini verbi semen, tanquam ex Christo, qui bonum semen est, enatum in bene culto animæ agro susceptum, ita totam, quantum fieri potest, animam in suam conuertit naturam vt (præterquam quòd ipsa Dei filia quodammodo fiat) omnes etiam ab ea virtutum actus profectos, adeo diuinos reddat, vt Dei filio digni iudicentur. [Dedit enim potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt] nascimur itaque ex Deo, diuina quadam generatione, qua per gratiæ semen, quod animis nostris, per prædicationem inseritur, in perfectas spicas bonorum operũ tritico plenas, ita assurgimus, vt filij Dei nominemur & simus. Quare Augustinus tanti faciendum meritò diuinum verbum ait, cuius tanta vis est, vt filios Dei procreet, quanti sacratissimum Christi corpus. [Interrogo, inquit, vos fratres, dicite mihi, quid plus videtur vobis, corpus Christi an verbum Christi? Si vultis verè respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minus Dei verbum, quàm Christi corpus, & ideo quanta sollicitudine obseruamus, quando nobis Christi corpus ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta sollicitudine obseruemus, ne verbum Domini, quod nobis irrogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur de corde puro pereat. Quia nõ minus erit reus, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.] Nec hoc mirum videri debet, cùm sæpenumero fiat, vt corpus Christi recipiatur, & ad tempus seruetur in multis, quibus tamen, quia lethali obnoxij sunt peccato, nihil prodest. Verbum verò Dei susci pi, & conseruari sine magno fructu nequaquam potest: quippe, quod ex filio diaboli statim Dei filium efficit. Hæc de cœlestis seminis virtute.

Ioan. 1.

August. l. 50. homi. homi. 26.

SECVNDVM PVNCTVM.

Diabolus se-

II. Videamus secundo loco, si è contrario diabolus

bolus tanquam seminator, ad animæ nostræ agrum venerit, cuius semen peccati suggestio, cuius præparatio omnes penitus ex anima virtutes, Deique timorem, qui tanquam earum radix animæ terræ fixa, augendi vim illis præbuit, eximere, cuius sol densæ tenebræ intellectui inductæ, cuius pluuia, perpetuus concupiscentiæ fluor, cuius stercoratio, praua voluntatis affectio; si, inquam, huiusmodi mali seminis agricola accesserit, nonne ex tali satione diabolus nascetur? omnino. Diabolus igitur hoc agit, vt zizania puro Dei tritico superseminet, præcipuos animæ sulcos, intellectum nimirum, & voluntatem steriles efficere contendit. Quare intellectus lumen ita paulatim errorum obscuritate obtenebrare conatur, vt anima hoc suo duce priuata diuino semine contempto, in omnia præceps ruat flagitia. Sicut enim sublato sole omnia tenebræ occupant, & sicuti mersо nauclero nauis fluctibus obruta perit, & sicuti Rege mortuo, dissidia in regno oriri solent: sic sublato intellectus lumine, omnes animæ potentiæ tenebris obscuratæ, suo fungi munere nesciunt, sed quasi dissidiis inter se contendentes, rationi minimè obsequiosæ, errorum procellis agitatæ, prorsus pereunt. Intellectu enim, qui alioqui animæ clauum tenens omnes animæ potentias rationis ductu gubernare solebat, & veluti in alta constitutus sede, bonum à malo secernens, voluntati, quæ alioqui cœca est, facem præbebat, vt quasi sub se, & veluti administra, bonum amplecteretur, & malum respueret, errorum tenebris obscurato, cæteræ omnes tum corporis tum animæ facultates facilè à suo scopo aberrant. Quare sicuti intellectus sulco ignorantiæ zizania seminat, sic voluntatis etiam sulco tot zizaniorum semina committit, vt si quid luminis adhuc in intellectu resideat, obfuscet, imo sæpe penitus extinguat. Vultis audire quænam diabolus nostræ animæ sulcis zizaniorum genera spargit? [Ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol,

mine suo diabolos pro creat.

Similia.

Apoc. 9.

ſol, & aër de fumo putei :]aſcendit errorum fumus diaboli opera in intellectum , cuius caligine & denſitate,non modò intellectus lumini tenebræ, ſed cæteris etiam potentiis , quæ ſicuti aër à ſole, ita ipſæ
Iob.41. ab intellectu illuſtrantur, offuſæ ſunt : [De naribus eius,inquit Iob,procedit fumus,ſicut ollæ ſuccenſæ, atque feruentis :] Hoc autem fumo mentis cœcitatem cauſat,qua peccatorum intellectus inuoluti,ni-
Greg. l. 33. Mora.c.38. hil præter præſentis vitæ curas intelligunt. [Quaſi flatu, inquit Gregorius , narium caliginem remittit, quia in reproborum cordibus inſidiarum ſuarum aſpirationibus,ex amore vitæ temporalis æſtum congerit multiplicium cogitationum,& velut fumi globos multiplicat. Quia inaniſſimas præſentis vitæ curas,in terrenorum hominum mente coaceruat:quem
Pſ.6. fumum patiebatur Propheta, cùm dixit : Turbatus
Pſ.37. eſt à furore oculus meus,& cor meum conturbatum eſt : dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum,& ipſum non eſt mecum. Fumus quippe iſte obtundit aciem cordis quia caliginis fuæ nubilo ſerenitatem intimæ quietis turbat.] Ecce quàm noxia intellectus ſulco zizania diabolus inſpergat.

Illecebrarum zizania in voluntate ſeminat.

12. Vt verò voluntatis etiam ſulcum cœleſti gratiæ tritico priuet , illecebrarum zizaniis præuenire feſtinat,quorum ardore,diuini roris ſuccum abſumens , ad diuina ſuſcipienda ſemina voluntatem penitus ineptam reddere contendit. Subdit enim Propheta Iob : [Halitus eius prunas ardere facit, quia, vt exponit idem ſanctiſſimus Pater , dæmon quaſi ſufflator iniquæ ſuggeſtionis,afflatu,iniquorum mentes igne prauì deſiderij inflammat , iuxta illud
Iſai. 54. Iſaiæ: Ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum , quo loco , vt ait
Viegas in ca. 9. Apoc. comment. 2. ſect. 5. num. 3. Viegas noſter, duo obſeruanda ſunt : vnum eſt non dictum eſſe , ſufflantem prunas,ſed , ſufflantem in igne prunas ; quia dæmon eo præcipuè ſpectat , vt hominem iam à ſua ipſius concupiſcentia ignitum, & in eo potiſſimum vitio , ad quod natura eſt procliuis,

eliuis, ſuggeſtionis ſuæ flatu magis inflammet : Alterum verbis illis, quæ ſequuntur. [Proferentem vas in opus ſuum,] ſignificari huiuſmodi fabrum, nihil aliud proferre de officina malæ voluntatis, niſi lebetes, id eſt, peccatores ſcelerum fœditate nigerrimos, aptos ad opus ſuum, id eſt, vilia peccandi miniſteria. Videtis quot genera fumorum tanquam vitiorum ſemina, inimicus homo in intellectus ac voluntatis noſtræ ſulcis iaciat? quot excitet cupiditates in membris? quot carnalia in anima deſideria? quot odia? quot inuidias? quot auaritiæ facibus peccatoris animam incendat? quot ſuperbiæ flatibus inteſtinos cieat tumultus? tot zizaniorum genera intellectui ac voluntati immiſcet, nõ enim ignorat vafer agricola, ſi ſemel hos animæ ſulcos, ſuo occupauerit zizanio, hominem quo volet ducturũ.

13. Cum Philiſthæi Sampſoné interciperent, oculis eum priuarunt, & ad omnia pro ſuo arbitratu eum coëgerunt: ſic toties nobis hoc contingit, quoties crudelis ille Philiſthæus dæmon effoſſis animæ oculis, intellectu, & voluntate, nos ad omnia, pro ſuo arbitratu, compellit. Philiſthæi duxerunt Sampſonem Gazam catenis vinctum, & in carcere clauſum molere compulerunt: & nos cupiditatis catenis vincti, per Dalilam carnem noſtram, decepti dæmonibus tradimur, qui in obſcœno voluptatum carcere, nos clauſos tenent, donec omnium virtutum molamus opera. Et ſicuti mola grana confringit, floréinque attritu efficit, qui aqua ſubactus, & in furno coctus panis efficitur: ſic nos omnium virtutum opera, quæ vnquam exercuimus, voluptatis mola, confringimus & continuo carnalibus actibus dæmone ſubigente, & in concupiſcentiæ furnum malorum operum maſſam traiiciente, tartareum conficimus panem, diaboli palato gratiſſimum. [Electus enim cibus eius.] Ecce quid ex diaboli ſatione fructus metimus. Sed quàm facilè huiuſmodi ſationi obuiare poſſimus, ſi eius

Iudic. 13.

Extincto anima oculis à diabolo ducitur homo, quo velit.

Abac. 1.

Digitized by Google

prauæ occurramus ſuggeſtioni, quod clarè indicat hodiernum Euangelium. Vbi enim inimicus homo, in medio tritici zizania ſuperſeminaſſet, ſtatim abiit. Nam ſolùm poteſt venenoſo ſuggeſtionis ſibilo hominis mentem tentare, vt conſenſum præbeat, ex quo continuò naſcerentur perfecta peccati zizania: alioqui ſi mens obiectam repellat tentationem, mali ſeminis expectatio fallet ſeminatorem.

Simile. Quemadmodum enim agricola, licèt in terram ſemen iaciat, niſi terra illud excipiens foueat, nequaquam fructum feret: ſic diabolus zizanij ſeminator, quamuis peſſimas menti ſuggeſtiones intrudat, niſi mens illas ſuſcipiens, aſſenſu foueat, nihil impio ſeminatori fructus facient: [Homo enim, vt ait Bernardus, ſuo ſine alieno impulſu cadere poteſt, alieno abſque ſuo cadere non poteſt.]

TERTIVM PVNCTVM.

Mali Damonis ſunt ſemen.

14. Iam intellectu & voluntate, tanquam præcipuis animæ ſulcis, errorum & carnalium illecebrarum zizaniis occupatis: tertio videamus loco, quomodo inimicus homo in ſua pergat ſatione, & quænam inſuper zizania cœleſti tritico ſuperſeminare ſoleat. Sicuti igitur viros iuſtos bonum ſemen meritò diximus, quòd ſeminis inſtar, præclaro vitæ ſuæ exemplo, doctrinâ, morúmque integritate alios ſibi ſimiles procreent: ſic è contrario impios malum diaboli ſemen, ſiue zizania appellabimus, qui cœleſti tritico ſuperſeminati, vel illud natum ſuffocant, vel ſaltem, quo minus ſeſe dilatet, & multum ferat fructum, impediunt. Huiuſmodi zizaniorum genera ſunt improbi Chriſtiani, mali prælati, irreligioſi viri, cæteríque peruerſi Eccleſiaſtici, ſceleſti magnates, impij parentes, eorúmque proles & magiſtri, ac diſcipuli, omnes malorum hominum ordines. (Denique hæretici, de quibus in ſequentibus dicendum) qui licet plerumque fide præditi,

Digitized by Google

diti, charitate tamen, & operibus vacui, ſuo malo exemplo, morumque corruptela, eiuſdem improbitatis participes progignunt fœtus. Heu! quàm ſæpe huiuſmodi malum ſemen nobis dormientibus, & ſalutem noſtram negligentibus, in tenebris dæmon, tam per ſe, quàm per improbos Chriſtianos, inter nos ſpargit! [per agrum, inquit Sapiens, hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerunt ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.] *Prou. 24.*
Ecce quomodo inimicus homo nobis pigritia torpentibus carnales homines, in Eccleſiæ agro, ſeminet, quos vrticas Spiritus Sanctus vocat, quod pungentibus libidinoſæ carnis ſtimulis agitati, ſua illecebroſa conuerſatione ſibi vicinos tanquam vrtica adurant. Ecce etiam quomodo eundem Eccleſiæ agrum ſpinis repleat, hominibus nimirum auaritiæ & huius vitæ ſollicitudinis ſpinis quotidie confoſſis, qui per fas, & nefas Dei timoris & amoris macerie deſtructa, iniquis inhiant lucris! & hæc omnia inimicus homo in tenebris agit, vt facilius ſua ſeminet zizania. Sicut enim Deus in luce ſeminat, in luce operatur, in luce metit, nam cùm hanc orbis machinam conderet primo die lucem habere voluit. Dixit enim prima die, [fiat lux.] Cùm etiam hodie in cordibus noſtris ſeminat, in die ſeminat, cùm fructus etiam colliget in die id facturus eſt, dies enim meſſis, dies Domini, dies magnus, dies iudicij vocatur: ſic è contrario diabolus in tenebris ſeminat, in tenebris operatur, in tenebris metit: nam dormientibus hominibus ſuperſeminat zizania. In tenebris ergo ſeminat & operatur. Hinc Paulus nos monet vt abiiciamus opera tenebrarum. In tenebris metet acerbos peccati fructus, æternæ tradendos combuſtioni. Quare quandocunque vult ſeminare, operari, metere, dicit: fiant tenebræ; lucifuga enim eſt & lucis hoſti: [Diabolus, inquit Bernardus, nox eſt, *Similq.* *ad Rom. 13.* *Bernard. ſer. 72. in Cãtic.*

Digitized by Google

angelus Sathanę etſi ſe trāsfiguret in Angelū lucis.]

Simile. Ioan. 3.

15. Sicut itaq; fur noctu domum ingreſſurus, vt eam diripiat,lucernam prius extinctam cupit,vt clā domeſticisomnia expilet.[Omnis enim qui malè agit odit lucem,& non venit ad lucem,vt non arguantur opera eius.]ſic dæmon,qui nobis omnia fidei, ſpei, & charitatis opera furari deſiderat , prius rationi tenebras obfundit , vt ſic extincto intellectus ſumine,omnia cœcę voluntati ſurripiat,quę tenebris obſita,malum bonum reputans,ſeſe dæmoni ac ſenſualitati in prædam tradit, præſertim procacium,ac laſciuientium delinita ſocietate. Ah!quoties lucifuga dæmō,ſic per ſuos adminiſtros,aut per ſe ipſum animæ noſtræ lumina extinguit,vt tanquā Angelus lucis ſeſe in eius cogitationes ingerens , puro gratiæ tritico zizania ſuperſeminet. Nam ſicuti inimicus in inſidiis operitur, donec interficiendi hoſtē ſuum opportunitatem nanciſcatur: ſic dæmon ſub ſpecioſo ſimulatæ pietatis pallio zizaniorum ſuorum venenum occultat, donec animam praua ſuggeſtionis titillatione , aut impurorum ſodalium turpitudine, ſollicitatam,per delectationem,& conſenſum venenet. [Nam in abſcondito quaſi leo in ſpelūca ſua inſidiatur,vt rapiat pauperem].heu!quot pauperes rapit animas,quas concupiſcētiæ laqueis intricatas incoxicat! heu ! quot ſtrages noctu edit, decuſſis puri tritici granis , & peccati zizaniis eorum loco ſeminatis , gratiæ & bonorum operum ſeminibus planè eradicatis. [Inſidiator enim , vt ait Chryſologus,in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit,appetit dormientes.Cùm enim dormirent homines inimicus homo ſuaſuperſeminat zizania.]Aucupes & venatores cùm inſidias prædæ ſtruunt ſeſe deprimere ſolent , & poſt ſepem aliquam latere donec prædam in ſua videant retia incurriſſe, tum demum properè aſſurgūt,& implicatā,vel interficiunt vel capiūt:ſic dæmō ſeſe quaſi incruare ſolet,ſuóſq; caſſescarnis illecebra tegere,donec incautas animas

Qui mala agit lucem odit.

Simile.

Pſ. 9.

Chryſoſt. ſer. 97.

Simile.

morti

mortifera illectas esca,latitantis peccati hamo strãgulet. [Inclinabit se & cadet cùm dominatus fuerit pauperũ,]vel vtHebræus textus:Incuruabit se,& cadet in fortia eius scilicet retia, cõgregatio pauperũ. *Ps. 9.*

16. Oseas suo tempore per incuriam dormientibus hominibus,huiusmodi zizaniorum semina tritico in diuino Ecclesiæ agro irrepsisse deplorat. [Audite,inquit, verbũ Domini filij Israël,quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: nõ est enim veritas,& non est misericordia,& non est scientia Dei in terra:maledictum & mendacium,& homicidium,& furtum,& adulterium inundauerunt,& sanguis sanguiné tetigit. Propter hoc lugebit terra & infirmabitur omnis qui habitat in ea.] Ecce quomodo horrenda peccatorum diluuia in dominicum influxisse agrũ,quæ suo impetu omnia virtutũ semina raptant, propheta conqueritur,admirabili gratiç diluuio,per quod Deus suasa d homines trãsmisit misericordias, penitus exsiccato:[flumẽ Dei,ait Psalmista,repletum est aquis,]fluuius nimirum diuinæ misericordiæ,qui anteà hominibus aridus fuit, nunc tanta misericordiarum copia abundat, vt pleno in omnes alueo defluens,animarum hortos,ad quos declinare Deus solet,suo ita fœcundet irriguo,vt semina in illis ab eo iacta,mirum in modum crescant;at verò,versa vice, nos dicere, proh dolor,cogimur : flumen Dei aquis exsiccatum est;tot enim peccatorũ diluuiis nostrum obruitur sæculũ,quibus diuina à Deo semina in Ecclesiæ agro iacta funditus extirpantur,vt Dei misericordiarum fluuij cursus ita retardetur, vt aduerso impetu cogatur retroire,gratiæ seminibus euersis,& alueum suum vitiorum diluuiis cedere:inundauerũt enim,vt ait Oseas,peccatorũ diluuia,vt nullam cum iis virtutum aquã,qua semina adhuc quotidie à Deo iacta irrigẽtur,alueus cõtinere possit.Ecce quomodo corrupto impiorum semine, obruta iustorum semina assurgere nequeunt, quorum vitia instar Oceani plenis ostiis in proxima inundant littora,suisque

Osea 4. Peccatorum diluuio gratia semina extirpata sunt.

Ps. 64.

fœcibus ſpectantes ita contaminant, vt vix iuſtorum fructus ferre poſſint.

Bona ſemina in zizania mutata deflet Propheta Thren. 4.

17. Deplorat etiam Ieremias, non ſine lachrymis, bonorum virorum ſemina, à Deo in Eccleſiæ agro iacta, in zizania eſſe conuerſa. [Quomodo, inquit, obſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite platearum. Filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo computati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli? Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos. Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto: paruuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis, qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora. Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento.] Ecce quomodo Propheta ſui temporis calamitatem, & deplorandum Eccleſiæ ſtatum deſcribat! quomodo iuſtorum ſemina in zizania eſſe mutata deplorat! quomodo, inquit, obſcuratum eſt aurum? aurum námque obſcuratum eſt, vt ait Gregorius, quia in eis ille antiquus fidei atque innocentiæ ſplendor irruente perfidia malitiæ ſe nocte fuſcauit. Quomodo igitur, qui cæteris vitæ ſanctitate, tanquam ardentes faculæ prælucere debuerant, & qui vt aurum inter cætera metalla emicat, ſic illi inter cætera Eccleſiæ membra aureo charitatis ardore eminere ſolebant, iam morum corruptela, charitatis aurum in auaritiæ ſcoriam mutarunt. Nam, vt ait idem Sanctiſſimus Pater, aurum obſcuratum eſt, quia Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infirmas reproba oſtenditur. Color optimus eſt mutatus, quia ille Sanctitatis habitus, per terrena, & abiecta opera ad ignominiam deſpectionis venit.] Ecce quomodo Ieremias, Gregorio interprete, prælatorum maximè perſtringens vitia è bono ſemine in zizania conuerſos eſſe lamentetur: faxit etiam Deus, vt noſtris etiam hodie prælatis, nihil horum

Gregor. l. 18. Mor. c. 20.

Greg. ho. 17. ſuper Euãg.

rum exprobrari possit: faxit, inquam, vt illi & nos, qui in eminentiori Ecclesiæ loco veluti lucernæ ardentes in aureis positi candelabris, verbo, opere, & doctrina matris nostræ Ecclesiæ præluceamus familiæ, ne ab antiquis illis viris sanctissimis Ambrosio, Augustino, Gregorio, Martino, Vincentio, Bernardo, Francisco, Ignatio, fide atque vitæ innocentia degenerasse reperiamur, qui in Ecclesiæ agro tanquam præstantissima olim iacta semina, si per status conditionem liceret, hodie deflerent huic optimo Sanctitatis tritico, pleróque è nobis veluti zizania superseminatos!

Spiritale detestandũ adulterium. Matt. 12. Simile.

Absit, vt illud Christi, quo malitiam & defectionem Iudæorum à boni tritici natura degenerantium acerbè perstrinxit, in nos quadret: [Generatio mala & adultera.] Quemadmodum adultera, viro proprio penitus contempto, post suas abiens concupiscentias, alienis adhæret: sic qui maiorum suorum virtute spretâ degeneres morum corruptelam sequuntur, meritò adulteri esse conuincuntur: & sicuti omnes adulterium in alio detestantur: sic etiam à nobis grande illud & spiritale adulterium commissum, quò maiorum, virtute contempta, nostris indulgemus concupiscentiis, detestemur. Quare optimè Isaias nos monet, vt semper mentis oculos in maiorum virtutes intentos habeamus, vt considerantes ex quo sanctitatis semine progeniti simus, prorsus non deficiamus; sed si aliquantò ab iis defleximus mentem ad eorum vestigia contemplanda reuocemus. [Attendite (inquit) ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam lacûs, vnde præcisi estis.] Attendite, inquit, ad Prælatos, in quorum loco successistis, attendite, inquam, ad omnium Antesignanum Christum, qui vos posuit regere Ecclesiam suam, quam acquisiuit sanguine suo. Attendite & mentis aciem in solidam illam petram, ex qua, tanquam poliendi lapides in sanctuario ex ordine collocandi, excisi, diligenter

Isa. 51.

Digitized by Google

intendite, atque oculos in foueam illam laci amoris plenam,in Chriſti, inquam, latus lanceâ confoſſum, atque apertum dirigite, vt quemadmodum ipſe pro ſua Eccleſia ſanguinem effudit ſuum: ſic & vos eius exemplo incitati effundatis veſtrum.

18. Vidit Ioannes ſtellã magnã,quę dicebatur abſynthium,in tertiã parte fluminũ, & in fontes aquarum cadere,quæ in abſynthium ſtatim cõuerſæ ſunt. Quid,obſecro,aliud ſtella hęc magna,tanquã facula ardens,quã Eccleſiæ præſules ſignificat? Nam quemadmodum cœlum fulgentibus micat ſyderibus : ſic Eccleſia viris doctrina perſpicuis eminens cœlum quoddã appellatur, in quo vitæ morũmque licentia tanquã denſis nubibus fulgẽtia illa aſtra,ſi obducantur,ſuum amittunt ſplendorem:licèt enim ſtellæ huiuſmodi ob doctrinæ gloriã prima facie videantur, tamen nõ vt ſtellæ lucẽt,ſed vt faculæ tantùm ardẽt, cuius lumen permixtũ fumo obſcurum,vel cõcupiſcentiæ, vel auaritiæ, vel ambitionis fomitẽ ſubeſſe declarat.Vnde Greg.[Cœlũ(inquit)Eccleſia eſt,quę in hac nocte vitæ præſentis,dũ in ſe innumeras Sanctorũ virtutes continet,quaſi radiantibus ſyderibus fulget : quare ſtellas de cœlo in terrã cadere eſt nõnullos relicta ſpe cœleſtiũ,dracone duce,ad ambitũ glorię ſęcularis inhiare.Vnde Daniel ſub Regis Antiochi ſpecie aduerſus hanc draconis caudã loquitur,dicens : Deiecit de fortitudine , & de ſtellis,& cõculcauit eas.De fortitudine enim & de ſtellis deiicit,cùm nonnullos & luce iuſtitiæ reſplendentes, & virtute operis robuſtos frangit.]Ergo meritò huiuſmodi ſtellę abſynthia appellari poſſunt:licèt enim eloquentiæ ſuæ dulcedine quadam , hominum mentes perfundere videantur , tamen vitæ licentia , ac morum peruerſitate , illam ita amaritudine miſcent, vt nihil tandem veræ dulcedinis , & ſuauitatis è ſuis vitiis,ſed amaritudinem potius animis inſtillari ſentiant. Quomodo ergo obſcuratum eſt aurum? & purum triticum in zizania commutatum?

Stella magna Eccleſiæ præſules ſignat.

Greg. lib. 31. Moral. c. 14.

Dan. 8.

19. La

Digitized Google

19. Lamentatur deinde lapides Sanctuarij, qui ſunt viri religioſi Deo dicati, eodé Gregorio auctore [lapides (inquit) Sãctuarij intrinſecus habebãtur, nec ſumebãtur in sũmi Sacerdotis corpore, niſi cũ Sãcta Sanctorũ ingrediens in ſecreto ſui conditoris apparebat: Nos ergo (inquit) fratres ſumus lapides Sanctuarij, qui apparere ſẽper debemus in ſecreto Dei, quos nunquã neceſſe eſt foris cõſpici, & in extraneis actionibus videri.] Nã, vt ait Petr. Damianus, [Apud ſæculares Religioſus quiſq; veluti pictura eſt. Pictura námq; ſi procul aſſiſtat inhianter, & cũ auiditate proſpicitur: ſi iuxta ſit, cõtẽptibilis iudicatur. Et ſpiritualis quiſq; carnalibus abſens quidẽ timori, præſens autẽ videtur eſſe deſpectui. Et ſicuti ſpeculum fumo halitúq; humano inficitur: ſic virorũ ſanctorũ exẽplaris vita ſæculari cõuerſatione ſæpè contaminatur. Sed diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, proh dolor! in capite omniũ platearũ, quia hi (inquit Greg.) qui per orationẽ & contẽplationẽ ſemper intus eſſe deberent, per vitã foris vagantur.] Itaq; meritò nos Religioſi, quorum Propheta torporem ac negligentiam deflet, erubeſcere deberemus, cùm apertiſſimè, Gregorio teſte, nos qui politi per manus artificis ſuperioris, nimirum veluti lapides æterno illi Sanctuario deſtinati ſumus, hoc loco perſtringat. O quomodo exclamat Bernardus in noſtram ſocordiam qui ardorem deſiderij Patrum, Chriſti in carne præſentiam ſuſpirantium frequentiſſimè cogitans, ait: [Compungor & confundor in memetipſo, & nunc vix contineo lachrymas, ita pudet teporis torporíſque miſerabilium temporum horum.] Illi quotidiè Chriſti aduentum ſuſpirarunt, tantóque eum videndi noſtra veſtitum carne flagrabant deſiderio, vt beatitudinis veluti principiũ hoc ſibi ducerẽt; & nos eum quotidiè licèt triticea contectũ veſte intueamur, & tamen in eius amorẽ minimè inardeſcimus: Heu! ecce quomodo à noſtrorum maiorum feruore ita deſiuimus, vt bono ſemini nos

Hom. 17. ſuper Euang.

Pet. Dam. in Apolo. de cõtemptu ſæculi. c. 26. Similia.

Deplorat mala vita religioſos.

Bern. ſer. 2. in Cant.

tan

tanquam zizania ſuperſeminati eſſe videamur!

20. Tertiò, deflet Propheta filios Sion inclytos, auro primo amictos, quibus cæteri Eccleſiaſtici viri deſignãtur. Quare Bernardus, [filij illius ſpeculationis, filij ſupernę Ieruſalem, inclyti per dignitatẽ conditionis, amicti auro primo per diuinitatis imaginẽ. Quomodo ergo ex his reputati ſumus inter vaſa teſtea, lutea, & fragilia.] Quemadmodum Sionis, quę ſpeculam ſignificat, incolę eſſe dicuntur, quorũ conuerſatio in cœlis eſſe ſemper deberet: ſic etiam in perpetua vigilia ac ſtatione ſuper rationis ſpeculam Eccleſiaſticos eſſe ſemper oporteret, vt lupos gregi vim inferre paratos promptiſſimè arcerent. [Clamauit leo ſuper ſpeculam Domini, Ego ſum ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam: ego ſum ſtans totis noctibus.] Ecce quomodo noctes atque dies tanquam feroces leones vigilare eos oportet, & curæ ſuæ ita intendere, vt omnem luporum vim à ſuo arceãt grege. Quare amicti etiam charitatis auro primo eſſe debent, vt animarum ſalutis amore accenſi illis ſemper tanquam quotidianæ eſcæ inhiẽt, adeóque promptos eſſe oporteret, vt inſtar illorũm Ezechielis animaliũ, quæ ibant & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, eant ac redeant ad ſalutem proximorũ promouendam, neq; ita apud illos commorentur, vt næuũ aliquem populare contrahant: ſed vt illa vbi aliquantulũ in ſimilitudinem fulguris, quo nihil celerius, progreſſa ſtatim reuertebãtur: ſic animarũ paſtores, vbi ad proximorũ ſalutẽ ſatis progreſſi ſunt, ſtatim ad contẽplandum redeant, ne diutius, quã par ſit, cum hominibus verſantes, ſuæ obliti ſalutis, tanquã vaſa teſtea, in peccati rupẽ impacta cõfringãtur. Egredi itaq. cum illis animalibus, & regredi incolumes oportet. Huiuſmodi nos paſtores animarum eſſe optarem, ſed proh dolor! ex bono ſemine in zizania conuerſi, reputati ſumus in vaſa teſtea, qui ſpiritali generatione filij Sion inclyti eſſe debueramus, & qui amicti auro primo charitatis, in

Bern. de ver. Apoſt. ſer. 2. Deplorat mala eccleſiaſticos. Similia.

Iſa. 21.

Eze. 1.

vaſa

vasa abiuimus testea. Sicut enim illa facilè franguntur: sic nos laboribus statim frangimur,& in figuli manu, nostra quidem socordia, & honoris vasis, in contumeliæ vasa conuertimur. Ecce semen optimum in zizania conuersum!

21. Deplorat insuper diuites, potentes, ac magnates. [Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos:] Lamiæ, teste Hieronymo, animalia fuit, quæ hominis faciem habent, cætera verò membra bruti. Multi, proh dolor! hodie diuites, potentes, ac magnates lamiæ sunt, qui hominis faciem præ se ferunt, quorum mores tamen adeò belluini, vt in bestias eos penitus degenerasse iudicares! lamiæ profectò, qui iniquis contractibus, iniustis lucris & vsuris pauperum mammas denudant, quibus Propheta Habacuc væ intonat: [Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius.] Licèt mali lucri grata frequens sit acceptio, mali tamen rerum mercatores in absynthium sibi versum serius quidem sentient. [Similis enim est, inquit auctor imperfecti, pecunia vsuaria aspidis morsui. Sicut enim qui aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & sic per suauitatem soporis moritur: sic & accidit sub vsuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium acceperit, & sic per suauitatem beneficij non sentit, quomodo captiuus efficiatur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit & corrumpit: sic vsura per totas facultates eius discurrit, & conuertit eas in debitum.] Cur ergo miser homo fœneraris homini? fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis: [fœneratur autem Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.] Fœnerate ergo, vt vos monet Ambrosius, Domino pecuniam vestram in manu pauperis: ille astringitur, & tenetur ille, quicquid egenus acceperit, reddere: Euangelium eius cautio est. Quid dubitas dare? Sic mammas misericordiæ Dei sugetis,

Lamiæ multos esse similes dolet.

Habacuc. 2.

Auctor imperfecti in Matth. hom. 12. *Simile.*

Prouerb. 19.

Amb. de Tobia c. 16.

tis,& pauperum mammas nudare desinetis. Quare vt sitis vtiles fœneratores, vt mammarum misericordiæ Dei succum hauriatis, Augustini rapite consilium. [Quid ergo,inquit,faciam, vt sim vtilis fœnerator? attende quid facit fœneraor : minus vult dare, certè & plus accipere : hoc fac & tu, da modica,accipe magna. Vide quàm latè crescat fœnus tuum. Da temporanea, accipe æterna. Da terram, accipe cœlum. Et cui dabo,fortè dicis? audi Scripturam ; fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Illi porrigis, ille accipit. Da ergo,securus esto, reddam : eia igitur auare fœnerator,vide quid dedisti, vide quid accepturus es. Si dedisses paucam pecuniam, & acciperes pro ea magnam villam, quantas gratias ageres,quanta lætitia tollereris?audi quam possessionem det, quem fœneratsti. Venite benedicti patris mei! Quid? quod dedistis? absit. Terrena dedistis, quæ si non dedissetis in terra putrescerent. Sed percipite regnum,quod vobis paratum est ab initio mundi.] Ecce lamiæ, quæ pauperum denudant mammas, quibus catulos suos, belluinos scilicet appetitus lactant, quàm facilè cum ingenti fœnore à pauperum direptione ad misericordiæ mammas suos conuertentes appetitus,cœlestibus diuitiis locupletarentur! Attendant igitur, attendant ad petram,vnde excisi sunt. Considerent plurimos olim diuites extitisse, qui sua substantia pauperibus potius succurrere, quàm vsuris opprimere maluerunt,alioqui sese in medio tritici superseminata zizania esse intelligant.

Aug. in ps. 33

Potentes & magnates similes esse Lamiæ desiet.

22. Potentes insuper ac magnates aliquando etiam huiusmodi lamiæ sunt, qui suorum subditorum mammas exactionibus,mulctis ac vectigalibus denudant, quibus catulos suos, famulorum turmas ac filiorum greges contra fas ac ius lactare solent? Attendite, attendite ad petram, vnde excisi estis, considerate potentes illos ac magnates, qui potius

subdi

ſubditorum, ſuorum proſperitate gaudębant, eorum augebant opes, ſuaſque mammas in Eccleſiæ ſubſidium nudabant, quibus illius catuli Prælati, ſacerdotes, religioſi, pauperes lactabantur, de cuius Eccleſiæ ſtatu olim vaticinatus eſt Iſaias:[Venient(inquit) ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi.] Ecce quomodo Propheta potentes,diuites ac magnates,eorúmque filios,qui Eccleſiæ mammas olim nudabant, eiuſque bonis ſuos lactabant catulos, tandem aliquando,vice verſa, ſuas Eccleſiæ mammas ſugendas, eiuſque catulis daturos præuidit. Nam imprimis plurimi diuites, potentes, tyranni, Reges, Principes,eorumque poſteri curũi venerunt veſtigia pedum ſummi Pontificis adorantes,vti nuper illi Iaponenſes Principes, & vt olim Conſtantinus Magnus, qui aliquando Eccleſiæ hoſtes extiterunt errores ſuos ac impietatem tandem agnoſcentes,omni ſtatu,ſuperbiæque typho depoſito ad Eccleſiam & ad Romani Pontificis,Chriſti in terris Vicarij pedes ſumma cum animi dimiſſione acciderunt, mammáſque ſuas illi præſertim Conſtantinus, ſugendas exhibuerunt. Hinc enim ſubdit Propheta, [Suges lac gentium & mammillâ Regum lactaberis.] *Iſa.60.*

23. Verè lac Gentium ſuxit Eccleſia cùm primitiæ Gentium tres Reges quicquid magnificum, quicquid opulentum,quicquid pretioſum habuerint illi apertis donauerint theſauris. Verè lactata Regũ mammillis,cùm ampliſſimis Regum,Principum,Imperatorum honoribus, donationibus, ac priuilegiis aucta & locupletata,& quaſi ad Regum mammillas per amoris,fauorúmque magnitudinem admota lac eorum ſuxit pinguibus dotata beneficiis,ac magnificis inſtructa opibus,quibus ſuos catulos Sacramentorum miniſtros lactaret. Ecce quale ſemen nobis reliquit Dominus Sabaoth, quòd ſi non reliquiſſet quaſi Sodoma fuiſſemus, cùm hodie parum *Eccleſia ſuxit Regum mammillas.*

aut

Digitized by Google

aut nihil horum etiam exemplis commoueamur. O ſi nobis modò adeſſet Propheta, multò magis noſtri temporis calamitatem defleret, cùm ex bono illo ſanctorum Regum, Principum, potentum & diuitum ſemine in Eccleſiæ agro olim à Chriſto iacto, zizania ſparſim produci videret, auaros nimirum, libidinoſos, ſuperbos, Eccleſiæ contemptores, ſuorúmque ſubditorum expilatores. Vtinam attenderent ad petram vnde excisi ſunt! vtinam omnes præclara maiorum exempla eorúmque Eccleſiæ obedientiam, animíque ſubmiſſionem imitentur, vt in fertili Eccleſiæ agro è ſanctorum ſemine ſanctas ſemper plantas ſuccreſcere videamus!

Iob. 39. Deplorat multos eſſe ſtruthioni ſimiles.

24. Deplorat præterea patresfamiliàs, eorumque proles ac magiſtros: [filia inquit, populi mei crudelis quaſi ſtruthio in deſerto.] Penna, inquit Iob, ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodij & accipitris, quando dereliquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea, obliuiſcitur, quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui: fruſtra laborauit nullo timore cogente, priuauit enim eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligẽtiam.] Quàm graphicè patres & matres ac magiſtros, qui ſuorum curam non habent, in huius ſtruthionis figura depingit! Nam ſicuti ſtruthio pennarum accipitris ſimilitudinem habet, ſed non volatus, & licèt alas ad volandum erigat, nequaquam tamen ſe à terra volando ſuſpendit: ita aliquando parentes, & magiſtri licèt filiorum ſuorum, ac diſcipulorum curam gerere videantur, & correctionem ſimulent, quandam neſcio pietatem præ ſe ferentes, ad tempus bono illis exemplo quaſi præluceant, ſed cùm ſanctæ conuerſationis vmbratilem tantùm ſpeciem habeant, vbi correctionis & bonorum morum alas, per ementitæ ſanctitatis figuram extendere videntur, ſuorum prægrauati malorum morum pondere, minimè à terra ſubleuantur, quorum conuerſatio ac ſtudium terrenis ſemper

Similia.

adhæ

adhæreſcit. Hinc quæ correctionis flagella prolibus & diſcipulis admouere ſimulabant, hæc tandem in eorum ipſorum vertuntur ruinam. Deinde ſtruthio oua negligit, quæ parit & in puluere & arena derelinquit, quorum obliuiſcitur, donec penitus, vt auctor eſt Lyranus, indureſcant: ſic negligentes parentes, & magiſtri, qui charitatis ardore carent, de torpore filiorum, id eſt, ŏuorum frigore nequaquam curant, ac proinde in arena etiam & puluere eos omnium concalcandos pedibus relinquunt, inter, inquam, diſcolos verſari, ac depraua-tis moribus ſcurras, quorum ſordidis & corruptis exemplis ita peruertuntur, vt ſceleribus committendis indureſcant; neque parentes neque magiſtri hanc ſuorum corruptelam correptione aut caſtigatione curant. [Durantur enim ſicut ſtruthio ad filios, quaſi non ſint ſui] ita enim illorum à ſe ſollicitudinem abiiciunt, illóſque per omnia præcipites ferri illicita permittunt, quaſi eorum cura nullo modo illos tangat. Sed quid? priuauit enim eos Dominus ſapientia, nec dedit illis intelligentiam, ob neglectam ſibi à Deo ac natura commiſſam curam, & ſic facti ſunt zizania, quæ tempore meſſis igni inextinguibili comburenda tradentur.

25. [Odit (inquit Chryſoſtomus) prolem ſuam coruus, & natam non educat] quare crocitare natiuo inſtinctu, ad Deum ſolent derelicti pulli. Deus autem parentum ſubiens vicem illos à parentibus deſertos quaſi adoptat, etenim eorum clamor ad Deum non ſolùm tanquam ad patrem orphanorum, verumetiam, tanquam ad iudicem appellat, diuinamque indulgentiam & pietatem, contra impietatem parentum, prouocat, quaſi illos infandæ cuiuſdam infidelitatis accuſans, quod ſuorum domeſticorum illi curam non habeant. Quare illis naturæ auctor dignam vicem rependi imperat, nam proles genitores ſuos in ſenectute, teſte Æliano, minimè alunt: ſic parentibus ac magiſtris iuſto Dei iudicio

Chryſ. hom. in Eliam.

Pœna parentum & magiſtrorũ qui curam ſuorum negligunt.

Ælian. l. 15. c. 29.

contin

continget: vbi ad ætatis ſuæ extremam diem peruenerit, æternæ vitæ pabulo qui filiis ac diſcipulis ſuis ſanæ doctrinæ Chriſtianorúmque morum alimenta miniſtrare neglexerunt, priuabuntur. Si hanc igitur Dei vindictam in impios parentes ac magiſtros euitare velitis, à teneris curam illam prolibus impendite, quam vos natura ipſa docet habendam, vt ex vobis tanquam ex bono ſemine non zizania, ſed purum Eccleſiæ Dei triticum creſcat. [Quare ſi ſollicitè, vt ait Hieronymus, prouides ne filia percutiatur à vipera, eadem cura prouide ne feriatur à malleo vniuerſæ terræ, ne bibat de aureo calice Babylonis.] In timore igitur Dei prolé educate, neque vnquam magiſtri diſciplinæ ac correptionis negligant officium. [Noli, monet Sapiens, ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur: tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.] Hoc primum ac præcipuum in prolium ac diſcipulorum animis bonorum morum diuiníque timoris iaciendum ſemen. Nam dum tener animi ager eſt, & ad ſuſcipiendum pietatis ſemen idoneus, tum maximè curandum, vt antequam malorum morum zizania ſuſcipiat, cœleſte illi inſeratur ſemen. Quemadmodum enim ex eadem cera dum mollis eſt iuxta effingentis ductus vel Angelus effingitur, vel cacodæmon: ita ex eadem hominis natura tenera adhuc ætate, vel Angelo ſimilis vel cacodæmoni iuxta eorum mores, quorum conſuetudine delinitur, puellus efformatur. Nam (vt ait Chryſoſtomus) ſunt ſcabioſæ oues, quæ ſi confricentur cæteris etiam quæ ſanæ ſunt inficiuntur & morbo tentantur: ita & hi homines nequam ſi ſimplicioribus quibuſque interuerſentur, veneno ex ſuæ malignitatis conuerſatione exhauſto inficiunt: ſermo enim eorum vt cancer ſerpit. Cur ergo mirum ſi nos cum Propheta huius noſtri temporis ſtatum deploremus, vbi diuinæ ſementis loco in puerorum animis diabolica iacta eſſe zizania videmus:

Hieron. ad Latam.

Prou. 23.

Simile.

Digitized by Google

videmus: paruuli enim petierunt panem & non erat qui frangeret eis: [Hoc est, vt ait Beda, indocti quęsierunt pabulum verbi Dei, quo ad virtutem bonæ operationis conualescerent: nec erat, magistris deficientibus, qui eis arcana scripturarum patefaceret, eosque ad viam veritatis institueret.] Hinc pro veritatis semine errorum zizania in Ecclesia nascuntur.

Beda homil. Domini. 7. post Trinitatem.

26. Denique deplorat Propheta omnes simul hominum ordines, qui illibatæ vitæ sanctitate perspicui, simplices sine dolo esse deberent: [qui nutriebantur (inquit) in croceis amplexati sunt stercora.] Heu! quot huiusmodi hodie apud nos regnant! In croceis nutriti, qui licèt sanctorum quotidie exemplorũ odore suauissimo allecti, vt omnem auaritiæ, luxuriæ ac superbiæ fœtorem abominentur, tantùm tamen abest vt ad virtutum suaueolentiam rapiantur, vt potius in cœno peccatorum sepulti graueolentibus illorum stercoribus inhient. Nonne etiam in croceis enutriti, quos Dominus, præ cæteris, in diuini odoris suauitatem trahere conatus, eosque quasi in suos elegit affectas, quibus neque diuitias ne insolescerent, neque extremam, qua desperarent, paupertatem tribuit, vt recto tramite sine offensione diuinorum dulcedine inescati viam percurrerent mandatorum, cùm tamen vix nudum Christiani nomen retineant. Gloriantur quidem se templa deuotionis causa frequentare, rei sacræ ac concionibus operam dare, veri Catholici externam facere professionem. Sed ô quid prodest cùm aliud ore, aliud mente voluant? nudum itaque nomen Catholici præ se ferunt. Quid obsecro prodest corporis tantùm præsentia, animo in alienis vagante? quid prodest tantum corporeas arrigere concionibus aures, si cordis obstinatius clausæ maneant? Gloriamur sæpe de fidei tenacitate, quod nunquam illius naufragium passi simus: sed fides sine operibus mortua, vbi interim charitatis opera ex fide viua profecta?

Qui nutriebantur croco amplexati sunt stercora.

Digitized by Google

vbi in mercimonio iuſtitiæ æquitas? vbi in pactis fides? vbi in conuerſatione morum grauitas? vbi ſolidæ ſanctitatis in noſtris actionibus veſtigia? vbi veræ deuotionis feruor? vbi diligens legum obſeruantia? vbi virtutis zelus? vbi charitatis ardor? vbi animorum inter ſe conſenſio? vbi proximorum amor? Quid quæſo nobis prodeſt quod olim Inſula ſanctorum Hibernia fuerit, ſi in nobis nullum ſanctitatis veſtigium reperiatur? quid nobis prodeſt, quòd ſanctorum agmina, hinc ad diſſitas regiones conuertendas Hibernia olim tranſmiſerit, ſi hæreticorum fucos in pietatis aluearia irrumpere permittamus? Quid nobis prodeſt tot habuiſſe Patricios, tot Columbanos, tot Malachias, tot Benignos, tot Machaldos, ſi ex iis quempiam fouere prohibeamur? Quid denique nobis prodeſt ſi Hibernia hactenus tenax fidei appellata ſit, ſi graſſante hæreſi, luxuriæ, auaritiæ, ſuperbiæ, cæterorúmque vitiorum, quæ ſecum ſemper inuehit, tenax futura ſit? Si ergo gloriemur in noſtris maioribus, quos tanquam bona ſemina, magnus ille agricola in ſuo Eccleſiæ agro ſeminauit, cur non dolemus etiam in dies tam bono tritico, hæreſum zizania ſuperſeminari? cur non aures noſtræ audire cohorreſcant. [Nonne bonum ſemen Domine ſeminaſti in agro tuo, vnde ergo habet zizania?]

27. Vereor ne illud Michææ in nos quadret, ſi hæreticorum fucos in noſtra mella irruere permittamus; vereor, inquam, ne meritò ſancti Patres, qui hanc olim Inſulam incoluerunt, illud vſurpare poſſint: [væ mihi quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.] vereor, ne, & iis, & mihi contingat, quòd illis, qui in autumno racemos colligunt, poſt vindemiam factam, cùm vix vlli reperiri poſſint: ſic modò vereor tam paucos inter nos breui futuros religionis cultores, ni Deus hanc hæreſeòn peſtem, à noſtris arceat finibus, vt ex omnibus vnum veluti botrũ conficere vix poſſimus. Hinc

Michæa 7.

Chriſti ac Patricij querela.

vos

vos alloquentem Christum & Patricium Hiberniæ Patronum hæc identidem vsurpantem verba diligentius consideretis velim, vt saltem seria vitæ emendatione luctuosum alioqui eorum præsagium declinemus: [væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ:]ita enim dæmon & Lernæa illa hæresèon hydra meam depopulati sunt vineam, vt vix raros in ea reperiam racemos! præcoces quidē ficus desiderauit anima mea: desiderauit, inquit, illam priorum Patrum virtutem, qui tanquam præcoces ficus ante vos præcesserant, venique optans aliquos illis similes reperire, sed heu! non inueni. [Quasi vuas in deserto inueni Israël, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius.] Vidi Patres vestros olim in Hiberniæ deserto, tot inueni vuas, tot sanctorum agmina, quasi prima poma primitias spiritus habentia, ficulneæ Ecclesiæ iam à me plantatæ in cacumine eius. Vidi Patres vestros, Patricium, Columbam, Malachiam, Benignum, Machaldum, Gerebernum, cæterosque sanctorum: vidi, inquam, olim in Hiberniæ deserto, sed heu! iam ad vos veniens decussa poma, excerptas vuas, deiectam ficulneam inuenio. Frustra igitur volo iam vindemiatæ Hiberniæ ac penè perditæ, quasi extremos requirere racemos! sed quid? Mea est vinea, & licèt non sit botrus ad comedendum, saltem immaturas ficus in cibum sumere exopto. Ecce quantum diuino pectori salutis nostræ insidet desiderium! quasi diceret (inquit Hieronymus) non inueniēs panem præ famis magnitudine quisquilias & furfures requiro. O hæresis, hæresis, septé capitum mortifera euibrantium in Ecclesiam venena crudelis hydra, ad quem deplorandum hodie statum florentissimam olim doctrina, religione, ac sanctissimis viris patriam deduxisti nocentissima errorum zizania, purissimo religionis Apostolicæ ac Romanæ tritico superseminans. *Ose. 9.*

28. Sed magna supereſt, adhuc te inuita, ò imma-

nis hydra, ſpes Hiberniæ ad priſtinum redeundi ſtatum, cùm fides adeo ſit in Incolarum animis fixa, vt, Diuo Patricio deprecante, nunquam penitus conuelli poſſit. Cùm enim ſeptentrionem exitialis illa peſtis longè latéque depopularetur: Ecce veluti è cœleſti curia Patricius à Deo in Hiberniam miſſus habens ſignum Dei viui, quo ſibi olim diuinum de Catholicæ fidei in Hibernia perſeueranti ſtabilitate promiſſum palam faceret clamabat: Noli nocere omnibus Septentrionis partibus quoaduſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Signauit itaque indelebili fidei ſigillo Hibernos, adeóque illud eorum pectoribus, per diuinam gratiam impreſſit, vt licèt peccatis ac hæreſis fuligine ſubinde obſcuretur, deleri tamen nunquam poſſit, quod ſingulare, præ cæteris nationibus, Hibernis, priuilegium conceſſum Patricij vitam legenti clareſcet. In hoc autem fidei tantum ſigillo nobis minimè gloriandum, ſi operibus vacua ſit, fides enim ſine operibus, Apoſtolo Iacobo teſte, mortua eſt, neque in Sanctorum virtutum ſplendoribus, qui nos quondam præceſſerunt, nos inſolentius efferre debemus, ſi ab eorum virtutibus degeneres inueniamur, neque in illo priuilegio nobis de fidei ſtabilitate conceſſo, ita fidendum, vt parum de fidei nitore conſeruando ſolliciti ſimus. Nam ſi in hoc tanti momenti negotio velimus indormiſcere, verendum, ne quod olim Ieconiæ contigit, hoc noſtro cõtingat regno. Nam licèt ille Domino percharus aliquando eſſet, ita tamen eum ob peccata puniuit, vt eum in manus traderet inimici. [Viuo (inquit) ſi fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu dextra mea inde auellam eum, & dabo te in manu quærentium animam tuam.] Annulus ſiue ſigillum olim fuit Hibernia in manu Domini præ ſeruandi ſollicitudine. Ita enim illam ſeruare decreuit in manu dextra ſua, ſicuti annulum, quo myſteriorum ſecreta obſignare ſolebat, vt nunquam illam à ſe auelli permiſ

Licèt tenaces ſimus fidei tamè niſi opera fide digna habuerimus parum proderit nuda fides.

Vita eius per Iſoli. c. 31.

Iacobi 2.

Ierem 22.

permissurum nostro Patrono ac Apostolo Patricio promiserit, ni scelerum multitudo & morum corruptela eum cogeret. Quis ergo inter nos adeo securus erit, vt sibi impunitatem promittat, si fidē tantum nudā operibus vacuā ac mortuam reseruet? Quamuis enim Hibernia hactenus fuerit annulus in manu dextra Domini, quāuis tot annulis eius digitos ornauerit, quot sanctos olim educauerit, quamuis tot gēmas quasi è suis viscerībus erutas annulis etiam inseruerit, quot sanctorū religiosorum agmina olim fouerit, si nos tamē scelerū maculis inquinati nuda tantum fide contenti viuimus, tantùm abest vt in digito suo nos tanquā annulos seruare velit, vt etiamsi per fidei nudum nomē, illius digito inserti, quodammodo videamur, inde nos euellat & in Babyloniā, in omnis confusionis locum, in infernum, inquā, præcipitet. Colligit enim zizania de medio tritici, vt cōbustioni æternæ illa consecret. Vnde August. [ligate, inquit, fasciculos, hoc est, rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cū fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracūdis, falsos testes cum falsis testibus, fures cum furibus:] cui illud Gregorij concinit [fasciculos ad cōburendū ligare est hos, qui æterno igni tradēdi sunt pares parib. sociare, vt quos similis culpa inquinat, par etiā pœna constringat.] Cauendū ergo nobis ne è manu Domini auulsi tanquā adulterini annuli in inferni fornacē excoquendi, si fidei tantum nudæ innitamur, in æternum præcipitemur.

Aug. ser. 39. de sanctis.

Greg. lib. 9. Mor. c. 29.

Verēdum ne nos qui sumus annuli in manu Dei ab ea abiiciamur.

29. Refert Valerius Maximus de ignobili Scipione huic nostro negotio rem accommodatissimā. Hic enim cùm Magni Scipionis Affricani esset filius in tāta tamē domestica educatus gloria patris sui splēdorem ita suorum scelerum tenebris obscurauit, vt à paterna degenerans magnificentia sese in omnem dederit ignominiā. Quare decreuit Senatus vt honoris insigne annulus scilicet, in quo Patris imago depicta erat, quē in digito gereret, de manu detraheret:

non eſt enim paſſus, vt illud honoris inſigne manu gereret, quod malis operibus inhonorauit. Sic verendum nobis ne Deus honoris inſigne, quod nobis ſuis Patricius præclaris meruit operibus, Fidem nimirum per noſtra obfuſcatam demerita auferat, & imaginem ſuam, quam honoris gratia variis depictam virtutibus annulo inſerere voluit, qua ſingularem in nos beneuolentiam declarauit, ſuæ nimirum humanitatis nobis cognitionem impertiendo, in qua tanquam in pulcherrima gẽma ſuæ diuinitatis imaginem expreſſam nobis dedit: verendum, inquam, ne & fidem & ſuæ humanitatis cognitionem, nobiliſſimámque diuinitatis ſuæ imaginem è noſtris deleat cordibus, nóſque, quos præ aliis nationibus tãquam annulum in dextra ſua poſuit, à ſe excutiat, & æternæ ignominiæ tradat tanquam nociua Eccleſiæ tritico zizania ab inimico homine ſuperſeminata. Hanc miſeriam nobis obuenturam vtinam ſuſcepto diuini verbi ſemine in Eccleſiæ Hibernicæ agro, pœnitentiæ lachrymis præueniamus, præſentémque Hiberniæ ſtatum cum Propheta lachrymoſi defleamus, vt ſimul à præſenti miſeria, & futura calamitate Deo noſtris annuente lachrymis patriam vindicemus.

Ierem. 9. [Super montes, inquit, aſſumam fletum & lamentum, & ſuper ſpecioſa deſerti planctum.] Nolo ego iam Angliæ, Scotiæ, Germaniæ ſtatum deplorare! nolo Græciæ, Arabiæ & Iudææ luctuoſum deflere caſum! nolo me de totius mundi miſerabili ruina conquerentem fatigare clamoribus; ſed ſuper montes aſſumam fletum & lamentum, ſuper ſpecioſa deſerti aſſumam planctum, ſuper illas antiquas Hiberniæ ſolitudines religioſis olim ac Sanctis plenas agminibus; ſuper montes illos cœleſtes, ſuper tot monaſteria aſſumam lamentum, in quibus tanquam in excelſis montibus à communi hominum conſortio ſegregatis tot Sanctorum examina contemplationi dedita vixerunt, quæ ex ſuis aluearijs veluti fructuoſæ apes ſeſe per totum terrarum orbem ſparſe-

runt,

runt, vt ſui mellis ſuauitatis, doctrinæ, inquam, & pietatis ſuper mel & fauum dulcioris, diſſitas à ſe regiones & prouincias facerent participes: ſuper hæc, inquam, plãctum aſſumam. Super hæc aſſumam planctum, & lamentum, donec flammam hanc longè latéque in Hiberniam debacchantem meis veſtríſq; lachrymis penitus extinguam. Deducite ergo mecum quaſi torrentẽ lachrymas per diem & noctem, & non detis requiem vobis, neque taceant pupillæ oculorum veſtrorum, conſurgite in nocte, & effundite ſicut aquam corda veſtra ante conſpectum Domini donec labenti ſuccurrat patriæ, & aream Eccleſię ab hæreticorum zizaniis purgatam ſanctorum virorum iterum puro tritico refertam videamus. *Thre. 2.*

EXEMPLVM.

30. Iulianus Apoſtata tantus fuit zizaniorum in Eccleſia Dei ſeminator, vt ſtatim imperio obtento circumeundo per ciuitates Deorum templa aperiret, & ſtatuis ſacrificaret, ſéque ipſum ſummum Sacerdotem nominaret: præcepit, ne in curia militarent ij qui Chriſtianam fidem relinquere & ſimulachris ſacrificare nollent, & vt ne Chriſtiani fierent præſides prouinciarum, Epiſcopos aſſentationibus & muneribus ad ſacrificandum prouocabat; ſacrificare nolentibus pecuniarum mulctam imponebat; duráque fiebat contra eos exactio: vnde præſides Prouinciarum cupientes ſeſe in Imperatoris animum inſinuare Chriſtianos durius, quàm mandatum eſſet ab Imperatore, tractabant, pluréſque pecunias, quàm oporteret, exigebant, t ormentis etiam adhibitis: quæ cum reſciſſet Apoſtata contemnebat, quin & Chriſtianis ob eam cauſam ad ſe accedentibus conquerentibúſque [veſtrum eſt, reſpondebat, ferre, cùm afflictamini; hoc enim eſt Dei veſtri mandatum.] Præcepit etiam ne pueri Chriſtianorum in Poëtis ac reliquis commentatoribus Ethnicis inſtituerentur, *Socrates l. 3. Hiſtor. Eccl. & Soz. omenus l. 5.* *Socrates.*

quod ex Ethnicorum lectione facultatem perſuadendi parari putaret. Præterea in odium quoque Chriſtianorum fauere inſtituit Iudæis, omniáque religionis Chriſtianæ myſteria contempſit, & loco puri religionis tritici Gentilium ſuperſtitionum zizania ſeminare omni ratione voluit. Sed ne diutius Eccleſiæ ager illius mali agricolæ imperio ſubeſſet in conflictu lethali vulnere incerto auctore telo diuinitus directo percuſſus in Perſide ad fluminis ripam iacuit, & licèt ob ſpretam Chriſti religionem mori ſeſe confiteretur & à Nazareno victum agnoſcens impleſſet manum ſuam ſanguine, & ſparſo illo in aëra dixiſſet: Vicisti Galilæe, conſilio tamen cum Sacerdotibus ſacrilegis inito ſe clam in fluuium præcipitare voluit vt diuinitus raptus videretur, & pro Deo haberetur. Ecce non tantum contentus fuit in vita zizaniam ſpargere niſi etiam poſt mortem ſementem hanc idololatriæ faceret. Verùm cum ſuo duce Sathana in tartara præceps actus eſt.

Niceph. l. 10. c. 37.

IN DOMINICAM SEXTAM poſt Epiphaniam,

Concio.

THEMA: *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Matth. 13.

Apoc. 22. Dei miſericordia in animam diuinã, gratia in anima

1. QVàm admiranda ſimul, & iucunda D. Ioanni in extrema reuelationis ſuæ parte obiecta viſio! [Et oſtendit mihi, inquit, fluuium aquæ viuæ ſplendidum, tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & agni: in medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum

lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad salutem gentium.] Fluuius iste splendidus, qui de Dei sede proficiscitur; vberrima est Dei misericordia, cuius aquæ viuæ semper manantes, continuus nimirum gratiæ fluxus in iustorum animas dilabens, omnésque eorum latebras percurrens, eas ab omni peccati cœno purificat. Quare huiusmodi animæ (teste Ieremia) quasi horti irrigui sunt, in quibus arbores istæ, quæ vtrinque plantatæ in huius fluminis ripis vitæ, fructus vitæ duodecim, tanquam in Dei paradiso insertæ efferunt. Quemadmodum enim duobus maximè vitæ nostræ substantia conseruatur, potu & cibo, sine quibus vim suam & vigorem amittit: sic vita spiritualis, his duobus etiam conseruari debet, gratiæ aqua, & vitæ fructu. Hanc aquam, nobis cœlestem vitam sitientibus Dominus pollicetur: Ego, inquit, sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis, cibumque illi pollicetur, sed parta prius de hoste victoria: vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Paradisus verò, in quo lignum hoc vitæ insitum, cuiusque iustè anima, in qua tanquam in cœlesti paradiso suum Deus collocat thronum. [Anima enim iusti sedes est sapientiæ,] lignum verò vitæ quod duodecim affert fructus, Dei verbum est, quod grano sinapis, ob suam exilitatem, magnámque virtutem comparatur. Fluuius verò vtrimque arboribus circumseptus aqua viua exuberans, Dei misericordia, quæ in tot diuiditur gratiarum alueos, quot gratiæ viuæ ductus, in hunc Dei hortum deriuantur: à sede autem Dei emanare dicitur, quia à solo Deo, gratiæ ductus, in hunc animæ hortum influunt, qui perneceſſarij sunt, vt nouum gratiæ semen, in eo insitum, irrigent, quo paulatim in iustam exercens arborem folia ad sanitatem gentium,

portum tanquam aquæ ductus influit.

Ierem. 31.

Simile.

Apoc. 21.

Apoc. 2.

Sap. 7.

gentium, hoc est,verba Dei florida , eiusque doctrinam,quæ nobis gentibus æternam adferunt salutem, emittat:è quibus fructus duodecim, per menses singulos vitæ æternæ alimenta enascentur.

Concionis diuisio.

2. Duo hac concione dicere propono. Primum, granum sinapis Dei verbum esse,illúdque tametsi abiectum in speciem , reipsa tamen suaue. Secundum, duodecim eius fructus explicabo , nimirum fidem, spem,charitatem,animę calefactionem,eius liquefactionem,illuminationem,mũditiem,sustentationem, gladium ad animæ defensionem,medicinam, Dei filiationem,ac bonorum operum põdus. Quæ vt cum fructu animarum dicam per Beatissimæ Virginis intercessionem Spiritus sancti gratiam imploremus. Aue Maria.

Primum Punctum.

3. Quòd verbum Dei sit vitæ lignum & vigorosum sinapis granum, quod ex minimo semine in ingentem crescit altitudinem, clarum est. Nam sicuti Bonauentura per lignum vitæ, fructum intelligit charitatis,inquiens,[lignum vitæ sancta perfectio est in cordibus iustorum plantata,qui hinc & inde tanquam terra bona & tanquam ripæ amœnissimæ diuinæ gratiæ fluuio alluuntur , cuius ligni radix est timor Dei:[Nam initium sapientiæ timor Domini:] sic nos lignum vitæ, Dei verbum in cordibus etiam iustorum plantatum meritò appellare possumus, quandoquidem in bona terra,id est,in iustorum animis diuinæ gratiæ irriguo sæpius perfusum , semel insitum ita excrescit vt volucres cœli in ramis eius habitent : licèt in mala animæ impij terra , & peccati spinis obsita seminatum , defectu gratiæ illuuij , statim euanescat , eóque potius verbum Dei vitæ lignum esse dixerim , & ardens sinapis granum , cùm sine Dei timore , & ardenti charitate, tanquam fixa cordi radice excrescere non possit.

Bonau. serm. 18. in Genesim ad finem.

Ps. 110. Lignum vitæ est Dei verbum.

Exile

Digitized by Google

Exile quidem, deſpectum ac in ſpeciem, ſine virtute Dei verbum inſtar ligni aridi, aut viliſſimi ſinapis grani apparet, quod ſi meditationis piſtillo, veluti ſinapis granum atteratur, vim ſuam exeret. Quid, obſecro, carnalibus Dei verbo abiectius, quod ita contemnunt tanquam ſi aniles eſſent fabulæ aut Poëtarum deliramenta, quod tamen in iuſti animæ mortario exceptum, & ſedulæ conſiderationis piſtillo attritum, ita latentem exerit virtutem, vt diuinum penitus hominem eum paulatim efficiat, in cuius cordis mortario diligenti commentatione quaſi conteritur. Verbum itaque diuinum granum ſinapis eſt, quod occultam creſcendi vim habet, cùm initio paruum ſit; ſed ſenſim in ingentem creſcat magnitudinem, cuius fructus tantæ ſunt acrimoniæ, animæ veluti dentibus manſi, vt ſalutares eliciant lachrymas. Et vitæ etiam lignum, quod abſconditam in ſe virtutem in iuſti anima plantatum, & cœleſti gratiæ pluuia irrigatum, multiplici fructu oſtendit.

4. Quodlibet quidem ſemen tantæ eſt virtutis, & quaſi ſui amans vt ſterile eſſe nolit, ſed ſui creatoris naturam imitans ſibi ſimile procreet. [Nunquid ego qui alios parere facio ipſe non pariam ?] Et cùm ſui ipſius amantiſſimus ſit, non alienum à ſua natura partum habet, ſed figuram ſubſtantiæ ſuæ, de cuius partu ſic Paulus : [qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.] Sic quodlibet ſemen & fœcundum eſt, & ſibi ſimile producit. Inter cætera verò ſemina, licèt granum ſinapis exile, & abiectum videatur, tantæ tamen fœcunditatis eſt, vt non ſatis ei vnum ſibi ſimile partum producere, quaſi natura id docente, ſe cum diuino verbo collatum, niſi eo multiplicato, ſui creatoris fœcunditatem imitaretur, qui ex ſuæ fœcunditatis infinitate in tribus diſtinctis perſonis eſt

Iſa. 66.

Granum ſinapis ſeſe in altum attollit vt diuini verbi ſimilitudinem attingat.

eſt vna natura. Et vt eius cum diuino verbo comparatio, omni ex parte completa ſit, ſicuti Deus ſua immenſitate ita creuit, vt Angelicæ poteſtates tanquam auiculæ eius gloriæ radiis, quibus maximè beatificantur & delectantur tanquam ramis inſideant: ſic granum hoc ſinapis quaſi natiuo quodam faſtu, ob exile ſui exordium indignans, ita ſeſe longè latéque expandit, vt cum feruente æſtate maturescunt volucres cœli in eius ramis inſidere ſoleant, eo quod ſemen eius quod vehementer amant, vehementi etiam cum deſiderio comedant. Non iniuria igitur, diuinum Verbum huiuſmodi grano in ſpeciē abiecto componitur, quod exile ſui exordium ſeſe dilatando ita nobilitat, vt ſimul multiplici fructu, & virtutis magnitudine diuinam imitetur naturam, in quo maximè diuini Verbi ſimilitudo conſiſtit. Nam Dei verbi ſemen fœcundiſſimum, ſuóſque ramos longè latéque porrigit, ſibíque ſimiles fructus ſuo cultori exhibet gratiſſimos, licèt ab exiguo creſcere videatur principio. Sicuti enim arboris finis eſt, fructus producere ſuæ naturæ congruos: ſic diuino Verbo connaturale eſt, diuinos efferre. Cùm itaque finis, quem agricola noſter prætendit, diuini Verbi ſatione Deus ipſe ſit: præcipuus diuini Verbi fructus Deus eſſe debet; ſic vt vltimus ac princeps noſtri agri fructus ſummi boni ſit comprehénſio. Quàm ergo magnificum hoc ſinapis noſtri granum qui in tantum excreſcit, vt cœlum ipſum ſuo attingat vertice, fructúſque Deo inferiores varios ferre non ei ſatis, niſi Deum ipſum nobis etiam tanquam vltimum fructum producat.

Vile Dei verbum in ſpeciem, ſed ſi illud penitius rimari velis magnam in eo virtutem latere reperies.

5. Vilis itaque res eſt, ſecundùm externum corticem, Dei verbum, cuius tamen vim ac maieſtatem, ſi velimus attendere, rem eſſe magni momenti intelligemus. Et licèt per viles homines Euangelium enunciatum ſit, [quæ enim ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes] licèt non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, neque in ſubtilitate

1. Cor. 1.

ſer

sermonis sit prædicatum, licèt hominem pauperem virorum nouissimum, vt ait Isaias, flagellatum, mortuum, despectum annunciauerint, tantum tamen in eorum verbis virtutis fuit, vt sapientibus huius mundi verbi Dei veritatem persuaserint. Nec mirum cùm non in sapientia humana vis diuini Verbi, sed, vt ait Paulus, in virtute Dei consistat, ergo granum sinapis in speciem vile, paupertum prædicatione attritum, vim suam per totum terrarum orbem sparsit. Quid, obsecro, Christus ipse huius verbi auctor? vermem se appellat, opprobrium hominum & plebis abiectionem. Rem vilissimam in speciem prædicabat, humilitatem nimirum. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Quam lectionem nisi quis diligenter addisceret à Dei regno excludendum comminabatur: [Nisi efficiamini sicuti paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.] Quid, obsecro, hac lectione sapientissimi illius magistri in speciem abiectius? quantum tamen damnum ei obuenturum denunciabat, qui illam lectionem non arriperet? an non tibi angustius videtur, in summo honoris culmine collocari, ab omnibus honorari, quàm vilem & abiectum in Sapientum huius mundi conspectu haberi? Audis sapientissimum illum Doctorem eos prædicantem beatos, qui dimisso superbiæ cornu, mites se ac humiles exhiberent: Audis è diuino illo suggestu sapientius esse modò lugere quàm ridere, pauperem esse quàm diuitem, humilem quàm superbum. Hæc huius sæculi amatoribus absona, abiecta, vilia? Sed si diligentius secum animaduerterent Dei sapientiæ hanc esse censuram, eiúsque verba esse, sententiam statim mutarent, abscondita sub horum verborum humili cortice mysteria latére crederent. Ad instar grani sinapis hæc Dei verba diligenti secum cogitatione, quasi conterentes, nuclei suauitatem sentire inardescerent: gustata tandem eorum dulcedine exclamarent:

Isa. 35.

Ps. 21.

Matth. 11.

Matth. 18.

Hoc

Hoc est verum illud vitæ lignum, quod plantatum est in paradiso Dei nostri: hoc est in Ecclesia Euangelium, vitæ arbor, quo vitam eius possessores æternam acquirunt. Hæc auditis, hæc intelligitis, hęc Dei verba creditis, & tamen non percipitis huius nuclei suauitatem, huius grani virtutem nobis tributam ex hoc arboris esu, æternam vitam.

Similc. Quanta dulcedo sub Dei verbi cortice latet.

6. Sed quemadmodum non satis est, vt nuclei suauitatem percipias corticem intueri, neque vt grani vim experiaris ori apponere, nec vt vitam æternam haurias, vitæ arborem intueri; opus enim est, vt semoto cortice, nucleum dentibus conteras, in stomachum transmittas, granum diuidas, & fructus ligni vitæ ex terra animæ tuæ carpas, colligas, comedásque: Sic non satis est, te intelligere hæc Dei verba esse, sub iis occulta latêre mysteria, credentibus vitam dare æternam, sed oportet, vt eruens mysteria fidei ea ori applices, ac cordis stomacho ingeras, opere omnia complendo. Hinc Iacobus inanem multorum arrogantiam

Iacob. 1.

supprimit, qui satis sibi putabant verba Dei audire, quæ nunquam tamen effectui dare conabantur. Fratres estote factores Verbi, & non auditores tantùm: O vtinam quoties granum hoc nobis conterendum proponitur, illud auidè rapiamus. O quantam in eo animæ dentibus attrito dulcedinem reperiremus. O vtinam illud auidè cum Ieremia quæramus, inuentum conteramus, contritum comedamus, super mel gutturi nostro e-

Ierem. 15.

ius foret suauitas: Inuenti sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei. Hanc mellis suauitatem propheta Dauid sub hoc

Ps. 118.

grano latitasse inuenit. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Eloquia enim Domini animæ faucibus dulciora, quàm mel faucibus corporis: nihil enim iucundius bona conscientia, & spe supernæ beatitudinis, quàm diuinæ legis obseruãtia

parit,

parit,in hoc sinapis grano contentæ.

7. Hic est bolus, quem Ioannes tanta auiditate de manu Angeli arripuit,quem in ore dulcem,& in ventre sensit amarum:[Accipe librum & deuora illum.Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum:& erat in ore meo tanquam mel dulce,& cùm deuorassem eum , amaricatus est venter meus.] O quàm suauis animæ delicatæ palato liber iste vitæ, qui in ore in mel versus, transmissus in stomachum ventrem amaricat ! Vtinam sic nobis sapiat , verbi Dei liber,qui gratiæ quasi saccaro insperſus , facilè ab ore in stomachum traiicitur, in quo tanquam efficaces pillulæ,quæ interiora commouent,& operãdo versant , ita bene operatur , vt omnes stomachi peccantes humores sua vi expellat. Hic est bolus, quem Dominus Ezechieli comedendum dedit: Comede,inquit, volumen istud, & aperui os meum, & cibauit me volumine illo,& comedi illud,& factum est in ore meo sicut mel dulce.] O quàm dulce Dei verbum in cordis agro insitum,gratia Dei confotũ, continua benedictione irrigatum. Huiusmodi fœlix ager fuit illius anima, qui exclamans, ait : In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Huiusmodi etiam ager illius anima , qui statim insito verbo exclamauit,Domine quid vis me facere?Porrò huiusmodi ager fuit illius anima , de qua scriptũ est , Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo : ac proinde tantùm sumpserunt augmentum eorum animæ , vt veluti arbores vitæ ramos suos , ad quatuor terræ angulos expandentes fructus vniuersæ carnis præbuerint.

Salutaris bolus licèt in stomacho amarus verbum Dei. *Apoc.* 10.

Ezech. 3.

Psal. 118.

Act. 9.

Luca 2.

Secvndvm Pvnctvm.

8. Secundo ostendam loco , duodecim huius grani sinapis fructus. Scimus per insitionem vnam arborem,varios ferre fructus,ex vna enim radice,& vno trunco diuersi generis rami pullulare solent,qui inde

inde vim ac ſuccum haurientes, diuerſos ferũt fructus. Quòd huic vitæ arbori, huic grano ſinapis Dei nimirum verbo ſolemne eſt, quod ex Dei timore tãquam ex ſua excreſcens radice, varios à cœleſti illo agricola Deo ſurculos ſuſcipit, quibus vim & ſuccum tribuit, vt ex animæ viſceribus tanquam è bene culta terra aſſurgentes iuxta ſurculorum varietaté, varios etiam afferant fructus. Primus ergo ſurculus, qui ex hoc diuini Verbi trunco exurgit eſt FIDES. Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Quare Chriſtus cùm hoc diuini Verbi granum in noſtris animis inſerere vellet, clamabat: [Qui habet aures audiendi audiat.] Nemo enim fide credere poteſt, niſi prius quod credendum eſt, ſibi proponi & prædicari audiat: multi quidem audiunt: ſed ſua pertinacia & obſtinatione nolunt verbo Dei credere, illíque obedire. Quare fructum ab agricola ſperatum, ex tam nobili ſemente minimè faciunt. Quamobrem optimè Chriſtus: Qui habet aures audiendi audiat. Licèt enim corporis aures omnes habeamus, ita tamen peccati malitia ſæpè obturantur, vt ne quidem verbi Dei, vel tenuem ſonum, ad cordis aures tranſmittant, quę fidei aures maximè ſunt, quod euidentiſſimum reprobationis ſignum eſſe nemo ignorat.

Primus verbi Dei ſurculus eſt Fides. Rom. 10.

Qui in primo furto deprehenditur, vapulat: in ſecundo aures amittit.

9. Lege ciuili cautum eſt, vt deprehenſus in primo furto nudus vapulet, in ſecundo, aures illi obtruncentur, vt hoc ſigno, ſi ad iudicis tribunal poſthac in crimine deprehenſus trahatur, correctionis incapax iudicatus, ſtatim ſuſpendio è medio tollatur. Diuina etiam lege cautum eſt, vt ſi quando nos furtum noſtri ipſorum, per peccatum committamus, Deo, quod ſuum eſt ſurripientes, & alieno Domino, diabolo nimirum tradentes, deprehenſi ſtatim omni gratia ſpoliati, vti primus ille mortalium latro Adam conſcientiæ flagellis acriter verberemur. Si in ſecundo deprehendamur latrocinio, vti nequam Cain, cui aures præciſæ, & diuino verbo clauſæ dicenti:

Digitized by Google

centi, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear; sic nobis remisso primo furti peccato, in secundo deprehensis, aures sæpè audiendi verbum ita præscinduntur, vt anima nec sensum, nec dolerem commissi peccati habeat. Quid, obsecro, huiusmodi latro in tertio deprehensus latrocinio expectare debet? æternæ damnationis à iudice in se sententiam fulminandam: Ito maledicte in ignem æternum: Quantum ergo malum est aures præscindi, quibus fidem, sine qua impossibile est placere Deo, comparamus. *Gen 4.* *Matt. 25.*

10. Quantus verò fructus ex hoc sinapis grano, Dei nimirum verbo, fides sit, ex hoc constat, quòd fides basis sit, ac fundamentum, dux atque incentrix spei, charitatis, pietatis, aliarúmque virtutum, sine qua nemo ad Deum accedere, vti oportet, potest, eúmque ritè colere. Sola enim fides dictat nobis Deum esse auctorem, non tantùm naturæ, sed & gratiæ, gloriæque æternæ: Fide Henoch translatus est ne videret mortem, ait Paulus, quia nimirum fides futuræ retributionis eum excitabat ad præclara fidei opera exercenda, quibus ambulauit cum Deo, illíque placuit, ob quæ meruit à Deo rapi & transferri in paradisum. Fide Noë responso accepto de iis quæ non videbantur, de futuro scilicet orbis diluuio, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, cùm enim alij reuerentiam, metum, ac fidem Numinis abiecissent, præcisis audiendi Dei verbum auribus, rideréntque minas Dei de futuro diluuio: solus Noë timuit & reueritus est Deum iudicem & vindicem, certóq; credidit Deo prędicenti diluuium, quia aures audiēdi habuit, ideóq; ad illud euadendum Arcam constituxit, in cuius fidei præmiū iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. Licèt enim esset iustus per fidem, tamen qua Deo credidit & obediuit in arcæ fabrica, promeruit sibi iustitiæ augmētum, familiæ verò suæ promeruit, vt in ea sola, quasi hęreditario iure, & successione permaneret

Ad Heb. 11.
Magnus Dei verbi fructus Fides.

Sic ferè P. Corn. in hūc locum. Hebr. 11.

Ita. Theoph. Anselm. Galenus, & alij.

vera Dei fides,cultus, religio, iuſtitia & amicitia,& qua, quaſi noui mundi totius hærede,& noui ſæculi parente, tandem Chriſtus iuſtificator mundi, Adæ patri ſuo promiſſus naſceretur. Factus itaq; eſt Noë ex aſſe hæres iuſtitiæ & ſanctitatis Adami,Henoch, Abelis,& aliorum veterum Patrum, per fidem, incredulis & vitioſis hominibus, per diluuiũ penitus deletis.Fides eſt, quæ Abrahamũ ad Dei amicitiam prouexit. Fides eſt,quæ illũ tãtũ quãtus euaſit,effecit.Fides Abrahamũ,(quantum virũ?)finxit & efformauit. Ecce quã magnus grani ſinapis,verbi,inquã, Dei fructus fides,quæ in hominum animis ſuſcepta, charitate præſertim informata,mira operatur.

Gen. 3.

Secũdus fructus, Spes. Pſ. 118.

11. Secũdus ſurculus,qui ex diuini verbi trunco emergit,cuius fructus copioſiſſimi,SPES:[Memor eſto verbi tui ſeruo tuo,in quo mihi ſpem dediſti.]Sicuti fides baſis,columna & fundamentum,veluti in terra animæ iactum,cæteras ſuſtentat virtutes, quia ſolidiſſima,certiſſima & firmiſſima:ſic ſpes quæ fide quidem incertior eſt,eſt veluti tuta, certa, & firma rerum nobis à fide propoſitarum anchora, ad quam nobis confugiendum, ne ſęculi turbinibus abripiamur. Fugiamus itaque intumeſcentibus huius mundi fluctibus ad tenendam,vt ait Apoſtolus, propoſitam ſpem,quam ſicut anchoram habemus animę tutam ac firmam. Quemadmodum enim anchora in medio fluctuum iacta nauem retinet, ne à vento & fluctibus abrepta diſpereat:ita ſpes nos in immenſo huius vitę oceano,procelloſiſque laborum fluctibus, ita retinet, vt firmi & ſecuri permaneamus, quam Apoſtolus in cœlum iacere præcipit,Deíque pectori tãquam ſtabili fundo defigere,quod indicat Apoſtolus,dicens,[& incedentem vſque ad interiora velaminis, imò in ipſa Sancta Sanctorum in cœlis, tanquam in locum tutiſſimum,& ob remunerationis ſpem, bene laborantibus, promiſſæ, ad firmandam anchoram nauémque aptiſſimum.] Quàm ſingularis hic ſpei fructus, quæ nos inter turbulenti huius

ad Heb.6.

Simile. Spes anchoræ.

Oceani

Digitized by

Oceani procellas adhuc degentes, ipſam Dei viſionem,omnémque gloriam,& Beatorum opes hac ſpei anchora firmatos, ſpe rapere facit, qua ſpe excitati Sancti Chriſti martyres,vt ait Saluianus, eculeis & cataſtis ſcalam ſibi in cœlum fabricarunt. Scientes enim quod tribulatio patientiam operatur veluti terram frugiferam,quam tribulatio arat,colit,exercet, vt meritorum fructum ferat: Patientia autem probationem,quia ſcilicet nos noſtrámque virtutem probat,vti fornax aurum: Probatio verò ſpem, ſpei nimirum robur & vigorem: Spes autem non confundit;ſperantem enim neque fruſtratur, neque fallit,ſed eum certò perducit ad rei ſperatæ à Deo aſſecutionem. O diuinum ſpei fructum! ô ſingularem diuini Verbi ſurculum! ô admirabilem grani ſinapis virtutem!

12. Scitote quia [nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt.][Spes enim,vt ait Bernardus,non confundit; quia infundit certitudinem.] Secus ſe habet ſpes humana,ſæpè incerta,ſæpè fallax,ſæpè confundit,quia infundit incertitudinem & fallaciam.Quid enim mortalium ſpes niſi, vt ait Plato, ſomnia vigilantium, aut potius deſiderantium, quos Regius Propheta Deum odiſſe aſſerit, [odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè: ego autem in Domino ſperaui.] Ego, inquit, qui non obſeruo vanitatem, in Domino ſperaui. Speras in pecunia, obſeruas vanitatem: ſperas in honore & ſublimitate aliqua poteſtatis humanæ, obſeruas vanitatem: ſperas in aliquo amico potente, obſeruas vanitatem; in his omnibus cùm ſperas aut tu expiras, & ea hîc dimittis, aut cum viuis omnia pereunt, & in ſpe tua deficis.Iſtam vanitatem commemorat Iſaias, dicens: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit: Verbum autem Domini manet in æternum. Ego autem, non quomodo illi, qui ſperant in vanitate, & obſeruant, ſed in Domino ſperaui, qui

*Eccle.*2. *Bern.ſer.*37. *in Cant.* *Spes diuina, certa: humana, fallax.*

Pſ.30. *Aug. in illud* Pſ.30. *Odiſti, &c.* *Spei diuinæ certitudo, & humanæ vanitas.*

non est vanitas:]Sed ipsa veritas & stabilitas,quando enim in se speranti defuit illa Maiestas, quæ tam studiosè monet in se sperari? planè non derelinquit sperantes in se. Adiuuabit eos & eruet eos à peccatoribus. Quære quibus meritis? quia sperauerunt in eo. Dulcis causa, attamen efficax & irrefragabilis, quis sperauit in eo & confusus est?

Bern.ser.9.in Ps.Qui habitat.

Charitas tertius fructus.

1.Pet.1.

13. Tertius,qui ex diuini Verbi trunco surculus erumpit,cuius fructus copiosissimus est CHARITAS: [Inuicem diligite renati, non ex semine corruptibili,sed incorruptibili, scilicet charitatis per verbum Dei viui & permanentis in æternum.] Cùm Deus præcipuus sit huius grani sinapis fructus, eò pertingere non possumus sine amore, quem per verbum Dei viui prius habita fide & spe assequimur. Sicut enim sine fide impossibile est placere Deo, hoc est, Deum diligere, vel ex eius dilectione opus aliquod illi gratum præstare: sic sine spe, quæ sperantem ad boni sperati assecutionem promouet, Deum attingere nunquam possumus. Sicut ergo amare non possumus sine fide: sic neque ad rem amatam peruenire sine spe,neque credere, neque sperare sine Dei verbo, consequens est Dei verbum, & fidei, & spei, & charitatis quodammodò semen esse. [Lucerna pedibus meis verbum tuum.] Ecce à Dei verbo lumen fidei acceptum,quo in rebus fidei,ambulantium pedes sine offensione diriguntur,qui enim sine fide est in tenebris ambulat, & fides per verbum Dei. Sed qui sine spe ambulat, licèt fidem habeat: lucernam quidem habet,sed viam ignorat,cùm sine viæ duce, nimirum spe, quæ sperantem non fallit, sed ad summi boni sperati assecutionem certò perducit, oberrat; & spes per verbum Dei, [excipientes verbum in tribulatione multa:] bona spe fulti post tenebras speramus lucem. Et qui sine charitate ambulat, licèt fidem habeat & spem, lucernam quidem habet, & viæ ducem, sed cùm charitatis oleo careat, lumen dare non potest, ac proinde lucer-

Ps.118.

ad Thess c.4.

na

na extincta, dux viæ in tenebris oberrabit. Charitas igitur fidei lucerna, & ſpei duce ornata, cœleſtis veluti huius grani ſurculus cœleſtes fructus facit.

Charitas vilia, aurea efficit, Deóque vnit.

14. Vultis huius ſurculi fructus videre? ſi ſemel hic charitatis ſurculus, in bene ſubacto animæ noſtræ ſolo inſeratur, ita eam afficit; vt quæ alioqui vilia, abiecta, nullius meriti opera eſſent, charitate informata, aurea & diuina efficiantur. Nec mirum. Charitas enim noſtro fini vltimo nimirum Deo, ita vnit, vt opera noſtra, Dei etiam opera cenſeantur. Quid enim ex totius ſanctitatis fonte, & totius iniquitatis deuaſtatore, cui per charitatis inſitionem maritamur, quàm diuina & cœleſtia promanare poſſunt? maximè, cùm per illam, vnum cum eo affectu, & amore efficiamur, quo nihil iucundius aut fructuoſius, præſertim ſi illam vnionem per ſedulum virtutum ſtudium, ſemper augere, & conſeruare conemur? tunc enim Deus huiuſmodi gratiæ cooperatoribus, & vnitatis ſtudioſis adhæreſcit, vt affectuum brachiis eos aſtringens, quantum in ſe eſt, nunquam ab hac vnione ſeiungi patiatur. Quid, obſecro, hoc tenacius vinculo? quid hac inſitione perfectius? quæ nec aquis eluitur, nec ventis diſſoluitur, nec ſcinditur gladiis. Denique aquæ multæ non poterunt extinguere, neque conuellere hanc charitatis inſitionem. Tenui eum nec dimittam. Ex hac verò charitatis cum anima vnione ingentes ſequuntur fructus. Nam imprimis hoc habet Charitas, vt mentem, quam perfectè ſemel poſſedit, omnibus bonis ornet, & in eam cuncta dona cœleſtia, & vniuerſas virtutum acies inuehat. Sicut enim Regina nobiliſſimo ancillarum & pediſſequarum comitatu, & aulicorum ac nobilium turba circundata procedit: ſic charitas, quæ princeps virtutum Regina eſt, qua mens regitur, affectus gubernantur, deſideria

Simile.

Digitized by Google

moderantur, actiones diriguntur, quasi virtutum acie instructa, & Spiritus sancti donis circunsepta, graditur, nulla enim mens charitatem habitatricem habet, quæ non prudentia fulgeat, iustitia resplendeat, fortitudine gaudeat, & temperantia terrenis voluptatibus emineat. Si enim qui diligit legem impleuit, & lex sine omnium virtutum exercitatione impleri minimè possit, clarum est, dilectionis possessorem omnes etiam virtutes possidere, quibus legi satisfaciat. O quantus hic ex cœlesti charitatis surculo omnium virtutum fructus!

Rom.13.

15. Sed hoc virtutum fructu charitatis possessor minimè contentus est, nisi etiam veluti fructuosa arbor, altiùs sese efferens, suos multiplicet fructus. Et sicuti diuersi vni arboris trunco surculi insiti, diuersos iuxta cuiusque naturam fructus efferunt: sic ille, ex vno charitatis surculo, omnium virtutum in se complectentis perfectionem, varios, eosque diuinissimos producit fructus: non itaque solo virtutum fructu satiatur, sed ad ipsa quoque spiritus sancti dona attingit: Quicunque enim veræ charitatis possessor est, in rebus saltem necessariis ad æternam salutem consequendam, horum in se sentiet actiones. Sapientiâ quidem cœlestia contemplatur, intellectu fidei arcana penetrat, consilio creatoris ductui sese subiicit, scientia agenda & omittenda perspicit, fortitudine difficultates aggreditur, pietate Dominum suum colit, & timore ineffabilem maiestatem filiali quodam ac trepido honore prosequitur. Ecce quàm vberes profert fructus charitatis surculus, quàm sublime sese in altum porrigit, qui Spiritus sancti sibi dona vendicat: imo quod mirabilius est ipsum Deum, in quem tanquam in omnium perfectionum scopum omnes virtutum actiones dirigit, veluti aureum pomum in suo vertice, singulari modo eminere facit, vt eum sibi carpat, quoties volet. Hinc ipse, [si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus

Perfecta charitas non est contenta virtutũ fructu, neque spiritus sancti dona nisi ipsum Deũ attingat, cõplectatúrque.

Ioan.14.

niemus & mansionem apud eum faciemus.] Ecce quomodo ex verbo Dei, dilectionis surculus pullulans, sese ad Trinitatis nobilissimum topiarium porrigat, quomodo illius in se trahens succum, ac virtutem ipsi Trinitati quodammodo inseratur, vt per illam iam sibi veluti coalitam, omnibus amplificetur fructibus. Quare non virtutes tantùm, neque sola Spiritus sancti dona, neque solum Deum in suum trãsfert dominiũ, sed etiam proximorum bona, imo vniuersam Dei substantiã sibi vindicat. [Omnia mea vestra sunt:] quod pulcherrimè Gregorius, de inuidis agens, asserit. [Quid istis infœlicius, quos dum conspecta fœlicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum verò bona, quæ habere non possunt, si diligerent sua facerent. Sic quippe sunt vniuersi consistentes in fide, sicut multa membra vno continentur in corpore, quæ per officium quidem diuersa sunt, sed eo quod sibi vicissim congruunt, vnũ fiunt. Vnde fit, vt pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium seruiat, & ad vsum suum auribus oris lingua concurrat, suffragetur venter manibus, ventri operentur manus: In ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione seruemus. Nimis itaque turpe est non imitari quod sumus. Nostra sunt nimirum, quia etsi imitari non possumus, amamus in aliis, & amantium fiunt, quæ amantur in nobis. Hinc ergo pensent inuidi charitas quantæ virtutis est, quæ alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore.] Si ergo charitas & Deum & omnia bona creata in amantis ius ac possessionem transfert, quid quæso amanti deficiet, quo minus omnino perfectus existat? quo indigebit qui Deum habet? quo carebit, qui omnes virtutes, & omnia Spiritus sancti dona in sinu sui cordis recondit? quanam re priuabitur, cuius sunt vniuersæ proximorum opes, atque diuitiæ? Ecce quàm fructibus diues, charitatis amator!

1. Corin. 3.

Greg. 3. par. post admoni. 11.

16. Vultis denique ex vno charitatis surculo,

Quindecim charitatis fructus ex Paulo colligimus.

quem Paulus ardentiſſimus eius amator & poſſeſſor ex ſui cordis terra in quindecim fructuum genera aſſurgentem diſcere à Spiritu ſancto meruit, eius multiplices fructus coniicere? Charitas, inquit, patiens eſt, quia, vt ait Gregorius, illata mala æquanimiter tolerat. [Mihi abſit, inquit, ille gloriari niſi in Cruce Domini noſtri IESV Chriſti.] Benigna eſt, quia pro malis bona largiter miniſtrat. [Si eſurierit inimicus tuus ciba illum.] Non æmulatur: quia per hoc quod in præſenti mundo nihil appetit inuidere terrenis ſucceſſibus neſcit. Omnia arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Non inflatur, quia cùm præmium internæ retributionis anxia deſiderat, de bonis ſe exterioribus non exaltat. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Non agit perperam; quia quæ ſe in ſolum Dei ac proximi amorem dilatat, quicquid à rectitudine diſcrepat, ignorat: Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, vt illuminati illuminemus alios. Non eſt ambitioſa, quia quæ ardenter intus ad ſua ſatagit, foris nullatenus aliena concupiſcit. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Non quærit quæ ſua ſunt; quia cuncta, quæ hic tranſitoriè poſſidet velut aliena negligit, cùm nihil ſibi eſſe proprium niſi quod ſecum permaneat, agnoſcit. Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ſunt priora extendens meipſum: ad deſtinatum perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei. Non irritatur, quia & iniuriis laceſſita, ad nullos ſe vltionis ſuæ motus excitat, cùm pro magnis laboribus maiora poſt præmia expectat. Vince in bono malum, & noli vinci à malo. Non cogitat malum: quia in amore munditiæ mentem ſolidans dum omne odium radicitus eruit, verſare in animo, quod inquinet, neſcit. Quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque

Greg. l. 10. Moral. c. 8.
Rom. 12.
Ad Philip. 3.
Ad Coloſſ. 3.
2. ad Cor. c. 4.
Ad Philip. 3.
Rom. 12.

que bonæ famæ,ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ hæc cogitate.Non gaudet ſuper iniquitate: quia quæ ſola dilectioni erga omnes inhiat, non de perditione aduerſantium exultat: Timeo ne iterum cùm venero lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.Congaudet autem veritati: quia vt ſe,cæteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conſpicit, quaſi de augmento proprij profectus hilareſcit. Etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum,gaudens & videns ordinem veſtrum & firmamentum eius, quæ in Chriſto eſt,fidei veſtræ. Omnia ſuffert, inſtar palmæ,quæ non ſuccumbit oneri ſuo,ſed magis inſtar fornicis erigitur. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.Cùm enim infirmor,tunc potés ſum.Omnia credit, quæ prudenter poteſt ſine erroris periculo credere.Virtus Dei eſt in ſalutẽ omni credenti.Omnia ſperat, omnia bona de proximo ſperat.Habétes talem ſpẽ multa fiducia vtimur.Deñiq; omnia ſuſtinet verba,verbera,carceres.In laboribus plurimis,in carceribus abundantius,in plagis ſupra modum, in mortib.frequẽter.Ex huius itaq;vnius charitatis ſurculi multiplici fructuũ genere licet colligere,immẽſos ex totius charitatis latitudine fructus emanare.

Ad Philip.4.
2.ad Cor.12.
Coloſſ.2.
2.ad Corin. 12.
ad Rom. 1.
2.ad Cor. 3.
2.ad Cor.12.

17.Quartus qui ex diuini verbi trũco ſurculus efflo reſcit, eſt TOTIVS ANIMÆ SPIRITALIS CALEFACTIO. [Ignitũ eloquium tuũ vehementer.] Diuina eloquia non tantum probata, & quaſi igne examinata ſunt, ſed adeo ab omni iniuſtitia pura,& immunia,vt aurũ igne examinatũ,vt ignea etiam ſint,quo inſtar ignis illuminent, purificent, & calefaciant. Anima enim quam ſemel charitas poſſedit, ex diuini verbi auditione,ita exardeſcit,vt nouas ſingulis momentis,diuini amoris flámas in ſe excitãs,in Deũ quodámodo transformetur. Nonne ille in Deum transformatus

Quartus fructus, Totius animæ calefactio.
Pſ.118.

Digitized by Google

meritò dici poteſt, qui ita interno menté diuini verbi eloquio inflammatam habet, vt ſui etiam verbi calore auditores incendat. Beatus enim Vincentius, ardens ſancti Dominici familiæ facula, duos ob turpiſſimum facinus ad ſupplicium damnatos coram ſe ſtare iuſſit, vultu cooperto dum verba ad illos faceret: tanta igitur ſermonis efficacia peccati deformitatem ac fœditatem, inferni pœnas, & cætera quæ pœnitentiam ingenerare ſolent, exaggerauit, vt duo illi præ doloris, ac contritionis magnitudine primùm æſtuare, deinde ardere cœperint, denique in veros carbones, quaſi igne deflagraſſent, conuerſi ſint: quod ad extremum apparuit cùm detecta facie ab omnibus conſpecti ſunt. Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſerui tui dilexerunt illud. Hoc diuino Franciſcus eloquio in Deum quodammodo conuerſus, qui tanto feruore cum Deo collocutus eſt, vt ex facie ignis emicare videretur, quo cœleſti ardore incitatus, mouit ſe verſus Maſſeum brachiis apertis, eúmque magna voce ad ſe aduocans: qui cùm admirans ac ſtupens, in ſancti Patris brachia ſeſe immiſiſſet, tantus fuit Franciſci æſtus interior, vt anhelitu ſolo per oris hiatum erumpente, multis illum cubitis, in ſublime eiaculatus ſit, in quo aſcenſu, is poſteà ſæpius narrauit, tantâ ſe dulcedine delibutum, quantam anteà nunquam in vita ſua guſtaſſet. Ignitum eloquium tuum, imo habitus tuus vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. De B. Ignatio Societatis noſtræ IESV fundatore legimus tantum fuiſſe eius internum animi calorem, ex intima cum Deo communicatione, vt media hieme in ſtagnum, iuxta quod tranſeundum erat cuidam, ad turpem luxuriæ actum committendum ſeſe nudum aquis collo tenus immerſerit, ibique ſalutares homini tetenderit inſidias. Nam vt appropinquantem aſpexit horribili repente in aduerſum intonuit

Platus l. 2. de bono ſtatus religi. c. 32. ſub finē.

Platus l. 3. de bono ſtatus reli. c. 8. in fine.

L. 3. c. 4. eius vita per Maphæum.

intonuit voce: quò, quò miserrimè properas, non intelligis in quanto versere periculo? nonne intentum in te diuinæ iustitiæ gladium vides? perge porro, perge nefariam istam explere libidinẽ; Ego me hîc tamdiu tua causa macerabo, quoad cœlestes iras meo malo auertam abs te. At ille subita voce perculsus, atque ad Ignatij aspectum veluti deprehensus obstupuit, demiratúsque charitatem viri, nec dubio pudore concepto, retulit pedem, & in posterum Deo adiuuante sese ab illa pestifera familiaritate abstinuit. Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.

Quintus fructus, Totius animæ liquefactio. Ps. 21.

18. Quintus, qui ex diuini grani sinapis arbore surculus emicat, est TOTIVS ANIMÆ LIQVEFACTIO: [Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei præuidens ignitum illud tui oris eloquium: [Pater ignosce illis quia nesciunt, quid faciunt:] tantum abfuit vt intumuerit, aut obduruerit cor meum contra persecutores, nolens ignoscere, & vlcisci parans, vt potius contra factum sit, sicut cera liquescens ex pio animi affectu erga illos, miserans illorum cœcitatem, & pro eis orans, præuisa hac salutari magistri mei lectione, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, omnes in me illatas iniurias ex animo condonauerint. Vbi igitur charitatis ignis in diuini amoris flammas sese in alicuius pectore ita dilatauit, vt nihil scoriæ, aut in inimicos rancoris reliquerit, quod vi sua non consumpsit, demum omnem vim suam adeo in ipsius animæ substantiam conuertit, vt eam quodammodo liquefaciat. Si enim sola vox sponsi tantam efficaciam habuerit, vt ea emissa sponsæ animam emolliuerit, quid ignitum Dei verbum in ipsius animæ meditullio insitum efficiet? [Anima mea, inquit illa, liquefacta est, vt dilectus locutus est,] quid, inquam, anima, in qua Dei verbum ita creuit, vt flammis vndequáque circumseptum, flãmeas charitatis emissiones in Deum ipsum tanquam cœlestes fructus euibret, nonne in *Cantic. 5.*

Deum

Deum abſorpta,tanto circumcincta igne , in amoris lachrymas reſoluetur ? audi quid ille dicat , cuius
Pſ. 104. anima dilecti ſui verbo liquefacta : [Eloquiũ Domini inflammauit me:] cuius diuinæ operationis indices abundantes eius lachrymæ , quibus noctes atque dies ſtratum ſuum rigabat ,in quas crediderim eius penè cor reſolutum fuiſſe.

Effectus animæ diuino amore liquefactæ ſunt lachrymæ & amoris plena verba.

19. De B. Patre noſtro fundatore ac parente Societatis IESV Ignatio , conſtat, tanto diuini amoris igne ſemper accenſum fuiſſe , vt eius cor quaſi liquefactum per oculos in lachrymas reſolueretur: tam perennis enim in eo ſpiritualium lachrymarum copia fuit , vt paulatim exeſa luminis vi penè oculos perdiderit,& ſine dubio perdidiſſet niſi medicorum monitu & ſuorum impulſu illam etiam à Deo facultatem impetraſſet,vt earum quaſi habenas manibus teneret , quas pro libito laxaret vel aſtringeret.[Eloquium Domini inflammauit me:] Imo quoties de rerum terrenarum gloria mentionem fieri inaudiret, cum pio gemitu, ſublatis in cœlum oculis, exclamabat: Quàm ſordet mihi tellus cùm cœlum aſpicio ! tantam etiam animæ liquefactionem vel audita Chriſti tenui mentione B.Ignatius martyr in ſe ſentiebat , vt corde ſuo in Chriſti crucifixi pectus veluti tranſlato diceret amorem ſuum crucifixum eſſe , ἔρως ἐμὸς ἐσταύρωται, amor,inquit , meus crucifixus eſt, Chriſtus ſcilicet , qui eſt amor meus, vita mea,anima mea,cor meum,ita nimirum vt cum Chriſto ſimul quaſi amor meus,anima mea,vita mea, cor meum , ipſéque ego totus Crucifixus ſim, nam omnia mea interiora eius amore ita colliquefacta ſunt , vt diuina quadam refuſione in Chriſtum trãſfuſus in me quaſi mortuus in ipſo viuerem: ſic talis quiſque noſtrum eſt(vt ait Auguſtinus)qualis eſt eius dilectio:terram diligis,terra eris:Deum diligis,Deus eris.

Auguſt. tra. 2.in Epiſt. 1. S. Ioannis.

Sextus fructus , Totius animæ illuminatio.

20.Sextus,qui ex diuini ſinapis grani virtute ſurculus excreſcit , eſt TOTIVS ANIMÆ ILLVMINATIO.

[Lucerna

[Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis.] Licèt enim fides caliginoſæ myſteriorum noſtræ redemptionis intellectioni nobis ſit lucerna, non tamen ſufficit, vt non offendam ad peccati petram, animæ meæ pedes, & ne denſis circumuentus peccati tenebris in obliquis adoleſcentiæ meæ, ad malum pronæ, ſemitis ambulem. Quare noua quotidie luce tanquam præuia operum duce anima opus habet: lux verò iſta diuini verbi fructus eſt, per quem in anima noſtra Deus ipſe ſuæ gratiæ radiis eam illuminans inhabitat, & obſcuras alioqui adoleſcentiæ ſemitas, ne in iis erret, lucidas facit, ipſique reuelat profunda & abſcondita cordis ſui, quibus ab adoleſcentiæ tenebris ſeſe vindicans, ſine offenſione viam mandatorum percurrat, quia lux cum eo eſt. Cùm itaque huiuſmodi lumen Dei verbum animæ præbeat, quo quid agere, quid vitare, quid diligere, quid odio proſequi, quid credère, quid ſperare debeat, clarè cognoſcat, [Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis:] cum Propheta illud eſſe fateri oportebit. Lux ergo eſt Dei verbum quæ & affectuum pedes dirigit, ne in offenſionis lapidem impingant, & ſanctarum actionum ſemitas monſtrat, ne in loca peccati tenebris obſcura, & perpiexas errorum ambages, incurrant. Sic Auguſtino Manichæorum erroribus & cœnoſis fœdæ carnis illecebris implicato, cœleſtis diuini verbi lux oboritur, ſurdis eius animi auribus intonantis: tolle, tolle, lege, lege. Arrepto enim Euangelij codice aperuit & in ſilentio capitulum in quod primum oculos coniecit, legit: nimirum nõ in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & in impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, ſed induite Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentiis. Nec vltra volui, inquit, legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiuſce ſententiæ quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi meo, omnes

Pſ.118.

Aug. l.8. confeſſ. c. vltimo.

Rom. 13.

Digitized by Google

omnes dubitationis tenebræ diffugerunt eodem temporis momento hæsitanti etiam eius socio Alippio, cœlestis lucis radij subsequentia legenti Apo-
ad Rom. 14. stoli verba illuxerunt:[Infirmum autem in fide assumite,non in deceptationibus cogitationum] quibus cœlestibus Pauli verbis, ita statim opinionum disceptatio claro fidei lumine dissipata est,vt tranquillo animo relictis erroribus Catholicam fidem amplecteretur.

Septimus, Animi mundities. 21.Septimus diuini sinapis grani surculus est,PERFECTA ANIMI MVNDITIES.[Eloquia Domini,eloquia casta,argentum igne examinatum, probatum terræ,
Psal. 11. purgatum septuplum.] Septuplum autem purgatur anima Domini eloquiis castis (vt ait Augustinus) per timorem Dei,per pietatem, per scientiam, per fortitudinem, per consilium,per intellectum,per sa-
Ioan. 15. pientiam,quæ sunt spiritus sancti dona. [Vos, inquit Christus, mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.] Hanc verò vim purificandæ animæ Dei inesse verbo ipse etiam Augustinus sensit, nam non tantum illo,tanquam clara luce suos agnouit errores,verùm etiam ancipitem illam castitatis & libidinis litem & luctam dirimi sensit, sibíque puritatis amorem infundi iam quasi expedito à ferreis carnis compedibus.Quare exclamat: [Dirupisti
August. ibidem. Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, quàm suaue mihi subitò factum est,carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me,vera tu & summa suauitas. Eiiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.]Ecce quàm facilem & iucundam per Dei verbum bene ruminatum, & in animæ stomachum traiectũ,& veluti suauissimum cibum concoctum, expertus sit Augustinus castitatem,animíque munditié,quam prius vt difficillimam horrebat,imo impossibilem reputabat. Beatus ergo, Christo auctore,qui verbum Dei audit: Audire autem est reipsa exequi, vti Augustinus suo docuit exem

exemplo. Si quis enim auditor est verbi, vt ait Iacobus, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: Quia igitur, vt ait Dionysius, imago in speculo debile esse habet & intentionale potius, quàm reale, ideo debilem facit impressionem. Quia verò modus agendi sequitur modum essendi, & quia debilem facit impressionem in oculo, ideo ex tali impressione sequitur debilis memoria, & labilis in mente cognitio:] rectè subdit Iacobus: [Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.] Mulier cùm ex speculo sordes in suo vultu aspicit, aqua abluit, sic Dei verbum ad modum speculi, animæ vultum ostendens eius maculas nobis ob oculos ponit, & dat aquam gratiæ, qua lauemur: [Doctrina enim bona dabit gratiam:] fœminæ itaque potius nobis imitandæ, quæ diligentius intuentes speculum omnes è vultu næuos spongia detergunt: Imitemur & Sacerdotes veteris legis, quibus affixa specula erant, in quibus sese intuerentur, antequam ad diuinum se accingerent ministerium, vt si quæ maculæ essent in vultu, illas eluerent. Speculum nobis Dei verbum, in quod si velimus instar mulierum attentius intendere, animæ nostræ maculas coràm intuebimur, quas si, adhibita pœnitentiæ aqua, gratiæ spongia abluere velimus, animas puritatis auctori speciosissimas exhibebimus. Hinc Gregorius: [Specula, inquit, mulierum sunt præcepta Dei, in quibus sese sanctæ animæ semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, & quasi ex reddita imagine suos vultus componunt.

Iacob. 1.

Dionysius ibidem.

Prou. 12.

Greg. **hom.** 17. *in* **Euāg.**

22. Licèt cribrum si aquæ immergatur, aqua statim impleatur, ex ea tamen extractum nihil in se retinet: sic multi dum Dei verbum audiunt compunctionis aqua pleni sunt, sed post lachrymarum tempus ab omni compunctionis stimulo vacui efficiuntur. [Cor enim fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.] Cor itaque nostrum instar

Licèt **nihil** *auditor retineat tamē cor eius mūdum* **sæpe** *redditur audiendo Dei verbum.* *Eccl.* 21.

vasis

vaſis eſt rimarum pleni. Nam non citius diuini verbi guſtum percipit, quàm interueniẽte mundi ac carnis illecebra, illius obliuiſcitur. Ne deſperemus tamen, ſi adſit pia voluntatis affectio, & ſingularis munditiei amor. Nam ſalutare admodum eſt noſtri cordis vaſi diuino verbo quaſi perẽni fonti ſuppoſito eius ſalutares haurire latices; licèt enim veluti perfractũ vas, cor noſtrum ſit, iniectámque ſibi múdiſſimam diuini verbi aquam diffluí permittat, mundius tamen inſtar vaſis diuini verbi aquæ perfuſione efficitur, cuius continua irrigatione, mundities animę tanquam cœleſtis fructus innaſcitur, qui adeo Dei veluti palato ſuauis eſt, vt arborem illam animæ, quæ huiuſmodi fructum effert, caſtiſſimis conſtringere amplexibus deſideret. Nam quia puritatis auctor eſt, nihil ipſi puritate acceptius, & è contrario nihil magis execratur quàm animæ ſordes, in quam introire, quamdiu illis ſubdita eſt, perhorreſcit. [Quoniã in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.] Neque tantũ ſuauis Deo puritatis fructus, ſed peccatoris etiam gutturi, elutis animæ ſordibus dulciſſimus ita eſt, vt præ eo omnes corporis delitias ſpernat, & in eo omne reperiat delectamentum. Hinc Deus à cæteris huius arboris fructibus manum altius extẽdit, & nobiliorem rami fructum, aureum nimirum puritatis pomum carpit, cor ſcilicet ab omni impudicitia vacuum, in quo tot delitiæ continentur, vt rectè theſaurus delitiarum appellari poſſit. Nam ita omnium temporalium & fœdæ carnis voluptatum, poſſeſſo plenè hoc delitiarum pomo, obliuiſcitur, vt dum ad hoc carpendum alteram porrigit manum, ex altera excidant præ huius deſiderio, omnium rerum terrenarum & carnalium illecebrarum affectus.

Sapientia 1.

1

Octauus, Animæ ſuſtentatio.

23. Octauus huius diuini grani ſinapis ſurculus, ANIMÆ SVSTENTATIO, panis.n. nobis eſt, quo in vitã æternam ſuſtentamur. [Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.]

Matt. 4.

Hic

Hic est ille panis, qui non vitam perituram seruat, sed vitam perpetuò mansuram operatur. Hic est non paruulorum panis, aut infantium lac, sed adultorum solidus cibus, [lac enim infirma tèporariæ dispensationis, vt ait Beda, solidũ cibum ardua perpetuæ maiestatis appellat] qui comedentes robustiores efficit, & ad maiorem rerum abstrusarum cognitionẽ & ad virtutis perfectionem corroborat. Hic est filiorum ille panis, quem Deus esurientibus frangere præcipit: [Frange esurienti panẽ tuum.] Hic est panis ille, quem Paulus quinque verba esse dicit; quæ in Ecclesia sensu suo loqui eligit. Sed in Ecclesia, inquit, volo quinque verba sensu meo loqui, vt alios instruã, quàm decem millia verborũ. Quinque enim hęc verba sunt fidei Christianæ rudimenta, quæ omniũ aliorum verborum doctrinã & gratiæ ac gloriæ mysteria complectuntur. Hunc panem frangi esurientibus præcipit, nosque hortatur, vt illum cibum semper operemur. Operamini, inquit, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. *Isa. 58.* *1. Cor. 14.*

24. Sicuti terreno pane corpus; sic cœlesti diuini verbi pane viuit, sustentatur & fouetur animus, de qua animi sustentatione Hieronymus: [Si quis, inquit, non vescitur verbo Dei, ille non viuit.] Et quemadmodum caro longo macerata ieiunio animi functiones exequi nequit: sic anima diuini verbi pabulo destituta, gratiæ functiones exercere non valet. Vnde Augustinus: [Certissimè (inquit) scitote, quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima quæ assiduè non pascitur verbo Dei. Quomodo caro per famem sicca & tenuis, veluti quoddam simulachrum efficitur: ita & anima, si verbi Dei cibo nõ pascitur, arida & inutilis & ad nullum opus bonum congrua inuenitur. Sed heu! multi cœlesti hoc pane penitus neglecto tartareum panem auidè deuorant, [suauis est enim homini panis mendacij] tartareis excoctus furnis, adulterata scripturæ verba & penicioſa morum documenta, *Dei verbum animæ necessarium.* *Hiero. in illud Matt. Non in solo pane, &c.* *Aug. serm. 56. de Tempore.* *Prou. 20.*

quæ tantùm abeſt, vt animæ appetitum ſatient; vt potiùs amariſſimo retundant abſynthio, ſolidum ſanæ doctrinæ ac illibatorum morum cibum potiùs appetat, diuina ex ſcripturis & Spiritualibus libris exhauſta documenta, quibus fides ſolidetur, mores exornentur, cœleſtium rerum pulchritudo oculis ſubiiciatur, æterna tartari tormenta identidem in mentem aduocentur, peccati turpitudo, omni ſemoto ementitæ dulcedinis velo, ſuis coloribus pingatur, terrenarum rerum vanitas, ac vilitas, inſtabilitáſque pateſiat, ſpiritalium precum pulchritudo, & diuturnitas edoceatur, his panum generibus animæ iuſti ſatiatur, iiſque corroborata, ſeſe contra furioſos diaboli inſultus tuetur.

Ex ſacræ ſcripturæ & bonis libris documenta hauriendæ.

25. Elegit Dauid ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, vt contra Philiſtæum pugnaret: ſic nos ex ſacræ ſcripturæ torrentibus, & Spiritualium librorum riuis, non quinque tantùm, ſed quotquot velimus politos lapides eligere poſſumus, tot, inquam, limpidiſſimas ex ſacris ſcripturarum torrentibus ſententias, & tot ſalutaria bonorum morum, ex piorum libellorum riuis, documenta, quibus innumeras diaboli phalangas deuincamus. Quemadmodum igitur ſelectos lapides in peram miſit Dauid: ſic cœleſtia è libris decerpta doctrinæ ac morum documenta, in memoriæ ſcrinio reponamus: fundæ deinde cùm pugnandum fuerit, hoc eſt, cordis & oris vehementi rotatu, in tartarei gigantis caput iaciamus. [Nihil enim, vt ait Hieronymus, ita percutit, vt exemplum de ſcripturis ſanctis, & teſtimonium rotatu oris emiſſum.] Quare cùm non tantùm cibus ſit, ſed nos etiam in hoſtes armet Dei verbum, gladium etiam, quo præcincti aduerſarios terrere poſſimus, eſſe oſtendam.

Hiero. Zacha. 9.

Nonus, Gladius eſt. Apoc. 1.

26. Nonus diuini ſinapis grani furculus GLADIVS AD NOSTRÆ ANIMÆ DEFENSIONEM. [De oreeius gladius vtraq; parte acutus exibat.] Hic eſt ille gladius, quo aduerſarios expugnamus, gladius ſpiritus, vt ait Apoſto

Apostolus: quod est verbū Dei. Quare admonemur, si quando è carnis insultibus à dæmonum faucibus ab inextricabilibus mūdi laqueis animas nostras vindicare velimus, gladiū hūc manibus arripiamus, quo tē tationes iugulemus, mūdi illecebras trucidemus, irā, superbiam, luxū, & cætera vitiorū monstra proscindamus. Lectulum Salomonis sexaginta ambiisse, de fortissimis Israël omnes tenētes gladios, & ad bella doctissimos, vniuscuiusq; ensis super fēmur suum, propter timores nocturnos scriptura commemorat. Quo loco Theodoretus obseruauit huiusmodi viros binos gestasse gladios vnū super femur, in manu alterum, vnū scilicet reprehēsionis, & alterū intelligentiæ: illum in prōptu ad coarguendū, hunc mysticū, & tanquam in vagina reconditū, ad mysteria perueſtiganda. Est & alius sacræ scripturæ gladius, quem nos in manibus semper tenere, ad coarguendos aduersariorum errores, & castigandos corruptos Catholicorū mores debemus. Hic est gladius ille anceps de ore Dei egrediens, quo supplicia refractariis cōminatur, beneficia resipiscentibus offert, quæ designantur per stellas, quas manu tenet. Alius est intelligentiæ qui in vagina recōditus, ad mysteria nostræ redēptionis inuestiganda, subseruit. Ille est [viuus Dei sermo, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens vsque ad diuisionem animi & spiritus] qui subtiliter alta eruit fidei mysteria. His ergo accincti gladiis neminem neque internum neque externum hostem pauebimus; quorum figura est ille gladius sanctus quem Ieremias Iudæ Machabæo tradidit, in quo deiecit aduersarios populi Dei. Extendens enim Ieremias dextram dedit Iudæ gladium aureum, dicens: Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israël. Hinc vtroque instructus gladio materiali scilicet, & Dei verbo, quo in hostes incitauit iuuenum animos, victoriam tulit, æternúmque sibi coram Deo, & hominibus nomen peperit.

Cantic. 3.

Theodor. in illa verba Cantic.

Hebr. 4.

2. Macha 15.

Decimus fructus, Medicina.

27. Decimus ex diuini ſinapis grani ſtipite ſeſe efferens ſurculus, eſt MEDICINA. Verbum enim diuinum ægris medicinam præbet. [etenim neq; herba, neq; malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.] Quare meritò cùm. Ezechiel lignum hoc vitæ, granum hoc ſinapis in perfectam iam arborem excreuiſſe deſcriberet, ſtatim ſubdidit, [& folia eius ad medicinam, non defluet, inquit, folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per ſingulos méſes affert primitiua: quia quæ eius de ſanctuario egredientur;] hoc eſt, ex Chriſti latere fluxerunt viuæ aquæ quibus quotidie hæc arbor irrigatur & medicinæ cœleſtis incrementa ſumit: è viſceribus enim ſaluatoris tanquam ex perenni ſalutis fonte, quid emanare poteſt, quàm ſalutifera animis medicina? [Non tabes, inquit Ambroſius, mortis de vulnere eius, ſed fons vitæ ſcaturiuit, vt Scriptura nos edocet. Et ſaliet aqua cum delectatione de fontibus Saluatoris: Exiliuit enim de vulnere aqua vt nos biberemus ſalutem.] Quid igitur ex huiuſmodi arbore continuo Chriſti lateris irriguo perfuſa, aliud enaſci poterit, quàm ſuaues fructus, & ſalutis medicina? [& erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.]

Sapientiæ 16.

Ezech. 47.

Ambroſ. in Pſ. 37.

Vndecimus, Dei filiatio.

28. Vndecimus ex cœleſtis grani ſinapis vi ſurculus prodiés, eſt DEI FILIATIO. [Volũtariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius] quàm nobilis hic fructus, vt filij Dei nominemur, & ſimus, ad quos ſermo Dei factus eſt. Ita enim Dei verbum homines perficit, vt in iis vel nouis virtutum augmentis Dei imaginem glorificet, vel deformatam, nouis gratiæ coloribus integret; Denique ita iuſti animam in Dei ſocietatem rapit, vt vnus ſpiritus cum Deo fiat. Quid ita? quoniam Dei verbum audit non tanquam hominis ſed tanquam Dei ſibi loquentis. Hinc Paulus laudat Romanos qui ſecum, ita verbum Dei auditum, ruminabant, vt ſe Pauli verbis penitus conformarent.

Iacob. 1.

Ioan. 10.

Rom. 6.

rent. Obediſtis ex corde, in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis. Laudat & Galatas, quòd ſicut Angelum Dei exceperint eum, Dei verbum illis exhibentem, atque adeo, vt dicat; teſtimonium perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. O quanta in verbi Dei ad miniſtrum affectio, vt quod eſt chariſſimum totius corporis, oculum ſcilicet, illi dare non dubitarent, quam tam putatis in horum animis erga verbum Dei affectionem, qui ob eius adminiſtrationem, in tantum Paulum amabant, vt oculos ſibi eius gratia erutos, illi dare vellent. Quid? nonne huiuſmodi in adoptionem filiorum Dei vindicati Dei filiationem conſequuntur. *Galat. 4.*

29. O quàm longè abſunt hodie verbi Dei auditores, à tanto Galatarum affectu, qui tantùm abeſt, vt oculos eruentes Dei verbi miniſtro porrigant, vt ſi fieri poſſet eorum ſæpe oculos eruere ſatagant, cùm Dei verbi ſpeculum illis obtendentes, deformem animæ ſuæ vultum oſtendunt, oculos ſcilicet eruerent qui ne obolum ex auaritiæ ciſta eruũt, oculos eruerent, qui vereor, ne momento temporis, digitum Dei cauſa igni applicarent? Ah! vnde tanta in animis noſtris inſenſibilitas? vnde tantum peccati gelu, quia nimirum tanquam verbum hominis & non Dei, concionatoris verba excipimus. Vtinam de vobis poſſem, vt Paulus de Theſſalonicenſibus, gloriari. Gratias, inquit, agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed ſicuti verè eſt verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidiſtis. Sic Antonius audito in Eccleſia Dei verbo tantum recitato, tanquam à Dei ore, tam auidè id arripuit, [Vade] & vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni ſequere me:] vt omnibus diuenditis, & in egenos diſtributis Eremitarum Pater & Dei filius factus ſit. Sic Apronianus audito illo Dei verbo: Veni- *Dei verbum nõ tanquam hominis ſed tanquã Dei excipiẽdum.* *1. Theſſ. 2.* *Athana. in eius vita. Marc. 10.*

te benedicti Patris mei, percipite regnum; in Christum credidit baptizatus, ac demum sanguinis sui effusione, suum in Christo fidem contestatus est. Factus itaque martyr Deique Filius. Sic Augustinus (de quo supra) audita diuinitus illa voce, tolle, tolle, lege, lege: ad Euangeliorum librum conuersus, ex primo quòd illi occurrit Dei verbo obediens, semotis omnibus salutis impedimentis, ad baptismum cõuolauit: & Doctor Ecclesiæ, Deique Filius in cœlis nunc regnat. O vtinam ita anceps Dei verbi gladius animæ nostræ medullas penetret, vt tandem detestãtes vitæ nostræ licentiam, ad meliorem frugem, morúmque integritatem, Deiq; filiationem reuertamur.

Duodecimus Bonorum operum pondus.

30. Duodecimus ex salutiferi sinapi grani radice surculus sese in altum porrigens, est BONORVM OPERVM PONDVS. Diuinum enim verbum bonorum operum meritis grauidum ad suum redit auctorem. [Quomodo descẽdit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meũ, quod egredietur de ore meo, nõ reuertetur ad me vacuum; sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.] Ecce quomodo bonorum operum meritis onustum, ad se reuerti Spiritus Sanctus suum asserat verbum. Sicut, inquit, imber & nix de cœlo descendit: sed nunquid imber, aut nix de cœlo descendens, ac sua virtute inebrians terram, & germinare eam faciens, ad cœlum rursus redit? neq uaquã: quomodo ergo cum illis suum Deus comparat verbum, quod ad se meritis grauidum reuersurum dicit? Quemadmodum imber, aut nix, occultâ quadam vi, terram fœcundare solent, vt inde germina erumpant, quæ sursum sese attollunt, & fructibus onustas arbores reddunt: vt serenti semina, ac alimenta subministrent: sic diuinum verbum ad Deum quodammodo bonorum operum meritis plenum redit immutatis hominum animabus, quippe quæ diuino verbo,

Isa. 55.

Simile.

verbo, tanquam salutari hausţu epoto, inebriatæ, & variis bonorum operum germinibus florentes, cœlestem ineunt meritis plenæ conuersationem.

31. O quanta huius grani sinapis dignitas, cuius tot sunt fructus sub exili latentes specie, vt omnibus alimenta præbeat. Vnum tamen mihi admirationem facit, cùm tot sint fructus eius, tot rebus à diuino Spiritu, ob diuersos, quos in animis hominum operatur, effectus, comparetur igni quia emollit, malleo quia conterit, gladio quia ferit, aquæ quia lauat, niui quia dealbat, pani quia nutrit; nos tamen sæpenumerò nullum eius in nobis experiri effectũ: cuius ergo metalli sunt nostra corda, quę in se huius cœlestis grani minimè sentiunt effectum? non carnea, quia gladio diuini verbi scindi non possunt: non ferrea, quæ diuini verbi igne nequaquam mollescũt: non lapidea, quæ diuini verbi malleo, quo durissimę etiam petrę conteruntur, neutiquam franguntur: non terrea, quæ diuini verbi salutari aqua minimè inebriantur: non viua quæ diuini verbi alimento non sustentantur? Cuius ergo metalli sunt, quæ neque gladio scindi, neque igne mollefieri, neque malleo confringi, neque diuinæ aquæ poculo inebriari, neque cœlesti alimento sustentari possint? ex carnali metallo, quod omnibus Dei inspirationibus ita cedit, vt nullam in se impressionem retineat; ad instar enim aëris verberanti cedit, reditque statim ad suæ naturæ corruptelam.

Mirum Dei verbum nullum in nobis facere fructũ cùm tot sint eius effectus.

32. O quale metallum ex quo conflatur refractarium peccatoris cor, quod adeò imperuium est, vt omnibus cedat; nullam tamen recipiat impressionem, cùm tanta tamen vnius grani virtus sit, vt sublimium euertat sæpè corda. Quemadmodum enim semen in alicuius ædificij fundamento, aut parietibus iactum ita altas agit radices, vt vi quadam per ipsa ædificij fundamenta, aut parietes sese diffundés ædificij molem tandem euellat, solóque æquet: sic vnius grani cœlestis illius sinapis virtus tanta, vt

Magna vis huius grani sinapis, tamẽ cor hominis non vincit. Simile.

vno momento integras euertat ciuitates. Nónne Ioannes Angelum vidit per medium cœli volantem Euangelium æternum habentem, vt euangelizaret sedentibus super terram, qui cùm celeri volatu pertransiret, granum viuum cœlestis huius seminis ab ore eius decidit: dixit enim magna voce, [Timete Dominum, & date illi honorem.] Ecce vbi hoc granum in grandem illam ciuitatem Babylonem incidit, res stupenda, in ictu oculi, tota illa ciuitas corruit: hinc alius Angelus, qui primum sequebatur, exclamans, ait: [Cecidit, cecidit Babylon magna.] Insuper grandis illa, ac superba ciuitas Niniue, hoc seminis grano, quodammodo corruit, [Quadraginta dies & Niniue subuertetur.] Ecce hoc sinapis granum ita statim in omnium cordibus profundas egit radices, vt superba eorum corda prosternens ad pœnitentiam conuerteret. Denique superba illa ciuitas Ierico, Sacerdotibus tubas tantùm inflantibus funditùs euersa est, & tamen tot nos adhibentes diuini verbi tubas, toties vos circuimus, neque corda vestra carnalia euertere, neque peccatorum maceriem dissoluere, neque consilia vestra dissipare valemus. An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.

Apoc. 14.

Ion. 3.

Iosue 6.

Rom. 2.

EXEMPLVM.

Serapion Sidonius vir magnæ sanctitatis, cùm & pallio & tunica algentibus pauperibus datis, ipse nudus in frigore sederet, vlnis Euangelij codicem tenens, rogaretúrque quis eum sic nudasset, respondit: hoc mè nudauit Euangeliũ, quod tenebat ostendens: propter fidem enim Euangelij, in quo tã præclaræ promissiones eleemosynis factæ leguntur, ita se expoliauit, certus de promissorum expletione. Faxit Deus vt huiusmodi in nobis fides crescat, quod fiet si diligenter bonis eam operibus excolamus.

In vita S. Ioan. Eleemor apud Surium tom. 1. Et in histor. Pallad. 116.

IN

IN DOM. IN SEPTVAGESIMA.

Concio prima.

THEMA: *Multi vocati, pauci verò electi.* Matt. 20.

1. DOminus, qui vult omnes homines sincerè, & ex animo saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, cuius causa omnibus Christum in redemptorem dedit, & per eum gratiam, Sacramenta, aliáque omnia media, ad salutem necessaria, quátum est ex parte sua, suppeditauit, vt si qui pereant non Dei voluntate, & prædestinatione, sed sua culpa, & malitia pereant, omnes sine discrimine ad se vocat. Etenim prçter lumen rationis, (cuius ductũ si homo sequi perfectè velit, Deus potius, vt ait D. Thom. siue per Angelũ, siue per prędicatorẽ, sicuti Cornelio factum legimus, illi prouidebit, quàm huiusmodi perire permitteret) gratiam sufficientem omnibus offert, quâ intellectus illustratus omnia fidei mysteria, ad æternam vitam consequendam necessaria comprehendat. Hæc ergo Dei voluntas vocandi & saluandi omnes, est, vt loquuntur Theologi, antecedens, ante scilicet præuisionem finalis impœnitẽtiæ, qua quantum est in se seriò, & ex animo cupit, & optat omnium salutem, omnésque eò vocat, & ad eam sufficientia tribuit media. Verùm hæc volũtas, nunquam efficaciter sortitur effectum, salutem nimirum à Deo volitam, nisi accedat conditio, ab illo requisita, ex parte hominis, eiusdem scilicet cooperatio, vt nimirum media sibi à Deo proposita non negligat, sed iis ad salutem consequendam vtatur, eámque per bona opera mereatur, quod pulchrè D. Petrus exponit: [Deus, inquit, patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitẽtiã reuerti.] Hic enim est finis incarnationis, & totius Oeconomiæ Christi, vt scilicet omnes indiscriminatim seriò & ex intimo animi affectu inuitet, & vocet ad salutẽ, cuius gratia tot labores subiit, tot opprobria sustinuit:

1. *ad Tim.* 2.

Deus ex parte sua seriò cupit omniũ salutem, ad eámque sufficientia dat media.

D. Thom. de veritate. ar. 11. *ad* 1.

Damasc. secũdo fidei. 29. *Chryso. Ambros. Hieron.*

2. *Pet. c.* 3.

Digitized by Google

atq; adeò ignominiosam Crucis morté patienter tulit,vt si qui pereant, magno Christi dolore,ac cõtra ipsius voluntatem,suáque negligentia pereant,iuxta illud Ambrosij,[Si Deus,inquit,qui omnipotens dicitur,omnes homines saluos vult fieri,cur nõ impletur eius voluntas?Sed in locutione sensus est,conditio latet & subdit:Vult enim Deus omnes saluos fieri , sed si accedant ad eum ; non enim sic vult vt nolentes saluentur, sed vult illos saluari, si & ipsi velint.] Licèt tanta sit eius pietas & in nos amor, vt nihil omittat , quod ad salutem conduceret , tamen præuisa multorum impietate,& summa in applicandis mediis,ad salutem præscriptis,negligentia:multi,inquit,vocati,pauci verò electi.

Pauci rationis lumen sequuntur.

2. Pauci quidẽ rationis lumen veluti ducé,ob maximã naturæ corruptelã,sequuntur, & qui fidei etiã splendore illustrati sunt,ita paulatim tenebrarũ operibus suum obfuscãt intellectũ,vt quãuis fidei principia probè calleant: intellectus tamen sufficientem voluntati minimè præbeat facé,vnde volũtas fœdæ carnis cõcupiscentia penitus excœcata, & præceps in omnia ruens vitia,post se totum hominem, in tenebrarum abyssum , atque adeò ipsam rationem in quælibet trahere illicita non erubescit.Hinc meritò Christus infert:[Multi vocati]tam per rationis quã per fidei lumẽ: pauci tamen ad æternę beatitudinis præmia electi.Vocati quidem sumus,quotquot præsentes hîc concionem audimus;sed quoniã iuxta ea, quæ audimus,vitam minimè omnes corrigimus;non omnes ad vitã æternam electi sumus. Vocamur quidem omnes,idq; frequenter,nec sine iterato Dei clamore:quare Sapiens ait: Nunquid non sapientia clamitat,& prudentia dat vocé suã in summis excelsisq, verticibus,supra viam,in mediis semitis stans, iuxta portas ciuitatis,in ipsis foribus loquitur,dicens:[O viri ad vos clamito,&vox mea ad filios hominũ,audite quoniã de rebus magnis locutura sũ,&aperiẽtur labia mea, vt recta prædicent, veritatẽ meditabitur guttur

Fides operibus tenebrarum obscuratur.

Prou.8.

guttur meum, iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum: recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam.] Quid obsecro efficacius dici possit? Ecce quomodo Sapientia clamitat, non semel, non vno loco, sed identidem clamat, & in diuersis locis: non in vallibus, sed vbi ab omnibus videri & exaudiri possit, in summis nimirum excelsisque montibus, & maximè è cœlestis illius montis Sionis vertice, super viam, qua ad vitam ducimur, omnes nobis obliquas tartari semitas ita præcludens, vt in vitæ viam velimus nolimus, nisi penitus cœci simus, incurramus. Et ne fortassis nostrâ negligentiâ vitæ via declinemus, in mediis semitis stans clamitat, vt qui transeat illam potiùs prudens conculcet, obstructis sponte auribus, quàm aliquam prætexere excùsationem minimè illam videndi possit, quæ viam salutis docet, nec satis hoc illi nisi etiam salutares nobis tendat insidias, iuxta ciuitatis portas, vt quoties, inquit, quis ingreditur, vel egreditur me gratiæ meæ brachia porrigentem facilè videat, & amoris vlnis quemlibet complectentem, qui sese vocis meæ suaui susurro obtemperantem velit exhibere, & in ipsis foribus loquor, ne si forte quispiã in ciuitatẽ semel ingressus, eiusque illecebris inescatus regressum nũquã cogitet, imo præ foribus ipsis, te ab omni mũdi vanitate voco, sub initiũ scilicet adolescentię tuæ, ne ad instar illius adolescentis filij viduæ mortuus regrediaris. [Beatus ergo homo qui audit me: beatus, inquã, qui in meo amore quiescere desiderat, méque bonorũ meritorum gratia ad se videndũ perducere, beatus qui vigilat ad fores meas quotidie, beatus, vt ait Beda, qui sacra loca diuini cultus, & prædicationis assiduè visitat cũ vigilantia mentis deuotæ. Nam in iis Sapientia reperitur, qua inuenta vitam hauri-mus & salutem à Domino.] Ecce quibus mediis nos ad salutem consequendam vocet. Sed quoniam obstructis concupiscentiæ illecebris ad postes ostij

eius,

eius auribus obſurdeſcimus, nec viam nobis propoſitam ingredimur, ideò Chriſtus concludit: Multi vocati, pauci verò electi.

Apoc.4. 3. Quid, obſecro, ſeptem illæ lampades, ante Dei thronum ardentes aliud volunt ſignificare, quàm promptiſſimum Dei animum ad conferendam omnibus gratiam, & ſeptemplicia Spiritus ſancti dona, qui in ſua laborare vinea feſtinant: vnde dona illa à Spiritu ſancto brachia etiam appellantur. Quia ſicuti Dominus in Cruce brachiis expanſis, vniuerſos cupiebat amplecti: ſic eadem, vt Moyſes olim præuidit, hodie è cœlo in terram porrigit, vt omnibus, in ſua vinea laborantibus ſeptemplicem illam *Deut.34.* ſpiritus ſancti gratiam impertiatur, [Non eſt Deus alius, vt Deus rectiſſimi aſcenſor cœli, auxiliator tuus, magnificentiâ eius diſcurrunt nubes, habitaculum eius ſurſum & ſubter brachia ſempiterna. Quid *Ruper l.2.in Deut.c.20.* eſt (inquit Rupertus) habitaculum eius ſurſum, & ſubter brachia ſempiterna, niſi quod Chriſtus aſcendit in cœlum, ſedenſque ad dextram Patris habitat ſurſum, & exinde porrexit huc brachia ſua ſempiterna, id eſt, Sancti ſpiritus ſui dona fortiſſima.] Ecce quomodo è cœleſti Sionis monte miſericordiæ ſuæ brachia ad nos porrigit, vt in vineam ſuam conducat æternæ beatitudinis præmij conuentione facta. [O viri, inquit, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum, audite quoniam de rebus magnis locutura ſum] de veſtra in vineam meam vocatione, de æterna vobis veſperi mercede danda, & inſtrumentis vobis tribuendis, quibus facilè in hac mea vinea laboretis, de gratia vobis tribuenda, de fidei, ſpei ac charitatis augmento, vt vos, tanquam optimos in vinea mea operarios, tandem denario diurno, æterna ſcilicet beatitudine donem.

Concionis diuiſio. 4. Tria de hodierno Euangelio dicturus ſum. Primum, voluntatem paſſionum agitatam tumultibus, amoris proprij cœco aſſociatum duce, cauſam eſſe, cur ex tam multis vocatis pauci eligantur.

Deinde

Deinde, dæmonis fraude, qua incautas animas circumuenit, effici, vt pauci ex multis vocatis filiorum Dei ſortem conſequantur. Denique, multos decipi, qui ſibi perſuadent, ſe vocandos, hora etiam vndecima, etiamſi vocantis vocem negligant, mane hora tertia, ſexta & nona. Quæ vt ad Dei gloriam ſalutémque animarum ex ordine explicemus Spiritus ſancti gratia nobis impetranda, per vnigeniti Dei Matris inuocationem. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

5. Duæ ſunt præcipuè rationes, cur ex tot vocatis, pauci eligantur, vna eſt ex parte noſtræ voluntatis, alia ex parte humani generis inimici: Ex parte voluntatis, quæ paſſionum turbis, ita ſæpe, ad Chriſti ſequelam impeditur, vt non niſi miraculo ſeſe expedire poſſit, ſéque amoris proprij ductui adeo effingat, vt illa ſine amoris proprij cenſura, nec amor proprius, ſine huius impulſu, quicquam velit, aut nolit, quibus homo ſubiectus infinitis penè paſſionum procellis, ita agitatur, vt neſciat, quo ſe vertere, neque Dei vocantis vocem audire. Et ſi contingat ſubinde audire ita ſtatim in ipſo primo vocis ſuſurro deficit, vt vix vnum poſt Chriſtum gradum faciat, cùm victus itineris tædio pedem retrò referat: Latam viam, quæ ſeſe, proh dolor! ſponte ſua nobis offert, remis velíſque ingredi conatur, quæ ad tartari præcipitium ducit: anguſtam verò virtutis viam, qua ſine errore optatiſſimum cœli portum tenere poſſit, perhorreſcat. Hinc Hieronymus: [Latam, inquit, viam non quærimus, nec inuentione opus eſt, ſponte ſe offert & errantium via eſt. Anguſtam verò viam, nec omnes inueniunt, nec qui inuenerint ſtatim ingrediuntur per eam. Siquidem multi, inuenta veritatis via, capti ſæculi voluptatibus, de medio itinere reuertuntur.] Viam ergo cœleſtis patriæ arctam nobis claudit

Volũtas paſſionum turbis impeditur ne vocãtem ſequatur Chriſtũ.

Volũtas amore proprio excæcata neſcit vocantem ſequi.

Hiero. Matt. 7.

Digitized by Google

claudit cœca voluntas amoris proprij decepta, fallacibus, ementiæ charitatis, imaginibus; ſcimus, inquit Gregorius, quia vehementer claudit oculum cordis amor priuatus] quo clauſo neque Deum vocantem videmus, neque cœleſtis patriæ viam nobis apertam inuenimus. Quare omni ope contendere debemus, vt hunc malorum fontem obſtruamus, hanc radicem funditus extirpemus: cuius ſocietate voluntas adeo deprauatur, vt vocantis vocem nolit audire, neque præeuntem ſequi, horum duorum prauæ voluntatis, ac proprij amoris vinculis ſeſe Auguſtinus implicatum ſenſit, cùm diſruptis voluptatum compedibus, ad Dei vocantis amplexus ſuſpiraret. [Suſpirabam, inquit, ligatus, non ferro aliquo, ſed mea ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi cătenam fecerat & conſtrinxerat me.] Heu! ergo cùm multi his adamantinis deprauatę voluntatis, & cœci amoris ſui catenis tenaciter obſtringuntur, licèt multi vocati, pauci tamen electi.

Greg. hom. 4. in Ezechiel.

Aug. l. 8. c. 5.

Improba voluntas amore proprio delinita, & paſſionibus obnoxia neque Deum audit neque vocantem ſequitur.

6. Sed ſi improbæ voluntati amoris proprij conſuetudine delinitæ accedant belluæ illæ indomitæ, nimirum paſſiones, implacabilis ira, inexplebilis amor habendi, animi rancor, ſæua triſtitia, & cætera huiuſmodi monſtra, quibus incenſa hominis anima inteſtinam ſibi litem intendit, & proprium ſibi arbitrium, per fas & nefas ſubiicere contendit; ſi, inquam, hæc paſſionum monſtra, cum voluntate & ſui amore in animæ perniciem ſemel conſpirent, quî fieri poterit vt inter tot tumultus ac interna bella, quæ ipſa ciere ſolent, anima loquentem Deum audiat, vocantem ſequatur, aut eius gratiæ peruenientis pulſibus, cordis ſui oſtium, tot obſeſſum ſicariis aperiat, imo potius, vt ait Cyprianus, deſiderij ſui veneno ebria corpus contumeliis applicabit, & iunctis complexibus ambo in mortiferas ſuauitates elapſi obdormient: cúmque euigilauerint ſerò pœnitentiam adducet confuſio, & inquinamento-

Cyprian. in prolo. tract. de Cardina. o. ex. Chriſti.

rum horror fœdatæ menti occurret. Et in cæteris omnibus, quæ malignè patrata sunt huiusmodi vltio peccatorem persequetur, & ipse libidinum labe crapulatus animam euomet. Cùm ergo plerique intestinâ passionum seditione sese agitari finant, nec reprobæ voluntatis aut amoris proprij licentiæ fræna iniiciant, sed sese ferri quacunque velint permittant, quid mirum si à Christo dictum sit: Multi vocati, pauci verò electi.

Quatuor animæ inflicta vulnera nos retardant à Dei sequela. ad Rom. 7.

7. Sufficissent illa animæ inflicta, per peccatum originis vulnera, vt cursum nostrum in cœlum retardarent, quæ nunquam ita perfectè in hac vita sanari possunt, quin molestam in membris nostris rixam, continuò relinquant, quam ipse etiam B. Paulus in se sensit: [Video, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis] tantam concupiscentiæ commotionem sensit, vt etiam inuitus, & reluctans vitiosas eius inclinationes, dictamina, impulsus percipere cogeretur, vt exclamauerit: [Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?] [Liberari, inquit, Augustinus à corpore mortis est omni sanato languore concupiscentiæ carnis non ad pœnam recipere corpus sed ad gloriam. Non enim à corpore mortis impij liberabuntur vnquam, quibus in resurrectione eadem corpora ad æterna tormenta reddentur.] Si ergo Paulus tantam expertus sit difficultatem ob internam animi rixam cum carne, vt bonum opus facere alacriter, & totis viribus sine concupiscentia repugnante non potuerit, quid ergo nos, si cum illa etiam sponte passionum ac vitiorum agmen coniungamus, quo veluti instructa acie animæ arcem expugnent illámque adeò gratiæ viribus spoliatam relinquant, vt Deum vocantem non audiat, neque porrigentem gratiæ suæ brachia videat, neque diuini verbi alimenta, quibus nonnihil refecta, vires resumat, vocantis vocem audiat porrecta gratiæ

Aug. l. 1. cõtra duas Epist. Pelagij. 11.

Digitized by Google

tiæ brachia excipiat, & arcem ab hoſtibus vindicatam vero eius poſſeſſori Chriſto tradat, offerri ſibi patiatur: quid, inquam, noſtra tum voluntas amore proprio obcœcata, tot ſubdita vitiorum turmis efficiet? nonne tot impulſa malorum irritamentis ſuccumbet? Multi ergo vocati, pauci verò electi.

Quàm grauiter intellectus voluntas irascibilis & concupiſcibilis fuerint vulnerata.

8. Graue ignorantiæ intellectui inflictum est vulnus, quod prudentiæ lumine penè extincto, rationem tenebris obuoluit, vt ſi aliquando voluntas arctam cœli viam ingredi velit, in tam denſis tamen ignorantiæ tenebris, quo greſſus dirigat, neſciat, graue etiam voluntati vulnus inflictum, quo iuſtitiæ dono ſpoliata, ſemper ad malum impellitur, vt ſi quando facem illi intellectus præbeat, illa tamen, pro ſuo arbitratu, veritatem ſibi oſtenſam reſpuat, ita, vt nolit etiam primum facere gradum, ad arctam cœli viam. Denique appetitui concupiſcibili & iraſcibili graue infirmitatis, ac concupiſcentiæ vulnus inflictum, quarum altera temperantiæ ſcutum concupiſcibili ita eximit, vt omni prorſus pudore abiecto, in quodlibet turpium voluptatum genus, tanquam brutum pecus præcipitetur: altera iraſcibilem fortitudinis armis adeo expoliat, vt quælibet Paulo duriora refugiat: ſicque fit, vt concupiſcibilis voluptatum cœno immerſus, ad arctam virtutis viam ſeſe erigere neſciat: & iraſcibilis omni, in via arcta, difficultati ſtatim cedat. Hinc Auguſtinus animas noſtras illius typo expreſſas eſſe aſſerit, qui in latrones incidens exceptus eſt plagis tam multis, vt ſemiuiuus relinqueretur; qui licèt in ſtabulum illatus ſit, quod (vt ille ait) eſt Eccleſia, licèt ei oleum & vinum tanquam vulneribus ſalutaria remedia Samaritanus adhibenda curauerit, tamen adhuc languebat: ſic anima noſtra, tot confecta vulneribus, licèt ab Eccleſia, tot gratiæ medicamenta illi adhibeantur, languet tamen, ſempérque languebit. Mirum ergo non eſt licèt multi vocati ſint, paucos tamen ex illis electos eſſe, cum his vulneribus tot

Auguſt. de verbis Apoſtoli.

Luc. 10.

Simile.

paſſionum

passionum contentione recrudescentibus, voluntas cœco animi impetu præcipiti amoris proprij duce, in animarum necem conspiret.

Finis nobis fit propositus, vt nos impellat ad media.

9. Voluntas itaque per amoris proprij lenocinium seducta, & animi perturbationibus associata, nihil præter carnis oblectamenta sectatur, virtutum difficultates tanto horrore auersatur, vt eas vel eminus intueri nesciat: glorioso enim fine asperæ virtutis sibi proposito, tantùm abest, vt illum amplecti velit, vt potius viæ tantùm difficultates considerans, ad lætissimum illarum finem, sempiternâ plenum voluptate, nolit sese conuertere, cùm tamen è contrario in finem semper intenta, omnes superare difficultates deberet, & quoties vocem Domini se vocantis audiret, perruptis amoris proprij, ac passionum vinculis vocantem sequi, asperitas enim viæ minimè nos terrere, sed allicere magis & trahere fortius, finis prosperitas debet, non iter tantùm fragosum, ac difficultatis plenum, sed illius quoque finem, gloriamque sempiternam nobiscum sedulò perpendere oporteret, qua in fine, fine fine perfrueremur. Ad hoc iter animosè, perspecto eius fine, voluntatem sese accingere, reciso, cum proprio amore, & passionum tumultibus fœdere D. Augustinus adhortatur. [Cùm sequeris, ait, viam Christi, non tibi sæculi prosperitates promittas, per dura Christus ambulauit: sed magna promisit, sequere: noli tantùm attendere, quà iturus, sed etiam, quo venturus sis: tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiam peruenies sempiternam.] Finis ergo itineris ob oculos illi semper ponendus, ille enim est, qui impellit ad media sibi idonea, ille aspera virtutum facilia reddit, amanti enim nihil difficile: ille denique est, qui coronat opus, & sola perseuerantia coronatur. Incassum ille laboraret, qui solida vt sibi videtur suæ domus iecit fundamenta, & parietes in sublime erexit, si huic specioso operi culmen nunquã induceret, vnde & parietes tẽporis iniuria pau-

August. Ps. 36.

latim, per fruſta, in terram corruerent, & ipſa tandem fundamenta aſſiduis corroſa imbribus, puerorum etiam vngaibus diſſoluerentur. Ille inſuper fruſtra operam collocaret, qui agrum ſuum, variis excolit laboribus, ſcindit, & reſcindit aratro, fimo pinguem reddit, in eo ſementem facit, ſuccreſcentibus tamen malis herbis, lolio, lappis, ac ſpinis quæ bonam ſementem ſuffocare ſolent, agrum minimè expurgat, neque opportuno tempore demetit, neq; ſegetem in horreum infert, neque triturat, neque molit, neque cribrat, neque ſubigit, neque coquit, neque comedit: fruſtra, inquam, quia finem tanti laboris non attingit: ſic iudicandum in hoc noſtro propoſito, de quolibet, qui Dei vocantis vocem audit, qui ad tempus illi obedit, Chriſtiani hominis in eius anima fundamentis iactis, ſi tentatione tandem pulſante, opus fœliciter inchoatum, penitus deſerit, ſic ſæpe voluntas noſtra diuinæ gratiæ auxilio excitata, magno impetu fœdus, cum amore proprio & paſſionum agmine perrumpere videtur, ſed ſtatim vel carnis illecebrâ eam alliciente, vel irâ in proximum exardeſcente, vel vehementiori aliquo paſſionum motu abrepta ita incœptum animi propoſitum relinquit, vt ad ſuum ſtatim redeat vomitum, ac de nouo, cum iiſdem, quos deſerere cogitauit, arctius iciat fœdus: Multi ergo, &c.

Apoc. 2. 10. Dominus non incipientibus, ſed perſeuerantibus, vſque ad finem præmium pollicetur. [Vincenti, inquit, dabo manna abſconditum, & nomen nouum.] Ergo qui difficultatibus ſuperatus, qui deſidiâ victus, ab eo quod cœpit, retrocedit, nec manna abſconditum, diuinitatis ſcilicet arcana, quæ beatis in cœleſti gloria aperiuntur, & modò vincentibus promittuntur accipiet: quorum cognitio adeo dulcis, vt ſanctorum præcipua delectatio ex eorum contemplatione reſultet, vt illud Pſalmiſtæ innuit: [Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te:] nec

Pauci bene agere incipiunt, ſed pauciores in bono perſeuerant.

Pſ. 30.

nomen

nomen nouum sancti ac perfecti, ac ad vitam æternam prædestinati consequetur, quod Christus per tantas, amantibus se, impensas comparauit, nisi incœpto operi fœlicem imponat finem. [Iustus enim (vt ait Bernardus) non ad annum, vel ad tempus instar mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatui. Audi vocem iusti: [Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum.] Si quis ergo nostrum hæc credat, consideret, ac pro certo habeat, quomodo angustam pœnitentiæ portam, nuncio propriæ voluntati, proprio amori, ac mentis perturbatoribus, passionum turmis, remisso, ingredi detrectat, quisnam semel vineam Dominicam his bestiis animæ domitis, ingressus retro pedem referre, vsque ad mortis vesperam cogitaret, præsertim cùm sciat scriptum esse, [Nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei:] sed quoniam proh dolor! pauci vel bonum inchoant opus, & pauciores inchoatum perficiunt, memores nos esse vxoris Loth Christus monet, ne nimirum sicut illa retro respiciens in statuam salis versa: sic nos per prauæ voluntatis affectum, per amoris proprij nobiscum coniunctionem, per passionum turbas, ab incœpto opere desistentes, quasi in nihilum vertamur. Vnde Rupertus: [Vxor, inquit, Loth in statuam versa est, non marmoream, sed salis, vt exemplum fieret, & condimentum, vnde alij salientur. Respexit illa retro, versa est in statuam, caue ne retro respicias, id si facias hominis statua potius, quàm homo eris: Et sicuti statua suâ mole stat, nec vlterius mouetur: sic is qui retro respicit in cœli consistit via, nec vltra progreditur: & licèt aliunde externa prædicatione moueri videatur, non pergit tamen, in cœli itinere sibi proposito, quia statua est, & quamuis subinde externa vi vlterius piorum colloquio, aut viuaci alicuius sancti viri exemplo, nonnihil propellatur, vi tamen

Psal. 118.

Luc. 9.

Cap. 17.

Rupertus in Genes.

Similia.

Digitized by Google

amota, ſua peccatorum mole ſubſiſtit, quia ſtatua eſt. Et licèt motum aliquando habere interius videatur, ingenti diuinarum inſpirationum impulſus vi, tamen paulatim deficienti inſpirationum motu, vim illam illi non intrinſecam, ſed extrinſecam potius eſſe deprehendes, quia non homo, ſed hominis ſtatua eſt. Multi enim vocati, &c.

Non pergimus in bono opere quia homines non ſumus ſed ſtatuæ.

11. Heu quoties ita in virtutum via incœpta noſtro ſuccumbimus pondere, vt tanquam ingentes rupes ſemel per peccatum ex diuina lapidicina exciſi, ac proſtrati fiamus immobiles! quoties vel concione moti, vel diuina excitati inſpiratione, veluti ab aliena vi moueri videmur, cùm ſtatim ceſſante concione, vel Dei inſpiratione nequaquam pergimus. Quid mirum cùm homines non ſimus ſed inanes hominum ſtatuæ! quoties ſubinde vlterius etiam pergere videmur, vehementioribus Spiritus ſancti impulſi motibus, ita vt quælibet Dei amore ſubire velimus, quantamlibet pœnitentiæ aſperitatem amplecti, vota multiplicantes, ſed ſtatim vbi refrixerit inſpiratio, ſopitis in ſpeciem paſſionibus, in nobis iterum aſſurgentibus, & excitato amore proprio, qui inſpirationum momento ſopitus videbatur, cum voluntate conſpirantibus, ad aſſueta redimus, praua repetimus ſodalitia, ad ſolitas volamus compotationes, & laxatis omni nequitiæ habenis, fœdæ carnis voluptatibus nos ita mancipamus, vt in via mandatorum Dei retrogrediamur, quia vis illa diuina radicem non poſuit, cùm ſub ſe, non bonam terram, ſed duriſſimam deprehenderit ſtatuam, & demum adeo terræ infigimur, peccati mole oppreſſi, vt nulla vi voluntatis noſtræ impetuia, diuinis inſpirationibus, rupes infringi poſſit, cùm tamen illam Paulus, propoſito æternæ beatitudinis brauio, ſi in vinea Domini animoſius laborare velit, animare, ac è loco mouere, & currere ad immarceſcibilẽ comprehendendam mercedem cohortetur. Sic, inquit, currite vt comprehendatis,

datis, quo inter paucos electi inueniamini: Multi enim vocati, pauci verò electi.

12. Cùm Thamar, vno partu, geminos in lucem edere conaretur, in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum, Zara nimirum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens iste egredietur prior, sed statim vbi infans tenellam sensit manum filo constringi, ac nonnihil lædi, manum subtraxit, & hæreditate, quam alioqui aditurus erat, manus subtractione, priuatus est, quam illi alter infans Phares, qui intrepidè à materno vtero egressus est, prætipuit. Quàm multi sunt inter nos iam Zaræ, quàm multi, qui manus ad aratrum extendunt subito moti Dei impulsu, sed frigoris asperitate, pœnitentiæ difficultate, molesta passionum rixa, indomito sui amore voluntatem ad quælibet enormia, armante, & virtutis horrore victi, retro abeunt, quos expressè (vti dixi) Christus Dei regno minimè aptos esse declarat. Perseuerantibus enim, cum Christo in vineæ cultura, non deficientibus æternæ beatitudinis denarius reseruatur. [Nemo ergo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro pretiosam illam perpetuæ fœlicitatis arrham consequetur.] Manum verò ad aratrum mittere est (Gregorio auctore) quasi per quendam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum respicit, qui post exordia boni operis ad mala reuertitur, quæ reliquit.] O quàm multos legimus, audiuimus, ac vidimus optimè cœpisse ac incredibili spiritus feruore virtutibus initia dedisse, quos certò scimus propriam sequentes voluntatem, sui amore instigatos, variis agitatos passionum motibus turpiter retro abiisse, & ita turpiter, vt perpetuam incurrerent damnationem. Hoc Paulus nobis in hodierna Epistola ob oculos ponit: Patres (inquit) nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse

Gen.38. Figura. Multi bene incipiũt, sed oborta difficultate, deficiunt.

Greg. hom.3. in Ezechiel.

1. Cor.10.

baptizati ſunt in nube & mari,& omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petrâ: petra autem erat Chriſtus.] Sed audite quid ſubdat: ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto. Omnes enim Hebræi,qui duce Moſe egreſſi ſunt ex Ægypto ob peccata ſua, præſertim murmurationum, mortui ſunt in deſerto dempto Ioſue & Caleph, qui ſoli cum noua mortuorum ſobole ingreſſi ſunt terram promiſſam. Hos qui in ſpeciem Sancti videbanturi,in exemplum nobis Deus ſtatuere voluit, vt ex ipſorum punitione diſceremus Deum reuerer il líque,obedire, viámque mandatorum Dei alacriter peragere, niſi cum illis eadem plecti pœna velimus. Non ſatis eſt ergo incipere niſi bene cœpta perficiamus. Saul bene cœpit, tamen poſteà inobediens Deo à regno, & quod caput eſt,ab æterna eiectus eſt hæreditate: Audiit enim, nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis caput in tribubus Iſraël factus es. Ecce quàm bene cœpit: ſed audite eius inobedientiam: miſit te Dominus in viam & ait, vade & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vſque ad internecionem eorum.Ecce præceptum Domini; ſed ſtatim violatæ legis ſubditur vltio: [Pro eo ergo quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis Rex.] Cœpit etiam bene Salomon,ſed ſuæ propriæ voluntatis ductum,ſicuti Saul,ſecutus eſt, corruptæque carnis concupiſcentiis,ita in idololatriam abductus eſt,vt concubinarum ſuarum idolis immolaret. Magno ſanè miraculo ab æternæ mortis præcipitio Dauid ipſe,qui ſuæ praúæ voluntatis obliquum dictamen amplectẽs, ſeſe adulterij & homicidij ſceleribus obſtrinxit,liberatus eſt. Quare Tertullianus: [Ex hoc,inquit, mirum opinor, vt probatus aliquis retro,poſteà excidat.Saul bonus præ cæteris:Liuore poſteà euertitur.Dauid vir bonus ſecundùm cor Domini,

Num. 14.

1.*Reg.* 15.

Tertul. de præſcrip. aduerſ. hæret.

mini,poſteà cædis & ſtupri reus eſt. Salomon omni ſapiẽtia & gratia donatus à Domino,ad idololatriã à mulieribus inducitur.]Caueamus itaque à propria voluntate(vt monet Bernardus)tanquã à vipera peſſima,& quæ ſola deinceps dãnare poſſit animas noſtras.Hæc eſt enim crudelis beſtia,fera peſſima,rapaciſſima lupa, & leæna fæuiſſima. Hac , qui fœliciter incipiunt,deficiunt ; hac Dei maieſtatem impugnamus;hac ſubtrahimus nos ab eius obſequio;hac Dei diripimus bona; hac in ipſum naturæ auctorem deſæuimus; hac denique quantum in nobis eſt , Deum interficimus. Quid ergo mirum cùm plerique, tanquam duce propria voluntate vtantur , Chriſtum prædicere : Multos vocatos , paucos verò electos.

Bernard. de S. Baptiſmo. Serm. 3. de reſurrect.

13. Sed attendite,quàm graphicè Bernardus huius crudeliſſimę feræ paſſionũ agminibus armatę,ſuíque amoris inflãmatæ teterrimos depingit effectus:[Voluntas (inquit) propria quo furore Dominum Maieſtatis impugnet audiant,& timeãt ſerui propriæ voluntatis.Primò nãque ſeipſum ſubtrahit & ſubducit eius dominatui, cui tãquam auctori ſeruire iure debuerat dum efficitur ſua, ſed nunc quid?contẽta erit hac iniuria ? addit adhuc , & quod in ſe eſt , omnia quoq; quæ Dei ſunt, tollit & diripit.Quẽ enim modum ſibi ponit humana cupiditas ? dico fiducialiter: Nemini,qui ſit in propria voluntate,poſſet vniuerſus mundus ſufficere. Sed vtinã,vel rebus iſtis eſſet cõtenta,ne in ipſum (horribile dictu) deſæuiret auctorem. Nunc autem & ipſum , quantum in ipſa eſt, Deum perimit voluntas propria. Omnia enim vellet Deum peccata ſua,aut vindicare non poſſe , aut nolle,aut ea neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum: quæ quantum in ipſa eſt, vult eum aut impotentem, aut iniuſtum eſſe , aut inſipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia , quæ Dei potentiam , iuſtitiam , ſapientiam perire deſiderat.] Cui ergo tam ſæua beſtia in ſuis actionibus domina-

Mali effectus voluntatis propriæ. Bernar. ibidem.

Digitized by Google

eur, præfertim ſui amori, & paſſionum turbulentis ſubiecto tumultibus, vix aut ne vix quidem, Dei vocantis vocem audire, aut eum in perfectionis via ſequi, aut bonum inceptum proſequi vnquam poterit. Quare cùm mortalium pluribus illa præſideat, non ſine cauſa à Chriſto prædictum eſt: Multi vocati, pauci verò electi.

Docemur per Ezechielis animalia ſemper in inceptopergere. Greg. hom. 3. in Eze.

14. Sacra ſcriptura per illa Ezechielis animalia, quæ generoſos in virtutum via pergentes, deſignant, progredi ſemper in via virtutũ incœpta, non obſtantibus bruta voluntate, amoris proprij remora, & paſſionum ſæuientium turmis, nobis neceſſarium eſſe ſignificat. Illa ſiquidem cùm ambularent, non reuertebantur. Hinc Gregorius, [Ante nos, inquit, æterna ſunt; poſt nos temporalia: quia & illa pergentes inuenimus, & iſta, recedentes, quaſi poſt dorſum relinquimus.] Nunc itaque cùm iter facimus, ac ad æternam properamus beatitudinem, cum illis animalibus, in exemplum nobis propoſitis, progrediamur, neque ad temporalia oculos deflectamus. Meminerimus illa etiam animalia, quæ Ioanni apparuerunt, nunquam requiem habuiſſe; ſed die ac nocte ſibi inuicem clamare Sanctus, Sanctus, Sanctus. Nam maxima, (vt ait Auguſtinus) & vnica eſt Sanctis requies in cœlo laudem ſummæ Trinitatis, quæ Deus eſt, indefeſſa voce dicere.] Nos itaque in Dei laude & obſequio minimè fatigari oportere indicant. Denique vaccæ illæ, quę teſtamenti Arcam portabant, & recta via procedentes ſemper pergebant, licèt ob lactantes vitulos, qui matres ſuas clamoribus perſequebantur, mugirent, non declinauerunt tamen, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram. [Vaccis enim, vt ait Ioſephus, veram viam ingreſſis, & recta, non aliter, quàm ſi ducerentur, tendentibus, Principes Palæſtinorum ſequebantur, cupientes cognoſcere quo peruenirẽt, & vbi plauſtrum ſiſterent.] Nunquid illæ nos docent quamuis ſubinde in Dominica vinea, ſub grandi onere gemere, ac difficultates

Apoc. 4.

Auguſt. de Geneſ. ad lit. l. 4.

Ioſeph. l. 6. anti. c. 1.

tates pati videamur,& nostris appetitibus,tanquam vitulis concupiscẽtiæ lac postulãtibus,mugire etiam cogamur : illis diuina lege prohibente , satisfacere; nobis tamen minimè deficiẽdum esse,sed repugnantibus indomitis illis vitulis , appetituum motibus, passionum rixis,vsurpato in nos propriæ voluntatis dominio,suique amoris complacentia , contemptis, in Dominica vinea , via mandatorum Dei nobis semel ostensa , vsque ad mortis vesperam strenuè laborandum. Pudeat enim nos , pudeat animantia rationis expertia nunquam ab incœpto opere retrocedere,cùm nos ipsi minimam experti difficultatem, à primo boni operis conatu,subducamus.Deus ipse, qui nunquam cessauit donec vniuersæ mũdi machinæ finem imposuit , quam etiamnum variis exornat pulchritudinum donis : [Pater meus vsque modò operatur,& ego operor]nos docet nũquam fatigandum, sed semper pergendum,ac de virtute in virtutem progrediendum,vsque ad extremam vitæ periodum:[Iustorum enim semita quasi lux splẽdens procedit,& crescit,vsque ad perfectam diem.]Et sic inter paucos electos ex multis vocatis erimus.

Ioan. 5.

Pro.4.

Secvndvm Pvnctvm.

15. Altera ratio,quam secundo loco explicandam proposui , est, cur ex tot vocatis pauci eligantur , ex parte dæmonis. Cùm enim anima nostra tot circumsepta sit concupiscentiæ quasi sicariis, vt infinitis penè ictibus misera pateat , tot à diabolo etiam exterius circumdatur insidiis , vt nihil prorsus à fraude vacuum,quo incauta illaqueetur,relinquatur.[Nam(vt ait Clemẽs Alexãdrinus)dæmones & pulchritudines, & glorias ,& voluptates & eiusmodi inescantes visiones , iis,quæ facilè seduci possunt animabus protendunt ; quemadmodum qui pecora alliciunt eis frondes porrigunt.] Sicuti enim ostensis arborũ frõdibus,aut gramine, aut fœno,aut

Secundum punctum. Dæmon impedit ne vocantem Deũ sequamur.

Clemens l.2. ſt roma. c. 9.

Simile.

auena trahuntur pecora ; ſic propoſitis rerum terrenarum ſpecie, honoris, gloriæ, pulchritudine, diuitiarum, ac voluptatum, ſuaui illecebra, ad peccandum imbelles animæ facilè trahuntur: [Ramum (inquit Auguſtinus) viridem oſtendis oui, & trahis illam: ſic ſi terrena animæ imbelli oſtendis, trahitur: trahit enim ſua quemque voluptas. Sed ſi altius nobiſcum in lata voluptatum via, quam diabolus nobis fingit iucundiſſimam, latentia perpenderemus pericula, tantùm abeſt, vt eam aggredi vellemus, vt etiam, tanquam ab arctiſſima difficultatibus, ac pe-
Leo ſerm. 5. Quadrage. riculis plena ſemita, nos citò ſubduceremus. [Plena enim, vt ait Leo, omnia periculis, plena laqueis, incitant cupiditates, inſidiantur illecebræ, blandiuntur lucra.] Et alibi: [Inſidiæ ſunt in diuitiarum amplitudine, laqueus eſt in ſecuritate, laqueus eſt in timore, nec intereſt vtrum animus, qui
Idē ſerm. 11. Quadrage. terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur an curis, cùm par morbus ſit, vel ſub vana delectatione gaudere, vel ſub anxia ſolicitudine laborare] nihil eſt ergo, in quo diabolus ſaluti noſtræ inſidias
1. Corin. 10. non ponit. [Fidelis tamen Deus, qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed facit cum tentatione etiam prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. [Citius enim (vt ait Gregorius) nobis conſolationis
Greg. l. 24. Mor. c. 7. ope ſuccurrit, & ſurgentes tentationum ſtimulos mitigat, impugnantéſque cogitationum motus interna pace tranquillat: moxque anima immenſam, de ſpe cœleſti, lætitiam percipit quod tolerauit, vt iure de
Iob. 33. hoc tentato liberatóque homine dici debeat: videbit faciem eius in iubilo, & liberauit animam ſuam,
B. Ephren ſerm. de patientia. Simile. ne pergeret in interitum, ſed viuens lucem videret.] Si enim homines tam parua prudentia præditi, ſciũt tamen diſcernere quantum onus, ac pondus ſingula iumenta ferre queant, veluti mulus aut camelus, tantumque imponunt, quantum eorum vires tolerent: Si etiam figulus vaſa efformans, nouit quanto tempore, ea in igne relinqui oporteat, ne ſi diutius

relin

relinquat,adurantur,sin minus dissoluantur,nec vsui esse possint:quanto magis Deus,cuius est infinita sapientia, nouit quibus tentationibus indigeant animæ,ipsi placere volentibus, neque maiores permittet,quàm ipsarum vtilitati conducat.

16. Ne tamen ementitæ pulchritudinis specie seducamur, & dæmonis circumuenti fraude in vitiorum abrup tum,diuinâ spretâ gratiâ, sponte abripiamur, sedulò nobiscum reputemus, quàm iniquo nos loco diabolus aggreditur, in quantum salutis discrimen vocat, in quod æternæ mortis præcipitiũ nos protrudere conatur,vt sic Dei vocem neque audire,neque eum sequi, neque salutaria animæ documenta admittere velimus,Fingite,obsecro,inter duo maria tempestatibus ac fluctibus insanientia, arctissimam semitam vobis propositam : in qua cum diabolo conferendum,in cuius fine præcipitium maximè profundum serpentibus, sordibúsque adeò plenum, vt omnium cloacarum ac sordium congeriem fœtorémque superet, & ipsi quasi inferno æquetur. Quis,quæso,proposito sibi quolibet præmio, per illam semitam,equo insidens cespitanti,& ad omnem trepidãti vmbram, pergere auderet,& propriis pugnare viribús cum dæmone, is omnium iudicio insanire iudicaretur?iniquus ergo locus homini pugnę ineundæ,cum dæmone. Quid si præterea eques,ita imbecillis foret,vt equum regere nesciret, & locus adeò angustus,ac lubricus,vt vix modestissimus,pedibúsque firmus,per illum possit incedere?Quid,obsecro, de huiusmodi homine cogitaretis : qui vana spe,suis fidens viribus,sese in tantum vitæ discrimẽ, ob inane aliquod præmium prudens coniiceret?certè eum stultum,ac insanum penitus censeretis.Quid si,insuper, in tam iniquo loco ita vehemens exoriatur ventus,vt fortissimus quisque equus,vix sese pedibus continere valeat,& ipse eques,ab hostibus valentissimis vtrimque inuadatur, qui eum ex equo præcipitem in mare dare contendant? O quàm de-

Iniquo loco, periculoso, lubrico, angusto, præcipitio proximo nos dæmon aggreditur.

plora

plorabilis huiuſmodi inſani hominis ſtatus eſſet! quàm præceps conſiliarius, qui eum ad hoc periculoſiſſimum impelleret iter, in quo cum occultis & infeſtiſſimis hoſtibus congredi oporteret! quàm inſanus, quàm imprudens, quàm ſuæ ſalutis immemor, eques hic omnium calculo exiſtimandus! O quàm ergo ſtulti & inſani nos ſumus! dæmon ſiquidem inter duo maria, infernum ſcilicet, & cœlum, arctiſſimam nobis ſemitam ponit, latronibus infeſtiſſimam: quam tamen iucundam, latam, facilem iis in ſpeciem exhibet, qui carnis deſideria explere affectant, qui ſuaui corporis illecebra delectantur, qui inanes mũdi vanitates ſectantur, vanóſq; honorum fumos aucupantur. Huiuſmodi, proh dolor! ſemita illa, quæ ad interitũ ducit, latrociniis infeſta, vaſtiſſima, facillima, iucundiſſima apparet, cũ tamen, reipſa, arctiſſima ſit, & periculoſiſſima; quippe ſicariis referta, quæque infernum ſibi pro præmio propoſitum habet. Illi autem quibus cœli via anguſtiſſima, difficillima, & aſperrima videtur, quæ tamen Angelicis obſita militibus, quæque pro præmio æternę beatitudinis mercedem propoſitam habet, eam, inferni viæ infinities poſtponunt! audiant huiuſmodi quale inter has duas ſibi, è diametro, contrarias vias Hieronymus diſcrimen facit: [Vide, inquit, quanta inter has vias ſeparatio ſit, quantúmque diſcrimen, illa ad mortem, hæc tendit ad vitam; illa teritur à multis, hæc vix inuenitur à paucis; illa vitiis, per conſuetudinem, quaſi decliuior, ac mollior, hæc inſueto calle virtutum triſtior, & horridior.] Hinc Chriſtus noſtri appetitus præcipitationem intuens, eiúſque ad omne bonum horrorem, & ad omne malum propenſionem, hanc inferni anguſtam ſemitam, ſpatioſam vocat viam, & ad illam ingreſſum latam portam, qualis enim via talis eſt porta, lata via inferni, lata ergo porta eſſe debet, plurimos quotidie excipiens. [Dilatauit enim infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino.] Arctam verò cœli viam, &

Hier. epiſ. 14. ſiue B. Paulini ad Celantiam.

Iſa. 5.

& angustam portam dicit,quia pauci sunt,qui inueniunt eam: [attamen(vt ait Chrysostomus) nequaquam ad multitudinem oportet aspicere, neque exemplorum densitate turbari: sed imitari paucos, qui hoc nos itinere cautissimè incedere hortantur.] Hanc ergo viam ingredi nos oporteret,vt à diaboli præcipitio & ancipiti pugna liberemur. Multi enim vocati,pauci verò electi. *Chrysho.24.*

17. Via itaque hæc,vita nostra est[per quam(vt ait Basilius)quilibet natus properat ad finem.]Vitam igitur,à peccatis vindicatam,bonis exornemus moribus, & virtutum splendoribus illustremus, & viam parabimus, latam vitiorum caueamus vitam, & sic viam cauebimus latam: arctam arripiamus: arcta enim est virtutum asperitatem abhorrentibus, qua Dominus iter facit. [Duæ enim sunt viæ (vt ait Basilius) vna lata, & ampla: altera angusta, & arcta, totidem etiam duces: quorum vterque ad se viatorem arripere conatur. Via námque lata, ac decliuis ducem habet decipientem dæmonem, qui per voluptatem,se sequentes,ad perditionem trahit: asperæ verò & arduæ viæ, Angelus præsidet, qui per labores strenuos, pro paranda virtute, ad finem beatum sequaces suos deducit: saluandorum via, quantò pulchriora profitetur esse, & promittit futura, tantò laboriosiora præsentia exhibet. At voluptatum sectatrix vita, præsentium rerum iucundam fruitionem offert.] Viæ itaque finem licèt longissimæ, toti viæ maximam adferre suauitatem, quis dubitat,quiæ enim iucundior via, quàm illa, quæ ad locupletissimum ducit thesaurum, licèt magnis intricetur difficultatibus. Quis opulentior thesaurus æterna vita?hic arctæ viæ finis. Quotiescunq; itaque viæ finem,ad viuum tibi obiicies,toties via ipsa,non arcta,sed latissima videbitur.[Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] [Nam (vt ait Eusebius) quos per cruentissimum persecutorem humiliauerat diabolus, *Basil.in cõm. Ps.1.* *Via vel ad bonum vel ad malũ vita cuiusque.* *Via finis considerandus.* *Rom.8.* *Euseb.de Epipha.hom.4*

diabolus, exaltauit Deus: quos ille damnauit, iſte glorificauit:ille opprobriis adimpleuit;hic præmiis: ille affecit flammis, refrigeriis hic refecit:ille induxit in mortem;hic ad vitam, de morte perduxit:ille interfecit gladiis;hic dignos fecit coronis.Ideò vox eſt Apoſtoli martyrium ſuſpirantis:Non ſunt condignæ paſſiones,&c.] Quis ergo refugiet arctam pœnitentiæ viam,vt inter paucos electos ex multis vocatis vnus ſit?

Lata vię finis conſiderandus. Matt.7.

E contrario verò, ſi latæ viæ finem diligenter nobiſcum conſideremus, non latam ſed arctiſſimam eam reperiemus.[Lata,inquit Dominus, via eſt,quæ ducit ad perditionem,] ſcilicet æternam. Quis autem, vel tantum huius viæ finis tenui mentione factâ, animo penitus non conſternabitur? Sed heu! quot,clauſis oculis,ſponte,propoſita voluptatum illecebra, ad perditionem quotidie miſeri, ſpatioſæ viæ,viatores ducuntur! O ſi illam prudentiæ oculo intuerentur, quomodo ſtatim pedem referrent? ſed quoniam,proh dolor!dæmon,& per dæmonem propoſitæ ob oculos carnis voluptates,amor ſęculi,honores,inanis gloria ita pergentes illam viam excœcant,vt ſuum videre nolint propè interitum,gradiũtur equis ceſpitantibus, corporibus nimirum imbelles animæ inſidentibus, in loco admodum lubrico, ac ſalebroſo,in huius,inquam,mundi periculoſo ſtadio,vehementibus vndequaque concupiſcentię motibus, variarúmque inter ſe diſceptantium paſſionũ inſultibus, tanquam valentibus, ac furentibus ventorum flatibus, horrendum in modum, ſpirantibus, hoſtibus ſemper,dæmone nimirum,ac ſceleratis hominum exemplis, vndique ad præcipitium vrgentibus,immenſo æternæ damnationis mari circumſeptæ!quanta harum miſeria!quantum periculum! quã propinqua illis perpetuę calamitatis periodus!quàm inconſideratæ, quàm præcipites, quæ hanc lubricam arripiunt ſemitam: [Multi ergo vocati,pauci verò electi.]

18.Adde

18. Adde aliam etiam dæmonis astutiam, qua paulatim incautas animas vocantis Dei vocem audientes, séque parantes, vt incœptam Orci semitam deserant, decipere conatur: in incœpto enim itinere permanere astutissimè persuadere contendit. Nam cùm illas Deus vocat, dæmon callidissimus procrastinare Dei vocem audire, & sequi suadet, & vtinam non persuadeat, donec nimirum opportunius Deum audiendi & sequendi tempus repererint: præsens verò sibi, carni, ac mundo consecrandum: Deo autem futurum, quod nunquam præsens est, offerendum asserit, cuius vox coruina illa cras, cras, sed nunquam hodie. Hanc diaboli astutiam pulchrè depingit Basilius, [Diabolus, inquit, vana spe corda demulcet, nó audet consulere, vt omnino, statímque à Deo auertaris. Nouit enim hoc graue admodum Christianis. Verùm artibus insidiosis aggreditur: serpens est, & ad decipiendum argutus, intelligit: quemadmodum nos homines præsens tempus libenter recipimus, omnísque actio humana in præsens contendit, atque spectat. Quamobrem hodiernum tempus nobis suratur astutè, & spem facit crastini, postquam crastinum venerit, rursus malus diuisor sibi hodiernum: crastinum verò Deo dari petit. Sic continuò diem, de die trahens, voluptate præsenti, & spe frugis nostram subducit latenter vitam, propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius & sublimes, gloriosique eius ad eum.] Multi igitur vocati, pauci verò electi.

Dæmon procrastinare Dei sequelã suadet.

Isa. 5.

Tertium Punctum.

19. Tertio videamus loco, quomodo multi decipiuntur, falsò sibi persuadentes, se vltima vocandos horà, nescio, qua falsa decepti opinione, moras nectere, Deo nos vocante, audemus, vana nobis spe persuadentes, vt licèt manè in vineam concedere negemus,

Magna decepti o, expectare donec nos vocet hora vndecima.

negemus, Dominum tamen vineæ venturum hora tertia,aut ſexta,aut nona, aut etiam vndecima putemus,vt nos conducat.Qua fraudulenta circumuenti deceptione,minimè opus, tanta ad vineam feſtinatione,aut tanto nos labore conficere iudicamus, ſed potius ætatis florem voluptatibus indulgendo, dæmoni conſecrandum exiſtimemus; præſertim cùm eodem cum iis præmio, qui à ſummo mane, in horam vndecimam ſtrenuè laborarunt,vndecima conducti hora, donandi ſimus. Quare ſi venerit hora prima, nóſque vocet, reſpondebimus, nondum ſurgendi horam,adhuc dormiendum in tertiam;venturum enim Dominum rurſus hora tertia: & ſi tunc ſurgere non libeat, adfuturum dicimus hora ſexta: porrò,& ſi tunc nobis non vacat ſurgere,neque adhuc noſtrarum prauarum conſuetudinum,quaſi ſtragula à nobis excutere, Dominum vineæ nobis perſuademus venturum hora nona, imo etiam expectaturum nos,in vndecimam;& tunc demum ſurrecturos,nos pollicemur:ac propoſito nobis æternæ beatitudinis præmio, ſtrenuè laboraturos. Quis vos,ô fatui mortales,ſecuros facit? [Craſtinum diem,inquit Auguſtinus, quis tibi promiſit? vbi mihi legis indulgentiam recepturum,ſi te correxeris, ibi mihi lege,quantum victurus ſis. Neſcis ergo quantum ſis victurus;eſto correctus,& ſemper paratus.Quid differs in craſtinum, qui neque de vno momento ſecurus ſis.]Vbi hoc etiam ſcriptum reperiemus, ſi primo mane nolimus ad vineam venire: veniet Dominus nos vocatum hora tertia:Etſi tunc etiam ſurgere detrectemus, conducet nos hora ſexta, & ſi hac etiam hora ſequi pigeat, ſcimus illum venturum,& hora nona, & vndecima, imo in ipſa extrema vitæ periodo:Vnde,inquam,tantam Dei nobis miſericordiam pollicemur.

Aug.ſer. 16. de verbis Domini.

Ezech.18.

20. Dicet aliquis hodiernum nobis Euangelium huius rei fidem facit. Scriptura clamat quacunque hora ingemuerit peccator, miſericordiam conſecuturum.

turum.[Nunquid voluntatis meæ est (ait Dominus) mors impij, & non vt conuertatur à viis suis & viuat?]Quamobrem Dominus,vt ait Sapiens,[qui animas diligit] & manè vocat, & meridie & vesperi. Manè consecutos misericordiam multi gloriantur, qui præ gaudio diuinam extollentes commiserationem, modicæ fidei hominibus acclamant, [Repleti sumus manè misericordia tua,]initio viæ iuuentutis nostræ Solem iustitiæ gratię radiis illustrati aspicere cœpimus.Præ cæteris, hanc matutinam se consecutum gratiã, propheta Dauid fatetur,[Suscepisti me, inquit,de vtero matris meæ,]Suscepisti me formandum,& fouendum antequã exiré de matris meę vtero:sed multò magis in lucem editus, tuam expertus sum misericordiam. [Elegit Dauid seruum suum,de post fœtante accepit eum.] Et quid Ieremias, in materno vtero sanctificatus de se deprędicat?Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.Et B.Ioannes Baptista,Spiritu Sancto,adhuc in vtero matris suæ repletus est: Ecce ergo quomodo Dauidem,Ieremiam, Ioannem Baptistam,adhuc in materno vtero,ad magnam gratiam & officiũ destinauit,quos manè,hoc est,in vitę exordio,singulari exornauit gratia. Deinde adolescens ille,in vitæ suæ meridie,à Christo excitatus,& matri in gratia vti planè existimo restitutus, cui dictum:[Adolescens tibi dico surge.]Sic plurimi adolescentes, in ipso suæ ætatis meridie, qui anteà diaboli castra secuti sunt, ad vineam vocati, per vitæ emendationem,diabolum deserentes, propositam sibi à Deo vineam,sedulò excoluerũt.Sic in virili ætate,vas electionis Paulus,concessis illi efficacissimis gratiæ,ac doctrinæ instrumentis,ad vineam Domini sui animosè excolendam est vocatus. Quare apprimè omnibus instructus paratissimum se ostendens, exclamat: [Domine quid me vis facere?] Denique in quocunque statu,in quacunque ætate vocat. [Canite(inquit)tubá in Sion,vocate cœtum,congregate

Ezech.18.

Sap.11.

Ps.89.

Ps.138.

Ps.77.

Isa.49.

Luc.1.

Inductio qua probari videtur Deũ vocare qualibet ætatis hora.

Luc.7.

Act.9.

Ioel.2.

populum,coadunate ſenes,congregate paruulos, & ſugentes vbera.] Ecce quomodo indiſcriminatim omnes vocet,non præfigit tẽpus,non attendit ætatẽ, non horas,non momenta.Sed ſingulis horis,ſingulis momentis vocat,nec vocãdo fatigatur,nõ enim vult peccatoris mortẽ;ſed magis,vt cõuertatur,& viuat. Cùm ergo Scriptura clamet,experientia doceat,Dei miſericordia ſpondeat,quolibet ætatis tẽpore,quolibet diei hora, peccatorem ad Dei vineam excolendam vocandum, cur tam anguſti pectoris ſimus , vt Deo tempus noſtræ conuerſionis pręſcribamus,cùm noſtram expectet patienter pœnitentiã , & diſſimulet peccata noſtra donec opportuno tempore noſtri miſereatur.[Miſereris omnium,inquit Sapiens, Domine, & nihil odiſti eorum quæ feciſti ; diſſimulans peccata hominũ propter pœnitentiã,& parcẽs illis, quia tu es Dominus noſter,qui amas animas.]

Sap.11.

21. Cùm Abraham nonaginta & nouẽ annorũ eſſe cœpiſſet,à Domino vocatus eſt : apparuit enim ei Dominus dicens:Ego Dominus omnipotẽs; ambula coram me,& eſto perfectus.Sed ô nos miſeros!quaſi verò tunc demũ Abrahã à Deo fuiſſet vocatus,quin potius illũ ſæpius ante vocauerat,& allocutus erat. Hoc ipſum ſanè magnæ nos heu!redarguit ſocordię, & erroris conuincit.Deus enim,licèt toties Abrahã ante vocauerit,ac cum illo familiarius egerit , nunquã tamen illi præcepit,vt perfectus eſſet , niſi tũ in ſenectute,vt inde nimirũ colligeremus, nos vix etiã perfectos fore , licèt cum Abrahamo manè vocati, Dominicã vineam vſq; ad decrepitam ætatẽ ſtrenuè excoleremus: & nos manè vocati incipere detrectamus,vt ea hora,qua perfecti eſſe deberemus,vocati, bene agere incipiamus,cũ tamen à mane vſq; in veſperã malè agere didicerimus.O ſtulti nos,quã malè nobis conſulimus! quàm arrogãter præſumimus, quàm procul à diuino timore nos cõcupiſcentię abduxit cœcitas?num Euangelium aſſerit,illos vocatũ iri hora vndecima,qui manè hora prima,tertia,ſexta, nona

Gen.17.

Quã ſtultum id ſanè velle incipere & non ante quãdo perfecti eſſe deberemus.

nona venire neglexerunt? an non potius contrarium docet? cùm quos primo mane Dominus conduxit, facta conuentione, in vineam miſſos, vſque ad horam vndecimam perſeueraſſe aſſerat? An exiſtimamus etiam illos, qui manè vocati ſunt, ſi vocantem tum non ſequerẽtur, vocandos hora tertia, vel ſexta, vel nona, vel etiam vndecima? Neſcimus ſcriptum, [Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea.] Quò à nobis fugit intortum illud à Spiritu Sancto fulmen in eos qui ſuã differunt conuerſionem? [Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die, in diem. Subitò enim venit ira Domini, & in tempore vindictæ diſperdet te. Periculum ergo eſt (vt ait Chryſoſtomus) & metus eſt in differendo, ſalus verò certa, ac ſecura, ſi nulla ſit dilatio.] Et quoniam plurimi huiuſmodi periculum ſubire malunt, quàm repudiatis corporis illecebris, ad certam & ſecuram ſalutem, cùm primùm vocati ſunt, feſtinare, ideò à Chriſto pronunciatum: [Multi vocati, pauci verò electi.]

Prou. 22.

Chryſoſt. ho. 22. in 2. Cor. 11.

22. Sed nugaciter replicas: [Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, & non vt conuertatur à viis ſuis & viuat? Nõ vult, vt ait Chryſoſtomus, in mortem deduci hominem, quem in vitam conſtituit,] non equidem voluntas Dei antecedẽs mors eſt peccatoris, ſed ſecus, de conſequente: non enim ad puniendos nos, teſte Damaſceno, plaſmauit: ſed vt efficiat nos bonitatis ſuæ participes, vt bonus: peccantes autẽ puniri vult, vt iuſtus. Quare cùm habeat in poteſtate vindictã, vt ait Cyprianus, mauult diu tenere patientiam, ſuſtinens ſcilicet clementer, & differens: vt ſi fieri poteſt multùm malitia protracta, aliquãdo mutetur, & homo in errorum, & ſcelerum contagione volutatus, vel ſerò ad Dominum cõuertatur, ipſo monẽte, & dicente: Si impius egerit pœnitẽtiã, omniũ iniquitatũ eius, quas operatus eſt, nõ recordabor: [Nolo.n. morte moriẽtis.] An ergo qui vocati manè, & venire renuũt, qui hora tertia, vel ſexta,

Peccatorium ſua refugium. Chryſoſt. ho. 7. ex variis in Mat. locis.

Damaſc. l. 2. c. 29.

Cypr. de bono patientiæ.

Digitized by Google

vel nona, & vocantis vocem negligunt, pœnitentiam de omnibus peccatis ſuis cenſentur facere, an præcepta Dei potius negligere, & contemnere, qui toties conuerſionem differre prohibet, dicens, Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Aliquando (inquit Aug.) enim auditis vocé eius per Moyſen, & obduraſtis corda veſtra: per præconem locutus eſt, quando obduraſtis corda veſtra: per ſe nunc loquitur, molleſcant nunc corda veſtra, ne in ira ſua iuret: Si introibunt in requiem meam. Hæc eſt requies, Ambroſio auctore, quæ iuſtis debetur, negatur indignis: de qua ait Dominus; Sicut iurauí in ira mea, ſi introibunt in requiem meã. Qui enim non cognouerunt vias Domini, non ingredientur in requiem Domini. Certum ergo eſt, eos noluiſſe vias Domini cognoſcere, qui manè, vel hora tertia, vel ſexta, vel nona à Deo vocantur, & vocantis vocem contemnunt: ac proinde nunquam ſæpè hora vndecima, in mortis nimirum articulo efficaciter vocari; & ſi aliquando contingat, quos expertus eſt Deus manè, vel hora tertia, vel ſexta, vel nona vocationi refractarios, hora vndecima vocatos, ſingulare priuilegium, ac proinde paucis conceſſum, aliis in requiem Domini ingredi prohibitis, qui vias eius cognoſcere contépſerunt. Eſto tamen tibi ipſi concedatur, vt qui manè in primæuo iuuétutis flore, vocatus venire neglexiſti, hodie hora tertia, vigeſimũ quartũ ingreſſus annum, vegetus, florens, robuſtus voceris & ad vineam ire recuſans, iterum voceris hora ſexta, aut nona, aut vndecima. Putáſne te paratiorem fore hora ſexta, nona, aut vndecima, vt vocantis vocem ſequaris, quàm modò es? & an exiſtimas tunc Deum ita te efficaciter vocaturum, vt gratiæ præuenienti conſenſum præbeas, eiúſque pulſui cordis oſtiũ, obſtinato peccati peſſulo, obditũ, aperias? noli te fallere, obſecro; noli, inquam, te fallere, ſæpè enim fit, vt in præcedentiũ peccatorum vindictam, Deus ſpeciale gratiæ auxiliũ peccatoribus ſubtrahat. Vide ergo

Pſ. 94.

Augu. in illum locum.

Ambr. de obitu Theodoſii.

ergo ne fatuis Virginibus assimileris, quæ nouissimè venientes, clausa iã ianua, fores incassum pulsarunt. Vide ne idé tibi contingat, quod sponsæ, quæ media nocte, spõso pulsante, aures obturans, vanas & inutiles prætẽdens excusationes, pulsanti aperire noluit, qua iniuria offensus, dimisit eã, & abiit: postea verò cũ sponsa surgeret, vt dilecto aperiret ostium, ille declinauerat atque transierat, quæsiuit & non inuenit, võcauit & non respondit illi. Qui enim, vt ait Augustinus, omnibus pœnitentibus promisit gratiam, non tamen omnibus peccantibus promisit pœnitentiam. [Multi ergo vocati, pauci verò electi.] *Cant. 5.*

23. Sæpenumerò etiã contingit, vt licèt Deus sufficientẽ gratiam, in extrema diei hora peccatori offerat, ille tamẽ pertinaci animo gratiã sibi oblatam respuat, contingit etiã non rarò, quãdo tibi in extrema senectute pœnitentiã polliceris, vt omnibus circumfluens bonis, vegeto corpore, & viribus integris improuiso mortis aduentu, ita tenebris obuoluaris, & tãto consterneris horrore, ac trepidatione, vt omnis tibi pœnitẽdi modus, in peccati pœnã quasi subtrahatur, Deo tibi singularia, quę amicis impertiri solet, gratiæ auxilia minimè conferens. Audi quæsõ, quid Amos propheta in huiusmodi pœnitẽtię procrastinatores fulminet, [occidet Sol meridie, & tenebrescere faciã terrã in die luminis.] Vesperi, inquit, pœnitẽtiam nõ faciet, cui pleno die, in iuuentutis flore, Sol occidet, antequam enim ad perfectam vitæ conuersionem, quam in posteriorem vitæ partem peccatores reiiciunt, peruenerint, repentina sæpè morte rapiuntur; his tenebrescit terra in die luminis, quia àliis viuentibus, & exultantibus ipsi in tenebras mortis incidunt, eorũmque festiuitates vertuntur in luctum, & cantica in plãctum, sicut scriptũ est, [Tenent tympanũ, & cytharam, & gaudent ad sonitũ organi, ducũt in bonis dies suos, & in pũcto ad infernа descendũt: [Multi ergo vocati, pauci verò electi.] *Amos 8.* *Iob. 21.*

Licèt nemini Deus deneget sufficientem gratiã, tamen in peccati pœnam subtrahit auxilia peculiaria.

Diaboli fraudulenta deceptio.

24. Non igitur æstimare debemus, si manè, aut ho-

ra tertia, aut ſexta, aut nona in vineam venire negligamus, ſalutemque noſtram in ea operari, fore, vt Dominus vineæ, hora nos vndecima vocet. Hæc enim fraudulenta eſt diaboli deceptio, quam probè Regius Propheta animaduertens, ait: [Verbum iniquum conſti tuiſti aduerſum me.] O quàm iniquum verbum, noſtris diabolus auribus identidem ingeminat, quàm doloſum, inquam, quàm mortiferum ingeminat verbum: Dormi & requieſce, nam quandocunque lubet, facili poteris reſurgere: dormi ergo & requieſce, nam qui manè venit, vt te excitet, veniet & hora nona, imo & vndecima. Quid ergo opus eſt iam manè ſurgere, in vinea laborare, fructus pœnitentiæ dignos facere? dormi igitur & requieſce. O verbum iniquum! ô verbum doloſum! ô verbum mortiferum! dormi & requieſce! nunquid qui dormit non adiiciet vt reſurgat? nunquid qui in peccato, tanquam porcus in volutabro luti volutatur, non adiiciet, vt reſurgat? ô verbum iniquum! ô verbum doloſum! ô verbum mortiferum! dormi & requieſce: quaſi verò in tua ſitum ſit poteſtate, vbi voles reſurgere. O verbum ergo iniquum! verbum doloſum! verbum mortiferum! dormi & requieſce: fœlices ergo, qui manè conducti in vineam ſeſe conferunt, vt inter paucos electos ex multis vocatis annumerentur. Licèt enim Deus alios manè, hoc eſt, in vitæ exordio, alios hora tertia, nimirum in primæuo ætatis flore, & ſexta & nona, in iuuentutis vigore, alios in virili ætate, alios denique hora vndecima in decrepita ætate vocet, fœliciores tamen, qui primo mane ſuæ ætatis florem Chriſto conſecrant. Huiuſmodi enim ad labores ſuſcipiendos, & ad ſpiritalia ineunda, cum hoſte, prælia à Deo ita dextrè exercentur, vt in ætatis progreſſu atque adeo in ipſa extrema ſenectute omnes Chriſti cauſa, ſuſceptos labores, quaſi in immenſum gratia creſcente, facilè tolerent, ac de ſpiritali inimico frequentes victorias reportent, quibus ſibi in cœlo pulcherri-

Pſ. 40

mas

mas fabricant coronas, idcirço enim ſcriptum eſt dictante Spiritu ſancto: [Bonum eſt viro cùm portauerit iugum Domini ab adoleſcẽtia ſua.] Hinc ille, qui manè cõductus, in vineam Domini ſeſe impigrè cõtulit, cùm adhuc puerulus eſſet leonem, & vrſum interfecit, ac procedente tempore in ætatis progreſſu, contra gigantem pugnare non dubitauit, & tandẽ vir factus, ac toties de ſuis triumphans hoſtibus exclamauit: [Benedictus Dominus qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum.] Sic qui ab ineunte ætate in vineã conducti animoſe laborãt, tantam gratiæ virtutẽ paulatim cõſequuntur, vt adhuc pueri ſingularẽ ferã, ſcilicet diabolũ, animæ ſuæ vineã, quã virtutibus & bonorũ operum exercitatione indefeſſi excoluerunt deuaſtãtem, toties ſine vllo negotio expugnarent, in adulta ætate penitus deuincerent, vt cum Dauide meritò dicere poſſent: [Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum.] Sed quoniam pauci manè, pauci in meridie, pauci veſperi in vineam conducti in eius cultura perſeuerant, ideò exclamat Dominus: [Multi vocati, pauci verò electi.]

Thren. 3.

1. Reg. 17.

Pſ. 143.

EXEMPLVM.

17. Innocentius Sextus Papa Lemonicenſis cùm adhuc cardinalis eſſet ſanctum quendã eremitã viſitare ſolebat: qui quadã vice à ſenſibus abſtractus, ac tandẽ clamoribus excitatus horrẽda voce exclamauit: ô mi, ô mi, vidi mirabilia, vidi horribilia: ſciſcitãte autẽ Cardinale quid videret reſpondit: ductus ad infernum vidi cadere animas, ſicut niues denſiſſimas aërem obnũbilantes, ad purgatoriũ verò ſicut niuẽ rariſſimã, ſed paradiſum tantũm tres introire vidi, animas, illius ſcilicet Epiſcopi, & illius Prioris Carthuſienſis, & illius viduæ Romanæ, ſingulas nominãs perſonas. Cardinalis veritatem ſcire volens viſionis, miſſis hinc inde nuntiis cõperit animas illas eadem hora corpore ſolutas. Ex his igitur luce meridiana clarius eſt, multos vocatos eſſe, pauços autẽ electos.

Speculum Exemplorum diſtinct. 9. Exem. 80.

IN DOM. IN SEXAGESIMA.

Concio.

THEMA: *Semen est verbum Dei.* Luc. 8.

Vt virtutum semen crescat, opus est, vt anima ager purgetur. Hiere. 4.

1. SI quis diuini verbi semen in sui cordis terra, cum fructu suscipere velit, opus erit, vt ea prius stirpitus euellat, quæ iactæ sementis augmentum impedire possent. Quare Dominus per Hieremiam: [Nouate, inquit, vobis nouale, & nolite serere super spinas:] quibus verbis Hieremias legem veterem abrogandam docet, vt noua sanciatur, ac proinde nouandum præcipit nouale, terram de nouo proscindendam, vt spinis legalibus omnino auulsis, nouæ legis noua sementis iaceretur. Iuxta verò moralem D. Hieronymi interpretationem animæ nostræ nouale curis ac rerum temporalium sollicitudinibus, quæ à Christo spinæ appellantur, innouandum, & sæpius pœnitentiæ aratro proscindendum, ne auaritiæ spinis, & concupiscentiæ sentibus ita abundet, horreátque, vt in se receptum semen penitus suffocét: [præcipitur, inquit Hieronymus, viris Iuda & Ierusalem, qui veram sectantur fidem & hábitant in Ecclesia, vt non seminent super spinas, quas Euangelicus sermo significat, quæ suffocant sementem Dei, sed prius nouale faciant, & omnes suffodiant vepres, sentésque auferant, vt munda semina arua suscipiant.] Vt itaque virtutum semina, in animæ agro, iacta, vberes, opportuno tempore, fructus producant, nouate vobis nouale, terram, inquam, animæ vestræ, quæ iamdiu à cœlesti cultura cessauit, de nouo, expedito confessionis aratro, proscindite, vt spinis ac sentibus planè auulsis, nouam gratiæ sementem susceptam, ad maturitatem tandem perducat.

Hiero. in illũ locum Ieremiæ 4.

2. [Et nolite serere super spinas] quid, quæso, aliud

aliud est super spinas serere, quàm bona opera, ab anima lethalium peccatorum spinis obsita, expectare, quæ nihil ad gratiæ, aut gloriæ augmentum conferunt? Prius ergo salutari pœnitentiæ sarculo peccatorum spinæ ac concupiscentiæ sentes auellendæ, gratiæque semen animæ agro inserendum, quàm veræ iustitiæ opera ab homine expectãda. Hinc Oseas [seminate vobis in iustitia] vbi omnia iustitiæ impedimenta prius remouenda docet, vt ex suscepto gratiæ semine, veræ iustitiæ opera consequantur. Et subdit, [& metite in ore misericordiæ:] quo indicat, iacta veræ iustitiæ semina, in animæ agro, ab omnibus vitiorum spinis, & sentibus, per pœnitentiam immuni, ita breui ad maturitatem, pleno fœnore, productum iri, vt sicuti ex singulis tritici granis, in agro bene parato iactis, spica granis plena expectatur; sic ex singulis iustitiæ operibus, infinitus gloriæ cumulus omnino expectandus: vnde rectè ait Propheta, fructus iustitiæ in ore misericordiæ colligendos: qualecumque etenim ex iustitia, & gratia opus proficiscitur, tanto dignum præmio est, vt nihil eius dignitatem, præter solum Deum compensare possit. Tanta siquidem est diuina misericordia, vt opus, quantumuis exiguum, ex charitate profectum, se ipso, & non alia mercede, præmiet.

Osee 10.

Maximus ex Iustitiæ operibus sequitur fructus.

3. Sequitur: [Innouate vobis nouale, tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit, qui docebit vos iustitiam] innouate, inquit, animæ vestræ nouale, hactenus incuria neglectum, & diu à virtutum satione otiosum, auulsis, per pœnitentiæ sarculum, omnibus vitiorum spinis, & tribulis, & tunc tandem in iustitia seminate, per quam, ampla vestrorum operum merita consequemini, quod suo tempore metetis in ore misericordiæ, suauissimos inde æternæ gloriæ fructus colligentes quibus vos Deus, pro sua infinita liberalitate, & misericordia, cumulatim donabit. Et tunc maximè requirendi Dominum tempus aduenier, qui perfectis iustitiæ operibus statim

Deus perfectus Iustitiæ operibus inuenitur.

Digitized by Google

inuenitur, & inuentus omnem iuſtitiæ exercendæ rationem vos docebit, vt per totius vitæ decurſum, nullam bene operandi occaſionem prætermittatis, & in omne probitatis genus, totis viribus, incumbatis, donec illo à vobis in cœlo perfectè inuento, in æternum perfruamini.

Concionis diuiſio.

4. De hoc diuini verbi ſemine, duo mihi propoſita ſunt. Primum, ſcilicet admiranda eius efficacia. Secundum, tria hominũ genera eſſe, quæ diuini verbi ſemen vix aut ne vix quidem ſuſcipiunt, & ſi quando ex illis aliqua ſemen ſuſcipere videantur, nunquam tamen ad maturos illud fructus perducunt, ob animæ agri ſterilitatem, qui cœleſtis gratiæ humore caret. Sed, vt hæc ex animi ſententia vobis clarè proponam, efflagitanda Spiritus ſancti gratia, per B. Virginis Mariæ interceſſionem, de more eam ſalutantes, cum Angelo. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Viuus eſt Dei ſermo.

5. Nihil diuini verbi ſemine efficacius, nihil viuacius, nihil quod cuiuſque rei naturam fortius penetret, examinet & iudicet. [Viuus enim eſt Dei ſermo, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti:] nam quo penetrare gladius minimè poteſt, ita diuini verbi ſemen ſubtiliter ſeſe inſinuat, vt ad ipſius etiam animæ diuiſionem facilè pertingat. Hinc ſtatim in Apoſtolo ſequitur: [Et pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus:] nam quamuis anima vnica, ac indiuiſibilis forma, iuxta tamen duos, quos continet, gradus, aliquam admittit diuiſionem: Quatenus enim eſt principium, ſeu fons ſuperiorum virtum, intellectus, & voluntatis, ſpiritus ac mentis nomen ſortitur: quatenus verò ſenſitiuarum, ac vegetatiuarum operationum, anima appellatur. Has itaque animæ diuiſiones, cœleſtis verbi ſemen facere nouit, examinat enim & diſcernit motus, & cogitationes,

Heb. 4.

Digitized by Google

tiones, tam animales, quàm ſpiritales: ſed vt ait Apoſtolus, compaguin quoque ac medullarum & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.] Ecce quàm ſubtiliter Dei ſermo ſeſe, veluti ſemen, paulatim in ipſius hominis cordis fundum immittit, vt minimarum, ac tenuiſſimarum humanæ mentis cogitationum ſibi inuicem inſtar compagum connexarum varietatem diiudicans corrigat, quo ſibi animæ agrum, reciſis, malarum cogitationum, ſpinis, paret, fructúmque per ſanctorú operum exhibitionem, tandem efferat: Viuus eſt ergo Dei ſermo & efficax, imo tanta eius vis, vt minima ſui etiam parte, maximam exerat virtutem, ſi in optimam animæ terram inciderit. Quemadmodum enim coriandri ſemen, teſte Philone Iudæo, etiamſi minutiſſimè concidatur, ſingulæ tamen eius portiunculæ, ac micæ germinant, non ſecus ac coriandrum integrum: ſic, inquit ipſe, diuini verbi vel minima ſui particula prodeſt audientibus, fructúmque virtutis producit. Nam vt Pſalmiſta: [Vox Domini in virtute] quam per os præconis ſui nobis adminiſtrat, vt ea efficacia, qua cæteras olim creaturas, ſine vlla reſiſtentia ſuæ vocis tantùm imperio condidit: ſic cor noſtrum eadem etiam virtute innouans, emolliat, quo fiat aptus ager recipiendi ſuperiactum diuini verbi ſemen, ex quo quaſi grauidum, non alium fœtum, quàm Deum ipſum quodammodo procreet, iuxta illud Iſaiæ: [Concepimus à facie tua Domine, & quaſi parturiuimus & peperimus.] Quidnam ô Prophetа? [Spiritum (inquit) ſalutis.] ô quàm ſalutaris conceptus! quàm fructuoſus fœtus! ex diuini igitur verbi ſemine concipimus, & parimus ſpiritum ſalutis, ſpiritum, inquam, Dei filij, qui per frequentes virtutum actus, in animæ noſtræ vtero, quaſi matureſcēs, per operum exercitationem nobis innaſcitur, vt fœlices ac beati ab omnibus prædicemur generationibus. [Quare (vt ait Auguſtinus) beatior fuit Maria percipiēdo fidem Chri

Philo l. 2. allego. ſac. legis.

Simile. Magna verbi Dei vis.

Pſ. 28.

Iſa. 26.

Auguſt. l. de ſancta Virgine. c. 3.

ed by Google

Christi quam concipiendo carnem Christi, & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset,nisi fœlicius Christum corde , quàm carne gestasset.] Prius ergo per verbum,tanquam per semen,à Spiritu sancto immissum , filium Dei in mente concipere debuit,quàm carnem in illa sumere voluisset.Quantum igitur distat Dei verbum increatum , ab eius carne, in virgineo vtero, per Spiritus sancti virtutem , efformata,tantum quodammodò verbum auditum, & in mente custoditum,à Dei matris titulo,videtur distare.Quàm ergo insani nos,qui diuini verbi semen non susc ipimus , vt inde fœlicius mente filium Dei concipiamus, quàm Maria concepit ventre.

Ps. 28. 6. [Vox quidem Domini,vt ait Psalmista , præparantis ceruos,] vel vt alij cum D. Hieronymo ex Hebræo transferunt: vox Domini obstetricans , seu parturire faciens ceruas.Vbi per vocem Domini tonitruum intelligitur.Vox quidem etiam Domini obstetricans seu parturire faciens peccatores,qui difficilem ceruarum instar spiritalem conuersionis fœtum edunt,quos salutis spiritu imprægnatos, audita terrifica quadam, de iudicio,& inferni cruciatibus, denunciatione , quasi horrendo tonitrui boatu,perculsos , salutis spiritum à facie Domini conceptum parere sæpius videmus , qui gratiæ lacte nutritus, paulatim ad sublimia virtutum opera corroboratur, quorum frequenti exercitatione,tot cumulatur meritis , vt immarcescibilem indè æternæ gloriæ fructum,in communi messe percipiat. Sicut enim bona opera ex gratiæ virtute profecta , maioris gratiæ sunt semina:sic gratia maior,maioris gloriæ , est semen.Quò enim plura opera in animæ tuæ agro seminas,eò gratiæ germina abundantiùs pullulant, & quò hæc abundantiùs pullulant, eò sempiternæ gloriæ auctior cumulus. Et sicuti bona opera augendæ gratiæ sunt semina : sic mala peccati, & peccatum sempiterni supplicij semen. Multum ergo interest, qualem quisque sementem in animæ suæ agro faciat,

Gratia est semen gloriæ.

Galat. 6.

ciat, cùm iuxta ſementis naturam, fructum ſperare debeat. [Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.] Sicuti ergo qui triticum ſeminat, triticum metit: ſic qui lolium ſeminat, lolium & metet. Sicut itaque ſtultus is haberi debet, qui facta lolij ſemente, tritici fore meſſem ſperat: ſic ſtultus æſtimari debet, qui facta vitiorum ſemente, gratiæ meſſem expectat. Si igitur gratiæ, & gloriæ meſſem habere velis, gratiæ & gloriæ ſemina, virtutum nimirum opera, animæ tuæ agro ſerere debes. Si ergo peccatorum ſementem feceris, quid aliud, quàm horrendi cruciatus meſſem expectare velis? Si igitur ſapis, euulſis peccatorum ſeminibus, pœnitẽtiæ, fidei ac gratiæ ſemen ſparge, ex quo ſempiternæ gloriæ meſſem colliges.

Quale ſemẽ, talis fructus.

7. Quis, obſecro, ſementem facere dubitaret, ſi non granis, ſed pretioſiſſimis turgentes gemmis ſpicas, ſe demeſſurum ſperaret? cur non ergo bonorum operum ſementem ſemper facimus, ex qua pretioſiſſimis æternæ gloriæ gemmis plenas, demeſſuros nos ſpicas, ſcimus? [non tranſeunt, inquit Bernardus, opera noſtra vt videntur; ſed temporalia quæque veluti æternitatis ſemina iaciuntur, ſtupebit inſipiens, cùm ex hoc modico ſemine copioſam vidèrit exſurgere meſſem, ſeu bonam, ſeu malam, pro qualitate ſementis. Hoc qui cogitat nullum paruum putat eſſe peccatum, quod futuram meſſem potius æſtimet, quàm ſementem] quàm fœlix ergo, qui ita terrena hæc, per manus pauperum diſſeminat, miſericordiæ opera quotidie exercendo, vt in cœleſti agro, ea multiplicata recipiat, diuini verbi ſemine, nimirum gratia in animæ agro quotidie incrementa, ſumente, inde enim fœnus accipiet ingens, centum pro vno, cœleſtia pro terrenis, pro ſcoria viliſſima, aurum ignitum, quod toties in Dei manu multiplicatur, quoties terrena in manibus pauperum, ex charitate ſeminas. [Qui enim ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.] Quàm beati huiuſmodi agrico

Bernar. ſer. 15. ad Clericos.

Pro terrenis cæleſtia metemus.

2. Corin. 9.

agricolæ,qui ex vilibus tomentis,aurum conficiunt, & quàm infœlices , qui in ventum ſpargunt , quod ſeminandum erat in terra ſolida ac fertili , qui cœleſte aurum cum inutilibus tomentis commutant, quibus ad barathrum onuſti præcipitentur!tomenta ſunt viliſſima terrena omnia , cœleſtibus collata, tanta tamen eſt diuinæ gratiæ virtus , vt ex tomentis , ſicut Alchimiſtæ , ex ſtanno , ære , ferro aurum , magno quidem cum labore , & impenſis elicere videntur , cœleſte aurum ſine magno labore aut magnis impenſis poſſimus conficere , quo onuſti facilè cœlum conſcendentes, cum exultatione portabimus manipulos noſtros, aliis leuiſſimo tomenti onere, admodum grauatis , ad tartari ima celeriter , cum lachrymis deſcendentibus. O quàm ergo graue illud leue,in ſpeciem,onus,quod portantem in tartarum præcipitat,& quàm leue illud, in ſpeciem, graue auri onus , quod ad ſummum cœli verticem baiulantem euehit!Hoc cœleſte aurum , illud vile terræ tomentum facit.

Cùm quodlibet opus æternitati conſecremus opus eſt vt ad Dei voluntatis regulam mẽſuremus.

8. Tanta diuini verbi ſeminis virtus, vt non ſolùm animæ operationes,gratiâ informatas , æternæ gloriæ , ſed viliſſima etiam opera exterius exhibita, ex charitate profecta eiuſdem glorię ſemen efficiat, ſicuti peccatum , diaboli ſemen , æterni ſupplicij actiones , & opera , quæ à peccato emanant, obnoxia reddit.Quare magni refert, vt in his operum ſeminibus , omnem impendamus induſtriam , vt nullum,quantumuis minimum,elabatur,quod non tamdiu poliamus , quoaduſque diuinæ voluntati , tanquam certæ regulæ commenſuratum ſit , præſertim cùm quodlibet opus noſtrum pœnæ , vel præmij æternitati , conſecrandum. Quod igitur Zeuxis pictor ſciſcitanti , cur tamdiu operi ſuo immoraretur,reſpondit;id,obſecro,verè reſpondeamus: [Diu, inquit,pingo, quia æternitati pingo :] ita omnibus intendamus operibus , omnia in diuinæ voluntatis regulam,tanquam in deſtinatum ſcopum dirigentes,

vt

vt ſingula æternitati conſecrata cenſeantur.[Quéad- *Simile.*
modum enim (ait Baſilius)faber ferrarius, quando-
cunque dolabram aliquam, ſiue aſciam cudit ſi aſſi-
duè illius memor ſit, vnde inſtrumentnm illud fa-
ciendum,ex pacto acceperit,& præſcripram ſibi ab
illo formã & magnitudinẽ animo verſat; & ad eius
voluntatem, qui conduxit, opus dirigit, quod facit.
Alioquin ſi eius memoriam, métc ſibi patiatur exci-
dere, prorſus aut aliud quippiam omnino,aut longè
diſſimile efficiet ab eo, quod facere inſtituerat: ſic
Chriſtianus quoque ſi actiones ſuas omnes ſiue mi-
nores,ſiue maiores ad Dei volũtatẽ direxerit,is ſine
controuerſia & egregiè opus illud perficit & ſimul
aſſiduã illius in animo ſibi memoriã cõſeruat,à quo
id ſuſius eſt facere,veréq; illud Pſalmiſtæ dicere po- *Pſ.* 15.
terit:[Prouidebam Dominũ in conſpectu meo ſem- 1.*Cor.* 10.
per:]item illud Pauli: [ſiue manducatis,ſiue bibitis,
ſiue aliud quid facitis,omnja in gloriam Dei facite.

9. Vtinam ergo diuinæ voluntatis regulã noſtris *Quantum*
ſic ſemper actionibus adhiberemus, vt ab ea,vel la- *meteremus*
tum vnguem deflectere,nefas eſſe,duceremus.Quan- *fructum ſi*
ta breui gratiarum acceſſio nobis foret, quanta cœ- *actiones no-*
leſtium frugum ex multiplici gratiarum ſemine na- *ſtræ diuinæ*
ſceretur nobis copia, quantus ſempiternæ gloriæ *voluntatis*
cumulus,ex tam fœlici operum meſſe nobis metere- *regulæ diri-*
tur!Vtinam ergo imperuium hactenus cor noſtrum *gerentur.*
diuini verbi ſationi,ita ſeſe aperiat, quo ex minimo
etiam verbo, tanquam à cœleſti ſemine imprægna-
tum, bonorum operum vterum geſtet, quod tamen
facile factu,cùm tantùm, ex noſtra parte voluntatis
propenſio deſit, quæ ſibi à Deo oblatum gratiæ ſe-
men auidè ſuſcipiat;præſertim, cùm Deus ipſe adeo
curam noſtri gerat, vt quaſi noſtris inuigilans pro-
penſionibus,ſi quo modo animæ ſinum ſemini ſuſci-
piendo paratum videat, ſementem faciat, tanta ta-
men cordis noſtri ſubinde durities,vt diuinæ gratiæ
ſemen reſpuat,ac Dei ſeminantis benignitati reſiſtat,
cùm tamen cætera omnia,eius imperio obtemperẽt,
cœle

cœleſtíſque ſeminis verbi nimírum diuini efficaciæ obediant.

Ezc. 37. Stupenda diuini verbi vis hæc oſſa arida viuificat.

10. Vultis hoc admirando declarem exemplo? Ezechiel propheta, Dei ſpiritu eductus, ad campum oſſibus plenum, iuſſus, vt verbi diuini imperio oſſa illa arida ſtatim viuificaret: qui Dei iuſſum faceſſens inclamat: [Oſſa arida audite verbum Domini, hæc dicit Dominus oſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis, & dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum & viuetis.] Ad cuius vocem ecce factus eſt ſonitus, & [ecce commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam, & vidi & ecce ſuper ea nerui, & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper & ſpiritum non habebant.] Quanta hæc diuini verbi vis, vt oſſa arida, & inter ſe diſiuncta, ita Dei verbi iuſſui obtemperarent, vt ſimul neruis colligata in vnum coaleſcerent, quaſi ratione vſa; & tamen noſtri cordis diſiunctas cogitationes, in vnum colligere nequit, neque diſſidentium animos, ad concordiæ iuncturam cogere, ac proinde vinculo illo amicitiæ, quo tanquam neruis carnes oſſibus copulantur, diſrupto, aridi, ad inſtar illorum oſſium, & ad inuicem diſiuncti (quiſque enim ſuæ ſtudet vtilitati) communem illam animorum ſocietatem, diſrumpimus, neque illorum inſenſibilium oſſium obedientiam, ſui creatoris verbo exhibitam imitari conamur, qui non tantùm vnius vocis prouocati hortatu, vt diſruptum deperditi amoris nexum innouemus, ſed toties Dei verbo, quaſi mallei ingeminantis ictibus, contuſi, nullam noſtræ conuerſionis commotionem oſtendimus; imo ita duritie ſua, cor noſtrum, impacta ſibi diuini verbi iacula; quaſi confringit, vt minimè ſauciatum maneat, cùm tamen oſſa illa arida, diuinæ vocis imperium percipientia, veluti conſilio inter ſe inito, in diuerſa corpora, ſingula ſuis inuicturis cohærentia ſtatim coaluerint,

quæ

quæ ſic diuini verbi virtute, compoſita, ſpiritum ſubitò receperunt: [vaticinare, inquit ad Spiritum, & dices: hæc dicit Dominus, à quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos illos, & reuiuiſcant: Et prophetaui ſicut præceperat mihi, & ingreſſus eſt in ea ſpiritus & vixerunt, ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde.] *Ezech. 37.*

Res inanimæ Dei verbo obediunt: ſolus homo refragatur.

11. Sed quoties nobis præcipitur, vt diuini verbi ſemen, quod animas noſtras viuificare & ſaluare poteſt, infitum ſuſcipiamus, & tamen negligimus, cùm omnes aliæ creaturæ, atque adeo arida mortuorum oſſa diuinum faceſſant mandatũ. Nonne diuinâ lege cœli ſuperna, & terra infima tenent? nonne eadem lege terra, mare, aër, ignis ſibi inuicem cohærent, eadem tamen lege contra proprias inclinationes à lege ſibi à Deo præſcripta, pro diuino arbitrio, recedétes extraordinariæ Dei legi, ad nutũ obtemperãt? ſic cœlum ſuo ceſſiſſe natiuo motui, auditâ Ioſue voce, ſcriptura commemorat, qui Dei nomine ſoli iuſſit vt in medio firmamenti immobilis ſtaret: [Sol, inquit, contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialõ.] Ecce ſtatim ſol, & luna, ac ſi in medio curſu rotas ſuas ſiſterẽt, ſteterunt, donec vlciſceretur ſe gẽs de inimicis ſuis? Nonne etiam terra ſuâ naturâ ſolidiſſima, diuina tamen percepta voluntate, ita ſeſe ſubitò, contra ſuam inclinationẽ aperuit, vt maximo hiatu, rebelles illas familias Core, Datan & Abirõ, quaſi in ictu oculi viuas abſorberet? Nonne mare, quod decupla proportione terrám excedit, ſi ſuo relinqueretur iuri, illam ſuis obrueret fluctibus, tamen audita diuina voce, [vſque huc venies & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos,] ita illi obedit, vt quamuis ſubinde veluti in extremam efferatum rabiem, tanto cum boatu ſuos in cœlum vſque furentes attollere fluctus videatur, ſtatim tamen, quaſi mandati memor ſubſidat, fluctuſque ſuos cohibeat, ne vltra præſcriptum ter-

Ioſue 10.

Num. 16.

Iob. 38.

minum progrediantur? Nonne contra naturam petra, quæ ex percussione ignem, aut scintillas emit-
Num. 20. tit, virgæ ictu percussa, quasi diuinam vim sentiens, aquæ scaturiginem dedit? Nonne contra naturam
4. Reg. 6. ferrum, quod suo pondere imum petit, ad Elisæi vocem in aquæ superficie natauit? sed solus homo cui tamen à natura inditum, vt diuinum verbum audiat, illudque suscipiat, illique obediat, neque audit, neque suscipit, neque illi obedit.

12. O vtinam insensibilibus creaturis, sensibiliores essemus, mihique illam virtutẽ, quam olim Prophetæ illius Ezechielis voci Deus tribuit, & vobis docilia ac diuinæ voci obtemperantia corda, hodie concederet, vt quos inter nos ossa esse arida nouit, sine diuino Spiritu, sine charitatis vinculo, sine bonorum operum veste, sine carneo ac facili corde, hos viuidos, cœlesti plenos spiritu, charitatis iuncturis inter se connexos, bonorum operum veste indutos, diuini verbi per me prolati virtute, efficiam, vt qui hactenus per inanes mundi vanitates dispersi, veluti mortuorum ossa peccatis exsiccati fuistis, & absque deuotionis medulla coram illo magno Ezechiele, Christo IESV hodie in vos spiritus sanctus ingrediatur, eiúsque gratiam recipiatis, qua super animæ vestræ pedes animati steteris, & in sanctitate & iustitia coram illo omnibus diebus vitæ vestræ ambuletis, qui hactenus peccatorum vinculis constricti, in fœtenti carnis carcere iacuistis, vt sic à peccati morte ad gratiæ vitam restituti exercitus fitis grandis nimis valde, sub Christi vexillo militantes: quo eius virtute fisi, vestros expugnare aduersarios possitis, &
Ps. 17. cum Psalmista dicere: [Præcinxisti me virtute ad bellum & supplantasti insurgentes in me] Diaboli nimirum insultus [subtus me] & ideo [comminuam eos] tuæ gratiæ clypeo instructus [vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos: persequar inimicos meos,] primos peccatorum impetus [& comprehendam illos:] ita vt exire in actum nedũ

Vtinam in vnum charitatis vinculũ coaliti diaboli virtutẽ perfringatis.

in

in conſenſum poſſint : [Et non conuertar donec deficiant:] ſic enim diuini verbi gladio illos perſequar,donec penitus ex animæ arce proſtratos eiiciã. [Confringam illos,nec poterunt ſtare:]tãquam cogitationum agmen,vno in me impetu irruens,ancipiti diuini verbi telo,à ſe inuicem ita ſeparabo , vt viribus omnino deficientibus, contra me ſtare neſciant, & tandem [cadent ſubtus pedes meos.]

Secvndvm Pvnctvm.

13.Quod ſecũdo propoſui loco dicere eſt,tria ſcilicet hominum genera eſſe , quæ diuini verbi ſemen vix vnquam ſuſcipiunt.Solet quidem Deus ſine vlla terræ acceptione , ita ſincerè diuinum ſemen ſpargere [qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos:] ac ſi ignoraret multorum malitiâ,ſemen à ſe iaciendum minimè repellẽdum,quod tamen in corda,carnis illecebris , mũdíq; vanitatibus intoxicata incidens;tantùm abeſt,vt fructũ faciat;vt potius antequã vllã ſui radicẽ terræ figat , penitus euaneſcat. Huiuſmodi ſunt,quos Dominus dicit audire quidem Dei verbum,nolle tamen illud intelligere,ne vitam corrigant:[nolunt enim intelligere, vt bene agerẽt.] Hoc eſt primum hominum genus , quod cœleſte ſemen diuini verbi ita penitus à ſe repellit , vt vix vnquam ad cordis aures pertingere patiatur. Huiuſmodi calcatæ viæ Chriſtus comparat, quia ſicuti ſemen,quod in via cadit,nulla tegitur terra,& auibus exponitur rapiendum:ſic Dei verbum, quod in corporeas tantùm aures incidit , neq; in cor ipſum deſcendit,quaſi nulla tectum terra,ſtatim ab obſcœnis tartari auibus rapitur,[ne credentes ſalui fiant:] cor enim iuxta viam poſitum omnibus malorum ſpirituum latrociniis pateſcit,ſeſeque omnium tranſeuntium negotiis imminiſcens,nociuis implicatur deſideriis. Quare inimicos æquè,ac amicos cogitationum hoſpites intromittentes , omnium gratiarum , ac virtutum donis, ſi quæ ſint,expilatur.Sicut enim di-

Primum hominum genus qui nolunt intelligere,vt bene agant.

Matth. 5.

Pſ. 35.

Simile.

uerſorium probis ac improbis,notis ac ignotis ſemper patens , aduentantium ſubeſt periculis , niſi vigiles famuli , ſingularem fei domeſticæ curam gerant , ſic huiuſmodi cor in propatulo poſitum hoſpitium omnibus aduentantium cogitationum , tam domeſticis,quàm peregrinus exhibens, tanto in periculo verſatur,vt niſi ratio ſemper vigilet, & periculoſis ſenſuum oſtiis diſcretionis, & circumſtantiæ peſſulum obdat , dæmonum exponatur expilationibus:& quemadmodum ſcapha,quæ rimas agit, omni ex parte maris fluctus ebibit , donec tandem, augente aqua , ad imum deuoluitur : ſic huiuſmodi cor ,quaſi rimarum plenum , omnes indiſcriminatim admittens cogitationes , ita amaris carnis fluctibus,moleſtis auaritiæ curis,ac infinitis penè aliis cogitationũ procellis contunditur, vt perfractis armamentis,ſenſuum nimirũ repagulis,in peccatorum abyſſum abſorbeatur,prædáque fiat inferni balenis. Meritò igitur calcatæ viæ huiuſmodi cor comparatur. Sicut enim illa ex ſemine neglectim in ſe iacto, nullum profert fructum: ſic cor ex diuinis inſpirationibus,tanquam ex quibuſdam ſeminibus ſibi immiſſis,nihil proficit. Nã negligéter ſuſceptatartareus ille coruus, antequam radicem figant,ſtatim rapit.

Quàm difficile ſemen recipiat qui proximum odit, Cain exemplo declaratur.

14. Deinde huiuſmodi hominum genus calcatæ viæ non iniuria componere poſſumus,qui adeo proximi odio incenſi ſunt vt nullius ſuaſu , aut æternæ pœnæ timore velint reſipiſcere, quorum corda nullum diuini ſeminis granum admittunt, & ſi quando ad corporeas dilabi aures ſentiant,priuſquam in eas incidat , diabolus illud rapit , ne reſipiſcentes ſalui fiant. Horum anteſignanus nequam ille Cain fuit, cuius cor adeo in fratrem odio exarſit , vt etiam poſtquam de eo impiæ ſuæ iræ vindictam ſumeret, nihil tamen de ſua remiſerit maleuolentia , neque Dei monitu eius ferreũ pectus emolliri potuit, quin potius obfirmato animo,in malo perſeuerãs,factum Deo negaret , donec conuictus ſceleris euidentia,

ſeſe

Digitized by Google

sese in desperationem præcipitem daret, licèt eum Deus ad pœnitentiam inuitarit: [Vbi est Abel frater tuus?] Ecce quomodo Deus sceleris confessionem ab eo elicere conatur! respondit: [Nescio.] Ecce quomodo induratum eius cor oblatam sibi pœnitentiam respuat! [Nunquid custos fratris mei sum ego?] Ecce quomodo diuerticula quærens, cordis sui ostium diuini seminis virtuti clausum penitus teneat! Insuper tamen Deus quasi sulcum adhuc, suæ misericordiæ vomere, in ferream animæ eius terram inducere conans, vrsit eum ad sui peccati confessionem: Dixit enim ad eum: [Quid fecisti?] cui cũ nullum redderet responsum, omnemque diuinæ sationis conatum à se repelleret, Deus adhuc eũ timore consternare aggreditur: [Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra:] qua voce Dei cõminatoria minime cõmotus, adeo sese in scelere obfirmauit, vt Deus loco benedictionis, quam impius nequam acceptare noluit, induxerit maledictionẽm. [Nunc igitur] quia ita induratum cor tuum reperio, vt nulla via, aut ratione semẽ benedictionis, quod tuæ animæ agro inspergere hactenus conatus sum, recipiat: [maledictus eris super terram, vagus & profugus eris.] O quàm desperata illa anima, quæ tot modis diuinum semen iactum, à se refractaria repellit. *Gen. 4.*

15. Sicut nullum sanitatis euidẽtius signum, quàm si stomachus ingestũ retineat cibum, ac natiuo coquẽs calore digerat, ac in mẽbra singula distribuat: sic nullum efficacius animæ salutis indicium, quàm si diuini verbi cibum animæ stomachus auidè suscipiens conseruet, ac sui intellectus commentatione digerens, ardenti voluntatis desiderio cõquãt, ac in externas actiones distribuens, sese gratiæ pinguedine plenam ostendat. Sic è contrario nullum animæ ægritudinis efficacius argumentum quàm languente stomacho receptum diuini verbi cibum reiicere. [Cibus mentis (ait Gregorius) est sermo Dei, & quasi receptus, cibus stomacho languente reiicitur, quãdo

Signum sanitatis, cibũ digerere: morbi, abiicere, sic Dei verbum digerere, signum est salutis, sicut non retinere, solius peccati.

Simile. Greg. ho. 15. in Euang.

auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quiſquis alimenta non retinet, hnius profectò vita deſperatur.] Sic qui cœleſte reſpuit alimentum, de eius ſalute penitus deſperandum, ac conſequenter vagus ac profugus cum maledicto Cain à facie Domini fugit. O quantum malum à Dei aſpectu pelli, ac profugum & vagum eſſe, ita, vt Deus ipſe, quaſi comprehendere te nolit. Verè maledictus ille eſt,& maledicta terra in opere eius, quæ nihil aliud producere poteſt præterquàm peccati ſpinas,ac iniquitatis tribulos,[proferens enim,vt ait Apoſtolus,ſpinas ac tribulos reproba eſt, & maledicto proxima: cuius conſummatio in combuſtionem.] Illa verò animæ terra benedicta, cui Deus ob vberiores fructus ſementis in ea iacta benedictionem impertit: [terra enim ſæpè venientem, ſuper ſe bibens imbrem,& generans herbam opportunam, illis à quibus colitur accipit benedictionem à Deo.]

Hebr. 6.

Simus arbores frugiferæ.

16. Ne ſimus ergo veluti arbores mortuæ, quibus neque cœli influxus,neque aſtrorũ aſpectus,neque aquarũ irriguum,ad ferendum fructum quicquã proſunt:ſed ſimus tanquam generoſę arbores,ac fertiles in terra optima inſitæ,ſaluberrimo cœlo fruẽtes,matutinis ac ſerotinis gratiæ imbribus irrigatæ, fructum ſalutis feramus, vt terræ noſtræ benedicat Deus. Ne ſimus tanquam aqua ſtagni, quæ ſemper ſtat,& quia motu caret,computreſcit:aptior vt vermes, quàm vt ſalutarem aliquem à ſe fructum producat:ſed ſimus tanquam aqua fluminis,quæ in mare,vnde venerat,remeat,& ad vniuerſorum principium,ſanctæ vitæ celeritate recurrat; à quo iterum refuſa, gratiæ dulcedine inſperſa, animæ noſtræ agrum irrigans fœcundabit, ac bonorum operum fructus, ſuo imbuens ſapore, æternam agricolæ benedictionem comparabit. Maledixit Dominus ficulneæ, quæ tamen fructum adhuc facere non potuit: [Non enim(vt ait Marcus, quaſi excuſans arborem) erat tempus ficorum, & ſtatim aruit.] Quid ergo

Marc. 11.

faciet

faciet nobis, quorum tempus ficorum gratiæ nimirum ſemper adeſt? quid, inquam, faciet, vbi in nobis diuini verbi fructus non reperiet? certè ſtatim ſicut illi; nobis maledicet, & à ſuo corpore nos exſcindēs, æternæ conſecrabit combuſtioni. Hoc etiam Lucas vult, vbi fertur quidam habuiſſe arborem plantatā in vinea ſua, & veniens Dominus, vt fructum ex ea caperet, quem vbi non reperit, dixit ſtatim cultori vineæ, [Ecce anni tres ſunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: ſuccidite ergo illum, vt quid etiam terram occupat? Verendum profectò nobis eſt, qui per multos annos, tanquam arbores infructiferæ quotidie excolimur, ne à Domino exſcindamur, igníque ſempiterno addicamur, quandoquidem ipſe affirmet omnem arborem non ferentem fructum, exſcindendam, & igni conſecrandam. Arefecit ficulneam, & aliam exſcindi iuſſit: ſic timendum ne nobis, gratiæ ſuæ peculiaria ſubtrahens auxilia, animas arefaciat, ac in præteritorum peccatorum pœnam ſeſe à nobis ſubducat, quod eſt euidentiſſimum reprobationis ſignum: ac tandem tanquam infrugiferas ficulneas, nos igni tradat ſempiterno excruciandos.

Luc. 13.

Matth. 3.

17. Videtis quomodo Deus, iuxta terræ animæ noſtræ fructum, vel benedictionem, vel maledictionem impertit; videtis quomodo illius animæ terra, quæ in proximum odio ita obfirmatur, vt neſciat, quantumuis ſæpius cœleſte in eam iaciatur ſemen, vel minimum fructum producere, maledictioni ſubiiciatur: reproba enim eſt, ac proinde tartareus ille volucris diabolus, ſuum quaſi nidum in ea conſtruens, ſemper inuigilat, ne quod in corporis eius aure, à Deo ſeminatur, in animæ aures deſcendat, ſed è nido ſtatim excitatus, vbi Dei verbum ad aures illius, quem occupat, aduenire perſentiſcit, priuſquàm in cor deſcendat, rapit. Inſequitur enim tanquam rapax coruus, verbum iactum, adeò celeriter,

Rapit damon ab anima sẽſu Dei verbum.

Senſus rapto res ſunt Dei

verbi fructus.

riter,vt ſi fortè in aliquem ſenſuum,tanquam in ſulcum inciderit,inde ſubitò, iniecta ſenſui, vel aliqua vindictæ cogitatione,vel carnis cupiditate,vel mundanę ambitionis deſiderio furetur.Hinc quiſquis diuinum ſemen in cordis ſui agrum ſuſcipere cupit, ſenſus maximè ab omni vindictę titillatione,& carnis oblectamento conſeruandi illi ſunt, quandoquidem cordis quaſi raptores,ac lenones ſint. Quemadmodum igitur virgo, quæ caſtitatem vnicè colit, feneſtras,nuncios,lenonéſque fugit : Sic anima,quæ munditiem amat, à ſenſuum immiſſionibus fugere debet,nam ſenſus lenones quidam ſunt, qui blandis cupiditatum illecebris animã ad peccatũ ſollicitant, nuncij ſunt, qui ad voluptatem nos inuitant, feneſtræ ſunt,per quas lenones diáboli emiſſarij ingrediũntur,raptores ſunt, qui expilato animæ ærario, cor ad creaturas rapiunt:oſtia ſunt, per quæ ſubducto caſtitatis peſſulo, ad carnis illecebras anima foràs egreditur amplectendas.Hinc Gregorius:[Cùm ſit(inquit) inuiſibilis anima,nequaquam corporeárũ rerum delectatione tangitur:niſi quòd inhęrens corpori, quaſi quædam egrediendi foramina eiuſdem corporis ſenſus habeat. Viſus quippe, auditus,guſtus, odoratus & tactus, quaſi quædam viæ mentis ſunt,quibus foràs veniat : & ea quæ extra eius ſunt ſubſtantia concupiſcat. Per hos enim corporis ſenſus, quaſi per feneſtras quaſdam exteriora quæque anima reſpicit,reſpiciens concupiſcit.Hinc enim Ieremias ait: aſcendit mors per feneſtras, ingreſſa eſt domos noſtras: mors quippe per feneſtras aſcendit, & domum ingreditur,cùm per ſenſus corporis concupiſcentia veniens,habitaculum mentis intrat.

ſimile.

Grego. initio c.31. Iob.

Ierem.9.

Secundũ hominũ genus, quibus corda ſunt dura,& gratia humor deſit.

18.Seminat deinde ſupra petram;id eſt,ſupra corda admodum dura, quæ ſecundum hominum genus referunt, qui diuini verbi ſemen à ſe ſine fructu excludunt.Huiuſmodi corda Matthæus petroſa vocat, quia licèt Dei ſemen ſuſcipere videantur,illud tamę tandem quaſi in herbam iam ortum exareſcit, quoniam

niam humorem ſeminis incremento neceſſariũ, minimè habent: Audiunt quidem, intelligunt, & in corde recondunt, terrâ tegunt, cum gaudio recipientes ſemen, tamen adeò incõſtantes ſunt, vt pulſante eos tentationis machina, malignæ ſuccumbãt ſuggeſtioni, ſeménq; illud quod iamiam in eorum animis augmentum ſumere videbatur, in ictu quaſi oculi euaneſcere faciunt. Solent quidem huiuſmodi incõſtantes initio quaſi ardere, diuiníque verbi ſemẽ ſibi rapere: ſed quoniam cœleſtis gratiæ humore carent, ſemen hoc ſuam in cordis terra radicem altè imprimere non patiuntur: voluntas enim eorum ita leuis ac mobilis eſſe ſolet, vt vix Dei verbi impreſſionem recipiat, cùm illum ab ſe ſtatim repellat. Hinc ſemẽ, quod in eam quaſi in terram non profundam iacitur, non citiùs in herbam erigitur (quia tantùm ſola terræ ſuperficie veluti tegitur) quàm radices eius, libidinis ardore, aduſtæ exareſcunt. Huiuſmodi ſunt carnis voluptatibus immerſi, qui Dei verbum audientes ita ſæpius mouentur, vt etiam in fletibus (teſte Gregorio) compungantur: ſed poſt lachrymarum tempus, ad iniquitatem redeunt. [Hi profectò, inquit, verba Dei non audiũt, quia ea exercere opere contemnunt.] Hoc enim turpitudinis genus tantam ſecum animæ perniciem affert, vt ex ea omnium virtutum ornamenta ita penitus exterminet, vt animæ terra minimè ſolida relicta, nequeat diuini verbi ſemen acceptum, diu retinere: cùm peſſima illa beſtia, ſic animæ terram euertens, omnem gratię ſuccum ſimul cum omnium virtutum radicibus exhauriat. Licèt ergo ſementem magnam Deus iecerit, modicũ inde congregabit, quia, vt ait Scriptura, locuſtæ deuorant omnia. Quãuis enim huiuſmodi beſtiæ infirmas habeant alas, vt modicis ſe volatibus à terra attollentes, ſaltare potius quàm volare videãtur; ita tamen frequentibus ſaltibus, per ſemina diſcurrũt, illíſq; nocent, vt ſperatum agricola fructum inde nunquam metat: ſic hoc inſecti genus carnis

Greg. ho. 18. in Euang.

Deut. 28.

petulantia,licèt infirmas gerat alas, cùm facilè repelli possit, si principiis obstemus, ita tamen diuino semini animæ iacto nocét,vt si statim eius perniciosas alas pœnitentiæ forfice non abscindas, fraudulẽto volatu, siue potius doloso saltu inter animæ nostræ viscera discurrens cœleste illi semen iniectum prorsus deuoret. Hinc D. Gregorius de hac virtutum omnium vastatrice agens,illi accommodat quod Samuel Regi Agag exprobrauit: quòd eius nimirum gladius matres absq; liberis feciſſet:sic,inquit,luxuria(cuius typus ac figura rex ille pinguis ac obesus fuit,) quæ si suã euaginare delectationem quasi gladium sinatur,omnes bonarũ cogitationum,omnium virtutum ac bonorum operum veluti filias penitus necabit,vt meritò quicquid seminis, in huiusmodi hominũ pectora incidit,in durissimas incidere petras iudicemus, quæ virtutum radices sibi fixas habere nequeũt,cum omni gratiæ humore exsiccata careãt.

Greg.li.Reg. li.6.c.2.

Hoc genus hominum cor habet, quod nihil retinet boni.

19. Quamuis igitur hoc hominum genus diuini verbi semen cum gaudio susciperе videatur,tantùm abest tamen,vt inde fructum colligat,vt potius antiquis suis sordibus indormiscens, quasi cordis vase cõfracto,salutaria auditi verbi semina diffluere permittat. [Cor enim fatui quasi vas confractum,&omnem sapientiã non tenebit.]Sicut itaque vas confractum,nihil in se retinet, sed omnem à se liquorẽ dilabi patitur:sic proh dolor! multorum corda omnia diuina à se eloquia quasi rimarum plena essent, omnino abiiciunt,& quod peius est, sicuti vas fractum, si in fluuium immergatur, quamdiù ibi fuerit aqua repletur,sed statim si illud extrahas,nihil in se puræ aquæ retinet, quippe quòd paleas & sordes ex flumine congregauerit: sic plurimi, quamdiu adsunt concioni, in lachrymas erumpunt, suspiria ingeminant, desideria multiplicant, compunctionis aqua rèplentur: sed ceſſante concionatoris voce omnium planè obliuiscúntur: cor enim eorum vas confractum, sordes colligit, diuini verbi

Eccle. 21. Simile.

mun

mundas aquas reiicit, & ſuæ ſeſe rurſus immunditiei ſentinæ immergit, ex qua nihil præter putentes ſcurrilium halitus,& fœdas impuri pectoris eructationes euomit. Ecce quale vas! quales congregat ſordes! quales effundit aquas! quales fructus in animæ horto facit! quales in cordis fundo veluti in aqua ſtagnante conſcientiæ vermes gignit!

20. Quàm abſimiles huiuſmodi homines, ſancto illi Regi Ioſiæ, qui diuinæ legis librum coram ſe legi tantùm audiens, ita ſtatim perterritus fuit, vt ſubmiſſo fleuerit animo, veſtéſque in ſignum pœnitentiæ ſciderit. O fœlix Ioſia, qui animæ terram, ita diuinæ ſationi paratam exhibuiſti, vt opus non fuerit eam comminationis vomere ſcindi, neque pœnitentiæ ſarculo, à vitiorum ſentibus expurgari, ſed ita ſtatim in ſe rapuit diuini verbi ſemina, lachrymarum imbre irrigata, vt ſine mora vberrimum fecerit fructum. O vtinam ſic luxuriâ detentis, Dei verbum lachrymas excutiat, vt non ſubito libidinis vento exareſcant, ſed ita in animæ ſuæ viſcera, tanquam ſerotinus, ac matutinus ros pœnitudinis lachrymæ ſeſe inſinuantes, duram cordis terram mollefaciant, æternæque benedictionis fructum, ſuo ferant cultori. Sed heu! tantùm abeſt, vt libidinoſis diuinæ legis liber arrideat, vt eum potius concupiſcentiæ igne comburant. Sicut Ioachim Ioſiæ filius, tribus, vel quatuor pagellis coram ſe diuinæ legis libri lectis, librum ipſum, ab Ieremia ipſi miſſum, ſcalpello ſcindens, in ardentem focum coniecit.

4. *Reg.* 22. *Ioſia audita Dei lege fleuit.*

Ierem. 36.

21. Tertiò ſeminat in ſpinas, per quas tertium hominum genus, quod diuini verbi ſemen in ſe penitus extinguit, ſignificatur, ſpinæ ſiquidem cum ſemine ipſo exortæ ſemen ſuffocant: ſeminat itaque induſtrius diuini verbi ſator in corda ſæpe ſpinis vndequaque obſita, diuitiis ſcilicet, & honoribus occupata, quorum mordaces ſollicitudines, ac curæ, continuo decremento, exortum præfocant ſemen, cuiuſmodi ſunt, qui ita rebus ſeſe terrenis implicãt,

Tertium hominum genus, Auari.

vt

vt ſi quando diuini verbi ſemen ſuſceperint, ſtatim cura ac ſollicitudo eas cuſtodiendi omnem tollat Dei verbi conſeruandi facultatem, cùm tamen prius omnes rerum terrenarum curæ & cupiditates extirpandæ forent, quo ſemen iam creſcens, ad maturitatem perduci poſſit. Nam ſicuti, qui frugiferæ arboris ſurculum, infœcundæ inſerit arbori, omnes prius illius arboris ramos reſecat, vt inſitus adoleſcat ſurculus, alioqui radicis ſuccus ramos potius infrugiferos quàm ſurculum alet: ſic inſitum Dei verbum, vt Iacobus loquitur, ſi ſuſcipere velis, prius omnes cordis cupiditatum, ac auaritiæ rami exſcindendi, quàm diuini verbi ſurculus cordi inſeratur, alioqui illi omnem ad ſe cordis ſuccum attrahent, diuini verbi ſurculo ſine fructu areſcente, inutilíque ramorum copia ſuffocato. [Radix verò omnium malorum eſt cupiditas,] in qua radice, ſi cœleſtis verbi ſurculum inſerere velis, tantùm abeſt, vt fructum producat, vt potius auida habendarum rerum cupiditate ſuffocetur. Vnde Gregorius: [Rarum valde eſt, vt, qui aurum poſſident, ad requiem tendant:] ac multo apertius Paulus indicat huiuſmodi homines auaritiæ tyrannide preſſos, ita eius mancipia fieri, vt virtutum ſationi nequeant attendere, ſed totos ſeſe in eius obſequium tradere, donec eius cœno immerſi inopinatum ſibi interitum adſciſcant. [Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in deſideria multa vana & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem:] nam imprimis vix ſine furti periculo, vel mẽdacij, vel doli diuitiæ acquiruntur, hominémque auaritiæ deditum inducunt, vt omnia ſaluti neceſſaria negligat, vt vſurarios ineat contractus, vt tam humana, quàm diuina violet iura, vt per fas, & nefas opes accumulet; Nam, vt ait Sapiens, [æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere.] Quare ſi pœnitentiam aliquan

Simile.

Iacob. 1.

1. *Timo.* 6.

Greg. 4. *Mor.* c. 3.

1 *Timo.* 6.

aliquando instituens restituenda esse iniquè acquisita, auarus moneatur, sese potius sæpe inchoatæ subtrahit pœnitentiæ, quàm restituat, atque adeo facilius animam sibi à dæmonibus, quàm opes malè partas à iustis Dominis auelli, patietur! [Qui igitur festinat ditari, non erit innocens:] Spinæ non colliguntur sine colligentis læsione, nec lucrum vndecunque acquiritur, sine conscientiæ damno. Quamobrem hominibus ditescere volentibus, diabolus in delectabili lucri acquisitione, laqueos iniicit, desideria nimirum inutilia & nociua, quæ iustitiæ regulam contemnunt, quæque necessariò sese ingerunt, siue iure siue iniuria, tum ad comparandas, tum ad augendas, tum ad impendendas & conseruandas opes. Quare facilè demergunt hominem in perpetuam damnationem! Ecce quomodo diuitiarum, ac honorum sollicitudo, suffocato diuini verbi semine, auaros, ac ambitiosos ad interitum præcipitet!

Sapi. 15.

Pron. 28.

22. Vultis Ethnicorum sententiam de his audire, qui spretis cæteris omnibus, quàm cœlesti sapientia, quàm humana, diuitiis inhiant, & imprimis Demosthenis, qui, vt refert Galenus in Paraphrasi Orationis *ἐπὶ τὰς τίχυας* diuites imperitos, & literarum expertes aureas pecudes appellabat, quippe, quæ tantùm hominis figuram, cæterùm bruta, præ se ferunt, quæ potius terræ fecibus, quàm cœlesti doctrinæ appetitum affigunt. Diogenes verò eosdem ficubus comparabat, quæ naicuntur in locis præruptis, & inaccessis: harum enim arborum fructu, non homines sed cerui & graculi vescuntur: sic & horum bona & reditus, non ab honestis hominibus, sed à quibusdam facetis, & assentatoribus absumuntur, qui diuina eloquia contemnentes assentatoria diabolo pergrata verba effutiunt. Plato asserere non dubitat eos, qui valde diuites sunt non esse veros bonos, eo quod homines ferè opibus & rebus secundis insolescentes, vitæ salutem negligant.

Qualis ethnicorum de diuitiis cēsura.

Plato l. 5. de legibus.

Plutar

Plutarchus narrat ita quendam Scillæ, ob tot opes glorianti reſpondiſſe: quomodo vir bonus eſſe potes,qui tam magnas opes poſſideas, cùm nihil à patre acceperis:Hæc & Apoſtoli maximè denunciatio clarè nobis ob oculos ponunt iter nobis in cœlum diuitiis occludi, cùm gratiam, gloriæ ſemen,in animæ agro iactum,ſuis ſuffocent ſpinis. Quare meritò cum omni conatu nobis incumbendum, vt imis euulſis,diuitiarum,cupiditatis, fibris, gloriæ ſemen, gratiam nimirum, animæ noſtræ agro inſeramus, alioqui væ illud, quod ſaluator noſter diuitibus interminatur, contra nos fulminatum iam eſſe, pro certo habeamus:[væ vobis diuitibus:]quo vno verbo,& ſyllaba, væ,omnem omnium malorum, miſeriarum,& calamitatum ſummam auaris imprecatur, quo fulmine à diuino ore iacto conſternatis animis, ad eius præſidium nobis confugiendum foret, vt qui hactenus ſpinis inſerendis occupati fuimus,iam illas liberalitatis, & charitatis igni applicatas incendamus,qua ſalutari animæ noſtræ agri expurgatione, inſitum verbum, facilè in bona animæ terra ſuſciperemus, ſuſceptum virtutum ſtudio augeremus, auctum bonorum operum perſeuerantia in ſegetem indueremus, & denique meſſis tempore in diuina tãdem horrea,cum gaudio inferremus. Sicuti ergo tritici ſemen primum terræ excultæ mandandum, deinde abſconditum in terra ad herbam progreditur,neque quieſcit, donec proficiendo ad plenam perueniat ſpicam: ſic, vt diuini verbi ſemen in animo virtutis deſiderio ſitienti ſeratur, enitendum eſt, vt ad effectum veluti ad herbam promoueatur, & ad virtutis perfectionem, veluti ad ſpicam granis turgidam,perducatur:[cùm bona igitur deſideria, vt ait Gregorius, concipimus,ſemen in terram mittimus: cùm verò operari recta incipimus,herba ſumus:cùm autem ad profectum boni operis creſcimus, ad ſpicam perueniemus: cúmque in eiuſdem operationis perfectione ſolidamur, iam plenum frumen

Luc.6.

Simile.

Greg. l.2. in Ezech.hom.15.

frumentum in spica proferimus.] Concipiamus igitur ex audito verbo æternæ vitæ desiderium, quo veluti animis iniecto semine, de virtute, in virtutem ad perfectionis culmen crescamus, alioqui si cœlestis verbi efficaciæ induratum longa peccati consuetudine cor resistat, circunseptum omnium malorum spinis, væ adamantino cordi audiemus, diuino semini impervio, væ saxosis, & inferalibus agris, qui semen iniectum, ita penitus repellunt, vt nullum faciant fructum, audiemus & audiemus fortasse væ nobis negligentibus agricolis, quorum sæpe negligentiâ iactum semen perit, væ & vobis nisi bene præparatum animæ agrum inserendo semini exhibeatis, væ, inquam, vobis, nisi verbum, quod auditis, opere expleatis, væ & nobis nisi simul exemplo vobis præeamus, & seminato à nobis verbo opera etiàm coniungamus, operum enim, vt ait Augustinus, copia, egregia est fundi copia: [Præbeat, inquit, aliis exemplum, & sit eius quasi copia dicendi, forma videndi.] Hinc prohibuit Dominus, ne diuerso semine agrum seramus. [Agrum, inquit, tuum non seres diuerso semine.] Is agrum diuerso serit semine, qui aliud semen ore, aliud operibus spargit, ore bonam sementem facere videtur, manu, id est, opere malum facit, quod à Domino clarè prohibetur. Sed in eodem agro vnam sementem facere iubet: iubet, inquam, vt opus respondeat verbis, & munus linguæ. Quare D. Basilius duabus ex rebus concionatoris indumentum conficiendum esse ait, ex Verbis nimirũ & Operibus, veluti stamine & subtegmine: [Puto, inquit, spiritalem prætexi tunc vestem, cùm operatio comes attexitur verbo doctrinæ. Quemadmodum enim pallium corpori tegendo tunc texitur, cùm subtegmen immittitur stamini: sic vbi verbum primas in ordiendo obtinuerit, si mox actiones verbo consentaneæ attexentur, tunc exornandæ animæ decentissimus & plurimum habens honestatis amictus confici possit: animæ, inquam, secundum

Aug. l. 4. de doct. Christi. c. 39.

Leuit. 19.

Basil. in psal. 44. Simile.

virtutem

virtuté & verbo & opere ſuã abſoluenti vitam:] eodem etiam loco ſermonẽ quaſi fimbriã operibus attexendam docet:[Sermo,ait,veritatis,quaſi fimbria quædam eſt, à textura, ad actionem ex abundantia annexa.] Hæ ſunt illæ aureæ fimbriæ, quæ ex pul-
Pſ.44. cherrimè ornata Eccleſiæ veſte pendent: [In fimbriis aureis circumamicta varietatibus.] væ itaquè nobis ſi inania tantùm folia decutimus, lenocinio quodam virentia,quæ leui rapta ventò,per aëra volitant,& væ vtrique,& agro,& agricolæ, niſi ſibi inuicem doctrinæ,veritatis,& virtutum operibus correſpondeant. Hodie ergo ſi vocem Domini audieritis nolite obdurare corda veſtra:]alioqui ſequitur, [iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.] O faxit Dominus Ieſus vt non iurauerit quenquam è nobis non introiturum in requiem: nam ſi ſemel hoc iureiurando confirmaſſet, actum eſt de illius ſalute, qui vel verbi diuini ſemen oſcitanter ſerit, vel qui diuini verbi auditioni aures occluſas habet.

EXEMPLVM.

Ex libro ſententiarum Patrum §. 168. Speculũ Exemp. Exẽpl. 1. de verbo Dei.

23. Quidam olim Nouitius, nihil (vt ſibi videbatur) è diuini verbi auditione fructus percipiens, totus mœſtus ſeſe ad Patrem ſuum ſpiritualem contulit, ſeſe incuſans, quod nullum hactenus profectum ex Dei verbo ſenſerit,indignũ itaq; ſe religione iudicauit. Sed pater eũ bono eſſe animo iubet, & quaſi aliud agens duas vitreas lagenas ad ſe adferri fecit, quarum vnam molli repleuit argilla, alteram iuſſit quotidie munda aqua perlui, & vtriuſque lagenæ curam illi Nouitio commiſit. Poſt verò vnum atque alterum menſem, ad ſe illas deferri imperat, quas vt vidit,Nouitio dixit, vt argillam illam è lagena eximeret,cúmque ille reſponderet id fieri non poſſe, niſi lagenam frangeret, (nam iam argilla in duram maſſam coaluit:)vides, inquit Pater,quomodo lagenam illam terrà ac ſordibus plenam potius frangeres

frangeres, quam mundam redderes, cùm tamen altera illa semper mundissima sit, ob continuam aquæ iniectionem, licèt nihil in lagena aquæ remanserit. Sic, inquit, licèt nihil auditi verbi Dei recorderis, modò tamen defœcatum ab auaritiæ & carnis sordibus cordis vasculum supponas, ita nitidum continua diuini verbi iniectione redditur, vt coram Deo speciosum vas appareat: Sicut alter qui nunquam audit, sed semper in suis sordibus manet, vel si audiat purgatum cordis vasculum diuini verbi aquæ non supponat, à suis sordibus minimè expurgatur, tamen sicuti lagena illa, in qua argilla induruit, quotidiana aquæ instillatione aliquando tandem, argilla emollita & in liquorem redacta, munda fieret: sic qui assiduus pio animi effectu diuini verbi auditor esset cordis sui lagenam à peccatorum sordibus paulatim, diuina operante gratia, expurgari sentiret.

IN DOM. IN QVINQVAGESIMA, Concio.

THEMA: *Ecce ascendimus Hierosolymam.* Luc. 18.

1. QVANTO incitatus ab æterno in nos amore Deus fuerit, quilibet facilè æstimare poterit, si rationem velit diligenter inquirere, cur paruulus nobis sit natus, cur filius datus, cur per triginta tres annos in continuis laboribus nostram operatus sit salutem, cur hodie ascendere voluit Hierosolymam, vt crucem suis gestaret humeris, in eáque suæ passionis finem faceret, quorum omnium rationem inueniet eius nimirum in nos infinitum, ab æterno, amorem, qui illius naturæ est, vt eo vsque progrediatur, si nullum repererit obstaculum, donec nos ita perfectè sibi vniat, vt vnus spiritus cum eo fiamus, iuxta illud Apostoli: [Qui adhæret Deo, 1. *Cor.* 6.

Eximius in nos Dei amor.

Digitized by Google

vnus ſpiritus ſit cum eo.] Vnus, inquã, charitate, voluntatis conſenſu, gratia & gloria, quæ hominem efficiunt quaſi diuinum, & Deum quodammodò? Hinc ipſe: [In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans:] verè in charitate perpetua dilexit nos: nam tantus eius ab æterno noſtri fuit amor, vt ab æterno etiam pro omnibus carnem induere, pati & mori omnino decreuerit. Quarum rerum cogitationes ſemper & ab æterno in mente habuit. Quare Iſaias has Dei cogitationes amore plenas quaſi breui effectum ſortituras præuidens, tanquam ſi iam opere completas intueretur, in hanc exultantis & gratulantis iucundam vocem irrupit: [Domine Deus meus es tu, & exaltabo te, & cõfitebor nomini tuo, quoniam feciſti mirabilia cogitationes antiquas fideles.] O propheta, cui futura per ſpiritum propheticum præſentia, cogitationes has antiquas, de hominum ſalute ſollicitas, quia breui in effectum ire præuides, quaſi factam eſſe noſtram redemptionem non ſine animi iubilo pronunciãs.

Hiere.31.

Iſai.25.

Vt citò miſericordia recordetur Deus Dauid optat.

2. At verò moræ veluti impatiens Dauid, cùm nondum antiquas illas cogitationes præſentes videt, quaſi Deum ſuæ miſericordiæ oblitum expergiſcere ſuis clamoribus, vt quàm citiſſimè effectui antiquas ſuas cogitationes det exclamans contendit: [Reminiſcere miſerationum tuarum Domine & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt!] Recordare Domine te ab æterno miſericordem fuiſſe, nec ſolum miſericordem, ſed etiam miſereri ſolitũ, paternáque exhibere viſcera erga tuos: [Reminiſcere igitur miſerationum tuarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ.] Iam ruimus in interitum, niſi quàm citiſſimè miſericordia tua, per filiũ tuum vnigenitum præueniat nos. O Dauid, quanto deſiderio moram illam perrumpi anhelabas, vt quod Deus ab æterno decreuit, in tempore quodam expletũ intuereris. Hinc eum dilatæ promiſſionis quaſi memorem reddis, vt citò miſericordiæ recordetur:

Pſ.24.

Pſ.78.

itaque

itaque nomen sanctissimum, de cuius tutela toties gloriatus es, ne ludibrio sit, aut despectui nationibus impiis, nomẽ, inquam, Dei festinè toti orbi manifestari exoptas, ex quo tanquam ex diuina theca misericordiæ emanẽt in vniuersos. Sic etiã sponsa harum cogitationum dilatione suspirans viuâ voce in Canticis exclamat: [Osculetur me osculo oris sui.] *Cantic. 1.* Osculum hoc sibi efflagitat, quotannis Ecclesia, ac fidelis cuiusque anima, quod licèt in incarnatione præbuerit, hodie tamen paratus à nobis abire, osculum pacis relinquit. Vbi enim Hierosolymam ascendit, in sublimi crucis equo positus, caput suũ in humerum reclinauit, brachia extendit, os ad osculum præbuit, & brachia ad amplexus, quasi dicat sponsæ suæ Ecclesiæ, animísque fidelibus: [Osculetur me osculo oris sui:] semel antequàm moriar, semel vos amoris brachiis amplectar, vt amoris funiculis in cruce mecum ligatas traham: cui vna voce respondeamus, [trahe nos post te, curremus in odorem vn- *Cantic. 1.* guentorum tuorum.] Hinc enim ascendit Hierosolymam, vt iisdem nos gradibus ad cœlum eum abeuntem sequamur, quibus illũ vidimus præeuntem.

3. Tria in hac Concione dicam. Primum, ideo Christum suæ passionis mentionem toties facere vt suo in ea descensu nos ascendere faciat. Secundum, quot gradibus nos descendimus tot Christũ descendisse, vt nos à peccati cœno educeret. Tertium, quãtum amorem in nos ostendit hodie Hierosolymam amore inflammatus ascendens. Quare Spiritus sancti gratiam, vt à cœno peccatorum emergamus, efflagitemus interueniente B. Virginis Mariæ deprecatione. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Toties Christus passionis suæ mentionem fecit vt ostendat, quo amore nostri

4. Cur obsecro, Domine tui ascensus, & passionis toties mẽtionem facis, cùm id sit, vel ab ea horroris maximi, vel certum amoris argumẽtum. Amoris vix esse potest, si humana nitamur ratione, cùm illa nihil acerbius, nihil ignominiosius, nihil deniq; in speciẽ,

Digitized by Google

gratia pati voluerit.

tuã magis obſcurare diuinitatẽ videatur? Quid enim Deo indignius, quàm tormentis ſubiici, ignominiâ affici,& in crucẽ tanquam ſceleratũ aliquem latronẽ agi? vnde cùm dilectus ille tuus Apoſtolus Petrus præclaram illã tuæ diuinitatis profeſſionẽ feciſſet: [Tu es Chriſtus filius Dei viui,]audiſſetque à te ſtatim oportere te aſcendere Hieroſolymã & multa ibi

Matth.16.

pati, Petrus (ait Euangeliſta) aſſumens te cœpit increpare dicẽs:[Abſit à te Domine,nõ erit tibi hoc.] Quod verò ex horrore potius eius totius mẽtionem feceris,ipſe manifeſtius videris declarare. Nã dum propè eſſet, vt patereris, [triſtis eſt anima mea(inquiſti)vſq; ad mortẽ:] tanta meæ triſtitia ſubeſt animæ, qua maior eſſe vix nequit: tamen,Domine,ſcio tantum tuũ fuiſſe etiam in nos amorem ab æterno,vt ex eo hodie incitatus, cum ſumma animi lætitia Hieroſolymam aſcenderis. Cur tamen(ſcire velim) mœſtitiã lætitiæ tuæ intermiſcebas? cur hodie alacri animo Hieroſolymã petis,cùm ingenti breui afficiendus ſis in horto triſtitia? Sanè præter alias rationes toties mentionẽ ſuæ fecit paſſionis,quæ quãuis adeo acerba illi futura, vt dolore etiã eum maximo afficeret,quod tanta gaudij abundantia ex hominum ſalute breui perfectura, afficiebatur,vt mœſtitiam illã, præ exultationis magnitudine,nihili fecerit. Vnde quãuis mortem ita in horto apprehenſurus erat, vt ſanguinẽ per largas guttas toto perfuſo corpore in terrã dimiſſurus, ſciens tamen illud humanæ redẽptionis opus breui per ſe perfectum iri, adeo eum vel illius cogitatio recreauit, vt deterſa quaſi omni triſtitiæ nebula, cum magna animi alacritate Hieroſolymã hodie aſcendat,bonũ certamen pugnaturus,quo deuicto humani generis hoſte triũphator inferni ſpolia direpturus;Hinc amor prædę, vincit mortis triſtitiam, amor noſtræ ſalutis, vicit tormenta paſſionis, amor eruendi nos ab æterna ignominiæ nota, vicit ignominiam crucis.

5. Ecce(inquit)aſcendimus Hieroſolymam![] quo

Domine

Domine ascendis? Super Cherubim, vt ab omni honoreris creatura? ascendo, inquis, Hierosolymã, festino ad mortẽ, ad crucem propero: an hoc vocas ascẽsum, cùm maximè per crucis ignominiã descendas? Nonne de tuo hoc descensu, cum lachrymis Isaias prædixit: [Vidimus eum despectũ & nouissimũ virorum.] Imo Domine hoc tuo ascensu, ita descendes vt ferè hominis naturã ac Deitatis per abiectũ profundæ humilitatis descensum in speciẽ exuere videaris: ita enim descẽdes, vt cum maiori humiliatione humana natura ſtare, neque sub abiectiore humilitatis gradu diuina subsistere posset, sed omnino quasi esse desineret, quod fieri nõ potuit, si te amplius dimisisses, ac penitus humanitas tua cessare ab hominis natura deberet: cùm enim diuinitas tua omnis incapax peccati sit, ita tamẽ humanitas tua in hoc tuo descẽsu sese exinaniet, vt cùm peccato infici non possit, proximũ tamẽ peccato gradũ attingat: [In similitudinem enim carnis peccati facta:] imo adeo sese dimittet in hoc suo descensu, vt plusquã peccator censeatur, [recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuẽs, post tres dies resurgã.] Neq; seductor tantum, sed vilis terræ vermis, quẽ adeo crudeliter excarnificabunt, vt omnẽ humanã effigiẽ exuẽs, ab hominis natura cessasse videatur. Cùm igitur ita sit, descensum hunc tuũ oculò contẽplans prophetico dilectus tuus Dauid, obortis haud dubiè lachrymis exclamauit: [Ego autẽ sum vermis & nõ homo, opprobrium hominũ & abiectio plebis:] In tali enim statu futurus es, vt non solũ minoratus ab angelis, sed ab hominib. etiã videberis nouissimus virorum, imo infra omnes homines factus cum Barrabæ & latronibus postponeris, & de te homines erubescent quasi de homine infami. Hinc Petrus ipse suus charissimus discipulus iurabit se non nosse hominem illum, quem etiam plebs, vilissima populi pars ita abiiciet, vt dictura sit, non hunc sed Barrabam, & tamen hodie dicis: ecce ascẽdimus, cùm verè debueras

Adeo profundè in hoc ascensu descendit, vt vltra descẽdere non potuerit.

Isa. 53.

Rom. 8.

Matth. 27.

Ps 21.

dicere ecce deſcendimus. Hinc illud [ecce] meo iudicio, præmittis, quo mirandum ſignifices in hoc aſcenſu, tuæ maieſtatis deſcenſum & tamen lætaris in hoc tuo deſcenſu.

Infiniti amoris ſignum in ſuma triſtitia cauſa noſtri amore lætari.

6. O Domine, vt video, ſicuti mei cauſa hodie lætaris, ſponte tua in crucé abiens: ſic etiam mei cauſa in te crucis mœrorem ſuſcepiſti, vt tua ſimul lætitia ac triſtitia ſit omnino infiniti tui in nos amoris non obſcurum argumẽtum, qui toties tuum cor inflãmas, & citò fieri optas quod nobis gaudiũ, tibi triſtitiam adferet. Prodigus hic in nos tuus amor, toties te ingeminare cogebat. [Ecce aſcendimus Hieroſolymã,] vt pro me doleres, qui pro te nihil habuiſti quod doleres, & ſequeſtrata æterni illius gaudij delectatione, meæ infirmitatis tædio affici delectareris. Suſcepiſti enim triſtitiam meã, vt mihi tuam largireris lętitiam, & cum triſtitia magnã iungis hodie lætitiam, quia veſtigiis noſtræ miſeriæ inſiſtens, vſque ad mortis ærumnam deſcendis, quo nos tuis veſtigiis inhærendo ad vitam reuoces. Hinc deſcenſum tuum aſcenſum vocas, quia tuus deſcenſus nobis fuit aſcenſus. Deſcendimus quidem nos, & tu deſcendis, vt deſcenſus noſter in noſtram verſus eſt perniciem: deſcenſus verò tuus, ad quandam tandem Deitatis participationem conſcendere nos docuit.

Gen. 9. Figura. Deus retrorſum incedit, vt nos ſurſum attolleret.

7. Cùm Sem, & Iaphet dormiẽtis Patris ſui Noë verenda, turpiter nudata animaduerterent, pallium ſuis humeris poſuerunt, & incedentes retrorſum operuerunt verẽda Patris ſui: ſic hodie optimus ille Patris ſui Adæ filius IESVS nuditatem videns, per peccati ebrietatem detectam, pallium pulcherrimè concinnatum, per Spiritus ſancti induſtriam in Beatiſſimæ Virginis vteri officina, ſuæ diuinitati impoſuit, & incedens retrorſum è cœlo in terram, ab infinita Deitatis dignitate, ad viliſſimã ſerui formam delapſus, illam ſuæ humanitatis pallio tegere feſtinauit, adeo enim Deus ſublimis ſeſe demiſit retrorſum incedẽs, vt formam ſerui acceperit, quo noſtram ſuis diuitiis

nudita

nuditatem operiret, quoniam [propter vos egenus factus est cũ esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Pauper (inquit Nazianzenus) factus est Christus, vt nos illius paupertate diteſcamus; ſerui formã accepit, vt nos libertatem recipiamus: deſcendit, vt euehamur: tentatus eſt, vt vincamus: contẽptus eſt, vt nos gloriã afficiat: mortuus eſt, vt ſeruet: aſcendit, vt ad ſeipſum trahat, humi prouolutos in peccati lapſu.] Ecce quomodo inceſſit retrorſum, vt inopia ſua nos diuites efficeret, [quid ergo, vt ait Auguſtinus, facturæ ſunt diuitiæ eius, cuius paupertas nos diuites fecit?] & tamen aſcẽſum vocat, ſuũ deſcẽſum, quo egenus efficietur, vt nos diuitiis cumulet, nóſq; ab infimo deſcenſus gradu ad ſupremũ aſcenſus locũ collocet.

2. Cor. 8.

Nazianz. orat. 5. in Paſcha.

SECVNDVM PVNCTVM.

8. Secundo igitur loco de noſtri deſcenſus gradibus ac Chriſti, quibus nos ad ſui throni celſitudinẽ eueexit, dicendum. Primus itaque noſtri deſcenſus gradus fuit, cùm Deitatem affectaremus, deſidério incenſi ſciendi bonum & malum vt quaſi Dij haberemur: ſed ex illa ſuperbiæ noſtræ periculoſa altitudine affectatæ diuinitatis, ita deſcendimus, vt ad miſerrimũ humanæ conditionis ſtatum nobis adhuc incognitũ, peruenerimus, quo omni calamitatum genere circundati, non Deos, ſed homunciones eſſe nos fateri cogebamur, vt innocẽtiæ veſtibus exuti, ab hoſtibus in ipſo vitæ exordio caperemur, oculis eruiſis excœcaremur, virtutibus & iuſtitia originali ſpoliaremur, innumeris vulneraremur plagis, vt impoſſibile modò nobis ſit ſine vehiculo gratiæ abundantioris incedere, & cœptum iter conficere, quod tamen facilè nobis fuiſſet, ſi ab affectata diuinitate nos cohibuiſſemus. Ecce infœlix tui lapſus, ò homo, primus gradus!

Primus hominũ deſcẽſus, affectatio Deitatis.

9. Secundus noſtri deſcenſus gradus, cùm tantæ arrogantię in affectãda diuinitate excuſationũ texeremus, ex paradiſo inter beſtias præcipitati ſumus, viáq; nobis redeũdi præcluſa, per angelũ, qui flãmeo

Secundus hominũ deſcenſus, beſtiæ ſimilitudo.

ac verſatili gladio eius aditum cuſtodit. Vnde quaſi ipſius hominis natura cauſa beſtiis cõparati ſumus (vt ait Pſalmiſta)iumẽtis inſipiẽtibus,& ſimiles facti ſumus illis. Nam qui præ cæteris animalibus à Deo honorati intelligentia,ratione,libero arbitrio, diuinitatis imagine,animæ immortalitate,imperio ſuper omnia,quæ in terris ſunt;hũc delatũ nobis honorem nõ intelleximus,& proinde cõparati ſumus iumẽtis inſipientibus,quibus neque eſt intellectus,neq; ratio, neq; liberũ, arbitriũneq; imago diuinitatis,neq; immortalitas animæ,neq; in alia,neq; in ſeipſa imperiũ habent: & ſimiles facti ſumus illis,dũ more pecudũ (vt ait illuſtriſſimus Bellarminus)nõ proſpicimus in futurũ,ſed præſentibus ſolũ inhiamus & ſubiicimus nos corporalibus paſſionibus, quibus imperare debueramus:ac denique vera & ſempiterna bona contemnimus,vt falſis & caducis fruamur: cum è contrario temporalia omnia deſpicere debuiſſemus, vt ſempiternam vitam nobis compararemus. Ecce ſecundus infœlicis tui deſcenſus gradus ô homo!

Tertius hominis deſcẽſus mortis incurrendæ neceſſitas. Gen. 3. Sap. 2.

10. Tertius noſtri deſcẽſus gradus,cũ belluinã hãc per peccatum aſſumeremus naturã,infra belluæ conditionem nos deprimentes,communem cum illis in peccati pœnam ſortiti ſumus finem:[quia puluis es, & in puluerem reuerteris,] qui tamen alioqui inexterminabiles manſiſſemus,ſi primæuã retinuiſſemus originis iuſtitiam.] Quoniã Deus creauit hominem inexterminabilem,ſed inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum,nobis tamen conſenſum præbentibus.[Per occaſionẽ enim delicti(vt ait Ambroſius) in vniuerſis peccatoribus diabolus mortis ſortitus eſt imperiũ,atq; omnes à Deo deuiãtes,peccati vinculo obſtrictos,ſqualentis tartari clauſos ergaſtulo,poſſidebat.]Ecce 3. infelicis tui deſcẽſus gradus,ô homo!

Amb. de myſterio Paſch. c. 3.

Pſ. 72.

Quantus hominis deſcẽſus in nihilũ redigi.

11. Vltimus deniq; gradus noſtri deſcẽſus,ex puluere euerſi ſumus in nihil:[ad nihilũ redactus ſum & neſciui,]nõ enim tãti in peccati pœnam ad noſtræ naturæ vilitatem cognoſcendam reuocati ſumus, ſed

gratiæ

gratiæ vita ſpoliati nihil in nobis humanitatis remãſit,[qui enim elongant ſe à te peribũt, & perdidiſti omnes qui fornicãtur abs te.]Omnes qui per iniquitatẽ ſeparãtur à te peribũt omnino, vti illuſtriſſimus Bellarminus interpretatur,quomodo perit corpus cũ ſeparatur à ſpiritu; & ruit ædificiũ cùm ſubducitur fundamentum. Nec ſolum pereunt qui auertuntur à Deo,quia carent hoc ipſo gratia Dei,quæ dat vitam animæ: ſed etiam quia Deus zelotes eſt, & animas ſibi primus deſponſauit, & ideo grauiſſimè punit morte ſempiterna eos,quod multo grauius eſt,quàm in nihilum verti,qui fornicantur à ſponſo tam bono & tam potente.

Prima Dei retrogreſſio à ſinu patris in virginis vterum.

12. Iiſdem nos quaſi veſtigiis,abſque vllo tamẽ peccato filius Dei inſecutus eſt,donec tãdem de peccati nihilo nos recreans, retrogrado curſu ad Deitatis quam affectabamus participationem perduxerit. At videamus quibus nos ſequutus veſtigiis. Primum ex ſinu Patris immenſo quodam ſaltu,in virginis vterũ illapſus:[A ſummo cœlo egreſſio eius:]Quanta hæc filij Dei retrogreſſio, vt qui erat plenus maieſtate, gloria,fortitudine,atq; adeo omnis plenitudo, iis ſe euacuarit,factus in virginis vtero,quaſi imbellis infans, licèt in hac ſui retrogreſſione non depoſuerit ſed ſeruauerit ſuæ maieſtatis altitudinẽ,ſub aſſumpta humanitate abſconditã;nam (vt ait Leo)[exinanitio illa,qua ſe inuiſibilis viſibilẽ præbuit,inclinatio fuit miſerationis,nõ defectio poteſtatis.] Huius filij Dei retrogreſſionis typus fuit Heliſæus, qui ſe corpori pueri defuncti coaptans, eum ad vitam reuocauit: [venit(inquit Auguſt.)ipſe grandis ad paruulũ,ſaluator ad ſaluandũ, viuus ad mortuũ. Quid fecit?iuuenilia mẽbra cõtraxit,tanquã ſemetipſum exinaniens, vt formã ſerui ſuſciperet:paruũ ſe paruo coaptauit, vt efficeret corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ. Sicut ergo ab Heliſæo ſuſcitatus eſt mortuus:ſic à Chriſto iuſtificatus eſt impius. Ecce ô homo Altiſſimi filij,tui gratia,retrogreſſio!

Pſ. 18.

Leo ſerm. 3. *de Natiu.* 4. *Reg.* 4.

Aug. ſer. 11 *de verbis Apoſtoli.*

bus redigendus non erat, cæteras tamen hominis conditiones in se sponte susceperit, vt peccatum pro nobis factus dicatur, & ex Deo ad hominis formam redigeretur. Quare Bernardus, [in Christo, inquit, agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana, lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem. Videas si attendas tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari.] Ecce quibus miseriis altitudo illa sese subiecit, vt te, ô peccator, in puluerem per peccatum redactum de puluere suscitans, cũ principibus populi sui in æterna beatitudine collocaret. Et ne putaretur in hoc suo descẽsu Deitatẽ exuisse, addit Bernard. [Sed hæc est tristitia lætificans, pauor confortãs, mors viuificans.] Ecce ô homo filij Dei, tui gratia, admirãda retrogressio!

Bern. serm. 2. super Missus est.

15. Quartus denique Altissimi Filij descensus, cùm à Deo ipso ita derelinqui ac percuti videretur, vt quasi totius mundi peripsema ab omnibus derelinqueretur. Hanc eius incredibilem retrogressionem oculo prophetico præuidens, Dauid ait; [Tanquam prodigium factus sum multis,] quasi diceret: ita se Filius Dei exinaniet in suis retrogressionibus hominis causa, vt multi eum tanquam monstrum aliquod, & rem prodigiosam fugiant: vnde & eum Samaritanum, & dæmonium habentem detestabantur: quare eum Euthymius in hunc modum loquentem inducit: [Ego squalidus atque afflictus, & deformis effectus sum præ ieiunio, saccóque & tristitia: atque ideò à multis quasi monstrum quoddam existimatus sum, tametsi reuerà non ita essem, sed sic viderer, impudentibus nimirum, ac viliori multitudini.] Quare cùm ipse sic derelictus ac à Patre percussus videretur, exclamauit: [Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti? Clamor, inquit Hilarius, ad Deum corporis vox est recedentis à se verbi Dei

Quartus Filij Dei defectus, ab omnibus derelinqui.
Ps. 70.

Euthy. in illud Ps. Tanquam prodigium factus sum.

Hil. in Matt. can. 33.

Digitized by Google

bi Dei conteſtata diſſidium: denique cur relinquatur exclamat, dicens: Quare dereliquiſti me? Sed relinquitur quia erat homo etiam morte peragendus.]

Ambr. de incarn. c. 5. Non capiatur (inquit Ambroſius) qui audit, quare me dereliquiſti, ſed intelligat quòd ſecundùm carnem iſta dicantur: quæ longè à plenitudine diuinitatis aliena ſunt. Aliena ſunt à Deo verba delictorũ, quia aliena ſunt & delicta verborum. Sed quoniam delicta aliena ſuſcepi, etiam delictorum alienorum verba ſuſcepi: vt derelictum me à Patre Deo eſſe dicam, qui apud Deum ſemper ſum.] Ecce quomodo Filius Dei, ô peccator, ita ſeſe tui gratia demiſit, vt quaſi ad nihilum ſeſe redegerit, factúſque ſit ex Domino ſeruus, ex Deo homo, ex Creatore creatura, imò peccatum, monſtrum, prodigium, à Deo derelictus & percuſſus, [& nos putabamus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.] *Iſa. 53.*

Deſcẽdit Filius Dei vt nos aſcendere faceret.

16. Aſcenſus ergo hodiè tuus, deſcenſus tuus eſt, quò ad hunc vltimum infimi deſcenſus tui gradum deſcendis, in crucem breui ignominiosè agendus. Hinc non tantùm paulò minus ab Angelis hoc tuo aſcenſu, ſed ab ipſo etiam homine multò minoratus es: ſed quia deſcenſus iſte, quem aſcenſum vocas, aſcenſus noſter eſt, quo ſuprà Angelos in ſuo deſcenſu carnem noſtram tibi copulando, ad dextram Patris tui nos collocabis, idcircò hodie dicis te aſcendere, quia nos ex peccati nihilo, ad gratiæ ſtatum, à gratia ad beatitudinem, & denique ad dextrã tui Patris in tibi ſociata natura noſtra aſcendere facies; ſuſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigens pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat; genus enim humanum in terra hactenus & in peccati ſtercore miſerrimè iacebat, donec tu in cœlo ſublimius reſidens, in terram deſcenderes, vt, hominem inopem, ſpoliatum videlicet omni gratia ac virtute à latronibus, & variè ad mortem vulneratum, & in miſeriarum ſtercore iacentem ſuſcitares, eúmque cum principibus cœleſtis gloriæ *Pſ. 112.*

poſſeſſo

poſſeſſoribus, & diuinæ naturæ participibus collocares. Hæc tui aſcenſus hodie in Hieroſolymam feſtinationis cauſa.

17. Vultis ad oculum videre quomodo Chriſtus his ſuis deſcenſibus gradatim aſcendere hominem voluit? Hoc clarè B. Paulus demonſtrat: [Deus (inquit) qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccati.] Ecce vltimus hominis deſcenſus! ſed audi quid ſubdat, [Conuiuificauit nos in Chriſto.] Ecce primus hominis aſcenſus Chriſti naturæ aſſociati: ex nihilo & ex puluere factus eſt in animam viuentem: [& conreſuſcitauit] à morte nimirum animæ ad vitam gratiæ, nóſque ad ſimilitudinem Chriſti communi cum eo vita ſpiritali donauit. Ecce ſecundus hominis aſcenſus, Chriſti naturæ aſſociati: [Et conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.] Ecce ſupremus gloriæ gradus, quem homo, in Chriſto, ad dextram Patris, ſedente conſecutus eſt: [Vbi enim (ait Auguſt.) portio mei eſt, ibi me eſſe puto;] cúmque itaque portio noſtri ſit in Chriſto, carnem enim noſtram (ait Chryſoſtomus) in ſuo corpore cœlis inuexit, vbi illa regnat, ad dextram ſcilicet Patris, ibi nos regnare, quis dubitabit? Hæc tuę lætitiæ cauſa hodie fuit, hinc aſcendere te putas, cũ tuo deſcenſu, nos tibi in naturæ conſortio copulatos, ad dextram Patris tecum collocaturus fores. [Repleatur ergo os meum laude vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam] dum viuam. [Quid eſt (inquit Auguſtinus) tota die.] reſpondet [ſine intermiſſione: in proſperis, quia conſolaris: in aduerſis, quia corrigis: antequam eſſem, quia feciſti: cùm eſſem, quia ſalutem dediſti: cùm peccaſſem, quia ignouiſti: cùm conuerſus eſſem, quia adiuuiſti: cùm perſeueraſſem, quia coronaſti. Ita planè repleatur os meum laude, vt in hymno dicam gloriam tuam tota die.]

Epheſ. 2.

Quomodo Filius Dei hominem ab vltimo deſcenſus gradu, ad ſupremũ, in cælo locum tradnxerit.

Pſ. 70.

Aug. ibid. in Pſ. 70.

18. Quoniam deſcenſus iſte tuus, aſcenſus eſt noſter,

Digitized by Google

noſter, ideò ex intimo in nos amore deſcenſum tuum aſcenſum vocas, exaltari vis per ignominiam, vt nos ad te aſcendere per gratiam facias. Virorum nouiſſimus in hoc tuo aſcenſu eſſe vis, vt nos in regno tuo primi eſſe poſſimus. O quò te duxit noſtri amor, bone IESV, vt te noſtri cauſa in tantum te demitteres, vt non tantùm velis eſſe virorum nouiſſimus, vt peccator ſit primus: ſed ita te exinanire decreueris, vt vir eſſe quodammodo ſis deſiturus: & ſi vir aliquis inter homines habendus ſis; non tamen ex communi hominum genere: ſed vir dolorum, & ſciens infirmitatem, vt nos qui dolores & infirmitates tibi procurauimus, à te longè aberrantes, per hunc tuum inauditum deſcenſum, ad filiorum Dei gloriam transferres. Hanc tantam in nos tuam dignationem contemplans, ſeruus tuus Auguſtinus exclamat: [Amauit te Dominus, ô peccator, & fecit ſe, propter te, hominem: Deus ſubiecit ſe, & exaltauit te: inclinauit ſe, & ſuſcepit te: exinaniuit ſe maieſtate, & impleuit te diuinitate: deſcendit vſque ad te, vt tu aſcenderes vſque ad eum.] Hinc hodie animosè aſcendit, vt coràm toto mundo in celeberrima totius orbis ciuitate, teſte Deo, angelis & hominibus, in crucis cathedram eleuatus, amoris ſui teſtamentum conderet, ſuo ſanguine conſcriberet, morte ſua confirmaret, poſtquàm conſummata omnia eſſe exclamaret: [Conſummatum eſt.]

Dei filius vltimus eſſe voluit, vt peccator eſſet primus.

Iſa. 53.

TERTIVM PVNCTVM.

19. Tertio oſtendam loco, quanto in nos amore incitatus hodie Hieroſolymam aſcendit, vt debitam peccatis noſtris pœnam ſolueret. Deus nos amauit cùm adhuc eſſemus inimici: [Commendat Deus charitatem ſuam in nobis: quoniam cùm peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.] Inter homines nullus eſt tantæ charitatis, vt pro viro iuſto mori velit; pauci qui pro amicis: at verò Chriſtus, non

Admirandus in nos Dei Filij amor.

Rom. 5.

Digitized by Google

non tantùm pro iuſtis ac amicis mortem ſubire voluit,ſed pro iniuſtis:& in legem ſuam, ac in ſeipſum iniurioſis. Quid, Domine, tibi in nobis arriſit, vt in tantum te deiicæres noſtri cauſa: cùm tamen inde tuæ maieſtati nulla gloriæ acceſſio, & maximè cùm noſtra ab æterno ingratitudo,pro tanta tuæ maieſtatis retrogreſſione,rependenda tibi propoſita, potius æternas pœnas, quàm veniam exigere videretur. Scio, ſcio hæc omnia à fonte illo inexhauſti amoris profluxiſſe, ex quo inebriatus veluti inſenſibilis factus, tantis hodie opprobriis ſponte occurris. Dic, obſecro,quis ille torrens,ex quo quaſi vino crapulatus, tuæ maieſtatis tanquam oblitus, vinciri noſtri cauſa gaudes? Traderis enim, & te duris inimici ligabunt vinculis,vt ſic ligatum velut inſanum, ludibrio Annæ,Caiphæ,Herodi,Pilato, Gentibus ac Iudæis exhibeant? inauditum ſpectaculum Deo, angelis & hominibus factum! Dic nobis,obſecro,quî fieri poteſt,vt tanta ſit vis torrentis illius, ex quo pleno bibiſti hauſtu: vt ſapientiæ tuæ quaſi auctoritatẽ negligens, illudi te permittas? Qui tibi conſocij,qui te quaſi facilem,& ad ſocietatem propenſum aduertentes, in cellam vinariam introduxerunt, vbi inebriatum vino felle mixto, fugientes te oppignoratum reliquerunt cauponi? vbi omnibus exutum veſtibus,quaſi impoſtorem flagellarunt,vt quod defuit tibi(vt aiunt)in burſa,ſolueres in dorſo? Mea me miſericordia traduxit, ac mea me iuſtitia oppignoratũ relinquens: paſſionis ſubeundæ peccatorum cauſa onus mihi impoſuit, vt qui iuſtitiæ ſoluendæ non erant,eorum nomine ſatisfacerem: atque hinc[circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, & irruerunt in me,& ſupra dorſum meum fabricauerunt,prolongauerunt iniquitatem ſuam]vt verè à Pſalmiſta, prophetico ſpiritu pronunciatum in me expleretur;[Quę non rapui tunc exoluebam.] Quò,obſecro,traduxit te miſericordia? quo vino te inebriauit? quomodo præ langore, quaſi in terram

Pſ.21.

Pſ.68.

corruens

corruens auxilium tibi inclamas, quo fulciaris, vini quasi fumo debilitatus? Tuam inaudiui vocem cum clamore valido, quasi tui impotens, & à misericordia veluti traductus, & derelictus à iustitia, vt debitum quod nunquam contraxisti persolueres: [Introduxit me (ait) in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.] Ecce quomodo misericordia te traduxit! quomodo de torrente charitatis te bibere coegit, donec inebriatus quasi vino optimo, omnibus vacillares membris! Hinc auxilium inclamas: [Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo:] Non sufficit nostri amore languere, nisi etiam debita peccatis nostris contracta gratis persolueres, & ita persolueres copiosè, vt nihil ex parte tua iustitiæ amplius debeatur.

Cant. 2.

Ibid.

Tanto nostri amore ebrius fuit, vt conspui, in crucè agi permitteret.

20. Dic insuper cur faciem conspui, in quem cœlestis exercitus intueri gaudet, quasi à sensibus alienatus permiseris? cur veluti verè ebrius, qui quocunque voles fertur: & in quocunque loco eilectum straueris, conquiescere solet, donec crapulam indormierit, sopitus vino ac ebriis sensibus obmutescis? & in duro crucis lecto clauis affixus, distractis membris tanta veluti obrutus ebrietate nihil sensisti, attonitis præ nimia vini dulcedine sensibus, donec tandem quasi expergefactus in cruce, vbi te solum derelictum, & à Patre, & à tua diuinitate ab Apostolis & ab omnium charorum aspectu vidisses, tunc [excitatus es tanquam dormiens, tanquam potens crapulatus à vino.] & veluti immemor loci, immemor actorum tuorum, ad instar ebrij, qui ob suam tandem stultitiam, & prodigam suæ pecuniæ infusionem ingemiscens, exclamat: vbi sum, vbi sum? quis mihi hanc creauit ignominiam? quis mihi nummos eripuit? quis me optimis exuens vestibus, sordidis induit? sic tu, inquam, quasi ingemiscens, nostrísque peccatis quasi veste indutus, iuxta illud Zachariæ: [Et erat Iesus indutus vestibus sordidis. Sordidis vestibus (ait Gregorius) Iesus indutus erat,

Psal. 77.

Zach. 3. Greg. lib. 20.

quia

quia quamuis alienus ab omni peccato eſſet, tamen in ſimilitudine carnis peccati venit.] Et ingratitudinis noſtræ tædio affectus, ad Patrem magnâ voce exclamaſti:[Eli,Eli lammaſabacthani? hoc eſt, Deus meus,Deus meus vt quid dereliquiſti me ?] Nónne qui illic ſtabant tuam irridebant ebrietatem : alij, Eliam vocat iſte ; alij ſpongiam aceto plenam tuo ori porrigebant , quaſi adhuc poſt tantam ſitires ebrietatem.Sed quemadmodum ebrius è ſomno intempeſtiuè excitatus perturbato cerebro , inſilit in eos,qui ſomnum eius interruperunt , & vel ſitione, vel ligno arrepto ſine diſcrimine illos excipit : Sic Chriſtus in crucis lecto decumbens per mortem, diabolum,& Iudæos tormentis,ſannis,blaſphemiis, quaſi excitatus,illos non ferro,ſed ligno ſub iugum miſit. *Mat.c.20.* *Matth.27.*

21. Verè,vt video,noſtri amore ebrius fuiſti,ita vt ſcandalo eſſes Iudæis & ſtultus Gentibus : & ſi diſſimules te noſtri amore ebrium; ecce Dauid contra te ſtat,téque conuincet : [De torrente in via bibet,propterea exaltabit caput.] Verè torrens ille ex quo bibiturus eras , noſtri eſt ingens amor , ex quo inebriatus , exaltaſti (vti ebrij , qui alioqui nullius ſunt animi,vi tamen vini excitati,ſuum in altum efferunt caput)te hodie Hieroſolymam aſcendens, & poſtmodum epoto paſſionis calice , vſque ad fæces, in crucem exaltaſti caput : [Quis bibit de torrente (inquit Hieronymus) in via ? quis poculum dum in via nobiſcum verſaretur noſtri amoris tranſit gratia.Nónne ille cui dictũ eſt:ſede à dextris meis?quis crucis calicem exaltatus coràm Iudæis & Gentibus vſq; ad fæces epotauit?Nónne ille qui audiuit filius meus es tu?Quis ille,qui exclamãs in cruce,&guſtato fellis poculo, noſtrorũ peccatorum amaritudine medicato : Conſummatum eſt , ait? Nónne ille, qui hodie alacri animo Hieroſolymam aſcendit, vt omnia, quæ à Prophetis dicta, perfectiſſimè expleret, de torrente amoris noſtri inebriatus ? Quare ſicut *1.Cor.1.* *pſ.109.* *Ex torrente amoris noſtri bibit.* *Hier.in illum locum.*

Digitized by Google

ille in via de torrente amoris noſtri bibit, ac propterea exaltauit Deus caput ipſius, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ſic nos calicem amoris illius in via viciſſim ebibamus, vt noſtrum ſecum exaltet caput; & mutuis calicibus exhauſtis, mutuâ amoris ebrietate ſopiti, in eodem crucis lecto, cum eo dormiamus, euigilemúſque quaſi ab amoris vino crapulati, & inuicem acclamemus: [Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.] Vt ſic mutuo amore, mutuâ ſocietate, mutua ebrietate, mutuis animis, ac denique mutuo lecto, hic per gratiam, in cœlo per gloriam Ieſu noſtro in æternum perfruamur.

Apo. 1. Magna noſtra ingratitudo, de qua Deus conqueritur.

22. Cùm Deus tanto nos ſit amore proſecutus, nemo noſtrùm eſt, qui non ſit illi infinitis obſtrictus nominibus: [Dilexit enim nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo:] & tamen cùm lauiſſet nos ſic in ſanguine ſuo, adhuc peccata peccatis cumulantes, identidem illum Hieroſolymam aſcendere cogimus, flagellis ſubdimus, irriſioni exponimus, ſputis conſpurcamus, ac demum in crucem agimus; Hæc reddimus Deo noſtro pro tot beneficiis in nos collatis, mala! O quàm grauiter paucis verbis de hac noſtra ingratitudine conqueritur: [Di-

Malach. 1. lexi vos, inquit, & dixiſtis: in quo dilexiſti nos,] quaſi diceret: ſemper dilexi vos, & vſque adeò dilexi, vt vos non tantùm in manu mea, ſicut olim dilectos meos conſcripſerim; ſed dies veniet, vbi diuinâ corporis mei cutem, tanquam membranam extendam, in qua ſingulos nominatim deſcriptos habebo: quod

Pſ. 138. præuidens propheta meus Dauid: [in libro tuo (inquit) omnes ſcribentur.] In manibus quidem meis

Iſai. 49. iuxta illud Iſaiæ: [In manibus meis deſcripſi te] quémlibet electorum deſcripſi, vt nunquam illorum obliuiſcerer, & tandem hæc mea de illis cura per filij mei incarnationem, qui manus mea dextra eſt, apparuit, in cuius manu ab æterno electos omnes deſcriptos volui; & in ſua paſſione in toto eius corpore inſculptos.

Digitized by Google

sculptos, vt in eum illud quadret: Cernitur in toto corpore sculptus amor. Cuius amoris exhibitio Hierosolymam hodie ascensu declaratur. Ascendit Christus Hierosolymam, ascendit in crucem, ascendit quoque in crucem amor, ascendit misericordia, ascendit iustitia. Quonam altiùs amor Dei in homines ascendere potuit, quàm ascendit in cruce, in qua tanquam liber explicatus in se inscriptos amoris penicillo omnes electos palàm ostendit?

In finem nos diligit. Ioan. 13.

23. At quamdiu amor hic sese in nos demonstrauit? In finem (ait Ioannes) dilexit nos: hoc est, inquit Chrysostomus, eius amor eò peruenit, quò vltrà nó potuit, ab æterno enim nos amauit, & in finẽ, ita vt eius amoris neq; principium sit, neq; finis. Quare hodie descẽdit, inquit ipse, Deitas mea, vt crucẽ ascẽdat humanitas mea, quò fõtes illos perpetuo amore scaturientes, per quinq; illos alueos manuũ, pedũ ac lateris erũpentes, sũmo excipiatis desiderio, aperto animæ ore, & vt fit, vbi limpidã inueneritis scaturiginẽ, in animæ sinus dilabentẽ, inardescaretis, donec ad ipsam scaturiginis originẽ perueniretis. Hinc vbi ego Hierosolymam, atq; adeò in crucem ascendero, latere per lanceam aperto, ad ipsum vos fontẽ gratiarum ducam, meúmque cor amorum vndequaque scaturigines emittens, vobis aperiam, vt clarum sit cuilibet, diligenter intuenti, mei in vos amoris originem, quanta in ea lateat amoris abyssus, cuius fundum nulla vis humana aut angelica possit attingere. O quantus hic in nos Christi amor!

Tam ingens Dei in nos amor, vt nos veluti decumanis fluctibus obruat. Aug. lib. 13. confess. c. 9.

24. Nonnihil, obsecro, hic sistamus, & orificium tantarum scaturiginum sedulò attendamus, & quisque sui amoris bolidem in profundissimum diuini amoris puteum dimittat, per charitatis filum, vt videat an suo tandem pondere fundum attingat. [Põdus enim meum, ait Augustin. amor meus, eò feror quocunque feror.] Laxa itaque amoris habenas, dimitte illum in os putei, vt suo descendat pondere quantum potest, vt cùm nequeat fundum attingere,

paulatim (vt fit) vi vndarum impulsus ascendat, & clamet cum Propheta, quasi denuò in amorum vn-
Ps. 68. das submergendus: [Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, & non est substantia: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.] O quanta tui amoris multitudine ex profundo maris tui cordis emanante animam circundedisti meam! ô quomodo animæ meæ pedes, voluntas, ac intellectus, quasi in limo profundi amoris tui glutine constricti hæserunt. Cùm enim anima voluntatem & intellectũ velut pedẽ in tuam infigere diuinitatem vellet, id vix attentauit, cùm in limo profundi intricaretur, neque vllam inueniens substantiam, in qua subsisteret, sed profundius in abyssum præceps ruens, vndarum ac fluctuum diuinitatis vi abrepta, sursum, deorsum, hinc, inde, velut nauis, sine gubernaculo, & fluctibus agitata, per infiniti amoris diuini altitudines ferebatur, donec adeò circumcinctam, se diuini amoris vorticibus videns, magna vocis contentione clamare cogeretur: [Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.] Non est qui eripiat me ab horum quinque fluminum, ex Christi corpore in cruce erumpentium altitudinibus. At cùm videret se nulla vi posse eripi, quin mergeretur, conuersa ad Dominum in alta crucis crepidine constitutum, exclamauit: [Ego verò orationem meam ad te Domine, eripe me de luto & de profundis aquarum.] Eripe me de tantis amorum fluctibus è tuis vulneribus in me irruentibus. Non me demergat tempestas aquæ, tot enim aquarum fontes per flagellationem è tuo corpore, quasi tot extractis ex eo epistomiis, quot verberum fissuræ relictæ, eruperunt, vt tanquam decumanis quibusdam fluctibus contemplantis animam obrui necesse sit. Hinc anima tot aquarum fluctibus, quasi iamiam mergenda subdit:

Digitized by Google

dit: [neque abſorbeat me profundum, ita enim in Chriſti vulnerum contemplatione abſorbetur, vt nequeat tantis vndequaque gratiarum fontibus obruta, è profunda amoris abyſſo emergere, atque adeò os tantarum gratiarum diuini putei occludi extimeſcat, vt potius ſuffocationem, quàm inde emerſionem ſperet: adeò enim humana mens Dei gratiarum donis ſæpè retunditur, vt aliquando fracto mortalis corporis vaſe erumpat potius, quàm corporeis conſtringatur vinculis: Quam animæ anxietatem intuens Deus, iucundiſſimum illi reſponſum dare ſolet: [Inuocaſti me & liberaui te, exaudiui te in abſcondito tempeſtatis.] O quàm fœlix illa anima quæ ita hodie in contemplatione Chriſti paſſionis immerſa, tandem emerſa cum feſtinatione, ac alacritate, Chriſtum hodie crucem aſcendentem comitatur, vt quæ oſtia in eo amor noſter aperiret, eadem intrare, ſaltem per flagrans animi deſiderium poſſit. *Pſ. 80.*

Amor noſter in Deum ſæpè neque finē habet, neque principium.

25. At quouſque noſter in eum progreditur amor? [Sanè ſæpè neque principium agnoſcit, neque finem, & ſi initium aliquando habeat, ita tamen tanquam ex igne ſcintillula emicans, minimo flatu euaneſcit, vt nullum diuini amoris vel tenue veſtigium relinquatur, ille in finem nos amat; at noſter amor initium ignorat. Et ſi tenue aliquid ſit, vix vnquam, prô dolor, vltrà progreditur, ſed maiori obrutum amoris flamma concupiſcentiæ prorſus extinguitur. Quis enim noſtrûm eſt, qui in animæ ſuæ ſinu, quaſi in foculo bonorum operum ſtrue compoſita, iugi orationis flabello admoto, igniculum incendens foueat, vt potius fomento deſtitutum, ſemotiſque orationis follibus, quibus, vt ait Propheta Dauid, in noſtro corde tanquam in proprio ſuo foculo amoris ignis compoſitus magis ac magis inardeſcit, ſuffocamus! [Concaluit (inquit) cor meũ intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.] Intra per charitatẽ *Pſ. 38.*

concaleſcere cor noſtrum prius oportet. Neque ſufficit, ſed ignis ille, qui intus in corde deliteſcit, extra tandem erumpere, & per bonorum operum continuam exercitationem debet exardeſcere. At quomodo exardeſcet, cùm nondum intus inardeſcat? emicat quidem ex ignitis Dei verbis auditis, quaſi ex affrictu ſilicis & ferri ſcintillula quædam, & exilit, ac tantùm tenuem cordis ſuperficiem lambit. At quoniam ſiccum voluntatis fomentum, deſiderium nimirum ardens non ſupponitur, leniſſimo veluti flatu euaneſcit: quam alioqui prius lenioribus confoueri fomitibus oportuit, atque leni inſufflari ſpiritu, donec ſenſim totum depaſcens fomentum inflammeſcat, ac noua, & noua bonorum operum congerie ſuperpoſita, fortiori follium flatu tandem accendatur in flammas, tunc demum cum Pſalmiſta vſurpare illud poſſemus: [Concaluit cor meum intra me,] iugi ſcilicet tuorum in me beneficiorum recordatione, [& in meditatione mea exardeſcit ignis,] continuata nimirum mentis intenſione per bonorum operum exhibitionem, ignis ille foràs erumpit in flammas.

Scintilla diuini amoris in nobis excitata ſtatim cordis gelu extinguuntur.

26 At proh dolor! contrarium nobis potius euenire ſolet: ita enim frigore & horrido gelu congelaſcimus, vt ignis ille ex ſilice ſcilicet Chriſto excitatus, ac in noſtri cordis ſinum tanquam in fomitem immiſſus, nequeat tantam eius glaciem liquefacere, vt potius carnis concupiſcentia veluti fluore cordis in ſinum iniecto, igniculus ille gratiæ, diuiníque amoris prorſus extinguatur. [Ignis à facie eius exarſit:] Ecce quomodo ſilex noſter Chriſtus ferri, id eſt, verbi Dei attactu, ſcintillas à ſe proiicit, [& carbones ſuccenſi ſunt ab eo.] Ecce quomodo fomes bene diſpoſitus, emiſſas ſuſcipiens ſcintillas inflammetur! vtinam huiuſmodi nos carbones ſimus, qui alta noſtræ vilitatis contemplatione, ac peccatorum, quibus conſcientia denigratur, enormitate attoniti, coram hoc

Pſal. 17.

ignis

ignis ardore expoſiti, noſtram turpitudinem agnoſcentes, ignis in nos prouocemus calorem! videmur quidem nonnunquam aliquas perſentiſcere huius ignis ſcintillulas, quando in mentem reuocamus quanto ſalutis noſtræ deſiderio Chriſtus Hieroſolymam aſcendit, vt pœnas peccatis noſtris debitas in ſuo corpore ſoluat; ſed neſcio qua ſtatim vel carnis concupiſcentiæ, vel auaritiæ, vel ſuperbiæ quaſi aqua extinguantur, ita vt continuò ſcintillulis extinctis vertamur in nigerrimos carbones qui anteà ſuccenſi amoris igne videbamur.

Inconſtantia amoris noſtri in Deũ perſtringitur.

27. Quanto cum dolore Paulus de Galatarum inconſtantia conqueſtus, in quorum cordibus diuini verbi prædicatione, igniculum hunc ſæpius excitauit, cuius obliti, concupiſcentiæ ſuæ ſeruientes ad vomitum redierunt: [O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati? ſic ſtulti eſtis, vt cum Spiritu cœperitis, nunc carne conſummamini!] Currebatis aliquando bene, quis vos impediuit veritati non obedire.] Incœpiſtis, inquit, aliquantulum ex mea prædicatione fructum ferre, incœpit charitatis ignis (propoſitâ vobis Chriſti alacritate ac deſiderio pro vobis moriendi) in veſtris animis ardere, nunc autem proh dolor! vos carnales factos ingemiſco. Sic ego hodie Pauli nomine, de vobis meritò conqueri poſſum, qui viſo illo Chriſti in vos amore, quo dilexit vos in finem, & vtinam in finem, vtinam amorem illum Dei finalem accipere mereamur, quo incitatus hodie veſtri cauſa Hieroſolymam aſcendit, vt vos lauaret à peccatis veſtris in ſanguine ſuo: & ſanè non aſcendiſſet, neque lauiſſet, niſi in finem dilexiſſet: qua in re infinitus eius amor in vos declaratur, quos prius dilexit, & poſteà lauit, atque adeo nos adhuc ſpurcos, & fœdos dilexit: [Cùm enim peccatores eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt]

Galat. 3.

Galat. 5.

amore eius non inardeſcimus:cur non,ſicut ille nos amore infinito dilexit, reciproco eum amore non
Rom.3. diligimus, ille quod charius habuit Deo patri noſtri gratia obtulit, cor ſuũ amoris igne incenſum in holocauſtum pro humani generis redemptione tradidit,& nos viciſſim cor noſtrum eius amore inflammatum illi offeramus, illud poſt ipſum proiiciamus, vt omni amore quo poſſumus eum nos diligere oſtendamus, dicamuſque: Trahe nos poſt te, quandoquidem exaltatus ſis pro nobis. Curramus itaque in odorem vnguentorum eius nobis hodie præeuntis Hieroſolymam, hîc per gratiam, vt in cœlo per gloriam illi in æternum inhæreamus.

2. Machab. 28. [Apparuit præcedens eques in veſte candi-
11. da armis aureis haſtam vibrans, tunc omnes ſimul benedixerunt miſericordem Dominum, & conualuerunt animis, non ſolùm homines, ſed & beſtias ferociſſimas & muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti de cœlo habentes adiutorem.] Quantum animi ac roboris Machabæis militibus præcedens angelus attulit, præceſſit illos veſte indutus candida, armis aureis, quibus militibus animos fecit, haſtam vibrans, qua aduerſarios perterruit. Quantum igitur animi ac roboris nobis adferre debet Deus nobis præiens Hieroſolymam, vbi breui ſanguinea amictus purpura, crucis oneratus pondere, ad Caluariæ montem perget, quantos,obſecro, animos tanti præeuntis ducis conſpectus nobis facere debet: illi præeunte angelo animis conualuerunt: & nos Chriſto præeunte animis non conualeſcemus? Illi ducis ſui ductu animati, non ſolùm homines, ſed ipſas etiam ferociſſimas beſtias & muros ferreos parati penetrare. Nonne etiam noſtri Ducis animoſitate excitati, ferociſſimas concupiſcentiæ beſtias, ac muros inferni ferreos, quibus hactenus quodammodò circun-

Si præeunte Angelo milites animati, quanto magis nos animari oportet præeunte nobis hodie Chriſto.

cinctì

cincti fuimus, gratiæ Dei clypeo armati penetrabimus! [Omnia in eo poſſum, qui me confortat.] *Philip.4.*
Ergo atroces concupiſcentiæ beſtias vincam: [In Deo meo tranſgrediar muros.] Ergo peccati muros, intra quos animæ pedes vinculis conſtricti fuere, Dei fultus auxilio perfringam. Singuli igitur promptis animis ſubſequamur, de cœlo habentes adiutorem. Ecce ipſe nos inuitat: ſequere, inquit, me, & licèt in hac re ſeſe offerant difficultates, ob carnalia deſideria, quæ, vt D. Petrus aſſerit, tanquam milites, ex ipſa carne veluti arce aduerſus animam iugiter pugnant: his, inquam, non obſtantibus, ſubſequamur, è cœlo enim nobis adiutoré præcedere videmus, qui ſicut ipſe nos ad ſui ſequelam inuitat: ſic etiam milites hos carnis arce diruta, ac ſolo penitus æquata, debellabit. Ecce, inquit, aſcendimus Hieroſolymam, quibus verbis nos ad ſui ſequelam prouocat, præcedit nos, quid timebimus? ad crucem noſtri cauſa properat, quid ni ergo, vt nos B. Petrus monet, eadem cogitatione armamur, vt ſicut ille crucifigendus hodie aſcendit, ſic & nos carnem noſtram crucifigamus. O quàm beata hæc ſequela! quàm fœlix anima, quæ hodie firmiter ſibi proponit carnis deſideria cruci affigere! ita enim derepentè huiuſmodi anima, deterſis peccatorum maculis, ſpecioſa in conſpectu Dei redditur, vt eam ſibi in ſociam aſſumat. Quia [qui paſſus eſt in carne deſiit à peccatis, vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne viuat temporis.] Is in carne patitur qui commoritur Chriſto, commoritur Chriſto, qui carnem ſuam cruci Chriſtum imitando ſuffigit. Ergo huiuſmodi à peccatis liber cupiditatibus valedicens, quod reliquum eſt temporis Chriſto viuit. Audi Ethnicũ illum Senecã ad ſubeũdos difficiles aç duros labores Sextij cuiuſdam libro adeo incẽſum, vt caſus omnes ad congreſſum prouocaret: [In quacunque (inquit) poſitione mẽtis ſim, cùm lego Sextiũ, *1. Petri 4.* *Seneca Epiſtol. 65.*

Digitized by Google

libet omnes casus prouocare, libet exclamare: quid cessas fortuna? congredere, paratum vides, illius animum induo, qui quærit vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat.] Nos itaque ducis nostri alacritas hodie Hierosolymam ascendentis excitet: excitet crux eius ac singulare obedientiæ exemplum, vt difficilia omnia lubenti animo eius gratiâ suscipiamus. Libet exclamare: quid cessas Domine, immitte in me labores, difficultates, certamina, & quicquid denique arduum sit iube, per tuam gratiam paratum me inuenies, & vsque ad mortem tui causa quælibet tolerare cupio, fultus tuæ gratiç clypeo, subsequar te Hierosolymam mei gratia petentem, & tecum in crucem ac in mortem ibo.

EXEMPLVM.

Epist. 8. 29. D. Dionysius Areop. in quadam epistola ad Demophilum, quanta sit Dei nostri benignitas, ac amor in peccatores demonstrat, visione quadam B. Carpo Episcopo Cretensi obiecta. Cùm enim D. Carpus, quendam Christianum ab infideli corruptum intellexisset tantâ in eum seductorem indignatione exarsit, vt exorbitanti desiderio pro vtriusque excidio Deum deprecaretur, cúmque aliquoties in hoc suo inordinato proposito persisteret, sublatis in cœlum oculis, expansum illud videt, Iesumque in regio sublimem throno infinitis angelorum legionibus circumseptum intuens, præ stupore oculos in terram deflexit, vbi apertum terræ hiatum serpentibus circumquáque repentibus suis illos spiris implicantibus, ac quasi tremebundos in abyssum præcipitare minãtibus, cernit. Quo spectaculo indignatus, cùm illos præcipitatos nó vidisset, quasi assurgens, vt suis eos manibus in lacum intruderet, oculos in altum subleuans, Iesum commiseratione motũ, è regio sũo throno descendentem vidit, donec ab ipsius hiatus faucibus porrectâ illos manu eriperet,

Bdosius in monili spirituali cap. 1.

ret,quibus Christi exẽplo permoti angeli,suppetias etiam statim tulerunt.Quo facto IESVS ad Carpum conuersus subiratis oculis ac flammantibus: Carpe, Carpe, siccine sanguinis mei pretium parui pendis? siccine labores pro peccatorum salute exantlatos sine fructu abire putas? tu potius in me verte iram tuam, coniice me in hiatum illum,si vis peccatores sic sine discrimine perdere.O Carpe scias velim,me etiamnum pati paratum pro salute hominum, si pro iis aliàs abundè à me satisfactum non esset.

IN FESTO S. ANDREÆ,

Concio prima.

THEMA:*Venite post me,& faciam vos fieri piscatores hominum.* Matt.4.

1. QVoniam insipientes huius mundi sapientes, in hac sapienti ac pulcherrima vniuersi fabrica, Deum practicè, vt Auctorem salutis & ducem,ad bene beatéque viuendum minimè cognouerunt:neque etiam theoricè, quia Deum, iuxta illud celebre Philosophorum axioma: [Ex nihilo nihil fit]ad creandum penitus impotentem finxerunt, eumque necessariò agere, & prouidentia carere existimarunt; ipse per instrumenta in speciem ineptissima,per paucos nimirum Apostolos,eosque viles, & abiectos, per ignominiam, opprobria & infamem crucis mortem, mundo sese suamque potentiam ostendit, & per eosdem veram salutem illi reuelauit. Cùm enim ipse,ab huius sæculi sapientibus, vt Deus hactenus,non intelligeretur, vilem humanitatis vestem induit, seséque hominibus, vt hominem, & passibilem, per homines ignobiles, agrestes, & idiotas,ita exhibuit, stultis sese sapientibus accommodans,

Miro artificio Deus sibi mundum cõciliare voluit.

modans, & cum eis quasi stulteſcens (tanti enim fecit humani generis ſalutem,) vt cum illis repueraſcere & balbutire videretur, non ſecus ac magiſter, ſingulari alioqui doctrina præditus, ſolet rudibus puerorum ingeniis ſubſeruire.

2. Tria ſunt maximè, quæ huius mundi ſapientes in admirationem rapiunt: ſapientia nimirum, potentia & nobilitas, quæ Chriſtus in hominum ad fidem, iuſtitiam & ſalutem, vocatione, omnino aſpernans, tria his è diametro contraria amplexus eſt, videlicet Inſipientiam, Impotentiam, & Ignobilitatem. Quid enim ſtultius humano iudicio, quàm in tam auguſto opere, totius nimirum mundi conuerſione, adiutores ſibi illiteratos adſciſcere? Sed [quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes.] Quid infirmius, quàm ad principem huius mundi indomita pectora emollienda, & Chriſti iugo ſubiicienda imbelles eligere piſcatores! Sed [infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia.] Quid ignobilius, quàm ex vulgi fæce extractos, in tot ſapientum animis debellandis, & argutis Philoſophorum aſſertionibus refellendis adhibere? Sed [ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.] Elegit ergo rudes, abiectos, pauperes, qui pro nihilo ducebantur, vt ſapientes, & potentes, qui in pretio habebantur deſtrueret, & quaſi annihilaret, quod euidentiſſimum ſummæ miſericordiæ, ac ſapientiæ, eſt argumentum.

1. *Cor.* 1.

Stulta mũdi elegit Deus vt confundat ſapientes.

Laus operis non inſtrumento ſed motori aſcribenda. Iudith. 9.

3. Cùm ſingulare aliquod opus, vili perficimus inſtrumento, non in inſtrumentum operis elegantiæ, laus præcipua; ſed in ipſum inſtrumenti motorem, referenda eſt. Hoc ipſum agnouit Iudith; egregium enim ac fortiſſimum à ſe perfectum ſtratagema, non ſibi, ſed præcipuæ cauſæ, ac motori, Deo nimirum, aſcripſit: [Erit hoc, inquit, memoriale nominis tui, cùm manus fœminæ deie-

cerit

cerit eum.] Sic Ioab in Dominum ſuum Dauidem, vrbis Rabbath breui capiendæ potius, quàm in ſe honorem, ac gloriam transferri voluit: cùm enim iamiam expugnanda eſſet: [Vocate, ait, Dauid Regem, ne nomini meo aſcribatur victoria.] Sic Petrus & Ioannes claudi curationem, non ſibi, ſed virtuti Ieſu Chriſti, attribuerunt. [Notum, inquiunt, ſit omnibus vobis quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc ille aſtat coram vobis ſanus.] Quare [vt non glorietur omnis caro] diuino factum eſt conſilio, vt viles piſcatores, hominum fierent præceptores, vt ex huiuſmodi abiectis inſtrumentis, & diuina ſimul miſericordia, ac potentia magis eluceſceret. Vnde Damianus: [Ad prædicandum, inquit, Rex gloriæ ſolus aduenerat, paulatim ſibi milites acquirebat. Non tamen eligebat, triumphalibus titulis claros, non ſtrenuos bellatores, non Philoſophos, non eloquentes, ſed retium nectores, & ex illis nauiculæ remiges, vt victoria ſoli diuinæ potentiæ, non humanis viribus aſcribatur.] Inter hos Sanctus fuit Andreas, qui in Chriſti ſchola exercitatus, & diuina inſtructus gratia, tanti operis, eximius extitit cooperator.

2. *Reg.* 12.

Act. 4.

1. *Cor.* 1.

Petrus Damia. ſer. 1. *de S. Andrea.*

Concionis partitio.

4. Tria hac concione exponenda. Primum, Andream à Chriſto vocatum, vt ſibi conformis eſſet in paſſionibus ferendis. Secundum, vt variis in locis Chriſti Euangelium vberrimo cum fructu prædicaret. Tertium, eo fine etiam vocatum vt per varia tribulationum certamina ad crucis mortem, cum iubilo tandem deueniens, æternæ gloriæ præmium conſequeretur. Sed inuocata prius Spiritus ſancti gratia, per Beatiſſimæ Virginis Mariæ deprecationem, hæc aggrediemur. Aue Maria.

Pri

PRIMVM PVNCTVM.

5. Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. [Quos, inquit beatus Paulus, prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit:] quibus verbis Apostolus omnia recensẽt media, per quæ Deus fideles omnes, ad patiendum, pro Christo, & ad quandam conformitatem illi patienti perducere conatur; & imprimis ad hunc patiendi finem, pro Christo, & ad conformitatem illi patienti Apostolos Deus vocauit; deinde per tribulationes, & varia, pro Christo, certamina, eos magis magisque iustificauit, & sanctificauit: ac denique tot laboribus & ærumnis fortiter Christi causa superatis, eosdem secum in cœlesti curia glorioſos, celebres, & magnos effecit. Inter primos verò vocauit Andream, Petri fratrem, quem per multas tribulationes, ac ærumnas iustificauit & sanctificauit; quem etiam, tot laboribus, ac ærumnis animosè perfunctum, tandem glorioſum in cœlo magnificauit. Ambulans enim IESVS iuxta mare Galilææ vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.] Ecce Petri, & Andreæ vocatio. Sic Christus omnes vocat, cuius voluntas est omnes saluos fieri. Sed alij nullo modo vocantem sequi, Christique crucem subire volunt, quorum impietatem, ac etiam infortunium deflens Apostolus, [inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est & gloria in confusione ipsorum] appellat. Alij Christum quidem sequuntur, sed à longè, & hi tandem vrgente, vel tyranno, vel vitæ commodo, Christum negant, [qui scilicet ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt:] nam si quando, vel ab ancilla, sua cupidine scilicet, prouocentur; vel timore amissionis bonorum, vel tyranni consternantur tormentis, subitò pedem retrahunt,

Rom. 8.

Ordo mediorum per quæ Deus fideles ad conformitatem patiẽdi cum Christo conatur perducere.

Philipp. 3.

Multi vocãtur, pauci vocantem sequuntur.

Luc. 8.

hunt, Christóque tergum vertunt; quibus Christus: [Qui erubuerit me coram hominibus erubescam & ego eum coram Patre meo.] Alij verò & Christum sequuntur, & adeo proximi illi fiunt, vt vsque ad crucem, & mortem eum comitentur. Horum verò Andreas primus, qui à Christo vocatus, statim relictis retibus secutus est eum. O quàm generosus gratiæ ille impetus; quo retia, id est, omnes animi moras, quibus implicabatur, reliquit: non enim tantùm retia illa, ex filis cõtexta, Andreas reliquit; sed multo magis omnia illa animi impedimenta, quibus homines, à diuina vocatione deterrentur, perfregit. Quemadmodum enim, si aquila, in altum nata deuolare, retibus obstringatur, à volatu subtrahitur; sic si diuitiis, ac animi immoderatis desideriis, veluti quibusdam retibus, homo implicetur, sese corde ac mente, ad Deum amoris alis minimè attollere poterit.

Luce 9.

Simile.

6. Tenebatur huiusmodi aliquando retibus nobilis illa aquila Andreas, sed gratiæ recisis virtute, ac duobus vtrimque intellectus, ac voluntatis alis, tandem libratus, ad Christum conuolauit, & in eius schola, veluti in cœlesti nido, gratiæ pennis paulatim instructus, generosum passionibus ferendis animum induere didicit, vt grandis illius aquilæ, Christi genuinus pullus haberetur, & esset. Quare consolidatis animæ alis, prouincias sibi designatas, Euãgelium prædicans, celeri volatu, non sine vberrimo fructu, percurrit, multósque lucis suæ radiis, doctrinæ, ac miraculorum fulgoribus, adeo illustrauit, vt lux illa magna, quæ, vt Isaias vaticinatus est Galilæis exorta, Andreæ inter primos illuxerit, suamque illi imaginem splendidis veluti radiis, collustratam impresserit, vt illa quoslibet pene in sua prædicatione reuerberatos, ad fidem perduceret. Quare Rupertus: [Sicut, ait, sol visu suo specularia non solum videt, verumetiam suam in eis imaginem format, & imago eius ex ipsis relucet: ita quodammodo verus sol vidit Andream simplicem & tenebrarum nullam partem

Quàm efficax Dei gratia que omnia vocationis impedimẽta abrumpit.

Isa. 9.

Rupertus Matth. 4. Simile.

partem habentem,& idcirco lux ab eo comprehenſa eſt,imago veræ huius lucis in eorum cordibus , per fidem formata eſt ,] qui eius doctrinæ crediderunt. Quàm meritò igitur illud Philonis de Ioſepho huic noſtro negotio applicari poteſt.[Vitam,inquit,ſuam virtutibus plenam velut tabulam bene pictam Ioſeph in medio propoſuit.] Nonne hoc multò præclariùs noſter Ioſeph Chriſtus præſtitit , qui vitam ſuam omnibus ornatam virtutibus , veluti tabulam egregiè depictam,non tantùm Andreæ, ſed diſcipulis etiam omnibus , in ſua virtutum ſchola legendam,ac diſcendam propoſuit: vnde illi præſtantiſſimarum virtutum imagines,in animas ſuas tranſtulerunt,quibus exornati, ad Euangelij gremium totum penè terrarum orbem reducentes, cæleſti velut typo eaſdem credentium animis impreſſerunt,vt ſicuti ipſi ad Chriſti ſcholam aduocati,magiſtri ſui imaginem omnibus virtutum ornamentis pulcherrimè depictam in ſuis cordibus inſcripſerunt; ſic eandem auditorum pectoribus ſua inſcriberent prædicatione. Hæc de Andreæ vocatione ad Chriſti diſcipulatum.

Vita Chriſti imaginem in ſuis pectoribus inſculptam Apoſtoli in alios ſua vita exē plo impreſſerunt.

Secvndvm Pvnctvm.

7. Quod ſecundo dictum volui loco,eſt:quo in loco,ad Chriſti Euangelium prædicandum euocatus, cum ingenti fructu illud diuulgauerit. Andreas igitur poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem , Spiritus ſancti virtute deſuper confirmatus, inter Apoſtolos prouinciarum diuiſione facta , non tantùm Scythis, Sogdianis , Sacis ac Æthiopibus Chriſti fidem prædicauit ; verùm inde in Græciam deſcendens , per Epyrum,in Achaicam deuenit, ac in vrbe eius prouinciæ clariſſima , quæ Patræ dicitur , diuini verbi tanto feruore animique pietate ſementem fecit , vt breui multos , ad Chriſti fidem traduxerit. Sed ne eius miſſio haberetur ſuſpecta,literis illũ patentibus

mirac

miraculorum virtute, diuinis veluti sigillis consignatis Deus confirmare voluit. Literæ verò huiusmodi fuere: [Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.] Sigilla verò literis appensa, miraculorum gloria. [Illi autem profecti prædicauerunt, vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.] Ecce literas, glorioſis miraculorum sigillis communitas! Profectus est igitur Andreas, ex diuino mandato Spiritu sancto plenus, Domino conatus eius vbique adiuuante,& sermones, singulari illi tradita miraculorum potestate, confirmante,sequentibus signis, vt vera esse quæ promisit, [Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur] ostenderet,vti B.Gregorius obseruauit:[Quid in his considerandum est,quid memoriæ commendandum, nisi quod præceptum obedientia, obedientiam verò signa secuta sunt?]

Marci vltimo.

Andreæ missio literis & miraculis comprobata.

Greg. hõ. 29. in Euang.

8. De throno,ait Ioannes, procedebant fulgura,& voces,& tonitrua]quasi diceret: virtute Christi, qui ad Patris sui dextram in Maiestatis throno residet, Apostoli atque adeo Andreas miracula patrabant, quæ per fulgura significantur, sicuti, per voces temperatæ admonitiones, audientium auribus suauiter insonantes: & per tonitrua terrificæ, de extremo Dei iudicio, impiorúmque pœnis comminationes, sublimes etiam de Christi diuinitate, diuinísque eius perfectionibus, ac secretioribus fidei mysteriis conciones: quæ omnia siue fulgura,siue voces,siue tonitrua, non ab Apostolorum propria virtute; sed de throno Dei processisse Ioannes affert, cuius solius est vera patrare miracula, concionatoris voci in conuertendis peccatoribus ac infidelibus efficaciam tribuere, & verborum tonitruis in scelere pertinaces consternandi vim impertiri.

Apoc. 4. Christi virtute miracula fiunt.

9. Vt ergo Andreas fulgura,id est,miracula,à se patrata,& voces,id est,admonitiones suas,& tonitrua,

Ex virtute diuina omnia

Digitized by Google

Sanctorum miracula, & admirandi effectus concionum procedunt. Ribad. in eius vita.

id est, terrificas comminationes, ac de Christi diuinitate grauissimas conciones, non ex propria sua virtute, sed de throno Dei processisse ostenderet, non nisi prius ad Dei thronum, oratione fusa, & miracula, & admonitiones & conciones aggrediebatur; quod hoc exemplo facilè docebimus. Cùm quidam adolescens Sostrates nomine, perplexus ad Apostolum accederet, qui matris suæ improbum facinus, cui nunquam consensum præbuit, Andreæ aperuit, & cuius gratia, apud Proconsulem mater ipsum detulit, quia eius caninæ libidini satisfacere negauit. Proposuit autem ne matris turpitudinem reuelaret, nihil pro se dicere, sed potius omnia subire tormenta, prius quàm, tam infamem ignominiæ notam matri inureret. S. Andreas, fusa ad Deum oratione, vt adolescentem à tanto eriperet vitæ discrimine, quod postulauit impetrauit. Nam licèt impudentis mulieris depositione commissi criminis reus iudicaretur, ac proinde ad culeum condemnaretur, & S. Andreas in carcerem etiam coniectus esset, quod adolescentis causam acriter defendendam susciperet, orationis tamen effectum potentem consecutus est. Sed vultis

Quanta Andreæ orationis efficacia.

ab ore eius euibrata fulgura coràm intueri: Ecce vbi sese orationi dedit, derepentè terra contremuit, horrendis cœlum tonitruis concussum est; densis aër coruscationibus quasi iratus apparuit; Proconsul à suo throno excussus est; vniuersus populus tanto consternatus prodigio, in terram prostratus cohorruit, & detestanda mater, quæ innocentissimi filij virginitati vim inferre voluit, coràm vniuersis fulgure absumpta est: Et adolescentis innocentia manifestata, & beati Andreæ orationis efficacitas cognita est. Sed vt diuina virtus magis ac magis per Andreæ orationem hominibus à fide alienis eluceseeret, iterum Andreæ orationem faciente tempestates illæ continuò sedatæ sunt, ac resumptis viribus omnes in terra

pro

prostrati animosè resurrexere, ac plurimi, ob tanta simul in miraculo congesta prodigia Christi fidem amplexi sunt. Quàm efficacia hæc B. Andreæ fulgura.

10. Quemadmodum fulgura, vt ait Richardus, longè claréque coruscant, iuxta illud Matthæi; sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem: sic horum prodigiorum in vno miraculo, ab Andrea factorum splendor, & fulgor latè multorum commemoratione diffusus est, plurimósque sua coruscatione, & ad fidem conuerterunt, & anteà ab Apostolo conuersos in fide confirmarunt. Et sicut fulgura è nubibus, magno impetu, ac strepitu erumpunt; ita per Sancti Andreæ orationem, ex eius ore miraculorum fulgura cum terræ cœlíque quasi conuulsione, ac boatu egressa sunt. Hinc non immeritò sancti in sacra scriptura nubes vocantur: [Mandabo nubibus meis ne pluant super eos imbrem.] Nonne huiusmodi nubes Andreas, qui efficaci oratione pluens super eos, qui in terra prostrati fuerunt, lachrymarum imbrem: diuinæ gratiæ in iis operatus est fructum? nonne nubes, ex qua tot simul fulgura, in vno miraculo, Proconsuli, ac omnibus ad fidem tum conuersis alluxerunt, verè [alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra.] Nonne nubes in speciem obscura fuit toties ab Ægea Andreas contemptus, qui postea miraculorum fulgure coruscauit.

Matt. 24. Simile.

Fulgor miraculorum Andreæ longè latéque sese sparsit.

Isa. 5.

Psal. 96.

11. Diuus Augustinus sanctos Christi Apostolos, & prædicatores nubes contemptas, ad tempus censebat: [Misit, inquit, Dominus Apostolos, prædicatores, & sanctos veluti nubes; videbantur homines & contemnebantur: quemadmodum nubes videntur, & contemnuntur antequam de eis exiliat, quod miteris: erãt illi quidem homines infirmi carnem portantes; sed erat in illis quod fulguraret, erat quod coruscaret, accedebat Petrus homo pis-

Sancti tanquam nubes contemnebãtur. August. in illum locum Psal. 96. Alluxerunt fulgura &c.

cator, orabat & ſurgebat mortuus, forma humana nubes erat, ſplendor miraculi coruſcatio erat:] (accedebat Andreas homo etiam piſcator, orabat & ſurgebant in terram proſtrati, ac exanimes, viribus integris) forma humana nubes erat, ſplendor miraculi coruſcatio erat. [Alluxerunt enim fulgura eius orbi terræ; vidit & commota eſt terra:] imo Proconſul ac vniuerſus populus commoti ſunt, fulgoribus de illa nube erumpentibus. Verè ergo nubes in ſpeciem contemptibilis fuit Andreas, antequam de eo exiliret quod infideles mirabantur: fulgura itaque ex nube hac exierunt; mira (inquam) opera; coruſcauit miraculis, & verbis pluit, quorum fulgoribus humana corda conturbabantur, & pluuiâ ita eorum corda irrigata, vt miraculorum ſplendorem ſtatim conſequeretur pœnitentia, cordis compunctio, errorum deteſtatio, cœcitatis lamentatio, & totius anteactæ vitæ in melius commutatio, vt verè de eo dici poſſit: [fulgura in pluuiam fecit.] Nam, vti Auguſtinus optimè annotauit, [voluit Deus vt poſt fulgura pluuia ſequeretur; quia fulgura ſine pluuia terrerent, & nihil vtilitatis afferrent mortalibus,] itaque voluit, vt poſt fulgurum terrorem refectio pluuiæ ſequeretur, vt tempeſtatem illam, ad terrorem, & correptionem à ſe per Andreæ preces excitatam, in pœnam tanti ſceleris ac infidelium conuerſionem, & vtilitatem conuerteret iuxta illud Tobiæ: [Poſt tempeſtatem tranquillum facit. Fulgura ergo, vt ait Hieronymus, in pluuiam facit, vt extinguat miſericordia, quod iudicium inurit.

Pſ. 134. Auguſt. in illum locum Pſ. 134. Fulgura in pluuiam, &c.

Tob. 3. Hiero. in eũ locum Tobiæ in eius cõmẽtariis ſuper 3. cap. Marci.

12. Neque hîc ſubſtitit Andreæ fulgurum, vocum, & tonitruorum virtus, ſed his veluti inſtructus armis, omnes prædictas peragrauit prouincias, infidelésque, idolis contemptis, eorumque ſubuerſis templis, ad Euangelij lumen cateruatim quotidie adducebat. Tantam enim à Deo gratiam in conuer-

Andreæ verbà ignita iacula.

tendis

tendis infidelibus accepit, vt eius verba, tanquam ignita quædam iacula ab ore euibrata, omnium penè corda charitatis vulnere sauciarent, vt non immeritò illud Prophetæ in eum quadrare dixerim: [In luce sagittarum tuarum ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ:] quo loco septuaginta, in lumine, inquiunt iacula tua ibunt, in splendore seu coruscatione fulgoris armorum tuorum: verè Andreæ iacula, in claro Euangelij lumine ibant, & splendore miraculorum, ac doctrinæ suæ omnes ferè, depositis idololatriæ erroribus, suaui Christianæ religionis iugo subiecit. Vnde tantam apud omnes pietatis ac religionis de se concitauit opinionem, vt eum omnes præter impium Ægeam venerarentur. Nam sicuti sonuit (vt ait Gregorius) per impetum iaculorum, quantum esset audiendus, sic quantum esset reuerendus, per arma miraculorum claruit.

Abacuc. 3.

Hæc ferè Greg. l. 3. Mora c. 3.

13. Sic miraculis ac doctrinæ fulgore clarus magis indies, sua prædicatione ad bellum idolis & vitiis inferendum infideles excitabat, atque ad arma contra dæmonem, eiusque administros capienda, ita tandé incendebat vt omnes penè in ipsum Ægeã impetum facere cogitarent. O fœlix Euangelij præco, non fine causa iam olim Isaias Propheticó spiritu, te præuidens dæmoni, idolis, peccatísque indicturum bellum euangelij tubam accipere, eáque signum ad bellum dare iussit. [Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; & annuncia populo meo scelera eorum & domui Iacob peccata eorum.] Iosue præcepit Dominus duas facere argenteas tubas ductiles, quas ait Origenes ductiles appellatas, quia ex diuinis literis concionatores varios sensus & argumenta ducere solent, quibus spiritale bellum peccatoribus indicitur. Addit etiam nouam illam bellandi rationem, qua Iosue ex Dei præcepto Hiericontinæ vrbis mœnia sacerdotum tubis concrepantibus funditùs euertit, Apostolorum

Miraculorũ ac doctrinæ fulgore magis ac magis clarnit.

Isa. 58.

Num. 10. Orige. homil. 7. in Iosue.

lorum prædicationem adumbrasse, ad cuius sonitum idololatria, & falsa ac superstitiosa mundi dogmata corruerunt. [Statim, inquit, vt tubarum clangor increpuit, murorũ deiectus est ambitus.] Dixeramus iam & prius quòd Hierico formam sæculi præsentis obtineat, cuius robur & munimenta sacerdotalibus tubis videmus esse destructa: Firmitas námque & munimenta, quibus mundus iste nitebatur, idolorum cultus erat, diuinationum fallacia dæmonum arte ministrata, augurum atque aruspicum, magorúmque commenta, quibus omnibus velut muris validissimis mũdus hic ambiebatur: insuper etiã diuersis philosophorum dogmatibus, & eminentissimis assertionibus ac disputationibus velut proceris quibusdam & robustis turribus firmabatur: veniens verò Dominus noster Iesus Christus, cuius ille prior filius Naue designabat aduentum, mittit Sacerdotes Apostolos suos portantes tubas ductiles: hoc est, prædicationis magnificam, cœlestémque doctrinam. Sacerdotali tubâ primus in Euangelio suo Matthæus increpuit, Marcus quoque, Lucas, & Ioannes suis singuli tubis sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus Epistolarum suarum personat tubis. Iacobus quoque & Iudas: addit nihilominus adhuc & Ioannes tubâ canere per Epistolas suas, & Apocalypsim (& licèt Andreas nihil nobis in scriptis reliquit, tubâ tamen concrepante, doctrinæ suæ nimirum eloquio non caruit, qua per totum terrarũ orbem prædicationis suæ sonum sparsit) nouissimè autem ille veniens, qui dixit: puto autem quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit; & in quatuordecim Epistolarum suarum fulminans tubis muros Hierico, & omnes idololatriæ machinas, & philosophorum dogmata vsque ad fundamenta deiecit.] O quanta huius Euangelicæ tubæ virtus, qua singuli Apostoli, prouinciarum sibi assignatarum mœnia falso idolorum cultu communita, funditus euerterunt. Hactenus de Andreæ vocatione ad Euangelij

Sicut tubis Sacerdotum corruit Hierico, sic Apostolorum prædicatione corruit idololatria.

1. Cor. 4.

prædi

prædicationem, fructúque vberrimo ab ea emanãte.

TERTIVM PVNCTVM.

Variis tribulationibus Andreas ad crucem paratur.

14. Videamus tertio iam loco, quomodo Deus per varias tribulationes, & tormenta Andream ad Crucis mortem vocauit. Vt intelligamus iam iis perfunctus, ad quantum gloriæ gradum ſit vocatus. Sabatus piſcis oua ſua, & piſciculos inde productos in dulcibus fluuiorum aquis fouendos, ac nutriẽdos, reponit, quos modò grandiores effectos inundans, hyberno tempore aqua rapit, & in mare ſecum deuoluit, ibíque indies piſces grandeſcunt: ſic dum Andreas gratia paruulus eſſet, ad Chriſtum aquæ viuæ fontem acceſſit, cuius ſuauiſſimis enutritus, ac corroboratus laticibus in tribulationũ mare deuoluitur, in quo tanta gratiæ incrementa ſumpſit, vt in Cruce Domini, omnibúſque tribulationibus gloriaretur; illud Pauli præuſurpans:] Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti,] in fide, grata memoria, meditatione, deprædicatione beneficij Crucis, per quam redẽpti, & iuſtificati ſumus, à qua gratiam piè & ſanctè viuendi, & ad beatitudinem aſpirandi accepimus; per quam breui magiſtro meo reddar; hinc in ea ſola glorior. O Andrea [poteras gloriari in ſapientia Chriſti, & verum diceres; poteras in maieſtate, poteras in poteſtate & verum diceres: Sed dicis in Cruce, vbi mundi philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum reperit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur: quo Domino? Chriſto crucifixo: vbi humilitas, ibi maieſtas: vbi infirmitas, ibi poteſtas: vbi mors, ibi vita: Si vis ad illã venire, noli iſta contemnere, noli erubeſcere: ideò in fronte tanquam in ſede pudoris ſignum crucis accepiſti.] O inauditum in tribulationum mare, ac in Crucem abeuntis iubilum! O quàm verè illud Iſaiæ in te quadrat, [Et erunt campeſtria in caulas gregũ, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo,

Simile.

Gal. 6.

Sic ferè Auguſt. ſer. 20. de verbis Apoſtoli. Quanta Crucis & Crucifixi gloria.

Iſa. 65.

Digitized by Google

qui requisierunt me] gregibus tanquam minoribus, ac debilioribus Dei animalibus, campestria pascua nimirum vberrima promittit, Apostolis nimirum, atque adeò Andreæ in Christi schola, in suæ conuersionis exordio vberrima gratiæ, ac consolationis pascua prouidit; sed, procedente tempore, cœlesti gratiæ pabulo robustior effectus, & in Christi athletarum numerum, tanquam in Dei armentum adscitus, in vallem ducitur Achor, armentis ad pabula consignatam: ad vallem, inquam, tribulationum. Ecce Andreæ, qui fuit ex armentis grandius animal, cubile crux est, vallis Achor est vallis magnæ calamitatis, in qua tamen requiem inuenit!

Aegea durii pectus nequit emolliri.

15. Cùm Ægeas Proconsul plurimos ab idolis, ad veri Dei cultum conuersos, per Andream intelligeret, Patras subitò venit, pietati ac religioni bellum indicturus, & minis simul, ac blanditiis Christi cultores, ad idolorum sacrificia compulsurus. Cuius impiæ designationi diuinâ fultus virtute occurrens Andreas, hæc dixisse fertur: [Oportebat te quidem, qui hominum iudex esse comprobaris, summum illum, & incorruptum viuorum ac mortuorum iudicem agnoscere, & agnitum colere, colendóque animum ab impio, & nefario Deorum cultu reuocare.] At tantùm abfuit, vt Apostoli diuinâ molliretur admonitione, vt potiùs Andream ac Iesum Christum penitùs despectui haberet. Cúmque Andreas Crucis mysterium extolleret, nostríque causa Christum crucis supplicium, sua sponte, subiisse ostenderet, vt hoc supplicio, ac cruciatu nos ab æterno exilio, & calamitate liberaret: Ægeas tamen impietatis obuolutus tenebris, minimè credidit: Sed miror (inquit) te tanta prudentia & virtute præditum virum istum sectari velle, quem quoquo pacto, aut sponte, aut inuitum Cruci tamen confiteris affixum. Cùm verò Andreas sibi differenti fusius de crucis mysterio aures attentas ab Ægea præbere expostularet; ego, inquit ipse, patienter te audiam, sed tu si me obtemperanter

non

non audieris ipsum Crucis mysterium in teipso excipies. Ecce quomodo Andreas, veluti è Christi armento è præcipuis vnus ad vallem Achor tribulationum pascuis saturandus ab Ægea inuitetur: sed attendite quanto animi robore ad huiusmodi acerbissima tormentorum pascua sese accingat! Intrepidè enim tyranno respondit: Ego, inquit, si Crucis patibulum expauescerem, Crucis gloriam non prædicarem. [Absit enim mihi gloriari,] in aliqua huius mundi re, quantumuis pretiosa [nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.] *Ad Gal. 6.*

16. Si ergo, ô Ægea, huius salutiferæ Crucis particeps esse vis, illiúsque perfrui beneficiis, spretis, quàm citissimè, idolis ad Dei viui cultum sine mora te transferas: vt sic, per Crucem peccati tui magnitudinem, & immensum Dei in te amorem discas, quo fiet, vt per illam, ad æternæ gloriæ præmia, tibi pateat aditus. Cúmque plura, in hanc rem Apostolus differeret, Ægeas planè stupidus in suo perseuerans errore in extremam efferatus rabiem: desine (inquit) Christum iactare, cui similia verba nihil profuerunt quò minus à Iudæis crucifigeretur, ac meis hortatibus persuasus tuæ saluti consule diis immortalibus sacrificium offerendo: cui Andreas: Ego omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, immolo quotidiè non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari: cuius carnem posteaquàm omnis populus credentium manducauerit, agnus qui sacrificatus est integer perseuerat & viuus. Quo responso Ægeas exacerbatus in carcerem iubet Apostolum compingi. Ecce in vallem Achor abducitur, in vallem mœroris ac tribulationis, amara degustaturus pabula. Quàm verò gratum huiusmodi obsequium, ac ingrata alioqui pascua fuerint, hinc apparet, quòd furentis populi animos, graui comprimeret oratione, quæ eum ab hac valle *Frustrà Aegea accimit.*

Achor, inuito tyranno, liberare omnino decreuit.

Tyranni per secutiones triumphi materiam Sanctis præbent. Gen. 33.

17. Quàm præclarum hoc Apostoli, Christi gratiâ, libenter patiendi, exemplum nobis propositum: vt scilicet discamus, vt ille probè intelligebat, ardente patiendi studio, insignem nobis triumphi materiam suggeri. Quemadmodum enim Esau fratri suo Iacob, persecutione, vberem triumphorum materiam suppeditauit: quippe qui tantâ, fratris sui iniuriam, patientiâ tulit: vt etiam ex Mesopotamia rediens, sibi occurrentem septies genu flexo adoraret: sic omnis persecutor Sanctis, quos infectatur, eo ipso, egregiam merendi ac triumphandi præbet segetem: quippe, quos non ad errorem suum, & vitia tormentis, ac iniuriis pertrahit, sed carcere potius, pædore, & afflictionibus illis, quotidiè pulcherrimam fabricat coronam. Quò ergo acrius Ægeas carceris incómodis, à suo amouere proposito, Apostolum contendit: eò firmius ac constantius, in Crucis mysteriis extollendis, sibíque meritorum acquirendis coronis perseuerauit. Quare meritò illam

Chrysost. ho. 2. de laudibus Pauli.

Chrysostomi, in Pauli constantiam, ac firmum in Christi amore perseuerandi propositum, exclamationem, hodie in stabilem Andreæ animum, vsurpare possumus. [O animum furentem insaniâ, sed quæ sobrietatem pariat! omnia quæ in cœlis, quæ in terra, quæ sub terra, quæ suprà cœlos sunt visibilia & inuisibilia, præ amore Crucis Christi transcendens, nihil æstimabat, vnum hoc metuebat ne à Christi dilectione excideret. Hoc enim illi gehenna ipsa magis horrendum erat; quemadmodum & vicissim, in illa perdurare quouis erat illi regno iucundius. Hac charitate, inquit Paulus, ornatus: hoc, inquam, Crucis amore Andreas inflammatus, tyrannos, ipsúmque adeò Ægeam, velut quosdam culices æstimabat: hoc mortem cruciatus, & mille supplicia ludum putabat esse puerorum: hoc Andreas vinctus, Iesu Christi magis, quàm diademate coronatus gloriari potuit. Etenim coarctatus carcere, cœlum

Quàm amarum Sanctis à Deo separari.

Mirus crucis amor.

habi

habitabat,hoc libentius verbera excipiebat, & vulnera, quàm alij brauia diripiunt, hoc labores non minus, quàm requiem, dolores non minus, quàm præmia,quàm triumphales pompas, & trophæa diligebat.]

Mira Apoſtolo libertas.

18. E carcere, ſequenti die,eductus, Ægeæ tribunali ſiſtitur, qui fruſtra blanditiis ad ſuum trahere conatus errorem, in rabiem verſus, niſi (inquit) dignis confeſtim irata Deorum numina ſacrificiis placaueris,ego te variis excruciatum ſuppliciis crucci affigam:cui Andreas, zelo incenſus,ac hominem in ſuo ſcelere penitus obduratum videns, audi, fili mortis,& ſtipula æternis parata incendiis : audi me ſeruum Domini, & Apoſtolum Ieſu Chriſti, hactenus cenſurâ fidei mitius tecum egi, vt rationis capax, vt veritatis defenſor effectus, idola vana contemneres, & Deum, qui in cœlis eſt,adorares. Sed quia in impudentia tua perſeuerans, me exiſtimas minas tuas formidare poſſe, age, quicquid tibi in ſuppliciis maius videtur,excogita: tanto enim Regi meo ero acceptior, quanto pro eius nomine in tormentis certauero, conſtantior! O inuictum animi robur, quod nulla tyranni crudelitate infringi valuit,verè illud Paulo videris præripuiſſe, charitatis incentiuum?[Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? certè non, quia gloriamur in tribulationibus:an anguſtia? multo minus,quia licèt foris inſtent pugnæ,intus timores, in omnibus tamen ſuperamus,propter eum, qui dilexit nos.]Anguſtias omnes deuorat,imo abſorbet latitudo charitatis Chriſti,perinde, vt balæna paruos deglutit piſciculos,& ignis maximus guttas aquæ vix ſentiens haurit, aquæ enim multæ non poterunt extinguere charitatem,nec flumina obruent illam. An fames? minimè, quia meus cibus eſt Chriſtus, quo cùm ſemper veſcar, non poſſum fame perire. An nuditas? neutiquam, quia veſtit me charitas Chriſti, & libens ſequar nudus eum, qui cùm diues eſſet, & amictus lumine,

Magnus amoris exceſſus.

Rom. 8.

Digitized by Google

lumine,ſicut veſtimento, propter me egenus,& nudus fieri dignatus eſt. An periculum? nequaquam, cùm enim miles veteranus Chriſti,qui pericula non fugio ſed ambio,qui aduerſus principatus, & poteſtates tenebrarum harum millies bella ſuſcepi, pugnaui,& vici:tot victoriis aſſuetus, hoſtes timere,in periculis trepidare non poſſum. An perſecutio?nullo modo, mihi Chriſtum adimere poterit. An gladius?minimè gentium: reſecet ille caput à corpore, vt anima ad Chriſtum, qui amor meus eſt, auolet, mihi viuere Chriſtus eſt & mori lucrum: omnibus his aliiſque ærumnis,& tormentis,excelſior eſt charitas Chriſti:animus in cœlis,in Chriſto, in æternitate defixus, ridet omnia, quæ ſub cœlo ſunt,tanquam vilia, & exilia,reges,& tyrannos non pluris facit,quàm culices;plagas,& verbera pulicum morſus æſtimat, cruces & mortes, quaſi breuem, facilem & certum ad Chriſtum & beatitudinem tranſitum,& ianuam reputat,& ambit. Quid mirum ergo ſi charitate Chriſti flagrans in tribulationibus, non tribuler,ſed exultem: in anguſtiis non coarcter, ſed conſolatione diffluam:in fame non eſuriam, non ſitiam,ſed Chriſti gratia, patientia & fortitudine ſatur ſim, & ebrius:in nuditate non frigeam, ſed caleam,& æſtuem charitate: in periculis non metuam, ſed ſecurè in Chriſti protectione obdormiam: in perſecutione hoſtes non fugiam, ſed iis cum Chriſto libero animo, ac impauido vultu, me quaſi Athleta inuictus offeram, in gladio, & morte non doleam, non peream, ſed quaſi martyr laureatus triumphem.

Hæc fere Cornelius Cor. in cap. 8. ad Rom.

19. Sed hoc animi ardore, ac patiendi pro Chriſto deſiderio,Ægeas mirum in modũ exacerbatus,extenſum iuſſit Apoſtolũ flagellis cædi,qui cùm ſeptem inuicta virtute terniones tranſiſſet, eleuatus eſt,totóq; corpore lacer Ægeæ exhibitus,qui denuò ad blanditias conuerſus: audi me,inquit,Andreà & ab effuſione ſanguinis tui conſilium reuoca. Quod

Flagellũ Apoſtolus cæditur. Lippe.in eius vita.

ſi non

si non feceris, Crucis tibi supplicium erit subeundum. Cui Andreas: Ego Crucis Christi seruus, Crucis trophæum optare potius, quàm timere debeo, proinde Ægea, cùm saluti tuæ consultum nolis, auge merita mea, coronámque variis insignitam gemmis tuis fabrica torméntis, applica, si velis, equuleos, damna, percute, incende, vniuersa denique supplicia adhibe: si exilium minaris, hoc Christi militibus est totus mundus: si mortis supplicium, euadimus mundi carcerem: si ignes, maiora his, in cupiditatibus incendia vincimus. Si Crucis me passione, velis morti tradere, Christus è Cruce me suscipiet: decerne ergo quicquid libet. Omnis enim mihi vilis est pœna, vbi pura Comes est conscientia. O quis huius viri, ne dicam Angeli generosum non obstupesceret animum! flagellatur, & in sua potius gloriatur flagellatione, quàm tristetur, quolibet sibi proposito mortis genere animatur, ac veluti iam parta, de tyranno, victoria, in suis triumphat tribulationibus, illud Paulo præripiens: [Non solum autem sed & gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit] verè non confundit, quia vt ait Bernardus, infundit certitudinem, per hanc enim ipse Spiritus testimonium perhibet Spiritui nostro, quod simus filij Dei. Quære quibus meritis? quia sperauerunt in eo ait idem. Dulcis causa, attamen efficax, & irrefragabilis. Quis sperauit in eo & confusus est!]

ad Roma. 5.

Bern. ser. 37. in Cantic. Diuina spei certitudo.

Bern. ser. 9. in Psal. Qui habitat.

20. Sed magis ac magis Apostoli libertate Ægeas offensus, Crucis tandem supplicio eum damnauit: cúmque ad mortem raperetur populus magno concursu clamare cœpit: iustus homo, & amicus Dei quid fecit, vt ducatur ad Crucem? Andreas verò populi clamores lenitate compescens, incredibili exultans gaudio, ad certaminis locum properabat, cernensque paratam sibi à longè Crucem, exclamauit: ô bona Crux, quæ decorem ex membris Domini

suscepisti,

Quanta cum lætitia Apostolus ad Crucem pergit. Aug. in Ps. 31.

suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit. O ignita verba [exultantis, vt ait Augustinus, magis ad mortis præsentiam, & ad coronam anhelântis, quàm timentis & seipsum cruciantis.] Huiusmodi fuerunt exultantium martyrum audito mortis nuncio gaudia. Beatus Cyprianus audita Valeriani Imperatoris contra se sententia: Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet, respondit, Deo gratias, qui me à vinculis, huius corporis, dignatur absoluere. Sic Paulus proposito sibi mortis certamine, Timotheum ad se in hoc cursu sequendum, cum iubilo, adhortatur: [Bonum certamen certaui, cursum consummaui:] quasi diceret, ó Timothee, ego à carceribus ad metam decurri, victor à stadio abeo, ad coronã, lætare ergo & me præeuntem affectare, tibi lampada trado: [Ita cucurrit, vt auctor est Chrysostomus, quasi volucris, imo volucri omni perniciùs, quasi igneas alas haberet, quibus mundum, mortes, insidias, ærumnas, delicias, illecebras, & omnia Euangelij impedimenta peruolaret.]

Martyrum lætitia ad mortẽ properantium.

2. ad Tim 4.

21. Neque hoc tantùm Christianis martyribus solemne est, sed Gentilibus etiam, quorum vita, externa saltem conuersatione, aliquid, in speciem, probitatis, præ se ferre videbatur: [Socrates enim, inquit Nazianzenus, ab Athenensibus ad mortem damnatus, atque in carcere agens, de corpore quasi de alio ergastulo, cum discipulis differebat, cumque fugere posset recusauit: postquam autem cicuta ei oblata est perlibenter accepit, perinde, ac si non lethale poculum acciperet, sed propinando, amicos ad potandum inuitaret.] Quare viros bonos, & Sapientes, qualis erat Socrates quasi cygnos, cum laude, & voluptate mori Cicero testatur, quia scilicet præuident & quodammodo diuinant, quid in morte boni sit. Si igitur Sapientis animus tractus in

Nazian. ad Philagrium. Probis non est timenda mors.

Cicero l. 1. de Oratore.

Seneca ad Marciam c. 23. ex Platone.

mortem

mortem prominet, hoc vult, hoc meditatur, hac semper cupidine fertur in exteriora tendens. Sapiès sanè Andreas esse comprobatur, qui Christi gratia crucis supplicio addictus, cygnæas illas voces concinebat, & veluti de tyranno, ac morte adhuc viuus triumphans, vtriusque irrideret aculeum, præclaro suæ conscientiæ testimonio subnixus: [O bona crux, &c.] Quis obsecro, sic triumphantem Apostolum Cruci adiudicatum, non obstupesceret? qui adeo ferreus, qui videns, sua sponte, & cum lætitia, Christi causa, ad Crucem abeuntem, non secum tacitè cogitaret verum esse, & Deum, & Euangelium cuius causa, Dei Athleta, suum fundere sanguinem gestiret? O quàm verè ab Hieronymo dictum: [Triumphus Dei est passio martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia. Cùm enim quis viderit tanta perseuerantia stare martyres, atque torqueri, & in suis cruciatibus gloriari: odor notitiæ Dei disseminatur in gentes, & subit tacita cogitatio, quòd nisi verum esset Euangelium, nunquam sanguine defenderetur.] Sic in Andrea Euangelij prædicationem triumphare hodie cernimus. Cruci enim biduo viuus affixus, Christi fidem prædicare non destitit, donec victa, per fidem, infidelitate, mendacio per veritatem, in Christum ac Crucem odiis, per charitatem tormentis, & persecutione per patientiam, in Cruce triumphans, diuinæ notitiæ odorem præsentibus manifestaret.

Triumphat Andreas ad Crucem festinans.

Hiero. Epist. 150. ad Hedibi. & q. 11.

Christi notitiæ odorem suis tormētis manifestauit.

22. Audite, obsecro, è Cruce pendentis verba: [Bonum certamen certaui,] contra omnes diaboli turmas dimicans, iam verò profligatis penitus hostibus, in alto Crucis vertice trophæum erexi, victor euasi, ad coronam propero, Cruci affixus Crucifixũ prædico, ad Crucem inuito cæteros Christi Athletas. Vidistis latitudinem animæ, vidistis mentis magnitudinem, vidistis triumphale erectum in Crucis vertice trophæum, audistis triumphi Pæana cani, audistis hominem Cruci affixum, ad magistri & sui imitatio

Magna Andreæ fortitudo Crucifixi affixi.

imitationem pugiles Christi inuitantem, minimè de sua sollicitum morte. Vespasianus Imperator, telte Xyphilino, lethali morbo laborans, cùm nihilominus æquè ac valens Reipublicæ negotia tractaret monitus à medicis, vt iis sepositis requiesceret, respondit Imperatorem decet stantem mori, at Andreas non tantùm stans inter flagella sed cruci etiã affixus, ac morti proximus Christi, ac Ecclesiæ negotia tractabat, suæque prædicationis, ac constantiæ odorem longè latéque spargebat. Quemadmodum enim aromata, quo magis conteruntur, eo maiorem spirant fragrantiam: ita Andreas, quo magis persecutione, flagellis ac Crucis tormento pressus, & quasi contritus fuit, eo suauiorem virtutum suarum odorem sparsit, adeo vt viginti hominum millia odoris eius suauitate allecta, idolorum fœtorem execrarentur, inter quos Stratocles Ægeæ frater, qui huic aderat spectaculo, diuinæ notitiæ odore afflatus, cum cæteris, Ægeæ tyrannidem execrarentur, Apostolum verò, de pietate in Deum, in Cruce differentem libenter audirent.

Simile.

Magna prædicationis eius in Cruce vis.

Quanta vis boni exẽpli.

23. Refert D. Basilius aucupes quosdam, consueuisse columbarum cicurum pennas, quodam inficere odore, qui columbis aliis gratissimus sit, quo pellectæ pleræque in decipulam abducuntur: ita cœlestem hunc aucupem Andream fecisse videmus, qui suarum virtutum odore, domesticos hos iam fidei alumnos, imbuit, quorum consuetudine ac suaui conuersationis fragrantia, ad Christi fidem attractos, haud dubiè plurimos alios fuisse credendum. Vbi verò tumultuantis populi Ægeas in se impetum fieri extimesceret, Apostolum de Cruce deponere festinabat: sed ille non minus Ægeæ aduentu contristatus, quàm gaudio ante ad Crucem properans affectus in Ægeam exclamans: Quid tu, inquit, ad nos Ægea venisti? si vis credere Christo, via tibi salutis aperietur. Ecce veluti ex Oceano ex Andreæ pectore sapientiæ flumina, diuini Spiritus

Simile.

zelo,

zeló, veluti validissimo in altum excitata vento exundant, quibus auditorum pectora veluti mari circumcingit, ne hostis propiùs accedens, semina in iis iacta profanaret, néve sese de Cruce deponeret: si, inquit, ad hoc venisti, vt me soluas, ego hinc viuens in corpore deponi non potero. O excelsum animi robur! quomodo vita penitus spreta, tyranni tormentis omnino contemptis, odio, ac inuidia in te, quod vnius Christi gloriam quæras postpositis, cum gaudio, ad desideratos magistri tui amplexus euolare festinas, liceat mihi illud Chrysostomi de Paulo, hodie in te vsurpare: [Magnum ac Philosophicum animum nihil earum rerum, quæ in hac vita tristes accidunt, molestare potest, non inimici accusationes, non detractiones, non pericula, non insidiæ, nequit enim, quasi in quoddam excelsum montis receptus cacumen, à quoquam eorum, quibus ab imo subiectæ telluris impetitur, prehendi. Talis erat mens Andreæ. Quouis montium cacumine sublimiorem spiritualis philosophiæ locum tenebat, eius vtique quæ vera demum philosophia est. Quæ extrinsecus accidunt, verba duntaxat sunt & puerorum ludus. Habebat tum beatus ille & Regem hostiliter sibi aduersantem, & præterea alios quoque inimicos, à quibus præcipuè, & amaris calumniis affligebatur, & quid dicit? non solùm, ait, nullo hinc dolore afficior, neque ab officio discedo, sed & gaudeo & gaudebo non ad tempus, sed semper horum gratia gaudebo, noui enim quod hoc mihi cedet ad salutem.] Quid ergo Ægea vis me tanto priuare martyrij præmio? nihil efficies, iam enim Regem meum video, iam adoro, iam conspectui eius assisto, cúmque carnifices manus ad crucem attollerent, vt eum deponerent, diuinâ virtute torpuerunt, ne diu desiderata martyrij corona Apostolus fraudaretur: Et ne fortè Deus eorum manus à torpore solueret, séque dissoluerent, voce magna clamauit: ne me permittas Domine Iesu Christe ex hac cruce

Excelsum animi robur.

Ingens eius desiderium pro Christo moriendi.

deponi niſi prius Spiritum meum ſuſceperis. Hæc cùm dixiſſet ingens repentè de cœlo adfuit ſplendor, qui eum circumſtans, aſtantium aciem ita obtundebat, vt penitus in eum oculos defigere non potuerint. Perſeuerauit autem lux illa dimidiæ quaſi horæ ſpatio, qua deinde abſcedente, Apoſtolus emiſit Spiritum, qui ſimul cum ipſo lumine, ad Dominum euocatus perrexit. O fœlix vocatio! ò fœlix conſummatio!

Peroratio ad Chriſti nos & Andreæ imitationem impellens.

24. Quid ni ergo nos propoſitum nobis conſtantiæ exemplum imitari contendemus? vt cuius fœlicitatem deſideramus, eius in vita ſequamur exemplum? quid ni ſtatim relictis omnibus ſanctimoniæ impedimentis, vocantem quotidie Chriſtum ſequeremur: præſentiſſimum vulnerato remedium, ſi continuò vulneri occurrat, & ſanguinem ſiſtat, & vulnus mundet, ne putrefiat, quamdiu ergo nos Deus vocare efficacibus dignatur inſpirationibus meminerimus ſtatim Apoſtolos relictis omnibus Chriſtum ſecutos eſſe, dicamus ergo cum Samuele vbi inaudiuerimus in cordis noſtri aure diuini eloquij ſuſurrum: [loquere Domine, quia audit ſeruus tuus] non differamus de die in diem, ſed vocantem ſequamur. Saulis armiger Regem ſuum ſemper ſecutus eſt, eiuſque exemplum imitatus. Cùm enim irruiſſet ſuper gladium ſuum Saul, irruit etiam ipſius armiger, vt quem in vita ſecutus eſt ſequeretur etiam in morte, Sic conſtat feciſſe aliquot Othonis Imperatoris milites, idem enim mortis genus cum ſuo Imperatore ſubire præclarum duxerunt (vt ſcribit Tacitus:) quidam, inquit, militum iuxta rogum Othonis interfecere ſe, non noxâ, neque ob metum, ſed æmulatione decoris, & charitate principis. Si has vires Regia habent exempla, vt in turpem ſceleratámque mortem animos pellant: quid virium par eſt, Chriſti, ac Andreæ crucifixi exempla, amoris ac charitatis plena habere, ad impellendum animos æmulatione decoris & charitate ſummi Principis Chriſti,

1. *Reg.* 2.

1. *Reg.* 31.

Tacitus l. 2. *Hiſt. p.* 398.

Digitized by Google

Chriſti,eiuſque inuictiſſimi Athletæ Andreæ,non in ſceleratam , ſed pretioſam ſanctámque necem , non propriis,ſed alienis perſecutorum illatam manibus, propter iuſtitiam!æmulabatur ſuum Principem,magiſtrúmque Apoſtolus Andreas,qui crucem iam ſibi paratam aſpiciens,in ignita illa verba erupit:O bona Crux,&c. Si pigeat ergo Chriſti exemplum ſequi,eius ſerui Andreæ ſaltem veſtigiis inſiſtamus,& ſicut ille, non modò patienter,vt ait Bernardus, ſed & libenter & ardenter ad tormenta , ſicut ad ornamenta, ad pœnas, ſicut ad delitias properabat:] ſic nos diuina adiuti gratia propoſito nobis æterno gaudio,ac fœlicitate , cum Chriſto,& Andrea crucis ſupplicium noſtro modulo , Dei gratia ſuſtineamus, vt iuſtitiæ corona ſingulos maneat: licèt enim reipſa cum Chriſto & Andrea Crucis tormenta minimè ſubeamus,ſua tamen,cuique virtuti, corona gloriæ reſpondet , eáque , pro cuiuſque meritorum diuerſitate,diuerſa ; nam vt ait Auguſtinus:[floribus eius (Eccleſiæ nimirum cœleſtis) nec roſæ,nec lilia deſunt. Certent nunc chariſſimi ſinguli ad vtroſque honores, ampliſſimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas , vel de paſſione purpureas,vel de doctrina laureas, qui enim docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti , & qui ad iuſtitiam erudiunt multos , quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates! Quid ni ergo omnes certatim ad Chriſti,ac Andreæ æternam gloriæ fœlicitatem,concurramus, ad ſummi boni poſſeſſionem non feſtinemus, in qùo omnis pulchritudinis , ſanitatis , Sapientiæ, melodiæ,honoris,diuitiarum & omnium bonorum, quæ hîc vel guſtare,vel concipere poſſumus,copiam & affluentiam , iuxta illud Auguſtini , reperiemus. [In cœlo,inquit,eſt quicquid amaris, quicquid deſideratis. Si delectet pulchritudo , fulgebunt iuſti ſicut ſol. Si velocitas , aut fortitudo , erunt ſimiles Angelis Dei. Si longa & ſalubris vita , ibi eſt ſana æternitas, & æterna ſanitas. Si ſatietas, ſatiabuntur

Bern. ſer. de tertio genere bonor.

Aug. ſer. 37. de ſanctis. Varia in cœlo pro meritorum varietate corona.

Dan. 12.

Luculenta æterna fœlicitatis deſcriptio.

Digitized by Google

Auctor l. de anima & Spiritu to.3. operum S. Aug. c.64. licèt existimẽ illius nõ esse.

cùm apparuerit gloria Domini : si ebrietas,inebriabuntur ab vbertate domus Dei. Si melodia,ibi Angeli sine fine concinunt Deo: si quælibet mundi voluptas, torrente Deitatis suæ potabit eos Dominus. Si sapientia,omnes erunt docibiles Dei. Si concordia,cibus erit illis voluntas Dei. Si potestas, introibunt in potentias Domini , & omnipotentes erunt suæ voluntatis,vti Deus suæ : nam sicut poterit Deus quod volet, per seipsum : ita poterunt illi quod volent per illum.Si honor & diuitiæ,Deus seruos suos bonos & fideles super multa constituet. Si vera securitas , certè ita certi erunt nusquam illud bonum sibi defuturum,sicut certi erunt nec se sua sponte illud amissuros,nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis inuitis ablaturum.]Quis ergo cum Andrea ad crucem non anhelaret , per quam tantam certò consequeretur fœlicitatem?

EXEMPLVM.

25. Sanctus Gregorius Turonensis refert de S. Andreæ sepulchro fluxisse die qua martyrium subiit quoddam veluti genus mannæ,vel oleum suauissimum , idque quotannis licèt non æquali profluentia. Eo verò anno, quo parum flueret, certum erat signum annonæ charitatis , ac terræ sterilitatis, ac è contrario quando magna copia fluebat,certissimum erat rerum copiæ ac frugum abundantiæ argumentum. Addit tantam ex eo odoris fragrantiam ad omnium nares efflasse solitum , vt non immeritò quandam esse confectionem ex omnibus terræ odoribus quilibet existimaret , plurimosque illo vnctos ægros sanatos, vel eo etiam hausto valetudinem recuperasse , Deumque in Achaia per Andreæ intercessionem grandia patrasse miracula,

IN

IN FESTO SANCTI NICOLAI Episcopi & Confessoris,

Concio prima.

THEMA: *Homo quidam peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vnum.* Matth. 25.

Greg. hom. 9. in Euang.

Donorum à nobis exigenda ratio.

1. RECTÈ beatus Gregorius nos monet, vt sollicitè consideremus, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, nos inde ab authore mundi grauius iudicandos. Cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo diligentiores esse nos oportet, vt iis bene vtamur, quanto nos obligatiores esse conspicimus in reddenda ratione. [Ecce, inquit Gregorius, homo qui peregrè proficiscitur seruos suos vocat, eisque ad negotium talenta partitur. Post verò multum temporis positurus cum eis rationem, reuertitur: bene operantes pro apportato lucro remunerat, seruum verò à bono opere torpentem damnat.] Non magis igitur timendum nobis diuinis carere beneficiis, quàm habitis malè vti. Quid enim prodest diuinis abundare donis, si illis in animæ tuæ profectum, & in Dei gloriam non vtaris: imo multum tibi obsunt, cùm ad fœnus illa à Deo acceperis, si inde nihil illi lucri attuleris. Si enim, (vt ait beatus Petrus) ipsa veritatis cognitio, non solùm non prosit nobis, imo & in perniciem cedat ei, qui ea vti nescit, quanto magis, si ineffabilia diuinæ gratiæ acceperis beneficia, quibus illam veritatis cognitionem mirum in modum perficere, ac in tuo pectore insculpere posses, iis tamen

ad eum nō vtaris finem, ad quem in te ſunt collata. [Melius erat illis, ait Petrus, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti:] ſic multo ſatius Dei beneficia non accepiſſe, licèt ſua natura augeant nobis veritatis cognitionem, ſi iis acceptis abutamur.

2. Quid profuit illi Epiſcopo Eccleſiæ Sardis à Deo accepiſſe gratiæ talentum, cùm illud ad fœnus non dederit, neque eo vſus ſit ad ſalutem gregis ſibi commiſſi? [Scio, inquit Deus, opera tua, quia nomen habes, quòd viuas & mortuus es.] Hæccine mihi reddis ex talento tibi commiſſo, vt ſatis tibi ſit, ſi bonus, ac iuſtus, & tanquam ſeruus vtilis coram hominibus appareas; cùm tamen coram me, qui corda & renes ſcrutor, probitatis tantùm ſpeciem præ te feras, veræ ſanctitatis omnino expers. [Nomen ergo habes quòd viuas, & mortuus es.] Satíſne tibi ementitæ pietatis larua, populo, tuæ curæ commiſſo, imponere; cùm palam mihi ſit tuæ mentis hypocriſis. [Nomen ergo habes quòd viuas & mortuus es.] Satíſne tibi ab imperita multitudine applaudi, ſi interim ex ſocordia & oſcitantia in tuo Epiſcopatu hæreſim, vitiáque alia ſerpere permittas? [Nomen ergo habes, quòd viuas, & mortuus es.] Tu igitur, qui coràm hominibus per hypocriſim bonum facis (vt ait Richardus) ſed in occulto malus exiſtis, dum me audis ſeptem ſpiritus habere, animaduerte me per ſapientiam, non ſolùm manifeſta, ſed etiam occulta opera, imo & intimas cogitationes intueri. Dum etiam audis me habere ſeptem ſtellas: intellige me ad te, & tui ſimiles puniendos maximè potentem eſſe, vtpote ipſum ſtellarum conditorem.] Et hæc interioris animi tui mala ſcientiæ ac ſapientiæ meæ minimè manifeſta eſſe reris? [Nomen ergo habes quòd viuas & mortuus es,] qui ſic meis abuteris donis.

Apoc. 3. Nomen habet hypocrita quòd viuat, ſed mortuus eſt.

Rich. de ſancto Victore in hunc locum.

Eſto

Esto igitur in posterum vigilans, qui hactenus in moribus Ecclesiæ corrigendis negligens fuisti, & confirma cætera, quæ alioqui socordia ac negligentia tua, breui moritura erant, sicut decet Episcopum, qui sui gregis forma esse debet.

3. Si ex malo naturalium rerum vsu, sæpius homo, in animæ suæ perniciem labitur; quanto magis, si cœlestibus abutatur beneficiis. Capilli Absalonis pulcherrimi erant, quia tamen iis non est bene vsus, temporaneæ mortis ac fortassis etiam æternæ causa extiterunt. Nonne pulchritudo Bersabeæ sibi & Dauidi fuit ruinæ causa? Sic nobilitas ac splendor primo Angelo attulit perniciem: sic diuitiæ ac potestas ad tantum animi fastum Regem Nabuchodonozor redegerunt; vt supra se Deum esse negaret. Sic imperium Sauli datum effecit, vt Deo inobediens, reiiceretur, & tamen hæc dona illis sunt concessa, vt magis ac magis ad Dei agnitionem venientes, omnium largitorem Deum agnoscerent, quibus abusi alij sibi Dei iram conflarunt, alij sibi æternam pepererunt calamitatem.

2. *Reg.* 18. *Dei beneficiis qui malè vtitur, siue natura siue supra naturã sint, perniciẽ sibi adsciscit.*

4. Coniiciamus obsecro iam mentis oculos in B. Nicolaum, in quem Deus plena manu sua contulit dona. adeo enim illum ab infantia virtutum splendoribus pedetentim exornauit, vt veri Episcopi in eius vita veluti in tabella omnibus proposita superuenientibus sæculis, expressam tandem ostenderet imaginem. Licèt enim ab exiguis, in speciem, eius opera exordium sumpserint, à nutricis nimirum lactis, certis diebus, abstinentia; ita tamen paulatim, ad tantam perfectionem attigerunt; vt parua illa initia, haud dubiè, summæ futuræ sanctitatis argumenta fuerint. Solet enim Deus, in pingendis virtutum coloribus pictorum imitari morem. [Qui in tabulis, inquit

Deus paulatim hominis animam tãquam imaginem virtutibus depingit.

Digitized by Google

Cyrillus, & picturis artificium suum ostentant, non statim, quando pingere incipiunt, absolutam, & ex omni parte perfectam speciem pingendo exprimunt, sed ad vmbram prius, & coloribus obscurioribus effigiant, deinde verò congruis coloribus illustrant:] & addit: [Fabri ærarij statuam effecturi, primùm obscuram speciem in cera faciunt; deinde illi igni liquefactum æs infundunt, & ita opus suum producunt, vt nouam speciem & pulchritudinem habeat, adiectis ad vmbram coloribus variis, & apparet quidem, dum æs ceram liquefacit, abolere prima lineamenta: res autem ipsa non sic habet: verè enim dicere possunt, & faber ærarius & pictor, non destruimus vmbras, nec omnino inutiles figuras fecimus, sed potius impleuimus, nam quod in vmbris & figuris tantùm obscurè deformitérque videbatur, id ad meliorem, pulchriorémque formam productum fuit:] sic Deus in depingenda, pulcherrimis virtutum ac gratiæ coloribus, Nicolai animam, illam futuræ sanctimoniæ in vitæ exordio, veluti ieiunij vmbram, ad solidam ieiunij formam, ætate crescente, reduxit.

Simile.

Concionis diuisio.

5. Vt itaque talentorum Nicolao à Deo traditorum, ex ordine seriem tractemus, quinque ab infantia vsque ad Sacerdotij ætatem, illi collata hac concione clarè ostendam. Primum talentum erit, generis claritas. Secundum, ieiunandi studium. Tertium, inuiolata castitas. Quartum, singularis pietas. Quintum, humanæ laudis contemptus, quibus locupletatus ad Sacerdotij dignitatem meritò euectus est. Quare vt hæc quinque ex animi sententia declarem, imploranda nobis omnibus Spiritus sancti gratia, accedente Beatissimæ Virginis subsidio, quæ quod nobis desit, ipsa suis nobis meritis impetrabit. Aue Maria.

Pri-

Digitized by Google

PRIMVM PVNCTVM.

Primũ Talentum Nicolao collatum generis Claritas.

6. Primum itaque talentum in Nicolaum veluti à natura ipsa collatum, est generis Claritas, quippe qui Pataræ in Lycia illustri imprimis loco natus est. Mater verò eius claro genere matrona, grauitate morum, ac vitæ sanctimonia, omnibus conspicua fuit. Patri autem non tam vitæ splendor, quàm integritas; non tam populi, quàm Dei cultus; non tam diuitiæ, quàm eleemosyna in pretio fuerunt; è quibus veluti hæreditario iure triplex nobilitatis gènus Nicolaus hausit. Triplex enim nobilitatis genus Gregorius Nazianzenus esse docet: [Triplex, inquit, genus est; vnum quod supernè originem traxit: quod quidem si consideremus, omnes peræquè nobiles sumus: quippe ad imaginem Dei creati. Alterum quod à sanguine proficiscitur; cuius ratione haud quidem scio, an quisquam nobilis dici possit, cùm corruptione constet. Tertium à virtute aut vitio agnoscitur, cuius vel vberius, vel exilius participes efficimur, prout, opinor, diuinam imaginem vel integram seruauerimus, vel corruperimus. Atque hanc demum nobilitatem amplectetur quisquis verè sapiens ac philosophus fuerit.] Nicolaus verò hæc tria nobilitatis genera à parentibus veluti hausta mirum in modum auxit. Et in primis quod supernè originem traxerit clarum est, cùm in se semper inuiolatam seruauerit Trinitatis imaginem sibi impressam parentum interueniente cooperatione, quæ consistit in tribus animæ potentiis ordinatè in suis officiis perseuerantibus. Quod verò nobilitatem illam, quæ à sanguine proficiscitur à parentibus hauserit, iam dixi. Superest autem vt illam, quæ in virtute posita est vera ac solida, eximiè in eo colluxisse demonstrem.

Greg. Naz. orat. 28. Triplex à parentibus nobilitatis genus hausit.

Digitized by Google

7., Perfectio igitur, & ſanctitas, quæ ſanctæ Eccleſiæ nobilitas meritò dicitur, in eius nobilioribus membris, quæ gratia ac virtute exornantur, ſemper inuenitur. Non erit ergo creditu difficile, quod Nicolai anima, Eccleſiæ vnum, è præcipuis, membrum, perfectè ſit nobilis, quam non tantùm generis ſplendor clarificat, ſed multo excellentius lux virtutis exornat. [Neque enim noſtrum eſt (vt Nazianzenus ait) ac ne Philoſophi quidem, eam generis claritatem admirari, quæ à fabulis & ſepulchris, ſupercilióque iampridem corrupto, ac putrefacto manat : nec eam quæ in ſanguine & diplomatibus comparatur, quippe quam noctes afferant, ac Regum in nobilium quoque fortaſſe manus nobilitatem velut quiddam aliud impetrantium, atque decernentium, ſed eam demum nobilitatem intelligo, quam pietas, vitæque ſanctimonia, aſcenſúſque ad primarium illud bonum, ex quo originem traximus, inſculpſit.] Hac verò ſolida, ac veriſſima nobilitatis gloria Nicolai animam perfectiſſimè clarere dubium non eſt, quippe quæ à Deo ipſo, non ſolùm ſubſtantiæ, ſicuti cæteræ hominum animæ, ſed & virtutis & extraordinariæ gratiæ originem trahat, & Reges cœli nimirum Sanctos in cœlo regnantes, & principes Eccleſiæ, ſcilicet iuſtos & Dei amicos patres & fratres habeat, & vt nobilis, ac generoſa magna cogitet, magna concupiſcat, & abiecta mundi contemnat. Quis ergo dubitet Nicolai animam, quæ his exornatur encomiis, perfectam admodum eſſe, quæ alias animas iuſtas, ſed imperfectas, ſicut luna minimas ſtellas, puritate cogitationum, ſanctitate deſideriorum, & feruore bonarum actionum, in ipſo vitæ ſuæ exordio excellit.

Nicolai anima luce virtutis clara.

Greg. Naz. ora. in laude Heronis Martyris.

Alij

Digitized by Google

8. Alij sese iactent, de parentum nobilitate. Sed quis Abraham, Isaac & Iacob glorioſior; at tantorum Patriarcharum filios, quia à maiorum morum nobilitate degenerarunt, Deus, pro filiis Æthiopum sese habere asserit; & quidem meritò. Vt enim, ait Ambrosius, [Probati viri genus virtutis prosapia est: quia sicuti hominum genus homines: ita animarum genus virtutes sunt.] Celebremus parentum nostrorum laudes, sed vt ad imitandum prouocemur, hoc enim boni habet nobilitas, quòd imitanda posteris maiorum gesta præclara proponat, vt ab iis à quibus ducunt genus, ducant etiam exemplum, alioqui verendum, ne Sanctorum filij supremo iudici filij Æthiopum simus. Meminerimus etiam Ethnicos ipsos eos detestari, qui à maiorum virtutibus deficiunt. Quare huiusmodi (vt Valerius Maximus scripsit) teterrimis ignauiæ ac nequitiæ sordibus imbuta nobilia portenta dici possunt, adeò, vt exclamare cum eo in illa hodie liceat, Deus bone, quas tenebras, ex quo fulmine nasci passus es. Inuehitur autem in Affricani filium Scipionem, hominem ignauiâ infamem, qui ex fulmine illo patre suo Affricano, tanquam tenebræ exortus est, quare propinqui è manu eius annulum, in quo caput Affricani insculptum erat, detraxerunt, quasi tam nobili tessera manus illius esset indigna. Sic verendum ne nobis accidat, qui pro patrono B. Nicolaum habere dicimur, verendum, inquam, ne nobis gratiæ tesseram, quam Beatissimi Pontificis meritis impetrauimus, nostra mala conuersatione, animæ manui detrahi patiamur.

Nihil turpius quàm à maiorum virtute degenerare.

Ambr. lib. de Noe & Arca.

9. Si igitur veræ nobilitatis gloriam assequi velimus; licèt infimo loco nati, clari virtute simus; virtus enim, & gratia sunt sapor, quo humilis generis macula diluitur, in quibus vera nobilitas consistit: Vidit hoc, sed eminus & per vmbram Diogenes philosophus, qui interrogatus, quinam essent hominum nobilissimi? respondit, contemptores opum, glo-

Val. Max. l. 4. c. 5.

Virtus & gratia infimo loco natos nobilitat.

Laertius & alij in eius vita.

riæ, voluptatis & vitæ:contrariis autem, puta paupertate,obſcuritate,fame, labore ac morte,ſuperiores. Vidit hoc Diogenes , ſed præſtare non potuit, fuit enim & ipſe vanitatis & gloriæ mancipium. Nónne magna virtus, opes, gloriam, voluptates & vitam ipſam Dei cauſa contemnere ? nónne magna gratia paupertate,obſcuritate,fame,labore eiuſdem cauſa,delectari?Huiuſmodi ergó virtus,& gratia ſapor ſunt,quò vera nobilitas delibuta, omni humilis generis macula caret.Huiuſmodi fuit etiam Nicolai nobilitas,qui Dei gratia opes contempſit , gloriam ſúſque déque tulit,voluptati valedixit,& vitam duxit pro Chriſto mori : quæ nobilitas è generis eius nobilitate,veluti emergens,mirum in modum coruſcauit. Quemadmodum enim literarum ſcientia,in generis nobilitate conſpicuo,ita clareſcit, vt par, in duobus aliis, altero nobili, altero infimæ ſortis, ſapientia magis in illo , quàm in his ſplendeſcat : ſic etiam virtus,in nobili,genere claro, magis quàm in ignobilis generis homine illuceſcit. Quare non ſolùm Dominus ſanctiſſimam matrem ſuam plurimis virtutum ſplendoribus voluit exornare, ſed illud etiam in ea extollere illi placuit, ex quo virtutes illæ rutilantius coruſcarent:placuit, inquam, illi eius genealogiam retexi , vt vniuerſo mundo innoteſceret,quanta regij ſanguinis nobilitate decoraretur.

Simile.

Nobilitas & virtus in vno mirificè clareſcunt.

Parui nobilitas faciẽda quæ virtute caret.

10. Placuit & hunc noſtrum Antiſtitem , vtróque nobilitatis genere , & ſanguinis ſplendore , & virtutum claritate illuſtrare. Licèt prius,ſi poſteriore deſtituatur , non nobilitas, ſed tenuis nobilitatis vmbra,cenſenda eſt. Cur enim,obſecro, in ſua Chriſtus Genealogia plurimos intexi Reges voluit , qui ſicuti vitam, ab omni virtute alienam traduxerunt, ſic hodie ærumnoſam vitam ſine fine agunt , niſi vt oſtenderet,quàm nihili ducendus ſit,nobiliſſimi ſanguinis Genealogiæ ſplendor,cùm illos inſeri permiſerit,ſi virtutum ornamentis illius ſeries careat , neque gloriandum in Patribus,ſi eorum virtutibus deſcenden

scendentium mores minimè respondeant,neque maioribus in suorum nepotum virtutum claritudine gloriandum, si iisdem virtutum emblematibus ipsi minimè conspicui sint. Ecce Ioram licèt ob suam crudelitatem indignissimus in Christi Genealogiæ serie positus, quippe qui vnus ex nostri Saluatoris atauis fuit, tamen hodie inglorius suæ tyrannidis pœnas luit. Ecce præterea Achaz Rex ac Regis filius,& vnus è Christi maioribus in eiusdem Genealogiæ ordine collocatur, & tamen hodie ob sua demerita eâ Genealogiæ serie indignus iudicatur. Ecce insuper Amon Rex ac Sanctissimi Regis Iosiæ pater,& è Saluatoris nostri atauis vnus eius Genealogiæ ordini ascriptus, & tamen hodie ab electorũ numero excluſus,inter infimos inferni incolas omni nobilitatis, vel tenui specie indignum se reputat. Quis igitur audebit sese efferre,ob maiorum,aut nepotum virtutes, si ipse virtute caret? Parum ergo prodest tibi, si veluti salebrosus riuulus, ex perspicuo nobilitatis fonte,manaueris aliquando:cùm iam vitiorum fæcibus contractis, & morum sordibus collectis, à limpido illo originis tuæ fonte, plurimum degeneraueris. Parui ergo ducenda maiorum nobilitas,quam mores sordidi (vt ait auctor imperfecti)coinquinãt. Quid,inquit,prodest ei,quem sordidant mores,generatio clara?aut quid nocet illi generatio vilis,quem mores adornant? ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in Patribus.Quid profuit Cham, quòd filius fuit Noë, aut quid nocuit Abrahæ,quòd patrem habuit Thare luteorum Deorum cultorem? Aurum de terra nascitur,sed non est terra.Et stannum de argento egreditur,sed non est argentum. Melius est de contemptibili genere clarum fieri,quàm de claro genere contemptibilem nasci:] At si virtutum ornamenta generis splendori accesserint, mirum quantis ille coruscationibus,vti videre est in S. Nicolao,cæteris emineat.Hæc de primo nobilitatis talento. 4.*Reg.*8. 4.*Reg.*12. 4.*Reg.*21.

11. Secun

SECVNDVM PVNCTVM.

Secundũ Talentum, ieiunandi ſtudium.

11. Secundum Nicolai talentum, & quaſi ipſi congenitum eſt ſingulare ieiunandi ſtudium. In ipſo enim natiuitatis ſuæ exordio, diuino afflatus numine, maximæ ſanctitatis argumentum præbuit; vtpote, qui non prius viuere, quàm Deum venerari: non prius comedere, quàm ieiunare cœperit. Comperũ enim habemus illũ, cùm reliquos dies, noctéſq; omnes crebrò nutricis ſugeret vbera, quarta tamẽ, ſextáq; feria, nullis blanditiis, nullo nutricis lenocinio, nullâ naturæ neceſſitate induci potuiſſe, vt ante veſperã lac guſtaret, immotóq; ordine, hoc ipsũ ſeruauit per totius vitæ decurſũ: prorſus vt non fortuitò, aut aliqua ſtomachi intemperie factũ fuiſſe conſtet. Non enim ignorauit infans diuino impulſus inſtinctu, inexpugnabilem armaturam eſſe contra dæmonis inſultus, ieiunium, atque hac de cauſa, Chriſtum ipſum huiuſmodi inſtructum armatura, in arenam cum diabolo deſcendiſſe, ac de hoſte victoriam retuliſſe, vt ſuo nos doceret exemplo, quibus illè armis vinci poſſet. Quare magnus Baſilius: [Chriſtus (inquit) non prius in carne diaboli inſultus excepit, quàm eam ieiunio communiſſet. Simul & nos erudiens, vt noſmet, aduerſus tentatoris conflictus exẽplo Palæſtritarum, vngamus & exerceamus.] Quare Nicolaus ſtatim diuino inſtinctu, acerrima ſibi prælia, cum humani generis hoſte ineunda diſcens: hoc ſingulari armaturæ genere, ab ipſa infantia inſtructus eſſe voluit. [Ieiunia (inquit Beatus Nilus) ſint arma tua, preces, propugnacula, lachrymæ, balneũ.]

Lippe. in eius vita.

Basil. hom. 1. de ieiunio.

Nilus in oratione prima aduerſus vitia.

12. Sed quoniam parum prodeſt corporis ieiunium, niſi cum vero mentis ieiunio coniungatur: vtrũque mirificè exercuit Nicolaus. [Digna ſiquidem (vt ait B. Leo) ab infidelibus reprehenſione carpemur, & noſtro vitio linguæ impiæ in iniuriam ſe religionis armabunt, ſi ieiunantium mores à puritate perfectæ continentiæ diſcreparent. Non enim in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma ieiunij: aut

Niſi mentis ieiunium corporis iungatur inutile.

Leo ſerm. 4. de Quadrageſima.

fructuo

Digitized by Google

fructuosè corporis esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur.] Si itaque velimus bene à cibis ieiunare antè omnia ieiunemus à vitiis. Hoc nos docuit Nicolaus, qui à pueritia adeò se ab omni peccati fœditate seruauit: vt primæuum illum in vitæ exordio animæ candorem à Deo acceptum, grādiori nunquam scelere contaminaret, sed sicuti à cibis, sic ab illis penitus abstineret. Sic ergo castigabat membra ieiuniis, vt animam virtutibus saginaret. Cur ergo nos proposito eius ieiunij exemplo, non simul sicut abstinemus ab epulis, ieiunet in nobis omnis iniquitas: non enim satis est ori subtrahere cibum, si cætera membra effræni licentia sese peccatis congerendis instrumenta exhibeant. Quare rectè Bernardus: [Si gula sola peccauit, sola quoque ieiunet & sufficit.] Si verò peccauerunt cætera membra, cur non ieiunent & ipsa? ieiunet oculus à curiosis aspectibus, & omni petulantia, ieiunet auris à fabulis & rumoribus: ieiunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis, ac scurrilibus verbis: ieiunet manus ab otiosis signis, & ab operibus omnibus, quæ non sunt imperata, sed multò magis anima ipsa ieiunet à vitiis, & propria voluntate sua.] Hoc ieiunium nos docuit Nicolaus, qui non tantùm ab epulis ora cohibuit, sed omnia etiam membra, ab omnibus peccati inquinamentis, vt quò magis ætate cresceret, eò etiam diligentiùs omnibus corporis membris inuigilaret, ne à rationis regula, cui subiecta erant, vel minimum deflecterent. Quare si velimus perfectam illius ieiunij formam nobis imitandam proponere, fiet, vt non solùm nobis, vt ait Cassianus, ieiunium visibilium ciborum, ad perfectionem cordis, & corporis puritatem sufficere posse credamus: nisi fuerit huic animæ quoque ieiunium copulatum. Habet námque illa suos noxios cibos, quibus impinguata etiam sine escarum abundantia, ad luxuriæ prærupta deuoluitur. Detractio cibus eius est, & quidem persuauis. Ira etiam cibus

Ber. ser. 3. de quadrag.

Cassianus li. 5. c. 21.

eius

eius est, licèt minimè leuis, ad horam tamen infœlici eam esu pascens, ac pariter lethali sapore prosternens. Inuidia cibus est mentis, virulentis eam succis corrumpens. Vana gloria cibus eius est. Omnis concupiscentia, & peruagatio cordis instabilis pastus quidam est animæ noxiis escis eam nutriens: Ab his sacratissimo ieiunio continentes, vtilem habemus obseruantiam ieiunij corporalis. Oportet exteriore homine ieiunante, interiorem quoque à cibis noxiis temperare.] Sicut ergo Nicolaus in vtroque corporali, ac spiritali excelluit: demus operam vt aliquousque imitatione eum consequamur.

13. Sicut ergo noxios habet cibos anima, sic illis per ieiunium expulsis cœlestis penitus efficitur. [Quid enim est, ait Ambrosius, ieiunium nisi subtilitia & imago cœlestis? ieiunium refectio animæ, cibus mentis est, ieiunium vita est Angelorum; ieiunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis, hoc ad Deum citius gradu peruenitur.] Quare hac compendiariâ vsus viâ Nicolaus breui ad summum perfectionis culmen ita pertigit, vt veluti quodam cœlesti vehiculo virtutum bigis rapto, in cœlum eueheretur: [Ieiunium enim (vt ait Beatus Ephraim) est vehiculum ad cœlum.] Sicut luxuria variis ciborum ferculis enutrita currus est, qui nos ad tartari præcipitium trahet, qui Dei famulos à se fugientes insequitur, vt eos celeri cursu ad inferni tormenta rapiat, quem graphicè Bernardus describit: quatuor, inquit, vitiis tanquam rotis voluitur, ventris nimirum ingluuie, vestium mollitiâ, otij somnique abundantiâ, ac denique ardore fœdæ libidinis. Quisquis ergo luxuriæ currum fugere volet, fugiat cum Nicolao ad cœleste ieiunij vehiculum: [Ieiunium enim (vt ait Augustinus) carnem spiritui subiicit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit.] Hæc de secundo ieiunij talento, quod Nicolaus cum fœnore

Amb. l. de Helia & ieiunio cap. 3. ex Basilio.

Ephraim de ieiunio c. 9.

Bern.

Domino

Digitized by Goo

Domino suo eius exigenti rationem restituit.

Tertium Punctum.

14. Tertium Nicolao contributum talentum est, Corporis & animæ castitas. Postquàm enim è pueritia excessisset castissimos mores & disciplinam ab optimis acceptam parentibus redigens, aliis etiam sanctioris vitæ exemplum & norma esse incepit, æqualium sodalitates, quæ in lubricitatis viam adolescentum animos inducere solent, conuiuia, consuetudines omninò vitabat: mulierum verò colloquia & conspectum tanquam pestilentissimam iuuenilis animi labem fugiens totum sese honestati pudicitiæque addicebat. Libidinum & carnis incendia quotidianis laboribus, ieiuniis, vigiliis extinguebat. Enitebat iam tunc in adolescente senilis quædam modestia & grauitas, qua fluctuantis ætatis inconstantiam præclarè firmabat. Quàm perfectè præclarum hoc castitatis talentum à Deo obtinuit? quis alioqui humano eam posset ingenio, vt ait Ambrosius, comprehendere; quam nec natura suis incluſit legibus? aut quis naturali voce complecti, quòd suprà vsum naturæ sit? è cœlo accersiuit, quòd imitaretur in terris. Nec immeritò viuendi sibi vsum quæsiuit è cœlo, quæ sponsum sibi inuenit in cœlo. Hæc nubes, aëra, Angelos, sideráque transgrediens verbum Dei in ipso sinu Patris inuenit, & toto hausit pectore. Nam quis tantum, cùm inuenerit, relinquat boni.] Nicolaus itaque ieiunij legatione vsus, hanc animi ac corporis castitatem è cœlo sibi accersiuit. [Solent enim (vt ait Ambrosius) homines quotiescunque necessitatem aliquam arduam patiuntur, ad proximas gentes auxilij causa destinare legatos.] Nicolaus legationem ad Deum in ipso tentationum aditu, hoc est, in ipso vitæ suæ exordio per ieiunia destinauit, ab ipso, diuino impulsus numine, auxilia implorauit & obtinuit ieiuniis. [Au-

Tertium talentum, Corporis & animæ castitas. Lipp. in eius vita.

Ambr. l. 2. de Virgin.

Ambr. de Ninivit.

Digitized by Google

Amb. de Niniuitis loquēs in Ioannem.

xilium(inquit Ambrosius) Niniuitæ non aliunde rogando petiuerunt, sed de suis ieiunando viscеribus exegerunt.] Sic Nicolaus auxilium non aliunde rogando petiit: sed de suis ieiunando viscеribus exegit: & sic cupiditatis incendia, vt loquitur Chrysostomus, extinguens, ac animam suam humilians, facilè Deum in suum auxilium traxit.

Chrysost. ho. 58. in Matth.

15. Nam imprimis æqualium sodalitates euitauit, quorum impuros mores facilè teneri imbibunt animi:[Procliuis enim est, vt ait Hieronymus, malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas citò imitaris vitia.] Rarum vt inter improbos sit probus. Citò enim, vt ait Cyprianus, in hoc assuescimus, quod audimus, scelere. Nam cùm mens hominis ad vitia ipsa ducitur, quid faciet si habuerit exépla naturæ corporis lubricæ? quæ spontè corruit, quid faciet si fuerit impulsa?] Hinc pueri Samotacenses tãtùm abfuit, vt hæreticorum consuetudinem ambirent, vt pilam, quæ inter ludendum hæretici cuiusdam attigerat mulam, priùs expiauerint, quàm ea rursus vterentur. Sic Ioannes Apostolus noluit lauari, vbi lauerat Cerinthus: Paphnutius Maximũ Episcopum inter hæreticos quadam occasione confidentem manu trahens: haud patior, inquit, venerabilem Episcopum in cathedra pestilentiæ sedere, & cum impuro hoc grege, verbo communicare. Elisæus Ioram Regem Israël, nec attendere quidem, aut ei respondere volebat. Multò magis à lubrica adolescentum consuetudine, Nicolai exemplo, fugere nos oportet. Nam quemadmodum ignis ignem, & omne simile sibi simile gignit: sic in moribus euenit, & maximè in hoc corruptelæ vitio. Hoc enim non modò nescientibus, & non aduertentibus, sed sæpè etiam inuitis sese ingerens, Angelum in diabolum derepentè transformat. Hinc Augustinus, adolescentiam suam in plateis illis Babyloniç actam, vt ipse ait, deflebat pestiferis coætaneorum suorum exemplis seductam. Nam cùm coætaneos suos sua iactantes flagitia

Hier. ep. 7.

Cypr. de spectaculis.

Malum sodalitium euitandum.

Historia tripartita c. 14.

Sozome. l. 2. ca. 24.

4. Reg 3.

Aug. 2. conf. c. 3.

flagitia audiret, & tantò magis gloriantes, quantò magis turpes essent, ipse etiam stimulabatur non modò ad eadem facienda, sed etiam ad fingenda, quæ non fecerat, ne videretur abiectior, quò erat innocentior, & ne vilior haberetur quò erat castior. Nimis enim contagiosam rem esse malos sodales, cùm dicitur: eamus, faciamus; & pudet non esse impudentem. Meritò igitur suo nos docet exemplo Nicolaus peruersas æqualium sodalitates, conuiuia ac consuetudines vitare. *Aug. c. 9.*

16. Deinde mulierum colloquia, & conspectum veluti pestilentissimam iuuenilis animi labem fugiebat. Non enim ignorauit quàm ardentia tela in intuentium animos eiaculentur mulieres. Tria siquidem procacis & lasciuæ mulieris tela sunt, quæ vibrat, Ambrosio auctore, in vecordes amantes. Prima, inquit, adulteræ oculorum tela sunt: secunda verborum. Sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere: suppetit enim defensio, vbi adhuc liber est affectus: ideóque scriptum est; Quia ille noluit; Primum igitur Ioseph congressione mentis superauit, tanquam scuto animi in se repellens irruentem: deinde sermone, tanquam hasta vibrauit, vt se illa reuocaret: & dixit vxori Domini sui, Rectè vxor Domini, non ipsa Domina dicitur, quia non potuit extorquere, quod voluit imperare. Nam quomodo domina, quæ seruulis incentiua libidinis præstabat? Ille Dominus, qui amantis non excepit faces; qui lenocinantis vincula non sensit: quem nulla mortis formido perterruit: qui maluit liber criminis mori, quàm criminosæ potentiæ eligere consortium. Ille liber qui turpe credidit vicem gratiæ non referre, sed tanquam beneficij herilis, & innocentiæ suæ debitor fugit crimen ingrati; peccatíque labem; & culpæ contagium, quasi inultus horrescit. Tertium spiculum, adultera interpellandi assiduitate vibrabat: sed Ioseph non audiebat eam. Habes post prima verba quid ca- *Quantum ex mulierũ consuetudine periculum creetur. Ambro. l. de Ioseph. c. 5.*

ueas. Non ſolùm lubrica, ſed etiam procax, & importuna, & petulans eſt libido, nec habet quod vereatur adultera, quæ diſpendia pudoris prius non doluit, inſidiatur vt capiat.] Hæc pericula Nicolaus præuidit, ex mulierum colloquiis, & conſpectu creari.

Prou. 6. Tangere mulierem periculoſum.

17. [Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cùm tetigerit eam. Siquidem poſſibile non eſt (ait Beatus Baſilius) eum, qui ignem tetigerit manu, illæſam manum ſeruare, ſed aut bullæ repentè tactum conſecutæ turgeſcunt, & futura minantur, aut iam facta cernuntur vlcera: ita poſſibile non eſt, eum qui amoris impetu tactum fecerit, illum tactum innocuum perferre, ſed aut bullæ perturbationum cordi ſubrepunt, aut peccati vlcera ſtatim erumpunt. Si dum caudam quis tantùm ſerpentis attingit, caput, licèt magna corporis prolixitate diſiunctum, ad caudæ tactum repentè conuertitur, & ſi, digito pedis noſtri impingente, capilli capitis mox in ſublime feruntur, profectò vitioſus contactus, etiamſi manu tantùm ſit, à capite tamen vſque ad extremos vngues, ad ſenſum voluptatis totum pertrahit corpus.] Quare rectè monet nos Sapiens, [Cum aliena muliere ne ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum: ignem enim in ſinu ſuo] abſcondit, qui libenter cum illa loquitur, quia [colloquium illius quaſi ignis exardeſcit.] Super prunas ambulat, qui aſpectu eius & affectu delectatur, quas diabolus impuris accendit ſuggeſtionibus: [Halitus enim eius prunas ardere facit.] Nonne inſanus ille cenſendus, qui ardens & candens amplexaretur ferrum, vel aperto pectore, illud ad ſe ſtringeret; potiori ergo ratione is inſanus habendus, qui mulierem concupi-

Baſil. l. de vera virgin.

Simile.

Eccleſ. 9.

Iob. 41.

ſcentiæ

scentiæ ardore inflammatam stringit, vel deosculatur: [Gladius enim, vt ait Hieronymus, igneus est species mulieris.] Gladius, quia mortifero ictu repentè cor vulnerat: igneus, quia concupiscentiæ motibus hominem inflammat. Nónne experientia etiam docet, ex duobus lapidibus, frigidis alioqui, & duris, inter se collisis, ignem elici; quid ergo mirum, si ex tactu viri & mulieris concupiscentiæ ignis, qui in eis inardescit, erumpat, & vtriusque animi viscera depascat, nihil ergo satius quàm mulierum consortium euitare. Non enim securum est fœno, vel stupæ esse iuxta ignem.

Aspectum & colloquium mulierum fugiebat Nicolaus.

18. In Nicolaum igitur mentis oculos coniiciamus: qui, vt diximus, in iuuentutis flore adeò mulierum consuetudinem abhorruit, vt ne colloquium quidem, aut aspectum earum ferre potuerit, cuius anima ab illis fugiente, ac in cor suum veluti in cõclaue ingressa, facilè vniuersa, quæ eius pulchritudinem contaminarent, euitauit, & omnia, quæ eam exornarent, comparauit. Quemadmodum enim casta virguncula domi latitans, & in texendis vestibus, & comparandis sui corporis ornamentis occupata, breui tempore plurima parat in diem desponsationis suæ, quibus ornata & apprimè culta, sponsi oculis speciosa apparet: sic Nicolai anima cubiculũ proprij cordis ingressa, ibique non desidiosa, sed officiosa manens, immensam virtutum, & cœlestium donorum copiam consecuta est, qua se breui sublimi sacerdotij officio aucta, cœlestis sponsi oculis pulchram, & amabilem exhiberet, vt de ea meritò sponsus dicere posset: [perueneisti ad mũdum muliebrem.] Mundus verò muliebris sponsæ ornamentum est, quo anima, tanquam Christi spõsa, pulcherrimè exornatur, vt in Dei puriſsimum lectum admissa castissimos eius experiatur amplexus, ornamentum autem huiusmodi est puritas mentis ac corporis, quæ in Nicolai anima & corpore maximè viguit, eam amabilem efficiens, & Dei consortio,

Simile.

Ezech. 16.

atque conſpectu dignam reddens. Nam ſicuti mundum muliebrem ſponſæ, omnibus præferunt ornamentis, cuius gratia die noctúque laborant, vt eo indutæ decoræ & amabiles appareant, & ad coniugium aptæ iudicentur: ita mentis ac corporis paritas eſt, quam, præ omnibus, in tenera adhuc ætate Nicolaus cupiit & amauit, cuius cauſa die noctúque ſtrenuè laborauit, qua pulcherrimè exornatus Dei oculos in ſui amorem raperet puriſſimúmque eius cor ſucconderet. Quare meritò S. Leo: [Vniuerſitas, *Leo ſerm 12. Quadrageſi.* inquit, fidelium ad perfectam innocentiam, & ad plenam tendere debet puritatem, vt eorum conſortio mereatur adſcribi, de quibus dicitur: *Matt. 5.* Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.] Beatus ergo Nicolaus, qui ob mundi cordis pulchritudinem Deum, ad quem ſemper tum corporis tum animæ innocentiâ feſtinauit, in animæ ſuæ ſponſum accepit, quoniam ipſe hodie Deum videt. Hactenus de tertio caſtitatis talento.

QVARTVM PVNCTVM.

Lippelous in eius vita. Quartum talentum Scientia.

19. Quartum Nicolai talentum eſt Scientia: poſtquam enim caſtiſſimos mores & diſciplinam ab optimis acceptam parentibus in melius redegiſſet, nouos quotidie honeſtatis & pietatis non deſtitit edere fructus: donec multa ingenuarum diſciplinarum ſcientia imbutus aliis etiam ſanctioris vitæ exemplũ & norma eſſe inciperet. Videtis nihil eſſe ad ſcientiarum cognitionem acquirendam aptius caſtimonia. Nam ſtatim caſtiſſimis ornatus moribus Nicolaus auidè ſcientias arripuit: Cœlibes enim ab omnibus aliis curis liberi, toti ſcientiæ acquirendæ incumbunt, quam facilè aſſequuntur: quippe qui purum, ac omnis ſcientiæ capax animi vaſculum exhibent. Hinc meritò Dominus poſt mundum muliebrem, hoc eſt, animi ac corporis puritatem, ſponſæ prærogatam, vberum & pilorum meminit: [Vbera, inquit,

Cœlibes ad scientiam aptiores.

Digitized by Google

inquit,tua intumuerunt,& pilus tuus germinauit:] quia hæc duo ex muliebri ornamento, animæ, spirituali modo, accommodato, & ex cordis munditia emanant. Vbera verò illa duplicem scientiam significant,alterã sui ipsius,alteram subditorum,nõ enim ita alienæ saluti intendere debemus, vt nihil nobis spiritalis lactis reseruemus, sed prius potius nostræ vtilitatis vber animæ nostræ labiis admouendum,vt eo pasta facilius, ac melius alterũ salutare,sibi subditis,vber præbeat:eæ enim animæ, quæ ex cura sui ipsarum, atque ex propriis experimentis discunt, quid aliis prodest,vel obest,vt aliis præsint, idoneæ sunt, quæ enim peccandi occasiones fugere didicerunt, probè intelligunt, quomodo animas sibi creditas,doceant,vt multiplices peccati laqueos,& decipulas fugiant. Huiusmodi fuit Nicolai anima,quæ in scientia sui ipsius apprimè versata didicit, quo pacto alias suæ curæ credendas aliquando animas instruat,vt sese peccatorum laqueis subtrahant. *Ezech.16.*

20. Insuper quæ proprias passiones vincere à teneris,atque insurgentes animi affectus comprimere assueuerunt,facilè alios docent, has immanes affectuum bestias mansuefacere,& mortificationis iugo domare. Talis fuit Nicolai anima,quæ libidinum & carnis incendia quotidianis laboribus, ieiuniis, vigiliis extinguebat. Prætereà, quæ sese frequenter in difficili virtutum palæstra egregiè exercuerunt, aptissimæ sunt, quæ alios erudiant, quomodo virtutis arx obtinenda sit, & cum vitiis viriliter dimicandum. In huiusmodi virtutum palæstra sese Nicolai anima impensius exercuit, quare ex crebra virtutum actione enitebat iam tunc in adolescente senilis quædam modestia,& grauitas, qua fluctuantis ætatis inconstantiam præclarè firmabat: vnde meritò dicere poterant subditi Nicolao ad Ecclesiæ gubernacula euecto: non habemus pastorem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatus autem per omnia, vt in se prius didicerit, quantum

Qui in se nouit vincere passiones aptus est aliis praesse. Lippe. in eius vita.

Digitized by Google

doleat assueta relinquere, & quo pacto deberet vulnera nostra curare. Hæc enim scientia animarum regendarum non in libris sed in proprio corde perdiscitur: qui enim nunquam in proprium cor ingreditur, neque praui animi affectus seuero disciplinæ moderamine castigat, minimè idoneus esse potest, qui alios dirigat, in quem illud Saluatoris quadrat: [Si cœcus cœco ducatum præstet, nonne ambo in foueam cadunt?] Religiosa itaque Nicolai anima, quæ laboribus, ieiuniis, ac vigiliis cordis puritatem sibi acquisiuit, turgentia habet vbera, suauissimæ doctrinæ lacte plena, quo breui proximos lactare possit, & vt filios Christi decet, educare. Ecce duo vbera salutaris scientiæ lacte plena meliora vino scientiæ sæcularis, quæ quidem inebriat, sed curiositate non charitate, implens non nutriens, inflans non ædificans, ingurgitans non confortans.

Matt. 15.

Strenuus fuit in laboribus tolerandis.

21. [Et pilus tuus germinauit] pilus siquidem inuicti animi robur ad subeundos prædicationis strenuè labores significare potest, pilosi enim homines robustissimi & inuincibiles esse solent. Quare Elias vir pilosus esse dicitur, [in virilitatis, vt ait Hieronymus, argumentum. Quamobrem & habitatio eius in solitudine & conuersationis austeritas non solùm virum, sed & virum fortissimum demonstrabat.] Huiusmodi etiam fuisse virum fortissimum Nicolaum egregiè eloquium illud eius iam supra dictum docet. Emitebat iam tunc in adolescente senilis quædam modestia & grauitas, qua fluctuantis ætatis inconstantiam præclarè firmabat, qui paulo post ab auunculo suo ob inconcussi animi robur & ob tolerantiam in laboribus Christi causa susceptis & sacerdotis dignitate ac illustris monasterij prælatura condecoratus est. Leues verò & glabri timidi & imbecilles esse solent, quorum conditiones longè abfuerunt à nostro adolescente, cuius nomen Nicolaus populi victorem fore indicat. Anima itaque eius post mundum muliebrem, ex cor-

Hiero. l. 11. in Ezech. ad c. 35.

poris

poris & animi puritate comparatum, audiit ab auunculo suo viro integritate vitæ & sanctimoniâ illustri & egregio in Ecclesia antistite, audiit, inquam, [quia vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit] scientia & fortitudine ex cordis puritate nascentibus exornaris vt breui apta sis, & proximos alere, & eorum miserias, & infirmitates sustinere. Hæc de quarto scientiæ talento.

Qvintvm Pvnctvm.

Quinti, Humanæ laudis contemptus. Lippelous in eius vita.

22. Quintum denique Nicolai talentum est, Humanæ laudis contemptus. Nam [ab omni humana laudis cura alienus fuit.] Quod talenti genus (maximè cùm in se humilitatis virtutem complectatur) si cum cæteris in aliquo inueniatur, ad sublime Sacerdotis munus idoneum reddit. Quòd verò in Nicolao hæc quinque, diuina munificentia, perfectè inueniantur, facilè ex eius vitæ exordio colligitur, quod autem mirè humanas laudes detestaretur clarè ostendit, cùm singulari incitatus pietate periclitantibus de pudicitia puellis clam opem ferre vehementer [arderet, & humanum sui beneficij testimonium refugeret;] qua in rè profundam ostendit humilitatem, quæ illius naturæ est, vt nihil sibi, sed omnia Deo ascribi velit, cùm nihil à se, sed omnia à Deo habere agnoscat, quorum dispensatrix fidelis & prudens, quàm alienæ rei dissipatrix esse cupit. [Quis putas, inquit Christus, est fidelis dispensator & prudens?] Cui respondeo; humilis humanæ laudis contemptor, qui non sibi sed Deo omnia in se collata talenta accepta refert. Ergo Nicolaus fidelis hic dispensator & prudens est, qui omnia à Deo accepta in illum non in se referre studuit, iuxta illud Theophylacti: [fidelis autem est si herilia bona sibi non vindicet & attribuat, vt non veluti Dominus res tractet sed veluti aliena & herilia dispenset, non

Lippe. in eius vita.

Luc. 12.

Theophyl. in illum locum Pauli: Hic iã quæritur inter dispensatores.

1.Cor.4. ſua eſſe dicens, quia ſunt heri, ſed è diuerſo quæ ſua ſunt, heri eſſe.] Verè huiuſmodi fuit diſpenſator Nicolaus qui in hoc egregio charitatis ſtudio non ſuam ſed Dei vnius laudem, animarúmque ſalutem quæſiuit & ſpectauit, eamque in poſterum omni diligentia non tantùm prædicatione, ſed & ſanctimonia perfectæque vitæ exemplo procurare 1.Cor.4. ſatagebat, illud Pauli reipſa vſurpans: [Mihi autem pro minimo eſt vt à vobis iudicer aut ab humano die :]parui ſiquidē æſtimauit hominum applauſum. Quare non homini ſed ſoli Deo in ſuis actionibus ſeruire, placere, obedire, & ab ipſo ſolo commendari deſiderauit, ideóque illum iudicem & teſtem vnicum huius ſui eximiæ charitatis, animi ſubmiſſionis, Iob 15. humanarum laudum contemptus veluti cum Iob inuocabat, dicens: [Tu ſcis, ecce enim in cœlo teſtis meus & conſcius meus in excelſis.]

23. Talis eſt fidelis diſpenſator ac prudens qui nō ſicut arundo quocunque vento huc illúcque agitata impellitur, ſed ſicut columna ferrea, qui nullis hominum laudum impulſibus à ſuo loco dimouetur, & quemadmodū flumen ſi ab aſtantibus laudetur feſtinat ad mare, & ſi vituperetur, vt ait P. noſter Aluarez de Pax, à ſuo curſu non ceſſat, & ſi aggere lapidum impediatur impetum ſuarum aquarum agglomerat, vt impedimentum vincat, & in ſuum finem nimirum in mare decurrat: ſic, inquit, anima perfecta inter laudes & vituperationes hominum poſita, nec propter illas propoſitum rectè operādi deponit, nec propter iſtas à cœpto deſiſtit, nec propter quæque obſtantia viam ſanctitatis prætermittit. Ego, inquit hæc anima, quaſi fluuius Dorix, & ſicut aquæductus exiui de paradiſo, dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum, & ecce factus eſt mihi trames abundans & fluuius meus appropinquauit ad mare.] Huiuſmodi fuit Nicolai animæ, inſtar fluuij ex alio maximo fluuio deducti, perfectio, quia emanatio eſt & quædam

Simile. P. Aluarez de vita ſpirita. l.4.p.2. c.22.

Nihil à bono animi propoſito nos impedire debet. Ezech.24.

Digitized by Google

dam perfectionis Dei & diuinæ puritatis imitatio. Egreditur etiam ex spirituali paradiso scilicet è Christo Iesu, à quo quicquid in sanctis est perfectionis emanat. Statuit itaque apud semetipsam bona sua opera promouere, & fructum in aliis cœptum ad finem vsque perducere. Cui ad hoc præstandum neque adulantium laudes, neque contradicentium obstacula magis impedimento esse potuerunt, quàm si inundanti flumini fragilium arbuscularum sepem opponeres, aut fluctibus frementis maris aliud ad eos frangendos, quàm Dei imperium obiiceres. O vtinam nos, qui præclara hæc vnius Nicolai exemplo documenta nobis proposita habemus; hac operandi libertate semper vtamur, vt cùm ad Dei gloriam aliquid præclarè gerere velimus neque humanis laudibus in contrarium abducamur, neque Catholicæ religionis hostium obstaculis à laudabili opere deterreamur.

EXEMPLVM.

24. Nicolaus è peregrinatione visitationéque locor. sanctor. domum reuersus singularis sanctitatis omnibus documēta præbebat; sed Dei admonitu Myram, quæ Lyciæ Metropolis erat, venit: quo tempore eius vrbis Episcopo mortuo Prouinciales Episcopi de successore deligendo consultabant. Itaque in ea deliberatione diuinitus admoniti sunt, vt eum eligerent, qui postridie mane primus in Ecclesiam ingrederetur Nicolaus nomine. Qua obseruatione adhibita summo mane in Ecclesiæ ianua deprehensus est quidam, qui interroganti de vitæ eius conditione ac nomine humiliter respondit: peccator sum & seruus inutilis nomine Nicolaus. Quare ad Episcopos ductus summo omnium consensu nihil minus suspicatus humilis ac humanarum laudum contemptor Nicolaus Myræ Episcopus creatur. In Episcopatu castitatem, quam semper coluerat, grauitatem, orationis assiduitatem, vigilias, abstinentiam, liberalitatem, & hospitalitatem, in adhortando man-

suetu

ſuetudinem, in reprehendendo ſeueritatem perpetuò adhibuit; ac tandem à Niceno Concilio reuerſus non ita multo poſt inſtante morte ſuſpiciens in cœlum cùm Angelos ſibi occurrentes intueretur, illo Pſalmo pronunciato: In te Domine ſperaui: vſque ad eum locum: In manus tuas commendo ſpiritum meum, in cœleſtem patriam migrauit. Eius corpus Barium in Apulia tranſlatum ibidem ſumma celebritate ac veneratione colitur.

IN FESTO S. NICOLAI Epiſcopi & Confeſſoris,

Concio ſecunda.

THEMA: *Homo quidam peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum.* Matth. 25.

Monemur vt parati ſimus ad rationem Talentorum Deo reddendam.

1. QVid, obſecro, hodierni Euangelij parabola aliud nobis proponit, quàm Chriſtum, qui peregrè in cœlum abiit, breui rediturum, ſuóſque vocaturum ſeruos, vt omnium ipſis creditorum aliquando talentorum ſtrictam exigat rationem, quæ quoniam ſingulis æqualia non tradidit dona, ſed aliis maiora, aliis minora, aliis plura, aliis pauciora, ideo dicitur dediſſe vni quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, ſingulis verò eo fine data ſunt, non vt otioſa ſint, ſed vt fructum lucrumque pariant: hoc enim ſignificat fidelium ſeruorum negotiatio; tradidit igitur ſeruis bona ſua, omnia nimirum quæ condidit, iuxta illud Pſalmiſtæ: [Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris:] imo hæc omnia ſingulis tribuit; terrarum

Pſ. 8.

enim

enim orbem, omniáque in eo condita, suo modo, cuilibet donauit; Nam in primis ipsam terram, ex qua compositi sumus, aquam, ex qua bibimus, aërem, cuius gratia respiramus, ignem, quo quotidie calefimus, imo ipsos etiam cœlos nobis quodammodo subiecit, qui influxu suo, ac temporum vicissitudine nostræ inseruiunt necessitati. Porro Angelos, qui nos quotidie singulari præsidio tuentur, nobis etiam dedit, nec non dæmonas, qui nobis, eorùm tentationibus diuina gratia resistentibus coronas præter intentionem fabricant, & quod caput est, omnia mea (inquit) vestra sunt, labores, dolores, cruciatus, opprobria, atque adeo ignominiosa crucis mors, quæ vestri gratia lubens subiui, eorumque merita mihi vobiscum communia sunt. Denique vestra sunt caro mea, & sanguis, corpus meum & anima, diuinitas mea, ac consequenter Pater, Filius & Spiritus sanctus, iuxta illud Apostoli: [Si dedit nobis Deus filium suum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?] Donauit itaque nobis omnia, quæ scilicet spectant vocationem, iustificationem, glorificationem, & salutem nostram, vt nulla aduersa; vel prospera, nulli hostes, nulli persecutores eam impedire possint, nisi sponte iis cedamus & succumbamus. Quare [redemptor noster (vt ait Gregorius) qui in ea carne quam assumpserat; abiit in cœlum] quasi peregrè profectus reuertetur aliquando, vt horum omnium rationem à nobis expostulet, & sicuti bene operantes pro apportato lucro remuneraturus est; sic seruum à bono opere torpentem damnabit.

Rom. 8.

Greg. hom. 9. in Euang.

2. Quamobrem hodie Ecclesia seruum bonum & fidelem Nicolaum nobis proponit, qui sibi tradita talenta, cum fœnore Domino exigenti ab eo rationem, reddidit, vt eius exemplum sequentes, talenta nobis data, non in terram, cum seruo pigro defodiamus, neque otiosa esse à negotiatione sinamus; sed vt illa, iuxta cuiusque propriam virtutem augeamus. Augere verò illa iuxta propriam virtutem

Proponitur nobis Nicolaus in exemplum ad Ecclesiæ vt eũ in talentis impendendis imitemur.

est,

est, Maldonato nostro auctore iuxta cuiusque naturam, quam, inquit, etsi ex Deo non ex nobis ipsis habemus, tamen nihil tam nostrum vocare possumus, & est valde meo iudicio vero simile Deum in distribuendis donis suis, naturæ (quam ipse primò dedit) vniuscuiusque rationem sæpe habere: quis enim dubitet Moysi propterea à gubernandi spiritum, & gratiam potius, quàm aliis contulisse, quia natura sua prudentissimus, &, vt scriptura testatur, omnium hominum mitissimus erat? Scio & posse & aliquando solere balbutientes Isaias, adhibitis ex altari carbonibus eloquentes efficere. Scio & per asinam loqui; sed hoc rarum, illud vsitatum. Acceptis itaque talentis iuxta cuiusque naturam plura talenta superlucrati per Dei gratiam nos oportet, sicut Nicolaus superlucratus est, qui accepta multiplici Dei grátia bene vtendo gratiæ quotidie accessionem merebatur, & sic sese semper digniorem exhibebat cui plura & plura conferrétur talenta. Quare qui quinque illis talentis ab infantia, vsque ad Sacerdotij ætatem sibi collatis strenuè ac diligenter in variis cœlestium rerum negotiationibus vius est, alia quinque à Sacerdotij ætate, vsque ad tépus quo in Episcopum electus ac deinceps commeruit, quibus instructus ad eximium Episcopatus gradum euectus, eo fœliciter perfunctus est.

Num. 12.

Isa. 6.

Concionis diuisio.

3. Quare vt horum talentorum ex ordine etiam seriem tractemus primo loco de amore eius paupertatis, secundo de castis eius moribus, tertio de obedientia, quarto de humilitate, quinto de charitate dicemus; sed vt hoc munere ritè perfungamur, ac pro dignitate personæ, de his eius talentis differamus, gratia Spiritus sancti nobis inuocanda per Beatissimæ Virginis Mariæ interceſſionem ex animo solitam illam eius salutationem recitando. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Primum Ta-

4. Primum Nicolao Sacerdotis dignitate initiato

tiato talentum à Deo collatum, est, Paupertatis amor, nam parentibus pestilenti contagione è vita sublatis ipse hæres testamento institutus, amplissimas possessiones adiit, sed mox vir constans, & sapiens, qui ab ineunte ætate funditus ex animo terrénas eiecerat cupiditates, non ad congregandas diuitias; sed ad congestas in pauperes & miseros dispertiendas animum appulit. Non enim ignorauit illum solum diuitem esse, qui rebus terrenis pauper coram hominibus, sed cœlestibus ornatus virtutibus coram Deo appareret. Quare ipse tanquam fidelis seruus res sibi commissas, Christiana paupertate contentus, in egena Dei membra distribuit, cùm ergo fidelis in hoc suo talento impendendo inuentus fuerit cœlestibus carere diuitiis non potuit. [Omnes enim (vt ait Beda) boni fideles sunt diuites, nemo se contemnat: pauper in cella, diues in conscientia securior dormit in terra, quàm auro dives in purpura.] Licèt ergo distributis in paupe-res bonis, pauper esset in cella, cœlestibus gratiæ diuitiis cumulatus diues erat in conscientia. [Scio, inquit Dominus, tribulationem tuam & paupertatem tuam, sed diues es:] scio quòd bonorum tuorum temporalium propter me, & Ecclesiæ membra iacturam sponte feceris, sed tamen dives es bonorum spiritualium opibus, & beatus, quoniam tuæ beneficentiæ æterna vita in præmium dabitur. [Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.] Licèt ergo Nicolaus pauperem sese bonorum abdicatione reddiderit, ditissimus tamen coram Deo cœlestibus locupletatus diuitiis erat.

lentum, Paupertatis amor. Lippe in eius vita.

Beda in illud Apostoli. vt illius inopia, &c. 2. Cor. 8.

Apoc. 2.

5. Peregrinus quamdiu in aliena regione agit instar peregrini pauperem ducere vitam solet, & tamen si in proprio solo diuitiis abúdat, absolutè pauper minimè censendus est: sicuti pauper censeri non debet is mercator, qui mirificè in patria opibus circumfluit; licèt extra patriã egenus esse videatur: sic

Pauper fuit diuitus sed dives virtutibus.

Nicolaus

Nicolaus in aliena veluti regione inſtar peregrini pauperem ducere vitam,diſperſis in egenos terrenis diuitiis,voluit,nihilominus tamen in patria ſua, quæ cœlũ eſt,multas habuit repoſitas diuitias, ac proinde ditiſſimus cenſeri debuit,licèt hominum opinione pauperrimus eſſet. [Non ſatis,inquit Clemens Alexandrinus, animaduertimus , quis ſit is ſolus diues, qui,quæ ſunt longè pretioſiſſima,poſſidet,magni autem pretij ſunt,non gemma,non argentum , non veſtis,nõ corporis pulchritudo,ſed virtus:] ergo ditiſſimus fuit Nicolaus:[fœneratur enim Domino , qui miſeretur pauperis. Vide,inquit Auguſtinus , quàm latè creſcat fœnus tuum,da temporalia,accipe æterna:da terram,accipe cœlum:da numinum,accipe regnum:da micam & accipe totum.]

Clemen. l. 3. pedag. c. 6. Pro. 19.

Quàm nihili faciẽda res terrena.

6. Quis noſtrûm eſt,qui non huiuſmodi velit facere prudentem commutationem,maximè ſi exploratam habeat infinitam rerum commutandarum differentiam. Quid enim ſunt opes niſi maſſæ terreæ, terræ affixæ , & in terra ſemper manſuræ? [Quid enim eſt aurum , inquit S. Bernardus , niſi terra rubra?quid argentum niſi terra alba! quid ſunt margaritæ ,niſi excrementa concharum ?quid eſt purpura,niſi ſanguis fœdi oſtrei? quid byſſus niſi fœdus humor bombycum, ab iis è viſceribus eductus, & in lenta fila deductus ?] Pulchrè ergo S. Chryſoſtomus ob oculos nobis proponit horum vilitatem: [Candore,inquit,lucentis margaritæ attraheris! cogita maris eſſe aquam,& in eius finibus ante iacuiſſe deiectam.Rapit animam auri fulgor,& nitor argenti,cogita terram ac cinerem ea priùs fuiſſe,& modò eſſe. Placet pretioſa & ſerica veſtis?at vermium ille contextus eſt. Opinio eſt humana præſumptio: nihil habet in ſe naturalis pulchritudinis.] At verò res,in quas hæc permutamus nobiles,cœleſtes ac æternæ ſunt , quæ poſſeſſorem ſuum diuitem ac magnum coram Deo faciũt, in cuius præſentia vniuerſa mundi machina inſtar puncti eſt , quæ inſuper

Chryſoſt. in illum locum Apoſtoli:Nihil intulimus in hunc mundum.. 1.ad Tim. 6.

tecum

tecum ad cœlestem patriam transferre potes.

7. Quare Ambrosius: [Verè, inquit, diues est qui in conspectu Dei potest diues videri, in cuius conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est; itaque solum illum Deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Nemo est diues, qui quod habet secum hinc auferre non potest, quod enim hîc relinquitur non nostrum, sed alienum est. Diues Enoch fuit, qui quod habuit secum transtulit; Diues Elias, qui virtutum suarum thesauros curru igneo sublimis sedibus æthereis inuexit.] Diues & Nicolaus, qui paupertatis rheda; omnibus virtutum splendoribus exornata, ac meritorum plena subsequentibus pauperum turmis, quos ipse suis impensis aluit, vectus ad æternæ beatitudinis patriam peruenit.

Amb. Epist. 10. ad Simplicianum.

Gen. 5.

8. Quàm pulchrè igitur illud Ezechielis in illum quadrat: [Vestiui te discoloribus:] paupertatis enim pulcherrima ex eleemosynis contexta vestis fimbriis aureâ charitate coruscantibus & gratiarum varietatibus circumornata illum condecorauit, [& calceaui te hyacintho:] pedes enim illius animæ, id est, affectus, ita paupertatis amor protexit, vt nunquam in res terrenas impingerent, aut diuitiarum spinis pungerentur. Nam, vti dixi, ab incunte ætate funditùs ex animo terrenas eiecerat cupiditates. Meritò autem hic calceus, quo Nicolai animi pedes exornabantur, ex hyacintho confectus fuit: [Lapis enim iste, vt ait Hieronymus, cœli habet similitudinem, & cœlestia desideria sunt, quæ amorem tollunt terrenorum; nec potest quis res diuinas ardenter amare; & pecuniæ, & supellectili, aut rebus aliis vilissimis inhærere:] Ita verè rebus cœlestibus etiam inter cœnandum Nicolaus intendebat, vt nunquam sacrorum librorum eius mensæ abesset lectio, & à mensa in cubiculum sese recipiens, totus in cœlestium

Ezech. 6.
Paupertas pulchra vestis.

Paupertas calcei hyacinthini.

Hiero. in Ezec. c. 1.

Lippeloo in eius vita.

contemplationum campum diffundebatur; & animum diurnis alienísque curis distractum, nocturna meditatione collectum fouebat. Vnde colligere licet adeo illum res diuinas ardenter amasse, vt pecuniæ ac supellectili, ac rebus aliis vilissimis minimè vnquam inhæreret: Hyacinthus etiam (vt testis est Hugo Victorinus) mutat colorem, cum facie cœli; si clarum est cœlum, lucet: si obscurum, fit obscurus: sic Nicolaus cœlestem planè colorem, cœlestibus imbutus moribus referebat, & cum facie cœli, colorem mutabat, quia misericordi paupertate instigante, quibuslibet sese pauperibus, pro cuiusque exigentia, largiter tribuendo, vti appareret, succurrendo trium puellarum pudicitiæ, viduarum atque orphanorum tenuitati accommodabat. Prætereà sereno Ecclesiæ cœlo, charitatem in alios exercebat, laborantibus quauis necessitate promptus, & alacer oppressis occurrens; vt non modò res suas egentibus conferret, sed frequenter etiam à ditioribus pecuniam mutuò acciperet, vt viduis & orphanis subueniret: nubilo autem Ecclesiæ cœlo, & persecutionibus turbato, constantiam & fortitudinem præ se ferebat. Coniectus enim in carcerem pro confessione fidei ab Imperatorum Diocletiani & Maximiani satellitibus, tanta virtute, & animi magnitudine carceris squallorem; ac ærumnas tolerauit, vt suo exemplo, cæteris confessoribus incredibile animi robur adderet. Quàm pulchrum ergo calceum, ex hyacintho confectum, paupertas eius animi pedibus, concinnauit, quo non tantùm sese, à rerum temporanearum spinis protexit, sed ne etiam persecutionum scopulis læderetur omnino præcauit. Hæc de primo paupertatis talento.

Hugo l. 3. de natural. hist. c. 58.

Lippe. in eius vita.

Largus in pauperes.

In eius vita.

Secvndvm Pvnctvm.

Secundum 9. Secundum B. Nicolao contributum à Deo talen-

Digitized by Google

talentum,Caſti mores.Nam egregius in Eccleſia antiſtes (Nicolai nimirum auunculus) cernens nepotem caſtis operibus, & ſtudio religionis mirificè florere,ſumma parentum voluptate, & gaudio , Sacerdotio eum initiauit. In quo ſtatu , ita caſtis vixit moribus,vt vitam omnem,moréſque pro Sacerdotij dignitate transformandos putaret, ac ab omni inordinatione conſeruaret.Quare non immeritò illud Ezechielis à caſtitate vſurpatum in illum dixerim: [Cinxi te byſſo] quaſi diceret,hoc byſſino caſtimoniæ cingulo lumbos tuos præcinge. [Viris enim luxuria(vt ait Gregorius)in lumbis eſt:] Quare lumborum cinctorium , præſertim ex mundiſſima contextum byſſo , quo ille ſeſe præcinxit , rem ſacram faciens, non aliud quàm puriſſimæ caſtitatis donum illi à Deo datum , poteſt deſignare. Huic præſertim meæ ſententiæ B. Gregorio ſuffragante : [Lumbos, inquit ille, præcingimus,cùm carnis luxuriam , per continentiam coarctamus.]Hoc igitur caſtitatis cingulo Nicolai animam tanquam ſponſam ſibi chariſſimam accingi Deus voluit, quo omnia in eo libidinis vitia penitus cohiberet , idoneúmque ſibi miniſtrum , diuini luminis claritate inſignem , efficeret, vt ſalutarem quotidie hoſtiam , puris illibatíſque manibus æterno Patri pro populi delictis offerret.

talentum, Caſti mores Lippe in eius vita.

Ezech.16.

Greg. hom.3. in Euang.

10. Sicut Sacerdotibus olim duplex erat tunica , ita vtrique ſua reſpondebat zona : altera linea , qua , vt ait Ioſephus , accingebatur circa pectus , paulò axillis inferius zona, lata digitos quatuor,intus inani ita contexta , vt ſerpentis exuuium videri poſſet,floribus etiam picturata puniceis,purpureis,hyacinthinis , & byſſinis , ſtamen verò è ſola byſſo conſtabat , quæ ſemel , atque iterum circa pectus reuoluta , ad talos vſque defluebat , tantiſper dum Sacerdotes à ſacris feriebantur,idque ad ornatum conferre videbatur: cùm verò ſacris erat mini-

Ioſeph.l.3. Antiquitatum c.8. Exodi 28. Duplex ſacerdotum veteris legis tunica & zona Nicolao conueniunt.

ſtrandum, ne ventilata impedimento eſſet, ſuper humerum læuum retorquebatur. Altera tunica hyacinthina, zona coloribus quidem, vt auctor eſt Ioſephus, ſupradictæ ſimilis, ſed ex filis byſſinis, purpureis, coccineis, atque hyacinthinis concinnata, aureis quoque filis intertexta, quæ non ſoli tunicæ hyacinthinæ ſtringendæ ſeruiebat, ſed ſuperhumerale, & rationale cum eadem tunica colligabat. Prior itaque tunica noſtro Sacerdoti Nicolao iam primitias celebranti pulcherrimè à Deo videtur adaptata, qui cogitationum ianuam, cor nimirum ſuum, ſub pectore abſconditum, veluti craſſiore lineo ſtrictioris diſciplinæ operimento tegebat, diſcretionis zona aptè aſtricta, quatuor lata virtutum quaſi digitis, prudentia, qua diſciplinæ modus præſcribitur: temperantia, qua moderatè ſuſcipitur, iuxta vires, ac diſcretionis regulam: iuſtitia, qua ex æquo ſatisfit per diſciplinam Deo, pro imperfectionibus: fortitudine, qua animosè in diſciplinæ rigore perſeueratur. Zona verò hæc intus, ab omni diſſimulatione inanis, illis quatuor contexta virtutibus, vt ſerpentis illius à Moyſe in altum ſublati, virtutum exuuiæ videri poſſet; variis etiam caſtimoniæ floribus picturata, cuius ſtamen penitus ex cãdidiſſima byſſinæ caſtitatis lana, conſtabat, quæ ſemel atque iterum circa pectus, cogitationum ſcilicet ſedem, reuoluta, ad talos vſque, hoc eſt, vſque ad omnes animi affectus omniumque operum eius finem ita defluebat, vt ſicuti initium operum eius, & affectionum ab omni carnis ſorde penitus alienum erat; ſic etiam earum finis omni prorſus inquinamenti genere careret, non tantiſper ſolùm, dum ſacris operam daret, ſed omni hora: cùm publicis etiam negotiis, ac neceſſariæ corporis ſuſtentationi vacaret, idque ad externæ corporis caſtitatis ſingulare ornamentum. Sed ne huiuſ

iusmodi præclara castimoniæ tessera inanis gloriæ fluctibus ventilata perfectioni impedimento esset, ad suæ vilitatis exordium, & finem mentem identidem reflectens, vt cùm interroganti in templi vestibulo, de vitæ eius conditione ac nomine humiliter responderet, peccator sum & seruus inutilis nomine Nicolaus: illam, inquam, quasi in læuum humerum profunda sui humiliatione retorquebat. *Lippelous in eius vita.*

11. Posterior verò tunica, cœlestem referens colorem, zona quidem alia, nimirum byssina, alteri tamen colorum varietate persimili astricta pulcherrimam Nicolai animæ vestem, cœlesti puritatis splendore collucentem, ac charitatis zona strictam, Deo per castitatem desponsatæ significat; aurea siquidem fila, quibus zona illa intexta fuit, illibatos ac castos eius mores, ex aureo charitatis fonte profectos, designant, quibus interni etiam animi illibatæ castitatis pulchritudinem exterius declarare cogebatur, vt sic inter homines, tanquam cœlestis Angelus carne circundatus haberetur. Ferunt enim beatissimum hunc cœlesti quadam oris, & vultus venustate fuisse; moribúsque senili, ac veneranda grauitate iucundis, & veluti sanctificationem quandam, & gratiam ex se spirantibus: in cuius intuitu ea fuere vniuersæ honestatis species, & exemplum, vt sibi familiares aspectu solo, à vitiis ad virtutem facilè reuocaret. Tradunt præterea ex eius vultu velut coruscantia fulgura micare solita, faciemque super humanum eluxisse splendorem; quæ omnia singularis castitatis, ac Angelicæ sanctitatis argumenta sunt, ad cuius castimoniæ memoriam sempiternam etiam hodie ex purissimis, & redolentibus membris nectareus distillat liquor; certissima spiritualium ac corporalium ægritudinum medicina. *Castitas eius eximia.*

12. Nec verò zona hæc soli tunicæ hyacinthinæ, quæ pectus tegebat, ne succrescentes concupiscentiæ motus inualescerent, stringendæ seruiebat, sed *In eius vita.*

superhumerale,& rationale,cum eadem tunica colligabat:rationem siquidem in moderandis animi affectibus, & fortitudinem in iis, si contra rationis moderamen aliquando exorbitare viderentur, debellandis cum eadem castitatis tunica castissima suæ charitatis zona, qua semper aureis intertexta filis præcingebatur, colligabat. Quare illud Christi præceptum penitus expleuit:[Sint lumbi vestri præcincti; & lucernæ ardentes in manibus vestris,] emunctis enim fœtidis concupiscentiæ elychniis, quotidiano pœnitentiæ emunctorio bonis operibus, ex charitate prolectis fulgebat: vnica enim in die refectione,eáque vespertina contentus, reliqua, quæ supererant, Christi grátia, pauperibus erogabat, neque casu putandum esse zonam hanc aureis fulgidæ charitatis intertextam filis, non ex lineo, sed ex byssino stamine constitisse, qua byssinæ castitatis vestis, ne diffluere et torpore,aut otio, attingebatur. Byssus siquidem tenuissima & mundissima est.Nicolaus enim non tantùm externam carnis fœditatem semper fugiebat, sed minimam etiam cogitationem castitati aduersantem, omni studio declinabat. Meritò igitur tunica byssina baltheo astricta byssino indutus iuxta illud Hugonis censendus est: [Qui enim, inquit, non tantùm peccata carnis, quæ sunt quasi grossiora fila, relinquunt, sed etiam cogitationum delicta, subtiliter examinant; hi bysso induuntur? his enim filis tela texitur religionis. Induuntur hi tunica talari & cinguntur baltheis. Tunica talaris est in bonis operibus perseuerantia longanimitatis. Baltheus, quo renes cinguntur,est castitas, per quam luxuriæ fluxa restringuntur,] Hanc verò zonam Nicolaus sibi flagellis cilicijs, vigiliis, inediâ, sensuum mortificatione, sanctis operibus, sui ipsius custodia, diurnis ac nocturnis rerum cœlestium meditationibus, tanquam è subtilissimis & mundissimis byssi filis contexuit, qua, pulcherrimam semel indutam castimoniæ tu-

nicam

Luc.12.

Lippo.in eius vita.

Non tantùm ab actu libidinis sed etiamà minimis cogitationibus castitati aduersantibus cauit.

Hugo li.2.de nuptiis spiri. c.3.

Digitized by Google

nicam, præcinxit.

13. In libro Paralipomenon legimus : [Quia cognationes domus operantium byssum,sunt in domo iuramenti.] Domus iuramenti monasterium est, cui ille ex sui auunculi Nicolai egregij Antistitis iussu præsidebat,domus siquidem voti,& promissionis,in qua Deo paupertas,castitas & obedientia juratur,in hac itaque domo iuramenti Nicolaus commorans , cum cæteris religiosorum cognationibus, byssum operantibus , castitatis byssum operabatur, & carnis cordísque munditiem religiosæ disciplinę instrumentis contexere studebat. Hac verò decora ac pretiosa tandem contexta zona, ita lumbos præcinxit , vt ab omnibus se carnis illecebris penitùs abdicans rerum cœlestium contemplationi prorsus tenderet : [Tales enim,vt ait Augustinus,decet Dominum habere ministros, qui nulla contagione carnis corrumpantur , sed potius continentia castitatis splendeant , & honestis fulgeant in populo exemplis.]

1. Para. 4.

Monasterio præsidens operā dabat castitatis zonā contexendæ.

August. ser. 259. de Tempore.

Tertium Punctum.

14. Tertium Nicolai talentum est Obedientia, quæ significatur per illud indumentum , ex subtilibus contextum,de quo Ezechiel,[Et induite subtilibus.]Obedientia siquidem indumentum est verè,ex subtilibus:sicuti enim pulcherrima vestis,ex tenuissimis byssi filis contexta, totum simul corpus tegit, & ornat; sic obedientia ex splendidissimis propriæ voluntati repugnantibus actibus, veluti subtilissimi serici filis contexta,totam hominis vitam , & simul cooperit,& pulcherrimè exornat, cùm nihil sibi faciendum putet,nihil omittendum,nisi quòd superioris præscribatur imperio. Hoc sanè indumento Nicolaus sese indutum, toto vitæ decursu ostendit,qui nihil sibi faciendum duxit , quòd non obedientiæ subesset regulæ. Nam imprimis quamdiu fuit sub

Tertium talentum,Obedientia. Ezech. 16.

parentum imperio, Christi pueri imitatus exemplum, qui subditus erat parentibus, omnia pro parentum arbitrio factitabat. Nec immeritò, cùm enim illum Dei beneficio genuissent, in eum diuinè ornãdum omnem diligentiam, studia, & conatus adhibuerunt, vt quem carnaliter genuerant, spiritualiter educarent, & omnibus sanctissimarum institutionum ornamentis excultum, admirabilem cunctis mortalibus redderent, quorum obsequiis cœlestis puer sese penitus deuouens, vti puer Iesus, ipse etiam suo modo proficiebat, sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines. Hi enim sunt fructus obedientiæ.

Lipp. in eius vita.

Luc. 2.

15. Quàm pulchrè in cœlestem nostrum puerum quadrat illud Sapientis, [Collum tuum sicut monilia.] Nam à puero collum suum obedientiæ iugo, pueri Christi secutus vestigia, subdidit, ac proinde [ceruix eius speciosa facta est, sicut redimicula: Et meritò: quam enim (vt ait Origenes) priùs præuaricationis inobedientia turpẽ fecerat, nunc obediẽtia fidei speciosam fecit & pulchram. Ceruix ergo tua speciosa facta est, sicut rẽdimicula: redimiculæ enim sunt connexiones monilium, quæ in ceruicibus sedere solent, ex quibus descendit per omne collum reliquus ornatus. Ceruicem verò diximus subiectionem, & obedientiam, eò quòd quasi iugum Christi suscipiat, & fidei eius obedientiam præbeat. Ornamentum ergo ceruicis pueri nostri, quæ est obediẽtia, Christus est: ipse enim prior factus est obediens vsque ad mortem: ornamentum ergo & monile ceruicis sponsæ obedientia Christi est.] Licèt hæc ad Ecclesiam Origenes videatur referre, optimè tamen quadrat in nostrum Nicolaum, qui obedientissimus fuit, & parentibus & auunculo, ac Christi voci & eligentium se in Episcopum imperio. Sicuti igitur monile ornamentum pectoris est è collo appensum, pendentem gemmam habens inclusam auro: sic obedientia à teneris annis veluti è collo

Orig. ho. 2. in Cantica.

Magna Nicolai parentibus & auũculo obedientia.

Nico

Nicolai, per ſubiectionem dependens, eius pectus mirificè exornauit, geſſitquè Chriſtum, quem obedientiæ promptitudine ſemper imitatus eſt, quémque veluti pretioſiſſimam gemmam aurea obedientiæ thecâ incluſam, ſub pectore ſemper habuit. Cùm eum Patri obedientiſſimum, ſibi tanquam exemplar ad imitandum quotidiè propoſuerit.

Nihil ſecurius quã Superioris dictum ſequi.

16. Quòd chorus eſt ſine coryphæo, ait Chryſoſtomus, exercitus ſine duce, nauis ſine nauarcho, grex ſine paſtore, hoc eſt ſubditus ſine præpoſito. Sicut ergo expedit chorum promptè obedire, & prçcentorem moderata vocis inflexione ſequi, vt harmonia auribus ſit grata, & ſicuti ad victoriam conſequendam omnino expedit, vt milites ſui ducis imperium faceſſant, denique vt à lupo grex ſeruetur incolumis, & bene paſcatur, ſuum ſequi paſtorem debet; ita planè ſubditus, vt proficiat & ſaluetur, ſuperioris ſui dicto audiens promptè eſſe debet: ſic Nicolaus non tantùm parentibus, ſed etiam auunculo ſemper obſequentiſſimus fuit. Veſte enim ſubtilis obedientiæ præſtantiſſima, ſubtilibus contexta promptorum actuum obedientiæ filis, quæ ſoli diuinç voluntati innexa, nullam propriam voluntatem, quæ diuinæ repugnaret, tanquam craſſiora ex lino fila, in ſui textura admiſit, ſemper à puero indutus fuit: Quæ, obſecro, hac ſubtilior veſtis eſſe poteſt, qua à teneris indutus, non ſua vnquam priuata commoda; ſed quæ Dei voluntati conſentanea eſſent, ſemper quæſiuit? Vbi enim in Palæſtina ſacroſancta Chriſti veſtigia, aliáque ſacratiſſima loca venerabundus luſtraſſet, in vaſta ſolitudine ſeſe colligere putauit, ſed ecce nocturna viſione admonitus, vt ad oues quas reliquerat in Sion confeſtim rediret, diuino mandato impiger paruit: conductáque pretio naui Alexandrina in Lyciam remeauit. Ecce obedientiæ promptitudo! Sed vbi ſeſe in ſuum monaſterium, tanquam in portum à turbulentis mundi actio

Promptitudo eius in obediendo.

Lipp. in eius vitæ.

Digitized by Google

actionibus tranquillissimum reciperet; reliquum vitæ tempus in cœlestium rerum contemplatione transigere decreuit. Sed vestis profectò subtilis est obedientia, quæ fila solius diuinæ voluntatis habet, quæque nullam propriam voluntatem, quę nimirum diuinæ resisteret tanquam crassiorem admittit. Vix igitur Nicolaus in monasterio morulam fecit, cùm quadam nocte orandi, contemplandique gratia in secretiorem monasterij locum sese abdens cœlicam huiusmodi vocem suis insonare auribus audiit: Nicolaë ad mundi palæstram tibi redeundum est: si æternæ vitæ coronam expetis: his verbis exterrito cogitantique quidnam vox ista portenderet: iterum eadem acriùs intonans: Nicolaë, inquit, non est hic ager, in quo fructum, quem ex te efflagito, proferas: ad homines redi, vt in te nomen clarificetur meum. Tunc hac voce Nicolaus imperatum sibi à Deo intelligens, vt miseris mortalibus, è cœno peccatorum eruendis, operam nauaret, relicta Patara, Myras abiit: vt ignotus minori cum propriæ salutis periculo, lucrandis animabus incumberet. Hac itaque induit eum Dominus veste, ex subtilibus obedientiæ actibus confecta, vt Nicolaum ad eum pertinere vniuersi cognoscerent, & eius honorifica in eo signa peruiderent. Sicut enim ipse venit facere, non voluntatem suam, sed voluntatem Patris, qui in cœlis est, ita eius seruus fidelissimus Nicolaus, qui in nulla re propriam, & in omnibus Patris æterni executus est voluntatem, meritò diuino posteà oraculo Præsules omnes admoniti, vt præ foribus Ecclesiæ poneret custodes, qui Nicolaum diuinæ voluntatis ignarum, & nihil tale suspicantem, primo diluculo, ad Ecclesiam orationis ergo properantem, exciperent; omniúmque suffragio, in Myrensem Episcopum, in tantæ obedientiæ præmium diuinitus eligerent. Hactenus de tertio in Nicolaum collato talento.

QVARTVM

QVARTVM PVNCTVM.

17. Quartum Nicolao traditum talentum, est Humilitas, quæ ita obedientiæ connexa est, vt sine illa, hæc consistere nequeat: has vero suarum actionum cómites Nicolaus semper adhibuit, qui vt, ex toto vitæ eius decursu apparet, nullum putauit opus quantumuis egregium, sibi ad perfectionem assequendam esse proficuum, quod promptissima non dictaret obedientia, & quod sancta humilitate, non condiretur. Quare cùm ad sublimem Episcopatus dignitatem, diuinitus promouendus esset, tanti prodigij vix sui compos, suam agnoscens indignitatem, cùm reluctari non posset, diuino iussu, & omnium Episcoporum suffragiis tandem Myrensem thronum, consecratus, obediens iuxta ac humilis conscendit. Ecce quomodo Nicolaus suarum actionum comites fidelissimas, obedientiam & humilitatem semper adhibuit! non enim ignorauit mancum esse, & penitus imperfectam obedientiæ virtutem, si suæ compari humilitati nimirum, non copularetur, quæ duæ simul annexæ, tanquam agiles equi totius humanæ vitæ currum facillimè trahentes, ad tranquillissimum cœli portum perducunt, iuxta illud Dorothei: [Humilitas, inquit, & obedientia sunt veluti duo agiles equi vitæ nostræ currum trahentes, in cœlestes mansiones, sine vllo labore portantes.] Nam sicut currus vno equo non satis commodè trahitur, sed duobus commodissimè, ita vehiculum spiritalis cõuersationis, duabus virtutibus Humilitate & Obedientia, sine vlla difficultate ad cœli ianuam rapitur.

Quartum talentum, Humilitas.

Humilitas & obedientia se mutuò tãquam comites consequũtur.

Doro. doct. 1. Simile.

18. Sicuti ergo Nicolaus in suis omnibus actionibus sese obedientem, & humilem ostendit, sic etiam Deus noluit, quin vtriusque etiam virtutis præmium prius in hac vita, nominis scilicet sui exaltationem, quam ipse semper præ humilitate fugiebat, & in altera, iuxta illud Iob: [Qui humiliatus fuerit erit in gloria] æternæ fœlicitatis gloriam conse

Obedientia ac humilitatis hic & in altera vita præmium accepit.

Iob. 22.

Digitized by Google

consequeretur. Nam tantis præditus ornamentis, sic inter mortales versatus est, vt cœlo semper & immortalitate omnium consensu dignissimus videretur, cùm ipse se indignum omni honore ac gloria existimaret. Quare [qui ponit humiles in sublimi] hunc sui contemptorem sublimare voluit [in sublimi enim, Gregorio teste, humiles ponuntur, quia cùm se ex humilitate substernunt, altæ mentis iudicio, cuncta temporalia transcendunt, & cùm se indignos in omnibus æstimant, rectè cogitationis examine, huius mundi gloriam transcendentes calcant] Verè huiusmodi humilis fuit Nicolaus, qui diuino fauore, ac consilio in excelsa Myrensis ciuitatis arce collocatus alta mentis magnitudine cuncta temporanea transcendit. Nam tantùm abfuit, vt in eo dignitatis loco constitutus præ gloria, aut rerum terrestrium affluentia insolesceret, vt iis potius à se recisis, & in pauperes distributis, tanto munere indignum sese reputans, rectè cogitationis examine huius mundi gloriam transcendens calcauit. Ecce harum virtutum in hac adhuc mortali vita præmium! Porro Nicolaus cùm diutius quasi lilium, intra Myrenses hortos iucundissimè redoleuisset, tandem dierum plenus & diuinarum virtutum odorem, atque suauitatem spirans in cœlestem patriam, cum omni lætitiæ significatione migrauit. Ecce in altera vita harum virtutum præmium!

Greg. l. 6. Mora.

Lippe. in eius vita.

Osea 14. Germinauit quasi lilium.

19. Quare non immeritò illud Oseæ, quod de sancta Ecclesia scriptum est illi accommodare possumus: [Germinabit quasi lilium, & erumpet radix eius vt Libani: ibũt rami eius, erunt quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Cõuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabit quasi vinea, memoriale eius quasi vinũ Libani.] Ecce nostri Nicolai in excelso Ecclesiæ gradu collocati gloria, non vanæ hominum opinioni, sed veræ virtuti & sanctitati subnixa, quæ ab humilitatis radice altè in suæ vilitatis consideratione depressa, assur-

gens

gens obedientiæ adminiculo, vsque ad supremum perfectionis culmen ascendit: Germinauit enim quasi lilium, quod omnium florum, & pulcherrimum & fœcundissimum est, quia puritatis fructum semper emisit, diuina enim gratia semper germinauit, & floruit, & suauissimè fragrauit, & quemadmodum cor lilij, id est, eius radix, quæ cordis habet similitudinem, germinat, vt floreſcat, & nihilominus sursum est, ita etiam cor huius nostri lilij humilitate depressum, sed sancta erectum intentione, ita germinauit, vt gratia apud homines, & gloria apud Deum floreret. Deinde erupit radix eius, vt Libani, dū humilitatis & abiectionis propriæ, vti dixi, radices in ima demersit, quo tanquam arbor excelsa, in gloriam maiorem consurgeret. Postquam autem in humilitate radicatus & fundatus fuisset, nullo inanis gloriæ flatu, nulla persecutionum tempestate, aut corporis incommodis quati potuit, sed stabili semper mole, in suo perseuerabat proposito. Nam licèt in vincula coniectus, & variis captiuitatis incommodis afficeretur, tanta animi alacritate omnia sustinuit, donec Constantino posteà ad imperij gubernacula euecto, è custodia dimissus, Myram rediret. Vbi à sua diœcesi profligata penitus idololatria, ad Nicenum Concilium cum trecentis decem & octo patribus contendens Arianorum hæresim condemnauit.

Humanitatis fructus.

2o. [Ibunt rami eius, & erunt quasi oliua, gloria eius & odor eius, vt Libani.] Virtutum eius rami adeo Ecclesiæ Myrensis, idololatria penitus sublata, gloriam dilatarunt, vt spiritualibus eorum fructibus misericordiæ veluti odore perspersis, non tantùm diuinis veluti naribus suauissimum suæ fragrãtiæ suffitum præbentibus, sed spiritualia simul & corporalia misericordiæ opera redolentibus, illius Ecclesiæ membra mirificè recrearentur. Conuersi verò sedentes, sub tantorum operum vmbra, Nicolai exemplis instructi, & doctrina educati, ab idolatriæ

Digitized by Google

lolatriæ tenebris, ad fidei lumen translati, diuino fouebantur alimento. Quid mirum? sicut enim ipse tritico, pane nimirum cœlesti, diuinæ legis meditatione, ac cœlestium rerum iugi contemplatione viuebat: sic sibi subditos, huiusmodi cibo pascere, seseque saginare docebat. Licèt enim, antequam ad eximium hoc dignitatis culmé assumeretur, priùs illius mores accurata castigatione essent compositi, tamen non ignorans, aliam esse priuati hominis rationem, aliam magistratum gerentis, vitam omnem moréque, pro magistratus dignitate transformandos putauit, quo factum est vt cœlesti virtutum odore plurimos Sacerdotes eruditione, ac vitæ grauitate, probatos in suam traheret societatem, quos cœlesti hoc tritico secum, sicut alios ab idololatriæ cœno conuersos, aluit. Hinc & ipsi germinarunt quasi vinea, quia ex Nicolai vitæ sanctimonia, obedientia ac humilitate, veluti ex optimis vitibus succum trahentes, tanquam generosa vinea suauissimos etiam fructus, diuina mensa dignos, producebant. Tam enim probatæ vitæ illi ex consortio Nicolai extiterunt, vt Nicolaus vicissim eorum frequenti congressu suauiori animi cibo aleretur, digni sanè vt sit memoriale eorũ sicut vinum Libani: digni, inquam, vt vbicunque inciderit mentio eorum, gratissima sit omnibus, & suauissimi odoris, vt vinum Libani. Ecce humilitatis fructus.

Lippe. in eius vita.

QVINTVM PVNCTVM.

Quintum talẽtum, Charitas.

21. Quintum denique Nicolai talentum est Charitas. Nulla enim magis in eo eluxit virtus, quàm ardentissimum charitatis studium, quo laborantibus, quauis necessitate promptus ac alacer occurrebat, ignis enim ille charitatis in camino contemplationis accensus, totus enim contemplationi deditus, quando à publicis negotiis, pro ratione muneris sui susceptis sese subtrahere potuit, intra se-

ipsum

ipsum minimè potuit continere,sed vt ignis ardens obuia quæque depascitur: sic Nicolai charitas in quoslibet necessitate pressos suæ misericordiæ scintillas longè latéque spargebat, obuiosque quosque singulari beneficentiæ igne depascebat, nusquam enim Dei amor otiosus esse potest, operatur etenim magna (vt ait Gregorius) si est, si verò operari renuit amor non est.] Magna sanè amor Nicolai charitatis igne inflammatus, tum in viuis tum in mortuis operatus est. Nonne magna amor eius operatus est,cùm nautis nihil aduersi suspicantibus derepentè vehementi atráque vi tempestatum exorta, quæ nauem rapidis vorticibus circumactam in profundum,cum viris ipsis iamiam demergere videbatur,vectoribus hoc modo miserè periclitantibus & Nicolai preces cum fletu implorantibus: nonne,inquam, magna operatus est cùm fusa breui oratiuncula fluctus sedaret & in leuem auram dissolueret, & vndique læta tranquilláque pereuntibus redderet.Magna sanè hæc,sed maiora audietis.

Greg.hom.5. in Euang.

Lippeolus in eius vita.

22. Conscenderat nauta supremum antennæ cornu, qui lubricante manu, magno impetu, super nauis tabulata corruit ita vt contuso corpore animam iam emigrasse dubium non esset, quem statim Nicolaus defixis in cœlum oculis, oratione iaculatoria,ad vitam reuocauit, & repentè incolumem ad obeunda nauis munera remisit. Magna, vt videtis, Nicolai amor operatus est: sed neque hîc substitit eius vehementia, sed perrupto quasi alueo, pro Christi amore delitiis cõtemplationum posthabitis, Christique amplexibus aliquando interciſis, ad Ecclesiæ regimen diuino vocatus oraculo sese accinxit,in quo munere dormitantes excitabat, torpore desides monebat,de suæ animæ salute sollicitos laudabat, prudenter omnia disponebat, & vniuersos Myrenses, ad amorem & laudem illius, quem tantopere amabat,inuitabat.Hoc igitur(vt ait P.noster Aluarez de Paz) petit magnus in Christum amor,

Magna eius amor operatus est.
Li eius vita.

P. Aluarez de vita spi. vita. p. 5. c. 43.

vt

vt quis more ebrij charitate totus crapulatus,& veluti sui oblitus congruo tempore, delitias contemplationis deserat, lachrymarum imbrem contineat, desideria cœlestia dissimulet, & in publicum prodeat, vt alios Christo lucretur, & ei verbi persuasione subiiciat. Quare optimè D. Thomas in hanc rem maioris esse dilectionis indicium ait, si quis propter amicum etiam alij seruiat,quàm si soli amico velit seruire. Nam,vt ait Aluarez, amor faciens, vt seruiamus amico, est, velut fluuius alueum suum occupans,& placidè sensimque decurrens,at impellens nos, vt aliis propter amicum famulemur, est, veluti fluuius aluei angustias prætergrediens, & omnia sata,& agros inundans, qui non solùm amico sed omnibus rebus eius cupit dona & beneficia præstare.

D.Th.2.2.q. 184.ar.7.ad 2.

23. Huiusmodi sanè fuit Nicolai amor, qui ex alueo suo erumpens Christi gratia,qui animas diligit,animarum lucro inhiabat,neque interim in pauperes munificentiæ obliuiscebatur, sed,vt suprà dixi,adeo promptus erat vt illorum necessitati succurreret, vt non modò res suas illis conferret, sed frequenter etiam à ditioribus pecuniam mutuò acciperet,vt viduis & orphanis subueniret. Quid attinet dicere quomodo illis tribus innocentibus, ab Eustachio præfecto capitis damnatis instigante charitatis impetu succurrit, sumptis enim secum Constantini legatis ad locum supplicij velox contendit, cum seueritate carnificem compellans: Quid agis, inquit,scelestе,securim contine, simúlque accedens intrepidus & fiduciæ plenus, cum Regia quadam auctoritate extortam è manibus securim abiicit, & populo ad tantum, tamque præclarum facinus stupente, simúlque viri virtutem laudante, innoxios abire iubet? Quid volo recensere quanta liberauit misericordia tres legatos Constatini innocentes, in vincula coniectos ac capitis damnatos suum implorantes patrocinium. Ecce sequenti nocte Nicolaus

Lippe.in eius vita.

Vehementia charitatis in proximos.

Lippe.in eius vita.

(charitas

(charitas enim nunquam otiosa est) Imperatori per quietem apparens, ore profectò sicuti venerando, ita & terribili imperauit vt tres illos, per inuidiam accusatos, & iniuria damnatos absoluat, & pristinæ dignitati honorificè restituat. Qua sanè visione ita motus est Imperator, vt non modò vinctos liberaret, & nouis honoribus, vt æquum est, afficeret, sed ipsi insuper Nicolao Euangelium aureis exaratum literis, dono mitteret, aureúmque thuribulum gemmis & arte insigne, & duo præterea puro ex auro candelabra in perpetuum suæ pietatis monumentum offerret. Taceo quomodo præsenti naufragio periclitantibus, opémque illius humiliter implorantibus miraculo succurrit. Cùm enim nautæ turbulentis maris obruti procellis, vt scribit Baronius, clauóque destituti sanctissimi huius viri preces meritáque implorarent, ecce vir sanctissimus, qui longa itineris intercapedine in continenti ab ipso maris littore aberat, illico præsens adesse visus, arrepto clauo, nauem erigit, gubernátque & sæuientes confestim procellas placans, nautas eandem in admirationem, in quam olim ipse Dominus discipulos impulit, ita vt dicerent: quis est hic, quia mare & venti obediunt ei? Audistis quibus Deus talentis Nicolaum nobilitauit, & quomodo accepta talenta non in terra defodit, sed cum ingenti fœnore Deo restituit. Nos itaque eius nobis proposito exemplo, talenta nobis à Deo credita, ita expendamus vt cum lucro, illa Deo, in mortis hora reportemus.

Baronius 3. Annalium. Anno Domini 326.

Luc. 14.

EXEMPLVM.

24. Erat Pataræ vir genere nobilis sed fortunæ tenuis, cui tres filiæ corporis formæque venustate & morum elegantiâ longè præstantes, Virgines omnes: cœpit de illarum virginitate alienæ prostituenda libidini cogitare vt turpissimo quæstu

Lippe. in eius vita.

Digitized by Google

vitam pereuntis familiæ tueretur. Qua re intellecta Nicolaus noctu per feneſtram tantum pecuniæ in eius domum iniecit, quantum vnius virginis doti ſatis eſſet. Manè Pater auro comperto obſtupeſcens cùm tanti muneris datorem ſuſpicari non poſſet dæmonum aut callidi cuiuſpiam hominis fallaciam eſſe putat, adulterinóque ſe credit luſum auro, ſed cùm aurum digitis contrectaret, verúmque eſſe cognoſceret, incredibili lætitia geſtiens lachymas vbertim effudit. Quare primam ex tribus filiam honeſtam marito locat. Vbi verò Nicolaus virginem à periculo liberatam videret, liberabo, înquit, & reliquas, aurique tantundem noctu, vt anteà, per feneſtram immittit. Diluculò Pater cùm ſecundum aurum inueniſſet vix ſui compos humi ſupplex ſeſe proſternit illachrymans auctorem tanti beneficij Deum agnoſcens, eum, cuius miniſterio hæc dona acceperat, ſcire deſiderabat, ſtatim verò alterum ſibi generum adſciuit & tantùm ſibi, de Dei miſericordia pollicebatur vt ſeſe putaret tertiæ quoque filiæ dotem tenere manibus, & miro ereptoris ſui ex tanto peccato & miſeria cognoſcendi deſiderio æſtuabat, ſed tertia nocte Nicolaus tacito, vt aſſolebat, pede veniens per feneſtram iniecit dotem: at peruigil pater decidentis auri ſtrepitu monitus quàm citiſſimè proſiliens Nicolaum tandem fugientem aſſequitur, illiuſque pedibus aduolutus redemptorem ſuum, adiutorem, ſalũatorem pereuntium animarum flens gaudénſque compellat, quem Nicolaus lachrymantem & pedes oſculantem ægrè compeſcuit, & multis adiurationibus, vt rem nulli mortalium patefaceret, fruſtra precatus eſt.

IN

Digitized by Google

IN CONCEPTIONEM B. MARIÆ,

Concio prima.

THEMA: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Prouerb. 9.

1. CVr, obsecro, omnium rerum molitor, ac architectus Deus, posteaquam vnius voci suæ (FIAT) imperio, omnes cõdidisset creaturas, cur, inquam, cùm hominem creare voluerit, tota Trinitas, inito quasi consilio, matura deliberatione, ac singulari demum adhibita veluti circumspectione: Faciamus, inquit, hominem: hanc esse posse causam (absit tamen coniecturæ meæ arrogantia, aut diuinorum consiliorum superstitiosa ac vana indagatio) existimo, quod in hominem nimirum contraria, & sibi ex diametro pugnantia, ex quibus tanquam suis conflandus partibus erat, concurrerent, caro scilicet & spiritus, appetitus & volũtas, quibus inter se conciliandis, ac in Trinitatis perfectam similitudinem efformandis, singulari opus erat sapientia. Non absimili ratione, factum puto de constructa nobilissima hac machina Maria, &, vt cum B. loquar Ignatio, cœlesti prodigio, mõstróque, si fas ita loqui, sacratissimo, per multa annorũ millia, vel potius ab æterno, à sacratissima consultatũ Trinitate, vt in eã, tanquã diuinitatis thecã, omnes gratiarũ, donorúmq; cœlestium thesauros, plenâ coniiceret manu, & vt diuersa, maximéque inter se pugnantia, quæ tamen ad huius fabricæ domúsque Sapientiæ miraculum, ac ineffabilem pulchritudinem facerent, inaudita artificis industria irrefragabili, ac firma lege, ac fœdere, inter se, ita stabiliret, vt in vnum, perfectúmq; opus, perfectissimam Trinitatis imaginem referens, derepentè coalescerent, æternique Regis, omnibus absoluta numeris, artificiosæ efficerentur domus.

Consilio inito à Trinitate creatur homo.

B. Ignatius martyr Epistola ad Ioãnem. Cœleste prodigium & monstrũ sacratissimum B.V.

Digitized by Google

2. Quid verò inter se magis dissidet, si naturæ cursum spectemus, quàm eandem ancillam Dei & matrem: eandem matrem & Virginem, Virgã florere sine germine videre. [Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.] Florem, inquit Bernardus, filium, virgã intellige matrem, quoniam & virga floruit absque germine, & virgo concepit non ex homine, nec virgæ virorem floris læsit emissio, nec virginis pudorem sacri partus editio.] Creaturam & sui creatoris genitricem; filiã Adæ: immunem tamen vel à minima labeculæ suspicione. Hinc Bernardus: [Tria, inquit, opera fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, vt alia nec facta sunt, nec faciẽda sint amplius super terrã, coniuncta quippe sunt, ad inuicẽ Deus, & homo, mater & virgo, fides & cor humanum, mirũ est enim quomodo cor humanũ his duobus fidem accõmodauit, quomodo credi potuit, quod Deus homo esset, & quod virgo mãserit quę peperisset.] Quis insuper augustissimæ Trinitatis similitudiné ac imaginẽ magis in se expressã habuit, quàm illa, cuius perfectus à primo suæ cõceptionis instãti rationis vsus, ac libertatis arbitriiq; adeo viuax, vt perfectè Deo subiectus, ex virtutũ cõspiratione, à recta rationis trutina, nunquã aberrauerit. Hinc sibi sapiẽtia augustã ædificare domũ, & in eius abscõdito sibi tabernaculũ fabricare decreuit, in cuius fabricæ constructione, omnipotentiæ suæ singularem voluit demonstrare industriã.

Isa. 11.

Bernard. hom. 2. de B. Virgine.

Bernard. ser. 3. in Vigilia Natiuitatis.

Sibi maximè dissentanea in virgine consentanea redduntur.

Concionis diuisio.

3. In hac de Deipara Virgine Concione, quatuor dicã. Primũ, quàm solidũ huius domus fundamẽtum humilitatis ac fidei iactum, & qua insigne ex hoc fundamento assurgunt interioris ac exterioris castitatis parietes. Secundũ, quàm speciosum huic domui inducẽdũ tectũ aureis exornatũ laminis. Tertiũ, septẽ solidissimis fulciẽda columnis. Quartũ subiiciã cœleste sacrariũ à Deo fabricatũ in abscondito animæ eius. Sed vt hanc tam augustam perficiamus domum opus est Spiritus sancti gratiam per ipsius Virginis

Digitized by Google

interceſſionem efflagitare. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

4. Accedamus,ſi placet,ac ſingulas huius domus partes cominus intueamur:accedamus,inquã ac tãdem præclarũ illud noſtræ naturæ ornamentũ, gloriámq; luti noſtri,quę Euã pudore,Adã cõmiatione eximens,nóſq; in libertaté filiorũ Dei aſſeréns, à maledicto,cui omnes, antequã nati fuiſſemus,obnoxij, liberauit: Accedamus,inquã,ad illã mulieré forté,vt deinceps ſapiés mulieré illã forté nobis quærere deſinat,quæ fortis armati audaciã perfregit,caput cõtriuit,& omnes deniq; vires ita eliſit, vt iã Ieremiæ admirabundo petenti, quiſnã vniuerſæ terræ malleũ confregit,reſpõdeamus,mulieré illã forté,quam Sapiens tãto quæſiuit ſtudio: Accedamus itaq; ac contẽplemur ſpecié decorémq; eius, Dei thronũ,Virginé ſine macula, quam nunquã concupiſcẽtiæ fumus obfuſcauit,neq; vermis voluptatis læſit,& quod primũ in ædificio eſſe ſolet fundamentũ,hoc in hac noſtra domo,quam ſibi ab æterno Sapientia elegit videamus. Æterna itaq; ſapiẽtia,in altiſſimã Virgineæ terræ profunditatẽ, ſuæ domus fundamentum adeo ſolidè iecit,vt omnibus hæreticorũ machinamentis ita reſtiterint, vt ſemper inconcuſſa, ac ſuo immota loco permãſerint. Quænã verò ſint,ſi expetatis? profunda virginis Humilitas, ac ſolida Fides. Tãta fuit huius virginis humilitatis fragrãtia,vt ſuauęolentia ſua,Dei filiũ ad ſe traxerit,vti ipſa in Cãticis humiliter gloriatur:[Dũ eſſet,inquit,Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odoré ſuũ.]Nardus ſiquidem cùm frutex ſit humilis,humilitatis ſymbolum eſſe nemo dubitat. VndeRupertus tantũ fuiſſe aſſerit odoré huius nardi,humilitatis nimirũ in Virgine,vt ad ipſum Deũ in accubitu ſuo regali,in cœlis conſiſtenté peruenire potuerit,eũq; ita delectare,vt è cœlo ad Virginis gremiũ per Incarnationé traxerit. Ecce virginis humilitas, quæ ſuo tantùm odore filiũ Dei ad ſe allicere valuit. Vultis etiã eius fidem contemplari,

Fundamẽtũ huius humilitas & fides.

Maria mulier fortis quod ſapiens tanto quæſiuit ſtudio. Iere.30.

Cant.1.

Digitized by Google

hæc Angeli verbis credidit se filium Dei conce-
Rom. 4. pturam, virginitate illibata permanente, [contra spem ergo, in spem credidit:] hinc illam Elizabet beatam prædicauit: [Beata enim, inquit, quæ credidisti : beata, inquam, cuius fides ita humilitati connexa fuit, vt à se inuicem in vita separari non possint. Quare Bernardus Mariam Elizabethæ, in hunc modum respondentem inducit: [Beatam esse dicis, quæ credidi, sed credulitatis, & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis; & ex hoc magis beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus.]

Bernar. ser. de B. Virgine super illud Apoc. 12. signum magnum, &c.

D. Tho. 2. 2. q. 161. art. 5. ad 2.

Humilitas moralium virtutũ, fides theologicarum fundamentum.

5. Has verò virtutes domus spiritualis, fundamenta esse constat, vt D. Thomas asserit, ordinata, inquit, virtutum congregatio, per quandam similitudinem, perfecto comparatur ædificio, ita, vt quod primum esse solet in virtutum acquisitione, meritò fundamenti rationem habeat; vnde humilitas & fides (licèt diuerso modo: humilitas enim basis est moralium, fides theologicarum est fundamentum virtutum) cùm sint, primum in virtutum acquisitione, rectè sibi fundamenti nomen vindicant. Quanta verò & quàm profunda B. Virginis humilitas, & quàm solida eius fides, id gratiæ magnitudo qua fuit in ipso conceptionis suæ instanti donata, ac à peccati originis labe præseruata, non obscuris declarat argumentis. Quo solidarum virtutũ iacto fundamento, ita breui spiritualis ædificij reliquum excreuit, vt sua magnitudine ac gratiarum ornamentis omnium creaturarum superauerit magnificentiam. Sicut enim Deiparam in beatitudinis perfectione omnibus puris creaturis superiorem esse credimus; ita etiam in gratiæ intensione omnibus antecelluisse certum est, & sicuti constat gratiæ perfectionem humilitatis perfectioni ex æquo respõdere, quemadmodum gratiæ perfectioni beatitudinis perfectio respondet ex consequenti etiam concedamus necesse

neceſſe eſt:quandoquidem omnes omnino creaturas humilitatis laude ſuperauerit, omniũ ſimul gratiam & gloriam ſuperaſſe.Hinc Auguſtinus illam beatiorem prædicare non dubitauit,quod mente Chriſtum conceperit,quàm quod vẽtre.Et paulò inferius:fœlicius geſtauit corde,quàm carne.Et alibi maternum aſſerit nomen etiam in virgine eſſe terrenum in comparatione cœleſtis propinquitatis,quàm illi contrahunt,qui voluntatem Dei faciunt.

Auguſt. l. de S. Virg. cap. 3.

Epiſt. 38.

6. Hoc ipſum Chriſtus ipſe ſenſit,cùm mulieri dicenti:Beatus vẽter qui te portauit,reſpõdit:Quinimo beati,qui audiunt verbũ Dei,& cuſtodiũt illud; quaſi dicat,non vt Caluinus blaſphemat, qui aſſeruit hoc loquendi modo negari à Chriſto, quod dictum fuerat, quaſi neget matrem ſuam beatam fuiſſe : beatos verè eos eſſe dixerit,qui verbum Dei audiunt & cuſtodiunt. Quod ille hæretico in Sanctiſſimam Virginẽ fecit odio.Dignus certè,qui à Grãmaticis egregiè verberatus exſibiletur, qui linguæ proprietatẽ ignorans,ſui petulãtis oris venenũ in Beatiſſimam Chriſti Matrem euomere non erubuit. Poterat ille ex vno ſaltem è ſuis præceptoribus contrarium diſcere, qui rectè in hunc locum ſcribẽs declarat μακαρίους genuinam ſignificationem.Nec enim affirmat,neque negat quod dictum eſt:perinde enim eſt ac imo potius.Qui autem dicit potius vtrumque & quod dictum eſt & quod dicendum affirmat : quaſi,inquam, dicat beatiorem eſſe,qui verbum Dei audit,& cuſtodit,quàm quæ tantùm, per carnem, & non per mentis etiam conſenſum,in quo conſenſu plures recluduntur virtutes,mater Dei eſt;Ergo cùm Beata virgo ſimul, & audierit, & conſeruauerit Dei verbum, fueritque eius Mater, de qua in Euangelio : [Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo,] vtriuſque tituli ratione beata meritò vocanda, beatior quidem, quia verbum Dei audiebat & cuſtodiebat:dignitas enim matris Dei licèt maxima ſit quæ puræ cõmunicari poſſit creaturæ,quippe cùm ſit

Luc. 11. Feliciusmẽte quàm ventre Chriſtum cõcepit.

Luc. 2.

Digitized by Google

radix, origo, & fundamẽtum omnium gratiarum, donorumq; in illũ collatorũ, nihilominus tamen, si hanc in se omnibus nudam, (si nõ reipsa quod impossibile videtur, animo tamẽ ac cogitatione) donis, ac gratiis spectemus, neque sanctitatem illi, neque ad regnum cœlorum ius contulisse reperiemus, sed illam ineffabilẽ animi submissionẽ, fidémq; summa informatam charitate, qua tanquã nobili cœmento, hæc ædificij fundamenta in vnum coalescentia, in tantum sanctitatis culmen excreuisse, vt ad regnum cœlorum ius illi pepererint facilè deprehẽdamus: Beata ergò, quæ simul Dei mater extitit, eiusque verba conseruabat conferens in corde suo. Hinc è contrario infœlices

Simile. Mortũ signũ cibum eiicere, signum mortũ si irritalis Dei verbi eiectio.

sunt qui Dei verba audientes nauseabundo reiicium stomacho, nisi stomachus cibum retineat, coquat, ac digerat ac in reliqua corporis membra distribuat, mortis prænuncia accepit: sic si animæ nostræ cor cœlestem diuini verbi cibum non conseruat, non alta mentis consideratione coquit, non ardente perficiendi illud desiderio digerit, & in omnes mox dispertit hominis actiones, tantùm abest vt Christi verbum audire illi prosit, vt potius eius festinet interitum. Non sic Maria: sed tanquam cœlestia alimenta, diuini verbi magnalia, ita famelica arripiebat, vt statim animæ stomachum traiecta, diligenti conseruaret consideratione, alta mentis contemplatione coqueret, ac ardente perficiendi studio digereret, & in omnes suas actiones distribueret, hinc & beata fuit, non tantùm quia Dei mater, sed quia etiam omnia diuini verbi documenta conferens in corde suo conseruabat. Diuini ergo verbi documenta mente non retinere est cibum sumptum euomere, quod ægri admodum stomachi est argumentũ. Vnde Gregorius: [Cibus meus est sermo Dei, & quasi receptus cibus stomacho lan-

Greg. hõ. 15. in Euang.

guente reiicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur, sed quisquis alimenta non retinet, huius profectò vitadesperatur.] Beata ergo quia

Dei

Dei mater, beata quæ fidei & humilitatis solido posito fundamento, Dei verba semper conseruauit, coxit, digessit, ac in omnes actionum suarum partes distribuit.

7. Iacta sunt nostri ædificij fundamẽta. Muros itaq; ex candidissimo Chrystallo paululũ cõsideremus, qui vtrimq; miro in altum artificio, ita cõsurgũt, vt nihil hiulcũ, nihil distortũ, nihil deniq; fœdè prominẽs appareat, quippe omnes lapides, ex quibus tota domus structura constat, adeo ex æquo dolati, ac perpoliti, suis coaptati locis, per manus industrij artificis, vt tota fabrica, rectis lineis, ad perpẽdiculũ atomi fundamento respõdeat. At quis iste argẽteus lapis, quo cõstat hęc Dei structura? meritò dicemus liliũ esse castitatis, quod vti illud, cãdore suo albicãs, sese in altũ, erecto thyrso, porrigens, in florẽ induitur pulcherrimũ, qui suo albore omnes facilè flores vincat: sic ex virginea illa B. Virginis carne animæ innocentia communita, tanquã è radice pullulauit ex erecto mirissimo thyrso castimoniæ flos, omnem suo splẽdore florum pulchritudinẽ obscurans, in pulcherrimi lilij honoré sese induit & ad immensam sese porrigẽs altitudinẽ domũ hanc duplici parietis munimine interioris ac exterioris castitatis circundedit. Hinc ipsa meritò [lilium inter spinas] appellatur: inter animas enim æterno Patrî, per Christum reconciliatas, ac filiarum loco adoptatas, hæc illis comparata, quasi lilium inter spinas erumpens, quæ mente simul, ac carne, sine vllius concupiscentię titillatione semper integra perseuerauit, aliæ quidem virgines, virgines sunt, ac castæ, non tamen omni prorsus macula earum radix caret, vnde etiam earum structura, non ex leuigatis omnino lapidibus, ad perpendiculum consurgit, sed nonnihil à regula deflectens, opus habet pœnitentiæ limâ. At verò nostri lilij bulbosa radix, ita se multis virtutum ornamentis, tãquam tunicellis inuoluit, suáque aurea grana florum septo, in circuitu aduersus infectũ concu-

Muri huius domus interior & exterior castitas.

Cant. 2.

piſcentiæ halitum, ac pungentium vermiculorum carnis aculeos,ita vallare ſolebat, vt heroicas nimirum ſuas virtutes(quæ tanquam intermicantes gemmæ,in eius actionibus ſemper lucebant,) ab omni concupiſcentiæ, aut vanæ gloriæ flatu ac ab adulantium iaculis humilitatis tegumento cuſtodiret.Quo fiebat vt illæ illæſæ ſemper conſeruarentur; & ipſa nihil vnquam vel cogitaret, vel diceret, vel faceret, quod non prius rectæ rationis lima eſſet perpolitum.

Cant. 7. Venter virginis acervus tritici vallatus liliis.

8. Quàm pulchrè illud Sapientis in illam quadrat: [Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.] Verè venter tuus aceruus tritici, quia præterquam, quod omni gratiarum prole grauida eſſes,filium Dei,in quo tanquam in aceruo ingenti,infinita pene tritici grana, omnes nimirum electi continentur,aliquando in vtero geres, qui licet tibi conceſſurus ſit fœcunditatem, non auferet tamen virginitatem: ſed pulcherrimis vallata liliis ſemper perſeuerabis.Lilia ergo, pro vallo acerui cœleſtium donorum, & electorum multitudinis circundata erunt, cùm nihil ad cuſtodiendum omnium bonorum, virtutúmque aceruum præſtantius ac firmius caſtitate: Hac viſa enim diabolus trepidat, vt non tantùm de acerui rapina omninò deſperet, ſed ab huiuſmodi tanquam à capitali ſuo inimico fugiat, vnde Anſelmus docet caſtitatem caſtellum appellari & turrim muro circundatam, quæ duo ſeſe inuicem defendunt:& ait B.Virginem caſtellum eſſe, quam humilitatis turris & virginitatis muri muniunt,ac defendunt,ſéque inuicem tuentur,,turris humilitatis virginitatis murum, & murus virginitatis humilitatis turrim.Quia igitur, inquit,virginitatem, cùm libido non poteſt, ſolet impugnare ſuperbia: eſt in eadem virgine turris humilitatis, quæ à muro virginitatis omnem repellit ſuperbiam.

Anſel. homil. ſuper Euang. Luc. 10. Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum.

SECVN

SECVNDVM PVNCTVM.

Lamina charitatis aureæ domus hæc contegenda.

9. Iam secundo loco, tectum tam speciosò inducamus operi: aureis omnia charitatis contegenda laminis, vt fabricæ culmen, toti respondeat corpori, & vt opus quàm perfectissimè consummetur. Materiam nobis inflammata Virginis charitas, vt hanc Dei structuram tandem perficiamus, suppeditabit, quæ vti omnium virtutum finis ac consummatio: sic & omnium virtutum actionibus perfectionem sola potest præstare. Charitas itaque est vltimum omniũ operum ornamentum, & pulchritudo, imo vt ait Chrysostomus, est virtutum principium, & finis: ipsa est radix, fundamentum, & fastigium. Quamobrem laminæ istæ, quibus hanc fabricam contegemus quadræ erunt, ad regulam; ita vt nullus omninò hiatus in illis appareat, sed omnes sibi ex æquo quadrent, cùm iuxta diuinæ voluntatis regulam, nihil vnquam in huius Virginis actionibus deprehensum, quòd non fuerit admirabili charitatis lima perpolitum, sibique ex æquo, ita eius actiones correspondebant, vt nescias penè distinguere quænam ex illis, ex maiori charitatis vehementia proficiscerentur. Hinc etiam laminæ istæ suas pulchrè cælaturas prominentes exhibent: tanta enim interna Virginis charitas, vt nunquam latere potuerit, quin foràs semper erũperet ex interna virtutum harmonia, omniũmque intuentium in se amorem raperet: ita tamen laminarum cælaturæ, per virtutum operationes prominebant, vt illæ tabularum, id est, humilitatis, ac obedientiæ cælaturis ex æquo responderent, nunquam enim eius virtutes sine charitate manifestatæ, nec charitas sine virtutibus est.

Chrysost.

10. Quare meritò subrufi eius crines dicuntur, [Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad,] qui locus non de ipsis capris, sed de caprarum pilis accipiendus, neque de quibuslibet caprarum pilis, sed de Galaaditicarum, quæ ferè aut nigræ aut subrufæ esse solent. Quoniam verò huius

Cant. 4.

Digitized by Google

huiuſmodi color in crinibus gratus, idcircò ea ſimilitudo adhibetur, ad explicandam crinium ſponſæ pulchritudinem. Niger verò capillorum color ſignificat inexplicabilem, vt Pater noſter Blaſius Viegas interpretatur, perfectionem Virginis in cogitationibus vel minimis, quæ capillorum nomine exprimũtur: nigredo enim, inquit, obſcuritatem continet, ſimúlque aſpectum congregat: quo fit vt vna ex parte cogitationum Virginis pulchritudo ad ſe rapiat, & quodammodo congreget, & colligat vniuerſam intelligendi aciem; & nihilominus ex altera ab omni eo aſpectu ſimul vnito, & collecto, penetrari & inſpici omnino non poſſit ob ſummam nigredinem, ſiue obſcuritatem, quam tanta perfectio ſecum affert, propter quã quodãmodo eſt inexplicabilis: tanta ſiquidẽ mentis eius perfectio, & charitatis ardor, vt à ſolo Deo, qui eius menſura quodammodo eſt, intelligi ac explicari poſſit. Quare ſicut Sol ob caloris vehementiam humanæ cuti nigredinem inducit: ſic omnes penè iuſtitiæ, Solis radij ſimul collecti, ac in Virginis animam directi, tantum amoris calorem interius excitarunt, vt ob ardentes cogitationum cuibrationes eius capilli denigreſcerent: vnde de ſeipſa: [Nigra ſum, quia decolorauit me Sol, Chriſtus nimirum, cuius amore langueo: languor iſte, vt ait Bernardus, coloris quædam exterminatio eſt. Ergo inſtar vrentis Solis deſiderij ardor me peregrinantem in corpore decolorat, & excruciat amantem dilatio.] Ecce quomodo huius cœleſtis domus tectum, vno nigrorum ex amore capillorum ordine, tanquam aurea laminarum ſerie veſtiatur.

Viegas in ca. 12. Apoc.

Cogitationũ Virginis pulchritudo & perfectio inexplicabilis.

Cant. 1.

Bern. ſer. 28. in Cant.

11. Sed vt affabrè diſcriminatis laminarum ordinibus, extremam tecto apponamus manum, ſubrufis alternatim tegulis, illud operiendo: ſubrufis, inquam, Deiparæ crinibus, qui color ardens eſt, & quodammodo aureus, quo indicãtur omnes eius affectus, & cogitationes charitate ardentes ſemper extitiſſe. Et quoniam interdum fœminarum crines

vſque

vſque adeò excreſcunt, vt totum corpus cooperiant: quid pulchrius hac Sapientiæ domo, quæ diſtinctis aureorum crinium, id eſt, aurearum cogitationum & affectuum ordinibus tota cooperta, tota etiam aurea breui apparebit; imò non ſolùm aurea, ſed veluti aurum ipſum ſplendebit propter charitatis affluentiam & redundantiam, quæ in omnibus eius actionibus, quaſi aurum rutilabit. Meritò igitur tunc dicitur, [Mulier amicta Sole] amicta ardore, amicta charitatis flammis: [Calidiſſimus eſt huius mulieris amictus, ait Bernardus, cuius omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, vt nihil in ea, non dico tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem vel minus lucidum; ſed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentiſſimum liceat ſuſpicari.] Ecce huius nobiliſſimi tecti aurearum laminarum ſeries.

Affectus Virginis & cogitationes charitate aurea.

Apoc. 12.

Bern. ſer. de verbis Apoc.

12. Claui verò, quibus hæ laminæ, hoc eſt, charitatis actiones humilitatis ac obedientiæ tabulis infixæ, prorſus etiam aurei, quòd aliud nihil ſignificant quàm verba Sacræ Scripturæ cœleſtes continentia promiſſiones, & timorem Dei docentia, quibus in virtutum ſtudio Maria ſemper excitabatur. Verba itaque Sacræ Scripturæ, quæ ipſa quotidiè in corde ſuo verſabat, ita in ſuam conuertit veluti naturam, vt nulla niſi ſacra, & charitatem redolẽtia efferret verba, quibus omnes charitatis ſuæ actiones, cum humilitate ac obedientia tanquam clauis coniungebat, [Verba enim Sapientum quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.] Virtutes enim omnes tenaci charitatis glutine, inter ſe connexas ſuis ſtimulis ac puncturis, in ſuo conſeruant ordine, vt virtutum culmen deſcendẽti vitiorum nimbo, aut perflante tribulationum auſtro, charitatis laminis tectum, nullum patiatur detrimentum. Videtis nihil in hoc Sapientiæ domus tecto eſſe, quòd charitatis auro non fulguret, nec mirum, cùm ipſa domus integra aureâ charitate radiet, imò charitas ipſa, ac amor hanc Sapientiæ domum conſtituunt, cùm ipſa Virgo

Claui verba Sacræ Scripturæ.

Luc. 2.

Eccleſ. 12.

Digitized by Google

Cant. 2. ita diuino ardeat amore, vt non tantùm charitas, sed dilectio ipsa appelletur. [Ne euigilare faciãtis dilectam, septuaginta, pro dilectam transtulerunt, dilectionem seu amorem: ἀγάπην enim id significat, quo significetur Beatissimam Virginem in charitatis actu semper exercendo occupatam fuisse, ac quemlibet in eam intuentem, quamprimùm eius casto amore accendi: Meritò igitur Deipara amor ipse, siue charitas nominatur, cùm quanta sit charitas, & amor sit, tota nimirum cooperta aureis suarum cogitationum crinibus, tanquam aureis charitatis laminis. Hinc hoc Sapientiæ domus tecto affabrè perfecto ita in sui amorem cœli Regis pellexit animum, vt ligatum, & illaqueatum quasi fortissimo amoris vinculo sese fateretur: [Cæsaries capitis tui sicut purpura: Rex ligatus in canalibus.] Sic enim illud Canticorum, *Cant. 7.* [Comæ capitis tui sicut purpura Regis, vincta canalibus,] Septuaginta transtulerunt. Tanta itaque pulchritudine purpurea Virginis cęsaries radiabat, vt illa tanquam Regali ac aureo quodam vinculo Rex ille cœlestis vinciri & ligari sese pateretur, ac in castissimo eius cubili habitare delectaretur, tectus aureis crinium laminis. O quàm gloriosa domus, cuius fundamentum, humilitas & fides, cuius assurgentes vtrimque parietes corporis & animæ castitas, cuius denique tectum ex aureis aureæ charitatis laminis constat.

Quod in singulis creaturis eminens, hoc totum ad Mariæ ornamentum cõuenit.

13. Tanto Sapientia ornatu, hanc sibi extruendam fabricam, nobilitare decreuit, vt ex æternitate diligenter in creaturis sibi obiectis, quid in singulis emineret notasse videretur, vt totum illud in hanc vnicam domus suæ pulchritudinem conferret. Hinc ipsa: [Ab initio & ante sæcula creata sum.] Quid hoc Virgo fidelissima? nónne solus Deus æternus? nónne omnes creaturæ in tempore conditæ? cur itaque te, ô Virgo Sanctissima, ab æterno creatam prædicas? verè ab æterno te creatam quodammodo agnoscimus, cùm ab æterno eximiam tui Ideam Deus in sua ges-

sit

Digitized by Google

ſit mente, téq; præ cæteris puris creaturis præcipuè & prius prædeſtinauit,& ſumma cum gratia in tempore creare conſtituit: vnde te mellifluus tuarum laudum Bernardus, primogenitam Redemptoris Filiam vocat:[Primogenita,inquit,Redemptoris Filij tui Ieſu fuit Beata Virgo, & plus pro ipſa redimenda venit, quàm pro omni alia creatura.] Quid ergo mirum, ſi Deus ſingularem huius ideam ſemper in mente habuit, quam præ cæteris gratiâ & beatitudine ſublimare voluit. Quare præter exemplar illud, quod ipſe ſemper præ oculis gerebat, plurimas etiam eius imagines, multóſque typos olim Patribus præſentauit. Vnde Bernardus:[Miſſus eſt, inquit, Angelus ad Virginem, nec nouiter,nec fortuitò inuentam; ſed à ſæculo electam,ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promiſſam: Hanc enim rubus Moſaycus,Aaronis virga, Noë arca, Gedeonis vellus, Ezechielis clauſa porta adumbrarunt. Quare meritò [electa vt Sol] dicitur: nam ſicuti Chriſtus,qui verus iuſtitiæ Sol nuncupatur, qua homo,præ omnibus penitus electus eſt, omni peccato etiam originis caruit,omníque gratiâ plenus fuit:ita poſt illum præ omnibus Maria electa, ab omni peccati næuo immunis,& teſte Angelo,gratiâ plena.

Bern. ſerm. 2. ſer. 61. ar. 3. c. 3.

Bern. ſuper miſſus eſt, ho. 2.

Cant. 6.

Tertium Punctum.

14. Sed, vt nihil deſit huic Sapientiæ domui perfectionis,ſeptem eam columnis, tertio loco fulciendam demonſtrabo. Sapientia enim ſibi hanc ædificat domum: nulla, vt ait Bernardus, Sapientia carnis aut mundi, ædificat ſibi domum, ſed potius deſtruit quamcumque domum inhabitat. At illa Sapientia, quæ deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum ædificat ſibi domum: ipſam ſcilicet Virginem Mariam, in qua ſeptem columnas excideret:omnes, inquam, virtutes, & omnia dona Spiritus Sancti.]

Bern. in paruis ſermonibus. ſer. 9. Omnes virtutes & Spir. S. dona in Virgine.

Her

Hercules ad Gades vſque penetrans celeberrimas eo loco dicitur columnas ſtatuiſſe, quæ extremum orbis limitem indicarent; At Sapientia longè præſtantiores non futili gloriæ, ſed domui ſuæ columnas excidit, quæ non mundi limitem, ſed matris Meſſiæ in omni virtute ſtabilitatem adumbrarent: quæ ſeptem his fulcita columnis nullis vnquam aduerſariorum machinis ſuccuti poterit:[Nimirũ ipſa eſt,vt ait Bernardus, quondam à Deo promiſſa mulier ſerpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius planè calcanèo in multis verſutiis inſidiatus eſt,ſed ſine cauſa.Sola enim contriuit vniuerſam hæreticam prauitatem: alius non de ſubſtantia carnis ſuæ Chriſtum edidiſſe dogmatizabat: alius paruulum non peperiſſe,ſed reperiſſe ſibilabat: alius vel poſt partum viro cognitam blaſphemabat,alius Dei matrem audire, non ſuſtinens magnum illud nomen Θεοτόκος impiiſſimè ſuggillabat. Sed contriti ſunt inſidiatores, conculcati ſunt ſupplantatores, confutati derogatores,& beatam eam dicunt omnes generationes.]

Bern.ſer.ſuper ſignum magnum.

15. Sed videamus quomodo hæc domus Sapientiæ,his columnis fulciatur. Magnæ ſanè & præclaræ huius domus columnæ, quibus Chriſti mater ſuſtentata Spiritum Sanctum ſui habitatorèm, & gubernatorem agnoſcit, nam huiuſmodi columnas ſuprà naturam, & ſuprà humani generis vires ſolus ille excidere ac erigère poteſt,qui ſupra omnem naturam eſt,& omnium rerum tam naturalium, quàm ſupernaturalium habet poteſtatem.Magnæ,inquam, & præclaræ ſunt, & ſuper argenteas illas Salomonis columnas fidelium oculis pretioſæ.Prima itaque columna eſt Sapientia, quam non ex literis Maria didicit,ſed coruſco Spiritus Sancti dono,qua res diuinas & ſempiternas,quæ ſunt ſuprà captum humanum,ad ſui & aliorum vtilitatem intellexit: hæc eſt ergo Virgo ſapiens, & vna de numero Prudentum. Quare Bernardinus Senenſis, tantâ eam præditàm

Prima columna Maria, Sapientia.

Bernar.to.2. ſer.51.ar.1.c. 2.

Sapien

Sapientia asseruit, vt nihil ferè eam lateret: [Tanta, inquit, Sapientiæ claritas à Deo superinfusa est Virgini, quòd hæc septem perfectè intelligebat secundùm quosdam: Primò, naturam creatam, irrationalem: Secundò, naturam creatam rationalem: Tertiò, naturam creatam spiritualem: Quartò, naturam increatam diuinalem: Quintò, omnia quæ erant fugienda, & spernenda: Sextò, omnia quæ erant sequenda & amplectenda: Septimò, per quem modum & ad quantum gradum omnia essent odienda vel diligenda.] Quàm solida hæc Sapientiæ columna, quæ septem innititur rerum abstrusarum cognitionibus veluti firmissimis fulta basibus, maximè cùm hæc sapientia, Dionysio auctore, diuinitus Virgini infusa splendidissima & exuberantissima sit. Quod verò hæc eius Sapientia aliis perutilis fuerit, testis est Anselmus: [Erat, inquit, vt hîc quidem videtur, vtilis & necessaria fidei nostræ sapientissima Virginis conuersatio, post ascensionem Domini, inter Apostolos eius: quia licèt ipsi per reuelationem Spiritus Sancti, edocti in omnem veritatem fuerint, incomparabiliter tamen, eminentius, ac manifestius, Virgo per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat. Et per hoc multa eis per Virginem reuelabantur, quæ in se non solùm simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis Christi.] Hæc de prima columna.

Carthus. in illud Cant. 5. Ego dormio. &c.

Anselm. in l. de excellent. Virg. c. 7.

16. Secunda Sapientiæ domus columna, Perspicacitas rationis ac intellectus. Hac verò rationis ac intellectus perspicacitate in ipso conceptionis instanti donata fuit: nam hoc Bernardinus clarè demonstrat: [Ex dictis, inquit, sequitur, quod Beata Virgo etiam dum erat in vtero matris habuit vsum liberi arbitrij, atque lumen perfectum in intellectu & ratione: imò, inquit, tanto lumine illustrata fuit Beata Virgo, cùm etiam esset in ventre

Secunda columna, Perspicacitas rationis.

Bern. tom. 2. serm. 51. c. 2.

Digitized by Google

matris;quod non tantùm plena fuit lumine rationis; sed etiam altissimæ contemplationis.Si enim omnes Angeli ipso instanti quo sunt conditi intelligendi vsum habuerint, quis negabit in hoc Beatissimam Virginem illis parem fuisse? Nónne ideò amicta Sole dicitur: amicta, inquam,omni ex parte, quia siue in vtero siue extra vterum Solis, id est, rationis splendore,intellectus lumine ac gratiarum coruscatione semper viguit. Si enim Ioannes, vt Carthusianus argumentatur, adhuc in vtero matris Christum cognouit,& exultauit;vsu rationis miraculosè præuentus; cur non amantissima Dei, quæ à nullo illustrium vincitur, imo superat vniuersos, credatur ex supernaturali illuminatione, ante solitum tempus vsu rationis frequenter præuenta,& ante coætaneas suas assiduum, & completum rationis vsum sortita: cùm, teste Bernardo, quicquid priuilegij aliis creaturis conceditur fas non esse suspicari tantæ Virgini denegari.Hæc de secunda rationis ac intellectus perspicacitatis columna.

Virgo in vtero matris rationis vsu donata.

Carthu. in l. de laudibus Virg. art. 12. tom. 1.

Bern. Epist. 174.

17. Tertia Sapiẽtiç domus columna, Consilij dexteritas. Si enim filius eius magni consilij Angelus, etiam & mater per donorum eius participationem magni consilij meritò dicetur quæ fuit Apostolorum magistra & Consiliaria, idque maximè à Filij sui ascensione. Vnde Dionysius: hoc, inquit, præclarissima sponsa, Verbi æterni Sanctissima Virgo præeminenter dicere potuit: Ego dormio & cor meum vigilat, quia contemplatissimam vitam duxit, & ab exteriori tumultu, omníque inordinato strepitu & cura superflua atque inquietudine culpæ penitus abstinens & sopita, vigilantissima mente Deo vacauit, pro Ecclesia exorauit, actibúsque virtutum in termino excellentiæ perfectissimis iugiter fuit intenta.Denique in somno corporali cor eius peruigil fuit, & ex assidua assuefactione perfecta, insistendi diuinis, ex ardentissima & exercitatissima charitate, ex splendidissima

Dion. in illa verba Cant. 5. Ego dormio, &c.

Digitized by Google

didissima & exuberantissima Sapientia sibi infusa, & contemplatione in vigiliis, penè aut prorsus continuè etiam tempore somni vigili corde fuit Deo coniuncta.] Quàm dexterè huiusmodi in Deum semper absorpta Apostolis ac Ecclesiæ consilium dare potuit, illósque dirigere. Ex tunc, inquit Rupertus, id est, post ascensionem Christi, Beatæ Virgini fuit tempus loquendi & hoc amicis, id est, Sanctis Apostolis, & talia loquendi, qualia prius portare non potuissent. Quod sciens ipse filius hominis, dixerat quodam loco; Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: Vbi venit Spiritus veritatis, primus quidem & Princeps ipse, illos omnem veritatem docuit; sed & ipsa Beata Virgo testimonium suæ vocis adhibuit; & taliter locuta est auribus fidelibus, vt proinde rectè dicat dilectus eius: fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua, emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum, fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Quid, obsecro, Apostolis locuta? quid consilij illis dedit? nónne vt sicuti ipsa nec iota, nec vnum quidem præteriit legis diuinæ apicem, sed omnia diuina mandata, & magna & minima perfectissimè seruauit, nullum ne veniale quidem peccatum commisit, illúmque statum in vita est assecuta, quem Nazianzenus omnem humanæ naturæ modum superare asserit: sic illi ad amussim omnia obseruantes omnibus Sanctimoniæ exemplo præluerent: hoc est illud testimonium suæ vocis illis exhibitum salutaria vitæ documenta. Quare eius labia ob incredibilem consiliorum suauitatem ac dulcedinem distillanti fauo comparauit: Fauus verè erant per amoris dulcedinem distillans, per consilij affabilitatem: distillans, inquam, non effusus, quia licèt multa ac mira didicerit: paucissima tamen locuta legitur, illáque præmeditatò & habitâ loci, temporis ac

Rupertus in c. 2. Matth.

Ioan. 6.

Cant. 4.

personarum ratione quodammodo distillare solebat. Hoc satis de tertia Sapientiæ domus columna.

18. Quarta huius Sapientiæ domus columna est, Fortitudo. Si enim in Scriptura Iudith fortitudo laudatur, quòd vnius ciuitatis Bethuliæ acerrimum superauerit hostem, Holofernem nimirum, quibus laudibus huius Virginis fortitudinem efferemus: quæ non tantùm vnius ciuitatis, sed potius vniuersi hostem, malleum illum vniuersæ terræ deuicit, prostrauit, ac penitùs eneruauit: ac de eo omnibus modis triumphauit. Quare Augustinus, [Cùm nemo, inquit, succurreret, ad fœminam causa reuertitur, & origo per originem detruncatur: origo peccati per genitricem Christi. Meritò ergo Moyses, postquam scripserat peccatum, per fœminam à serpente seductam, in orbem ingressum, protinus alteram nobis proposuit fœminam serpenti inimicissimam, per quã peccatum expulsum, & iustitia in orbem est introducta. [Inimicitias (inquit Deus) ponam inter te & mulierem.] Quare cùm Beatissima Virgo nihil commune cum diabolo habuerit, ei omni ex parte bellum mouit: in omni genere inimicitias cũ eo gessit, & in omni materia eum deuicit: definat ergo Sapiens mulierem fortem amplius quærere, nam hæc tantæ fortitudinis censetur, vt non aliqua pars eius, sed tota corporis eius compositio similis esse palmæ victoribus debitæ dicatur. [Statura tua assimilata est palmæ,] hoc est, vt exponit P. Basilius Viegas, omnis tui corporis compositio palmam & victoriam refert. Itaque quacunque ex parte te aspicio, tota mihi palma quædam & victoria videris: quia nihil in te est quòd non glorioſam victoriam de antiquo serpente consequatur. Accedit & illud, quod palmæ folia omnia sunt instar gladij, quò fit vt rectè Virgini conueniat ob multiplicem eum serpente pugnam multiplicémque victoriam: omnia enim huius Virginæ palmæ folia, omnia

Aug. ser. 17. de Natal. Domini.

Cant. 7. Viegas in ca. 12. Apoc.

nia, inquam, in omni genere eius opera gladij erant ancipites & fortissimi, quibus antiqui serpentis iugulum etiamnum petitur. Quare Ecclesia illam sibi ob fortitudinem ac amorum præsidium quasi inexpugnabilem turrim proponit, ad quam omnes cùm ab hostibus obsidentur, sese salutis causa recipiunt. [Sicut, inquit, turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea cum omni armatura fortium. Sicut ergo turris Dauid, firmissimis munita propugnaculis, ac omni armorum genere instructa, hostium ridet impugnationem: Sic Mariæ collum in eminenti sui corporis parte tanquam turris collocatum; ita spiritalibus circumcinctum est præsidiis ac diuinis munitum armis, vt diaboli in se machinationes despiciat, eósque qui sese semel in eius tutelam receperunt ita defendat, vt ex illa, tanquam ex fortissima turri, omnes animæ suæ hostes debellent. Quare quotquot fortissimi milites ac duces in Ecclesia extiterunt, eius intercessione, adeò de hostibus triumpharunt, vt tandem vno orationis globo omnes eorum insultus repellerent; in cuius triumphi memoriam victorias suas Virgini acceptas, habentes arma sua ex huiusmodi turri, quasi ex tholo suspendere solent. Hoc ipso attestantes, se Virginis potissimum beneficio de hostibus, tum animæ, tum corporis victoriam reportasse. Vnde meritò alij transferunt ex Hebræo; quæ constructa est ad disciplinas, siue quæ constructa est ad docendum transeuntes: quoniam, vt ait Viegas, quicumque ad hanc turrim aspexerint, viderintque tam multa intercessionis eius monumenta, cognoscent facilè quantum spei sit in Virginis præsidio collocandum. Quid enim, quæso, aliud vident, qui templum Virginis ad aquas Lupias, Lauretanum Montis Serrati, & Sichemésis in Belgio

Cant. 4.

Virginis tutela turris refugij.

Milites ac duces Ecclesiæ victorias suas Virginis referunt.

In Virgine quantùm spei collocandū.

ingrediuntur,quàm huiuſmodi clypeos, & armaturam fortium è turri ſuſpenſam, arma videlicet omnis generis,compedes, vincula, linteamina mortuorum, quæ inuicta huius turris præſidia omnibus tranſeuntibus clariſſimè teſtantur. Hactenus de quarta Sapientiæ domus columna.

19. Quinta huius Sapientiæ domus columna eſt Scientia,qua mores inſtruuntur, & quid in quouis ſtatu aut viuendi modo liceat, quid non liceat, quid bonum,quid malum ſit, & inter mala, quid leue peccatum,quidve graue crimen,ſtudio & labore diſcernimus. Huiuſmodi ſcientia tanquam firmiſſima columna Beatiſſima Virgo ſemper fulta fuit, qua aliorum mores inſtituit, & quid in ſuo ac aliorum ſtatu & modo viuendi liceat, quid non liceat didicit omne bonum amplectendum & omne malum fugiendum,& inter mala ipſa,quid leue,quidve graue facilè intellexit,& docuit. Hinc Eccleſiæ magiſtra ac commune mundi propitiatorium conſtituta eſt, quæ altiſſima illa ſibi collata ſcientia, quid omnibus proſit, quid noceat,probè percipit: Faciamus, ait Dominus,homini adiutorium ſimile ſibi, fecítque Euam, quæ non iuuit hominem, ſed euertit. *Gen.2.* Aliud itaque homini adiutorium ſimile illi fecit Dominus, Virginem nimirum Deiparam naturæ eiuſdem omni cumulatam gratia ac ſupereminenti præditam ſcientia, quæ vniuerſi generis ſui atque adeo totius Eccleſiæ ſingulare in terris adiutorium extitit,& hodie etiam in cœlo: Nó enim Pincernarum Pharaonis præpoſito ſimilis, quæ ex carcere mundi huius in cœleſtem æterni Regis aulam tranſlata ſui Ioſephi,id eſt,generis humani, nequaquam obliuiſcitur. *Gen.40.* [F Nunquid, ait Petrus Damianus,quia ita deificata, ideo noſtræ humanitatis oblita es? nequaquam Domina, non conuenit tantæ miſericordiæ tantam miſeriam obliuiſci, quia & ſi ſubtrahit gloria, reuocat natura, non enim ita memoraris iuſtitiæ Dei ſolius vt miſericordiam non habeas, neque

Dami. ſerm. 1. de Natiui. Virgi. *Non obliuiſcitur noſtri Deipara.*

que ita es impassibilis vt sis incompassibilis. Naturam nostram habes non aliam, & iustum est vt de rore tantæ pietatis diffusius infundamur:] Tanta ergo misericordia cum nostræ miseriæ scientia coniuncta nostri obliuisci non poterit. Nouit ipsa nos peccatis quotidie obnoxios & naturæ vitiatæ impulsu in illa propendere, nouit & suæ misericordiæ dexteram ne labamur supponere, quæ eum vitæ statum, qui omni prorsus peccato vacat, filij sui beneficio arripuit, ipsa cadere non potuit, ac proinde nostri statum peccato obnoxium ignorare nequit, cùm peccatum omnis ignorantiæ sit mater à quo illa penitus immunis est, iuxta illud Bernardi: [Ego, inquit, puto, quod & copiosior sanctificationis benedictio in Virginem descenderit quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem.] Quare meritò Damascenus omnis gratiæ ac scientiæ montem Virginem appellat: [Virgo, inquit, mons est ille, qui collem omnem ac montem, id est, Angelorum & hominum gratiæ & scientiæ sublimitatem exuperat: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, in quo, inquam, omnes sapientiæ & scientiæ thesauri reconditi sunt. Hæc de quinta sapientiæ domus columna.

Bernard. Epist. 174. Mariæ ab omni peccato immunis.

Damasc. oratione prima de Natiui.

20. Sexta huius sapientiæ domus columna Pietas. Hac sanè tanquam fortissima ac inexpugnabili columna hæc Sapientiæ domus semper stabilis fuit. Hinc Anselmus exclamat: [O benedicta tu inter mulieres, quæ Angelos vincis puritate, Sanctos superas pietate] in capite eius coronam stellarum duodecim vidit Ioannes, vt fausta hac syderum coniunctione intelligamus nihil in Virgine esse, quod amorem, misericordiam & pietatem non spiret. Quare Bernardus: nihil austerum in Virgine, nihil terribile, tota suauis est, omnibus misericordiæ sinum aperit vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionē, æger curationem, tristis consolationē,

Anselm. in Inuocatione Virgi. Sydera coronæ Virginis piissimè in terras influunt. Bern. ser. de verbis Apoc.

peccator veniam, iustus gratiam, tota Trinitas lætitiam. Videtis quanta pietate in terras hæc influant sydera, quæ in pientissimo Virginis signo coruscant. Quemadmodū sol benignissimè oritur super bonos & malos: ita Virgo amicta sole omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam, omnibus piissimā præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodā miseratur affectu. Si tanta fuerit Virginis pietas dū adhuc inter nos mortales existeret, quanto magis iā in cœlo regnantis. [Magna, inquit Bonauentura, fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exulantis in mūdo, sed multo maior erga miseros est misericordia eius iam regnantis in cœlo. Maiorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam. Vnde pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra vt luna, pro splēdore verò posterioris misericordiæ, est electa vt Sol. Nam quemadmodum sol lunam superat magnitudine splendoris: sic priorem Mariæ misericordiam, superat magnitudo posterioris. Quis est super quem sol non luceat? Quis est super quem misericordia Marię non resplendeat? ad quem eius pietas non pertingat. Hæc satis de sexta sapientiæ domus columna.

Matt. 5.

D. Bona. in speculo Virg. c. 8.

Misericordia ac pietas Virginis maxima.

21. Septima denique huius Sapientiæ domus columna est, Domini timor, hac etiam timoris filialis columna hæc Sapientiæ domus semper sustentata fuit, timor enim hic iustitiæ siue virtutis basis quædam est, vt indicat D. Augustinus: [Basis, inquit, quædam verbi est timor sanctus: sicut enim simulachrum aliquod in basi statuitur & tunc maiorem habet gratiam cùm in basi statua fuerit collocata, standique accipit firmitatem: ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur in pectore timētis Deum.] Licèt Beata Virgo iustitiam amittere (Deo id ordināte) non potuerit, timore tamen hoc minimè caruit qui ad Angeli cōspectum trepidauit. Est præterea fundamentum salutis Tertulliano

Aug. p. ſ. 118. Timor Dei iuſtitiam cō ſeruat, fundamētum eſt ſalutis & virtutum baſis.

Tertulli. de cul. fœm. c. 2.

auctore

Digitized by Google

auctore, [Qui præsumit minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris. Qui securus agit non est sollicitus, non possidet tutam & firmam securitatem. At qui sollicitus est is verò poterit esse securus.] Hinc Beatissima Virgo à teneris sese in Domini templum recepit, suamque illi castitatem nuncupauit, vt cum timore Dei secura viueret. Deum ergo time, monet Ecclesiastes, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.] Hoc timore sancto & sanctificante, quem ex charitate pióque affectu, circa Deum qui leges tulit & mandata sua seruari instituit, Deipara habuit cæteris adiuncto columnis hanc sapientiæ domum ab omni inimici irruptione saluam incolumemque semper seruauit. *Eccle. 12.*

22. Vtinam & nos in animæ nostræ meditullio sic Regiam etiam Deo fabricemus domum, ad huius sapientiæ domus exemplum? quod vt à nobis diligentius in posterum fiat quominus illam sapientiæ domum intueamur, singuláque iam visa ac videnda recolamus. Videte iam ab ipso primo introitu Dei nostri & amœnum & luculentum domicilium, cuius summa tabulata citro & ebore, auro purissimo perlitis artificiosè cælata subeunt, aureæ illæ septem columnæ à sapientia excisæ, septem scilicet Spiritus sancti dona, quibus mirum in modum non tantùm ornatur, sed tota etiam fulcitur domus. Parietes omnes argenteo castitatis conteguntur cælamine, interlucentibus flammæ charitatis euibrationibus more veluti stellarum, intertextis incensæ orationis pyropis. Hæ sunt aulææ huius domus, & Virginis splendida nuptialis vestis, quæ laureola Virginitatis intermicante prominet, per quæ tanquam per subtilia & acu picta tapetia ipsa Virginis animæ pulchritudo emicat. Hinc feralis illa bestia septem minitans cornibus, hominésque ad septem mortifera impellens peccata, elisis iacet viribus. *Quàm pulchra sapientiæ domus.*

Digitized by Google

Illinc ſerpentis antiqui contritum caput: Iſthinc Babylonica illa meretrix, quę propoſito nobis fœdo voluptatum illice ad defectionē nos ſollicitat, Mortifero inſuper imbutum veneno aureum propinans poculum, omni detecta fraude vermiculato depicta ad viuum emblemate oculis introeuntium obiiciūtur. Mirus prorſus magnæ artis homo, vel certè Deus, qui magnæ artis ſubtilitate tam inſigniter efferrauit tapetia. Coniiciamus in ipſa pauimēta oculos, quæ pretioſo admodum lapide cæſim diminuto in varia picturæ genera diſcriminātur. Ex hoc pauimento, Virgineo, inquā, vtero aſſumptus eſt lapis ille angularis, qui cæſim in infinitas cōciſus penè partes inimicorum flagellis ac improborum ore pluſquam ſacrilego diſſectus ex integro diuinitus reſtitutus, omnium carbunculorum ſuperans ſplendorem, lucernā factus eſt omnium beatorum. Iam cæteræ domus partes longè latéque diſpoſitæ ſine pretio pretioſæ, totíque parietes aureis ſolidati maſſis, ita ſplēdore proprio coruſcant, vt diem ſibi, ſole etiam nolente, domus hæc ſapientiæ faciat, ſic cubicula, ſic porticus, ſic ipſæ valuæ fulgurant, vt aliunde ſibi non emendicent ſplendorem, ſed ſole ſuo colluceāt.

QVARTVM PVNCTVM.

23. Veniamus, ſi placet, ad ipſum ſacratium, ac cœleſte à Deo fabricatum tabernaculum in abſcōdito animæ eius collocatum, quod quarto dicēdum loco propoſui, & quāuis fas ſit nemini illud ingredi, eminus tamen contemplari licebit. Accedamus itaq; paulo propius ac loci oblectatione inuitati aliquāto fidentius, nō tamen ſine ſacro horrore intra ſaltē tabernaculi veſtibulum ſeſe quiſque faciat, & perlectante pulcherrimæ viſionis ſtudio per rimulam aliquam aut feneſtellam cuncta miretur, & tacitè ſecum notet vniuerſa, procul tamen abſint ſcarabæi & voluptuoſi canes, nec audeant vel eminus illibatam

illibatam puritatis matrem intueri: multo minus eius interiores suauitates cominus spectare. Iis loquor, qui aliquando Christi matrem, Angelorum Reginam verbis tantùm suam profiteri patronam præ se ferunt, cùm moribus tamen ac studiis vsque adeo eam negent, vt veluti abortiuos ac spurios emortua iam anima Ecclesia mater è suo eos incipiat eiicere vtero, quique posteà sese tanquam putrida membra è Christi corpore resecantes deposita nequitiæ larua palam faciunt carnem non Mariam se coluisse, ventris curam non mentis habuisse, quos vt fugiamus tanquam pestes exitiales, bonorum Mariæ alumnorum vestigiis insistentes ab Apostolo monemur: [Obseruate eos, inquit, qui ita ambulant sicut habetis formam nostram: multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.] Vos verò quorum conuersatio in cœlis est vt simul mecum ad hoc Sapientiæ sacrarium contemplandum congrediamini, inuito: si prius tamen calceamenta deponamus: terra enim, quam calcaturi sumus, sancta est. *ad Philip. 3.*

24. Ingrediamur itaque hoc amœnissimum æternæ Sapientiæ sacrarium, non humanis, vt scitis, manibus, sed diuinis ædificatum artibus; ingrediamur, inquam, saltem cogitatione, vt quemadmodum Deus Moysi præcepit, dicens: [Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est:] sic illud tacita nobiscum consideratione inspicientes in nostræ animæ medio, prout à nobis fieri poterit, illi simile fabricemus. Admirandum hoc Sapientiæ sacrarium in Beatissimæ Virginis anima non aliquis Moyses sed Deus ipse sibi & nobis fabricauit secundum exemplar quod ab æterno non in monte, sed in mente habuit, cuius idea ab æterno in diuino exsculpta fuit pectore. Materia quidem ipsius sapientiæ domus ex illis excelsis Genealogiæ arboribus quas *Exo. 25.*

Matthæus,

Digitized by Google

Matthæus,& Lucas in ſuo Euãgelio recenſet ſuppeditata Patriarchæ, nimirum illi cæteríque in eo collocati ordine Abrahã,Iſaac Iacob & Dauid.Sed lõngè alia huius Sacrarij materia cœleſtes omnino virtutes quibus eius anima mirum in modũ coruſcauit è quarum concinna ac eleganti cõſtructione diuino artificio admirandum ſeſe erexit Deo ſacrarium. [Oportebat enim,vt ait Damaſcenus,prius palatium præpararí,atque ita Regẽ adeſſe.]En iam propius fimus ſapientiæ ſacrario;quid quæſo veſtris obtutibus primo ſe loco offert?nõne altrinſecusSacrarij horrea ſublimi fabrica perfecta magníſque congeſta gazis conſpicitis? Hic eſt theſaurus ille gratiarum quam Sapientia ante ſe præmiſit vt ſuæ domus neceſſitatibus ſupra modũ ſatis eſſet proſpectũ.Nihil eſt quod hîc non reperietis.Aliud mihi præter cæterã tantarũ diuitiarũ admirationẽ obiicitur,& quod præ cæteris mirificum penitus videtur. Contemplor enim tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas quaſi in abſcondito Sapientiæ Sacrarij in diſtinctis tribus veluti officinis in tribus ſcilicet Beatiſſimę Virginis potentiis varia inſtrumentorum generaſcertatim excudentes,alia in ſalutem eorum,quibus Chriſtus ſalus, alia in vindictam eorum , quibus eorum culpâ poſitus eſt in ruinam & ſcandalum. Hinc fontem ſeptemplici alueo delitiarum plenum in Sanctorum animas argentea influẽtem ſcaturigine quod pectora ſua ſeptemplici Spiritus ſancti dono in hac vita ditauerint ; illinc vaſtiſſimum ſulphure & pice ebulliens ſtagnum reproborũ durum receptaculum. In medio vtriuſq; ecce mater agni cœleſtis Virgo eximia coruſcans ſpecie veſte in magnam expanſa latitudinem ſub qua deuotam ſibi ſobolem continens materno amplectitur affectu,eóque quaſi ſuæ gratiæ ac charitatis tegumento confouet , ne euibranda breui terna Trinitatis fulmina vnum in ſuperbos , alterum in laſciuos,tertium in auaros ei noceant, & ſi quando contingat è ſuis aliquem labi , protectionis ſuæ ſcutum erigit,

Damaſc. oratione 3. de Natiuitate Mariæ.

erigit, vt collimandum in eum fulmen illo excipiat, quem posteà lachrymarum ac pœnitentiæ aquis ablutum filij fauori restituat.

25. Quare non immeritò illâ platano iuxta aquas exaltatæ comparatur ; [quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.] Platani enim folia scutorum speciem referunt, vti Hugo Cardinalis obseruauit. Sicuti ergo tot quasi scutis platanus cingitur, quot foliis vestitur, sic Beatissima Virgo tot clypeis munitur quot prærogatiuis exornatur, quo fit vt & Virginis osores qui eam impuri oris detractionum gladiis insectantur in scuta innumera & instar foliorum implicita, totámq; Virginem protegentia necessariò incurrant, & vt qui ad huius platani vmbram peccatores confugiuut, sub innumeris veluti scutis protecti lateant donec Deo pœnitentię lachrymis abluti, quę semper in promptu sunt ad illam confugientibus, iuxta gratiarum aquam collocatam reconcilientur.

Eccl. 24. Maria platanus.

EXEMPLVM.

26. Vir quidam diu Deo deuotus ordinem Cistercienſem intrauit, in quo etsi diu sanctè vixit, tamen tandem tentatione victus succubuit, qui ad cor rediens lachrymis ac precibus Virginem defatigãs, cùm in mentis excessum raperetur, glorioſam vidit Virginem, & in brachio eius quasi lactẽtem puerum speciosissimum, cumque animaduerteret pro se matrem filio supplicantẽ, institit ipse vt ad gratiã prioris vitæ rediret. Sed cùm puer quasi renitens vultum auerteret, & mater è contrario puerum in alterã brachij partem transferret, vt commodius pœnitentis vultui pueri vultum exhiberet, illéque iterũ atq; iterum vultum auerteret, & auersum mater frequentius gyraret, ac tandem post miram ac longam supplicationem euicit mater filiũ vt vultum suum pœnitenti serenum exhiberet, peccatumque penitus deleret, ita vt ad vitæ prioris statum ac gratiam derepentè

Ex lib. 1. Apum c. 29. par. 25. Speculum Mag. Exemplor. tom. 1. dist. 5. exemp. 64.

pecca

peccator rediret. Quid mirum? Mariæ enim speciali
Iob.9. priuilegio concessum est, vt secundum Propheram vtrumque arguere possit, & manum ponere in ambobus.

IN CONCEPTIONEM B. Mariæ,

Concio secunda.

THEMA: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo, in longitudinem dierum.* Psal. 92.

Inno. serm. 3. de dedic. templi.

1. INnocentius tertius docet, tres esse domos: Est, inquit, domus numinis, & est domus hominis, & est domus dæmonis: Domus numinis per gratiam; domus hominis, per naturam; domus dæmonis per culpam fabricatur.] Primam, Psalmista, domum, perpetua fultam sanctitudine, esse debere significat inquiens: [Domum tuam, Domine, decet
Ps. 92. sanctitudo, in longitudinem dierum.] Huiusmodi sponsus domo, ab ipsis fundamentis pulcherrimè sibi ædificata, exclamat: Quàm pulchra es amica mea,
Cant. 4. quàm pulchra es!] Quàm magna, obsecro, erit illa pulchritudo, quam Deus, qui nomine sponsi hic intelligitur, veluti quadam admiratione, & stupore
Singularis Mariæ pulchritudo. commendat. Quàm pulchra es, inquiens, amica mea. Pulchra in Conceptionis tuæ fundamento, in sancta Annæ terra iacto. Quàm pulchra es, & in corpore, & animo. Hæc enim pulchra vocis geminatio singularem, & corporis, & animi formositatis magnitudinem indicat. Quàm pulchra ergo es amica mea, quàm pulchra es. Pulchra in fuga omnis mali, & pulchra in desiderio & prosecutione boni, pulchra dum ad teipsam ingrederis & pulchra dum ad exteriora progrederis: pulchra dum amore Deum complecte

complecteris, & pulchra dũ ex charitate proximum diligis: pulchra dum sectaris tui ipsius maiorem quotidie perfectionem, & pulchra dum perfectissima existens non deseris humilitatem. Prorsus in omnibus pulchra, quæ siue ea, quæ ad te pertinent, cures, siue in his quæ ad proximos attinent occuperis, semper Dei oculis, qui omnino falli non possunt, pulchra videris, pulchra diligeris, pulchra prædicaris. Et paulo post: [Tota pulchra es & macula non est in te] quo coniunctim, quę superius diuisim dixit, complexus est, quasi dicat, tota pulchra es, in tua & filij conceptione, cuius pulchritudinis quasi certissimum subdit argumentum: [macula non est in te] quæ tanquam effectus certò consequitur ex peccato originis. Domum enim tuam, Domine, decet, &c.

2. Cũ autem indubitatũ sit, Beatissimæ Virgini concessum omnes vitandi peccati maculas, priuilegium, toto vitæ decursus indubitatum etiam iuxta Augustini sententiam nunquam illam originis peccato contaminatam fuisse. Docet enim sanctissimus ille Doctor ac Theologorum vertex, neminem in ætate virili posse liberum esse à peccato actuali, nisi qui in ætate infantili peccato caruerit originali, tantumque esse dicere, de adulto, peccatum non fecit, quantum, si diceretur, peccatum nunquam habuit, Cùm ergo certa fide constet Beatissimam Virginem nullum vnquam peccatum feciſſe; ex Augustini sententia etiam sequitur nullum etiam vnquam peccatum habuisse: nec immeritò: Domum enim tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum.

Augusti. l. 5. contra Iuli. cap. 9.

Probatur ex Augustino libera fuisse semper à peccato originis.

3. De secunda nimirum hominis, domo, beatus Iob agit, vbi comparat nostri figmenti fragilitatem, cum Angelorum firmitate: [Ecce, inquit, qui seruiunt ei non sunt stabiles.] Ecce supremi Spiritus, & Dei ministri, quorum præstans & præclara est natura, & constitutio, nullam tamen consistendi stabilitatem neque firmitatem habent, nisi à Deo creatore & bonorum omnium auctore fulciantur & confirmentur

Domus hominis ex terra. Iob. 4.

[Quanto:

Digitized by Google

[Quanto magis qui domos habitant luteas & terreum habent fundamentum,]Quanto,inquam, magis homines vilioris,atque imbecillioris materiæ,ac naturæ instabiles erunt, quorum præclara pars animus scilicet,lutea corporis domo,veluti carcere inclusa, custoditur,sordido sanè vilíq; domicilio, & ad paucos dies breuissimæ vitæ comparato:cùm longè præstantiores illæ cœlestes intelligentiæ cœli Empyrei incolæ,ex tanta fastigij altitudine in barathri imum ruerint præcipites.Fragili itaque nostræ domus fundamento,peccati ariete,succussio, statim cateruatim in tartarum ruissemus; nisi tantæ fragilitatis creator recordatus,nostri, tanquam benignus Pater,misereretur:[Quomodo miseretur Pater filiorum,misertus est Dominus timẽtibus se.]Sicut enim parentes carnis nostræ intimo, & inuicto quodam affectu infantium suorum miseriarum miserentur , eorumque infirmitates,& insipientiam tolerant; sic nostri Dominus miseretur,quorum quotidiana errata,non vt injurias suas respicit,sed vt ægritudines filiorum considerat. [Ipse enim nouit figmentum nostrum.] Probè,inquam , nouit nos ex terra compositos, carnem mortalem variis obnoxiam concupiscentiis gerere, ac proinde misericordia nos dignos esse censet. Ecce domus hominis.

Ps. 102.

Matth. 12. *Domus demonis scopis mundata.*

4. De tertia apud Mattheũ sic dæmõ loquitur:[Reuertar in domum meam vnde exiui.] Domus hæc scopis mundata & ornata , sed vacua esse dicitur, quia supina solemus negligentia & incuria conseruandæ gratiæ, hostem in mundum Dei habitaculum intromittere, & cùm fortis armatus negligentes sic, & dormientes nos inuenit,sese sensim in animam insinuat,donec plenam quasi animæ possessionem consequatur,tunc demum in pace sunt omnia, quæ possidet.Tantæ ruinæ vtinam animæ nostræ per nostram socordiam non pateant.Hæc de domo dæmonis.

5. Tria in hac de B. Virgine Concione dicturus sum.Primum,quàm sancta fuerit : secundum , quàm nobilis

Digitized by Google

nobilis, quæ ad æterni filij matris titulum euecta. Tertium denique quàm diues, quæ virtutum ac gratiæ ornamentis omnes puras ſuperauit creaturas; Quæ vt ad Dei maiorem gloriam animarumque ſalutem dicam, imploranda nobis Spiritus ſancti gratia per ſanctam hanc, nobilem, ac diuitem interpellatricem, recitando ſolitam Angeli ſalutationem. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

6. Quàm ſancta, quàm nobilis, quàm diues illa domus eſſe debet, in quam ſeſe tota Maieſtatis plenitudo inferre decreuit: [Domum (ſanè huiuſmodi) decet ſanctitudo in longitudinem dierum. Decens enim erat, vt ait Anſelmus, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret: cui Deus filium ſuum ita dare diſponebat, vt eſſet vnus, idemque Dei Patris & virginis filius.] Hinc ſancta eſſe debuit in ſuo fundamento, hoc eſt, in primo eius cõceptionis inſtanti; debuit, inquam, ſine vlla originis macula cõcipi: [Non eſt enim Maria (vt ait Cuſanus) deleta de libro mortis, quia nũquã in eo ſcripta fuit.] Sed ſemper ab æterno in libro vitæ per æternã prædeſtinationem inſcripta fuit. Primum nomẽ in libro illo ſcriptũ nomẽ IESVS eſt. Secũdũ, poſt illud nomẽ MARIA. Primus enim prædeſtinatorũ, omniumq; caput eſt Chriſtus. Secũdũ poſt Chriſtum locum nobiliſſimũ Sanctiſſima virgo inter prædeſtinatos habet. Cùm enim Deus hominis peccatum præuidiſſet, opémq; illi per incarnationem verbi ferre ſtatuiſſet: Chriſtum primò ſine macula in ſua conceptionẽ, virginẽ deinde, ſpeculũ (vt vocat Eccleſia) ſine macula, illius matrem ad ſummã gratiam & gloriam prædeſtinauit. Cuius rei argumentum eſſe poteſt illam ex ſterilibus natam parentibus. Ait enim Beda: Matres ſteriles peperiſſe, vt miraculo natiuitatis, natorum dignitas noſceretur; & probarentur ſublimes in vita futuri, qui in ipſo vitæ exortu conditionis humanæ iura traſcenderet. Ex ſterili ergo Anna

Pſ. Anſel. l. de concept. virginali. c. 18.

Nic. Cuſan. lib. 8 exercitationum.

In ſua conceptione ſancta fuit.

Beda hom. in vigil. Ioan. Bapt.

Digitized by Google

virgo concepta est, vt conceptionis miraculo, eius illustrissima dignitas, in vtero adhuc materno existẽtis significaretur; vtque ea quæ non hominum solùm capacitatem, verùm Angelorum etiam omnium trãscendunt, in ipsa etiã cõceptione cõditionis humanæ iura excederet. Sancta ergo fuit in suæ conceptionis instanti, sanctior in natiuitate, sanctissima in sui filij cõceptione. Quare vt esset corpore & mẽte sancta, & virginitatis & humilitatis donũ accepit, vt auctor est Bernar. [Vt esset (inquit) sancta corpore, accepit donũ virginitatis, vt esset & mente, accepit & humilitatis. His gẽmis ornata virtutũ, geminóq; mẽtis & corporis decore prefulgida: specie sua & pulchritudine, in cœlestib. cognita, cœli ciuiũ in se prouocauit aspectus, ita vt & Regis animũ in sui cõcupiscẽtiã inclinaret.]

Bern. hom. 2 super Missus. Sancta fuit corpore & mente.

7. Sancta ergo in sui exordio fuit, cuius sanctitatem ipsi Angeli, antequã nasceretur, obstupescẽtes exclamarunt: [Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.] Licèt Rupertus existimauerit virginem tunc fuisse auroram, cùm nata esset, saluo tamẽ meliori iudicio, ex ipsa procedẽs Dei omnipotentia, in primo suæ conceptionis instãti, singulari gratia & innocẽtia illustris, pulcherrimè consurgẽs aurora dici potest; Dicã ergo; quãdo concepta es ô virgo B. tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuncia diei sempiterni: quia sicut aurora finis est præteritæ noctis, & diei sequẽtis initiũ; sic cõceptio tua finis dolorum, & consolãtionis fuit initium: finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium. Quando autem Spiritus Sanctus in te superueniet & filium virgo concipies, & virgo paries, tunc eris pulchra vt luna: sicut enim luna lucet, & illuminat luce non sua, sed ex sole concepta: sic tu hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex diuina gratia, sicuti in cõceptione filij lucidior sole magis appropinquante eris. Quando autem de hoc mũdo assumeris, atque ad æthereum thalamum transfereris, tunc eris electa

Eius sanctitatem mirãtur Angeli. Cantic. 6.

Rupert. lib. 6. in Cantic.

Aurora fuit in sui conceptione, in cõceptione filij luna, in Assumptione sol.

Digitized by Google

electa vt sol: sancta ergo es in tui exordio. Domum enim tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum.

Accipit donũ perseuerãtiæ in sanctificatione.

8. Præclarum, ac singulare perseuerantiæ donum in prima sui sanctificatione accepit, qno ita fuit confirmata in bono, vt nec venialiter vnquã peccaret. In secunda verò eius sanctificatione, in filij nimirũ conceptione insuper cócessum ex abũdanti gratię dono, in sensu nimirũ cõposito, præhabito huiusmodi dono, vt ne quidẽ posset peccare: [cœlestis enim imber, vt ait Chrysologus, virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota diuinitatis vnda, bibulo se nostræ carnis cœlauit in vellere: [donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus, in pluuiã salutis se funderet.] Quid mirum ergo in qua plenitudo gratię sese infudit, dono tali præditam, quo nunquam peccare posset: Domum enim tuam decet sanctitudo in longitudiné dierum. Virginitas ac fœcunditas simul præter rerum ordinem in vnum conspirarunt in hoc filij Dei in virginis vterũ admirabili illapsu. [Florẽ, inquit Bernard. filiũ, virgam intellige matrem, quoniam & virga florcuit absque germine, & virgo concepit non ex homine: nec virgæ virorem floris læsit emissio, nec virginis pudorem sacri partus editio.] Quàm sancta ergo fuit in sui filij conceptione? Domum enim tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum.

Chrysol ser. 3. de Annũc.

Bern. hom. 2. de B. Virgine.

Ansel. lib. de excel. virg. c. 3.

9. [Si talis, inquit Anselmus, apparatus sit pro aduentu terreni hominis, qualis apparatus omnis boni putamus, fiebat, pro aduẽtu cœlestis regis in corde virginis, quæ illum non solùm erat transitiuè hospitatura, sed etiam ex substantia sua factũ hominé paritura.] Si enim sancta sanctorũ is locus vocatus sit, in quẽ nefas cuiquã fuit ingredi, nisi soli summo Sacerdoti, idq; quotãnis semel, vt alieno Deũ placaret sanguine; quanto sanctior ille locus esse debuit, in quo non semel in anno, sed per quem integros menses sedem suam Deus figere voluit, & suo sanguine

Quanto debuit ornatus Dei locus parari.

iratum nobis Patrem conciliare. Domum ergo tuam decet ſanctitudo in longitudinem dierum, in conceptione, natiuitate, in filij conceptione, in toto vitæ decurſu, quæ carnem ex puriſſimis ſuis ſanguinibus miniſtrare debuit Dei filio, quæ Deum & hominem in ſuo vtero copulatos baiularet; quæ mater & virgo futura erat, quæ fidem & cor humanum ſibi conciliare quodammodo mereretur. Hinc Bernardus: [Tria, inquit, opera fecit omnipotens illa Maieſtas, in aſſumptione noſtræ carnis ita ſingulariter mirabilia, & mirabiliter ſingularia, vt alia nec facta ſint, nec facienda ſint amplius, ſuper terram. Coniuncta quippe ſunt ad inuicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Mirum eſt enim quomodo cor humanum his duobus fide accommodauit: quomodo credi potuit quòd Deus homo eſſet, & quòd virgo manſerit, quæ peperiſſet.]

Bern. ſerm. 3. in vigilia Natiuitatis.

Tria ſibi conuncta mira ſunt in Chriſti conceptione.

SECVNDVM PVNCTVM.

10. Videamus ſecundo loco, quàm nobile ſit, ſi à parentibus filij genus nobilitatémq; trahunt. At ſanctiſſima hæc parés, à filio, ſicuti à ſole luna, claritaté, vitę ſplendorem, nominis exaltationem, & infinitam quandam dignitatem accepit. Quare Petrus Damianus: [In humano (inquit) genere ille nobilis dicitur, qui claris maiorum titulis inſignitur. B. verò Maria, licèt de generoſa ſit patrũ ſtirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentiſſimæ nobilitatis genus, qui de illa eſt nouo naſcendi genere procreatus, & per clariſſimam ſobolem omné humani ſtemmatis excedit nobilitaté. Clara proauorũ titulis, ſed incõparabiliter clarior generoſitate prolis: Filia ſiquidem Regũ, ſed mater Regis Regũ.] Quã nobilis igitur illa, in qua ille conceptus cuius pater eſt Deus, cuius põtétia infinita, cuius voluntas bonitas, cuius opus miſericordia, in quo nihil, quod non eſt infinitè nobile? Si itaq; templum, quod Salomõ Deo fabricauit, adeo nobile

Nobilis ſui non tantum ex parentibus ſed multo magis ex filio.

Damiã. ſer. 2. de Natiuit.

fuit,

Digitized by Google

fuit, vt nullũ in vniuerſo orbe præclariùs extiterit opus, vt in eo tantũmodo incenſum Deo adoleretur; quãto nobilius hoc viuũ Dei tẽplũ, Mariæ vterus, in quo Chriſtus ſe tãquã viuã hoſtiã Deo Patri ſuo, noſtri gratia, cõſecrauit, eſſe debuit? Imò tã nobilis Maria, vt nobilio rẽ à Deo purã creaturã, creatã eſſe ignoremus; & ſi titulũ matris ſpectemus, quæ fons & origo omnis gratiæ ac mẽritorum illi fuit, eo nobiliorẽ titulũ nulli creaturæ cõceſſum eſſe D. Thomas docet: titulũ enim matris Dei infinitã quandã dignitatem continere affirmat: [Humanitas (inquit) Chriſti ex hoc quod eſt vnita Deo, & beatitudo creata ex hoc quod eſt fruitio Dei, & B. virgo ex hoc quod eſt mater Dei, habent quandã dignitatẽ infinitam, ex bono infinito, quod eſt Deus & ex hac parte nõ poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.] Ex his tria colligimus; Chriſti nimirũ humanitatẽ, cœleſtem beatitudinẽ, & Beatiſſimã Dei Matrẽ infinitã quandã ex Deo cõſequutã nobilitatẽ. Chriſti humanitatem, quia in vnitatẽ filij Dei ſuppoſiti aſſumpta eſt. Cœleſtẽ beatitudinẽ quia in viſione ipſius Dei conſiſtit. Beatiſſimã deniq; virginem, quia Dei mater. Quare Bonauentura: virgo (inquit) es mater, qua maiorẽ Deus facere nõ poſſet, quia nimirum mater eſſe nõ poteſt, quæ ſit maioris filij Dei mater. Nõn.n. poteſt eſſe maior filius, quã Dei filius. Maiorẽ quidẽ mundũ poſſet facere Deus, maius cœlũ poſſet facere Deus, maiorem matrem, quam matrem Dei non poſſet facere Deus. Quàm nobilis ergo Deipara, quæ omnes puras creaturas nobilitate vincit.

Matris Dei titulus origo gratiæ meritorum, quo titulo mulieri nobilior dari non potuit.
D. Tho. 1. p. q. 25. art. 6.

Bon. in ſpecu. cap. 8.

11. Hoc eſt illud nobiliſſimum tabernaculum, quod vox de cœleſti throno egrediẽs Ioãni indicauit. [Ecce, dicẽs, tabernaculũ Dei cũ hominibus.] Quod iam etiã olim in monte propoſitũ, vt iuxta eius exẽplar, typicũ fabricaret tabernaculũ: [Fac, inquit Deus, ſecundũ exẽplar quod tibi in monte monſtratum eſt.] Hoc, inquam, nobiliſſimum tabernaculum Dei mater eſt, quam ineffabilis ille artifex Deus filio ſuo, ab

Tabernaculũ Dei fuit.
Apoc. 21.
Exod. 25.

æterno,in tabernaculum præparare decreuit, & in Annæ vtero iuxta exemplar,quod ab æterno in mẽte habuit, tanquam in cœlesti officinâ, in tempore nobilissimè omnibus virtutum ornamentis exornatam fabricauit. In typico illo tabernaculo Moysis tres fuerunt partes, quæ maximè illud nobilitarunt: atrium scilicet Sacerdotum, Sancta, & Sancta Sanctorum.His verò tribus in nobilissimo nostro tabernaculo tres ex æquo respondent partes;atrio eximia corporis eius species:Sanctis inferior pars animæ,in qua appetitus sedem collocat; Sanctis Sanctorum superior animæ pars,in qua ratio residet,quæ veluti Sancta Sanctorum, soli summo Pontifici Christo reseruata est.

Magna pulchritudo huius atrij.

12. Vt itaque huius tabernaculi primam partem vestris expressius subiiciam oculis; singularis illa Virginei corporis compositio, pulcherrimo similis atrio,adeò omnibus conspicua, vt intuentium oculos in se raperet. Quare eam Damascenus naturæ venustatem appellauit: [A Deo (inquit)digna filia humanæ naturæ venustas, primigenæ matris Euæ correctio,mulierum ornamentum:certabant inter se fœcula:quodnam ortu tuo gloriaretur.]Quid mirum ergo si venusta huius corporis species,Spiritus Sancti opere nobilitata,omnium in se alliceret oculos, ita vt vlterius pergere ad cæteras huius tabernaculi partes cõtemplandas vix permittat. Vnde illius nobilitatem ex ipsius atrij magnificẽtia,licèt alias partes intactas relinqueremus,agnoscimus. Nam,vt ait B.Ambrosius: [Bona domus in ipso vestibulo debet agnosci,ac primo prætendat ingressu,nihil intus latere tenebrarum, vt mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita,foris luceat.]Sic Virgo,vt ait Richardus,tota lucida fuit opere,nihil tenebrarum habens,vel sinistrum, sed totum lucidum & perfectum, vt aliorum aspectibus pateret,& exemplo luceret,induta vestitu deaurato virtutum,& circundata varietate meritorum.].

Damasc.ora. 1. de Natiu. B.Virg.

Ambr.li.2.de Virgi.

Richard. tit. c.26.

Digitized by Googl

torum.]Nobiliſſimam huius tabernaculi ex ipſo nobiliſſimo atrio vidiſtis venuſtatem:modò Sancta huius tabernaculi cominus intueamur.

13. Sanctiſſimum huius Virginis appetitum,licet in nobis concupiſcentiæ ſit ſedes, Sancta meritò appellamus.Nihil enim in Mariæ appetitu,niſi Sanctum,diuinum & admirabile : nihil deſiderabat,niſi quod Deo gratiſſimum fore intelligeret. In ſecunda Moyſaici tabernaculi parte,tria fuerunt;candelabrũ, menſa, altare thymiamatis : quibus in hac ſecunda cœleſtis noſtri tabernaculi parte tria etiam reſpondent. Imprimis candelabro affectus, qui tanquã aureum candelabrum ita gratiæ lumine ſemper illuſtratus fuit, vt nunquam in rẽ ſibi obiectam raperetur,niſi prius rationis ac fidei ſibi facẽ præferri videret,vt omnia illi propoſita lucida eſſent ; & ſicuti ipſe eius affectus,gratiæ ſplendore colluxit,ipſa etiã collucerent : Quænam enim tenebræ eſſe potuerint in muliere amicta Sole, ſtatim in primo conceptionis ſuæ inſtanti?Vnde meritò Bernard. [Omnia(inquit)excellenter irradiata Virginis noſcuntur.] Sua etiam menſa pars hæc nõ caret.Et ſicuti menſa prius epulis inſtruitur,quibus conuiuæ lautè excipiantur, quàm menſæ aſſideant:ſic Virginis appetitus tanquã inſtructiſſima menſa cœleſtium ferculorum plenitudine redundabat, vt quoſlibet ad ſe aduentantes ſplendidiſſimo exciperet epulo.Panis huius menſæ, quem propoſitum ſemper ante oculos habebat, eſt panis propoſitionis, qui è cœlo deſcendit,& potus vinum germinans Virgines nobiliſſimus Chriſti ſanguis.Denique eius affectus altare fuit thymiamatis, ſuauiſſimam ſemper virtutũ fragrantiã exhalans , in quem illud Sapientis mirificè quadrat:[Quæ eſt iſta quę aſcẽdit per deſertũ;ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris,& vniuerſi pulueris pigmẽtarij.]Quare Dion.Carthuſ [Tanta,inquit,eſt ſuauitas virtutũ matris Dei,vt cũcta mundi odoramenta tranſcẽdat:imò & totam perfundat Eccleſiã triumphan

B. V. appetitus omnino ſanctus.

Bern. ſer. de verbis Aſ.

Cant. 3.

Carthuſian. Cant. 4. Quàm ſuauis adhuc in ma

D by Google

Verno vtero afflauit odorem.

phantem. Insuper Ecclesia militans in fœtoribus huius exilii degens, odore & suauitate huius Deiferæ Virginis Dominæ suæ recreatur, fouetur, atque exhilaratur.] Quid ergo mirum, si cœlestes spiritus infantem tam admirabili perfusam odore, ac omnibus ornatam virtutibus, in matris suæ vtero, quasi in deserto, iam tum alta mentis contemplatione in cœlum ascendentem obstupuerint.

Noster appetitus lucem fidei sequi debet.

14. Noster etiam appetitus rationis, ac fidei lucem sequi semper deberet, nihilque cœco concupiscentiæ impetu aggredi, sed omnia sancto, iustóque rationis ac fidei impulsu appetere, vt sorori nostræ paruulæ assimilemur. Hoc à nobis poscit sororis nostræ filius: [Poscit (inquit Hieronymus) Dominus, vt faciamus iudicium: id est, vt nihil absque ratione & consilio faciamus, vt ante mens iudicet quid factura sit, & posteà opere compleat.] Præclaram insuper sibi noster appetitus, mensam semper propositam habeat velim, cœlesti illius gloriæ vario splédore collucentia fercula, quibus mens humana satietur, in mensa sint, ne inhiet semper vanis fluxísque rebus, quæ potius appetitum irritent, quàm expleant. Denique altare thymiamatis in se collocet, quo carnales halitus cœlestium desideriorum suffimentis procul pellantur; vt mortificationis, continentiæ, obedientiæ, orationis, charitatis, & humilitatis ex eo, tanquam ex altari thymiamatis, ad delicatas Dei nares suauissima dirigatur fragrantia: vt meritò appetitus noster virgula fumi quodammodò habeatur ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi puluеris pigmentarij. Myrrha siquidem continentiam, thus orationem, puluis humilitatem, vti Gilbertus Abbas asserit, nos docet. [Bona (inquit) myrrha, quæ carnalem petulantiam reprimit, & fluxos motus lasciuire non finit, & carnem non esse carnalem compellere nititur. In thure accipio orationis materiam, & in fumo gratiam, in puluere pigmentarij humilitatis expressit virtutem, quòd ea de magnis meritis, nihil magnum

Hiero. Mich. 6.

Mensa etiã sit appetitus noster cœlestibus plena ferculis.

Altare sit thymiamatis suauissimi odoris.

Gilb. ser. 15. in Cant.

Digitized by Google

magnum ſentire nouerit,ſed humili æſtimatione reliquarum attenuet merita virtutũ, & earum ſoliditatem, quaſi ad quandam pulueris exiguitatem deducat.]Hæc de ſecunda huius nobiliſſimi tabernaculi parte.

15. Videamus denique tertiam eius partem, Sãcta Sanctorũ,quibus ſuperior animæ pars reſpõdet, quæ à ſumma Sanctitate Sancta Sanctorũ iure ſibi tanquam nomen vindicat;quippe quæ potiori ratione Sancta Sanctorum eſt, quæ Sanctis omnibus Angelis,hominibus Sanctitate præit. Quare ſic exclamat Anſelmus,[O tu benedicta inter mulieres,quæ Angelos vincis puritate, Sanctos ſuperas pietate.] Et alibi:[Pura, ait, Sanctitas, & Sanctiſſima puritas pectoris Deiparæ Virginis,omnem omnis creaturæ puritatem,ſiue ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate hoc promeruit,vt reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret.] In intima illa ac nobiliſſima tabernaculi parte,duo collocabantur Cherubini,in quibus ſedere Deus ſolebat,iuxta illud Pſalmiſtæ:[Qui ſedes ſuper Cherubim.]Erat & arca teſtamenti puriſſimo vndequaque auro contecta.Nónne, obſecro, in ſuperiore animi Virginis parte, duo Cherubini & arca teſtamenti fulgentiſſimo intus & foris auro exornata,collocata ſunt? Nónne eius intellectus & memoria veluti Cherubini duabus perniciſſimis inſtructi alis,quibus perpetuò ad Sanctiſſimæ Trinitatis ſubſellia vocabat?& ſicuti conuerſis vultibus in propitiatorium illi intuebantur: ſic intellectus eius ac memoria in Deum propitiationis fontem omnes ſuas actiones conuerſas habebãt.Vnde Carthuſ.[Nulla vnquã(inquit)inordinata affectio, diſtractio,fragilitas mẽtẽ Virginis à cõtẽplationibus reuocauit,neque occupatio vlla exterior.]Quare ſicuti Cherubini ſine intermiſſione ſciẽtię perſpicacitate in diuinã mentẽ ſemper intẽti:ſic Virginis animus nunquã à diuina contẽplatione ceſſauit,quippe quæ ipſos Cherubinos ſcientiæ magnitudine ſuperauit.

Superior animæ pars Sancta ſanctorũ.

Anſel. in inuocation. Virginis.

Lib. de excel. Virg. c. 9.

Pſ. 79.

Intellectus & memoria Virginis duo Cherubini.

Carth. lib. 2. de laud. Virginis.

Digitized by Google

perauit. Et sicuti illi sese Deo in sedem exhibent: sic Deus semper tanquã in proprio sibi throno, in diuino Virginis intellectu & memoria residebat. Quidni ergo meritò sibi Cherubini nomẽ vindicet, quę scié-tiá & cognitione omnes Cherubinos antecellit.

Voluntas Virginis Arcæ testamenti.

16. Porrò B. Virginis voluntas, quæ in animi penetralibus est, Arcæ testamenti similitudiné iure prę se ferre dicitur. Nam quemadmodum Arca illa intus foríſque purissimo contecta fuit auro: sic Deiparæ voluntas diuino & ardenti charitatis auro interius & exterius rutilabat. Et sicuti in Arca illa tabulę legis asseruabantur, quibus mandata diuina inscripta fuêre; sic in Virginis voluntate legis diuinæ tabula omnia Dei præcepta continens etiam asseruabatur: quæ ne ad latũ quidem vnguem se ab illorum obseruatione abduci vnquã passa est. Quare à Bernardino dicitur habuisse cõtinuum ad Dei beneplacitũ aspectum: [Virgo (inquit) semper habuit continuum aspectum ad Dei beneplacitum, promptúmq; consensum semper gerebat in mente, beneplacita diuina adimplere.] Quòd si præterea cœleste Manna, & virgã in hac Arca requiritis: quodnã, obsecro, diuinius Manna vnquã fuit, aut dulcius ea suauitate quam ex diuinarum rerum contemplatione, in ipso adhuc materno vtero Deiparæ voluntas percipiebat. Si insuper consideremus post filij sui natiuitatem dulcedinem illam, quam ex eius amplexibus sentiebat, profectò inueniemus illam infinito penè modo dulciorẽ fuisse omni Manna: [Superat (inquit Anselm.) omnes omnium rerum creatarum amores & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in Filium suum, & dulcedinis immensitas, qua exultabat & liquefiebat anima eius in eundem Dominum Deum suum.] Aaronicæ virgæ flores fructúsque admirabiles, internos etiam voluntatis Deiparæ florentissimos actus, externósque admirabili fructu pleniſſimos adumbrarunt. Hęc de nobilissimo hoc Dei cum hominibus tabernaculo.

Bernardinus to. 1. ser. 51. ar. 3. c. 2.

Manna dulcedine plenũ fuit in hac arca.

Anſel lib de excel. Virg. c. 4.

Flores virgæ Aaronicæ actus externos Mariæ adũbrarunt.

TERTIVM

Digitized by Google

TERTIVM PVNCTVM.

17. Tertio docendum loco quàm diues Deipara fuerit. Quàm diues illa domus esse debuit, quæ cœli terræque diuitias in se concluſit omnes? ſi enim Arca teſtamenti adeo fuerit diues, vt auro etiam veſtiretur puriſſimo, quia in ea vrna aurea, Manna cœleſte continens & Aaronis virga honoris cauſa, quia præ cæteris miraculo floruit, conſeruabatur: quanto ditior virginea hæc vrna, in qua cœleſtis ille panis (cuius typus Manna fuit) qui de cœlo deſcendit, & per nouem menſes in vrna illa charitatis auro ditata continebatur, & virga illa admirabilis, (cuius illa Aaronis figura fuit,) quæ ex Ieſſe radice in florem pulcherrimè germinãs aſcendit, Chriſtus nimirum, qui in hac etiam Arca teſtamenti aſſeruabatur. Hinc Anſelmus tantis eam cœleſtibus locupletatam donis aſſerit, vt ne quidem Angelica mens ea comprehendere poſſit: [Excedunt angelicam cognitionem dona Mariæ conceſſa.] Vt enim docuit filij Dei humanitatem omni cœleſti dono ornari, & gratiæ diuitiis locupletari, ita par erat, matrem Dei omni diuina gratia poſt filium decorari & cœleſtibus dotari diuitiis. Quare meritò mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare nominatur. Mons verò pinguis opibus locupletatus, mons Dei, cui Deus plena manu ſuam tribuit quodammodo pulchritudinem. Sicut enim nubes, quæ ſolem complectitur Solis radiis, tanquam pulcherrima veſte exornatur, ſuam illi impertiens pulchritudinem, in ſuam quodammodo ſol naturam conuertit: ſic Maria, quæ à Ioanne ſole circumueſtita viſa fuit, gratiæ ſplendore quaſi inaurata, & circumornata, in diuinam quodammodo naturam conuerſa, non homo ſed Dea quædam videbatur, quicquid enim humanum, quicquid angelicum aſſequi valet ingenium, minus eo eſt, quod Mariæ conceſſum iuſtitiæ Sole circumſeptæ. Sicut enim

Quàm diues fuit.

Anſ. de laud. B. Maria.

Pſ. 67.

Simile.

humanus

humanus oculus rectà in solem nequit intendere, sic nec mentis humanæ oculus Mariæ gratias & diuitias contemplari potest, & sicuti angelici luminis perspicacitati Dei matris supereminet dignitas: ita dona dignitati Dei matris debita, omnem angelorum intelligentiam superant.

18. Quare iuxta Anselmi sententiam, multo altiora B. Virgini collata, quàm ab omni prorsus culpa immunem conseruari, cùm hoc naturæ lumine posse fieri facilè assequamur. Sicuti enim potest Deus impedire ne filius leprosæ lepram contrahat, quam tamen iuxta naturæ cursum erat contracturus: ita potuit impedire ne filius Adæ originis labē, quam alioqui ex naturæ corruptæ necessitate erat incursurus, contraheret. Cùm itaque hæc sit idonea, quam præparauit Dominus Vnigenito suo domus, quid mirū si extraordinario modo ab omni peccati næuo præseruata fuerit, vt eum in tabernaculū mundissimum susciperet, qui ineffabili modo, natura mirante hospes in eius domū venturus erat. Gratia & peccatum originis cursu certabant ad Ieremiam & Ioannem Baptistam, sed peccatū præuertit gratiam, quæ tamen, non diu post, peccatum expulit. Sed dum ad virginem accurrerent, præcurrit gratia, nec peccatum vnquā admisit, peccatum enim gratiæ cessit, ac tremulū stetit, progredi non sustinens: [Fluminis enim impetus lætificauit ciuitatem Dei,] fluminis, inquam, gratiæ impetus lætificauit Mariā, quo gratiæ impetu præcurrēte originis peccatum fugatum est, vnde sequitur: [Sanctificauit tabernaculū suum Altissimus.] Sic enim impetu citissimo Mariam impleuit, vt celeritate sua præuenerit peccatum originis, quod cum gratiæ impetu, cursu videbatur, concertare, & licèt in omnibus aliis gratiam cursus velocitate superauerit, in hac à gratiæ celeritate superatum fuit. [Deus enim in medio eius non cōmouebitur.] Deus per peccatum mortale hospitio animæ expellitur, per veniale, licèt non expellatur, ta-

Simile.

Ab omni peccato semper fuit præseruata.

Ps. 45.

men

men commouetur. In B. Virgine quia neutrum fuit deprehenſum ſuauiter requieuit, ac proinde [Deus in medio eius non commouebitur.]

19. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcū.] Ciuitas aduerſaria fuit Hieruſalē Damaſcus. Quare vt omnes venientes ad ſe hoſtes Hieroſolymitani viderent, Salomon in mōte Libano turrim conſtruxit, vnde poterant numerari domus Damaſci. cuius turris aſpectu, Damaſceni adeo terrebantur, vt ſtatim eminus ea viſa pedem referrent. Sic Deus altiſſimam hanc turrim Mariam excitauit, quæ contra Damaſcum incendij ſimilitudinem reſpiceret, in cuius facie aſpicientes, licèt pulſarentur variis carnis tentationibus, & concupiſcentiæ incēdio inflammarentur, ita ſtatim terrebantur, vt incendio concupiſcentiæ penitus extincto, illius ſe caſtiſſimo ſubiicerent vexillo. Quid mirum vt tabernaculum illud, quod ſibi ab æterno Deus præparare decreuit, tanta niteret puritate, vt in ſe intuentibus inſigne caſtitatis (vt auctor eſt Ambroſius) tribuerit. Tanti enim fecit caſtitatis ſingulare decus, vt non ſolum præcurſorem virginem, & matrem virginem elegerit, ſed etiam dum Sol in virginis ſigno eſſet incarnari voluerit.

Cantic. 7.

Magna puritas Mariæ.

Ambro. li. de Inſtitu. virg. c. 7.

20. Si igitur Deus tanto ſit amore genus humanum proſecutus, vt vnigenitum ſuum daret, quis dubitat ſic paraſſe ad hoc opus noſtræ redemptionis perficiendum, adiutricem ſibi, vt illi ſuorum omnium meritorum præcipuam virtutem applicans, ſibi quàm ſimillimam in perfectione reddiderit. Imago itaque fuit pulcherrima ac perfectiſſima, quam vnquā Deus pinxit in puris creaturis, noluit eam ſtatuā facere nam ſtatua fit detractione & partium inciſione. Sic omnes alij Sancti ſtatuæ ſunt, quibus Deus ſubtraxit peccatū, & ſuæ diſciplinæ limâ multa in illis correxit: Beatiſſima verò Virgo ſola fuit imago, quæ fit non detractione aliqua ſui parte, ſed additione, nihil enim fuit in Virgine

B. Virgo Imago, non ſtatua.

quod

Digitized by Google

quod detrahi potuit, sed semper adiecta sunt illi plurima gratiæ ac virtutum ornamenta, donec perfecta depicta sit imago, adeo vt nulla in ea vnquam fuerit vel minima à ratione & lege diuina deflectio. Quare simillimam in perfectione imaginem sibi Deus eam ab æterno pingere ad viuum virtutum coloribus instituit, ne si aliqua imperfectio in opus tam sublime redundaret, quo tanquam instrumento ad hominum salutem procurandam vti decreuit, nostræ naturæ ad malum pronitatem instrumenti vitio ascribamus, præsertim si illud etiam eadem nobiscum macula contaminatum esset. Cùm itaque sub principe nostræ redemptionis auctore, illa tanquam instrumentum singulariter concurrerit, quid mirum, si præ cæteris omnibus, singularibus ditetur priuilegiis, & cùm ipse illam, præ reliquis (vti reor) omnibus mortalibus ac cœlestibus, (Christi humanitate excepta) amaret, huius amoris singulare in illa signum expressisse, vt quod omnibus negaret, illi soli conferret, vt inter omnes illa sola foret singularis. [Estne (inquit Anselmus) putatis vlla mens hominis, quæ modum huius dilectionis, quam Deus ad virginem habuit, queat penetrare, quando & illi quod carius amabat, id est, virginitatem sic integrè seruabat, & eam fœcundatam sui ipsius mátrem fecit? potest ne quæso vllus hominum aut angelorum ipsius amoris immensitatem penetrare, vel dignitati honoris illius quicquam cogitatu percipere comparabile? Quàm diues ergo illa, quæ omnium creaturarum, imò ac Dei diuitias ad suum rapuit tabernaculum.

B. Virgo nostra salutis instrumentum.

Anſel. lib. de excell. virgi. cap. 4.

Ingens Dei amor in virginem.

Eſther. 5. Placuit Dei oculis.

21. Placuit oculis Assueri regis Esther, & extendit illi, virgam auream, quam tenebat manu, quod singulare fuit amoris ac beneuolentiæ in eam argumentum. Placuit & oculis magni illius Assueri regis potentissimi, Dei nimirum, sanctissima ac pulcherrima nostra Esther, cui virgam auream, quam in sinu suo ab æterno cœlestis pater tenuit, virgam, inquam,

inquam,virtutis ſuæ,non tantùm extendit in ſignum amoris infiniti, ſed etiam donauit, filium ſcilicet ſuum virtutis ſuæ ſceptrum, quo humani generis hoſtis expugnetur. Theſeus in labyrinthum, vt interficeret monſtrum taurum, qui plurimos occidebat, per filum ab Ariadna intromiſſus,cuius fili ductu ingreſſus occidit taurum,& eius fili reductu incolumis rediit: ſic Dei filius in mũdi labyrinthum, vt horrendum illud monſtrum dæmonem interimeret, ingreſſus per B.Virginis operam,quæ ei humanitatem tanquam glomum tradidit, cuius ductu labyrinthum penetrans diabolum occidit, & parta de hoſte victoria triumphator incolumis regreſſus eſt. Quid ni ergo præ cæteris eam virtutum diuitiis dotaret, quam ab æterno vidit tanti triumphi adiutricem. Concepta itaque fuit præ cæteris mortalibus ſine originis macula:[Domum enim tuam decet ſanctitudo in longitudinem dierum.]

Coadiutrix fuit noſtræ redẽptionis.

22. Tantâ inſuper locupletata gratiâ fuit, vt omnium ſimul ſanctorum cumulatim gratiam,ſaluo meliori iudicio,exceſſiſſe dixerim, & quid mirum, cùm omnium gratiarum auctorem in ſuis conceperit viſceribus,ſuo ſanguine ac lacte nutrierit,nouem menſibus in vtero geſtauerit, pepererit, in vlnis baiulauerit,foueꝛit in ſinu, ſeruauerit in corde, portauerit in Ægyptum, amiſſum quæſierit,inuentum tenuerit,donec ad crucem eum comitata in ſingulis eius vulneribus præ dolore ac amore mortua quodammodo viueret. Cui denique ſicuti pater illi tanquam natiuo filio:[Filius meus es tu,ego hodie genui te:ſede itaque à dextris meis:]ſic illa dicere potuit:[Filius meus es tu,ego hodie genui te:ſede ergo à dextris meis.][Tãta igitur,vt ait Chryſologus, eſt virgo, vt quantus ſit Deus ſatis ignoret, qui huius virginis mentem non ſtupet, animum non miratur.] Quid mirum cùm regina fuerit ab æterno deſtinata cœli & terræ, hominum & angelorum. Duæ reginam Eſther ancillæ comitari ſolebant, quarum

Omniũ ſanctorum gratiã cumulatim habuit.

Chryſol. ſer. 104.

Maria quaſi Dei mẽſura.

Eſther 15.

vna

vna illam sequebatur & defluentia eius vestimenta colligebat, alteri ipsa Esther præ delitiis inniteba-

Bonauent. in specul. virg.

tur, sic [duæ (ait Bonauentura) famulæ sunt, quarum Domina est regina Maria, angelica & humana creatura: humana est famula illa, quæ sequitur dominam suam in mundo colligens vestimenta dominæ, hoc est, virtutes & exempla Mariæ: angelica verò est illa altera, super quam in cœlo innititur, se sociando, ac deliciando cum angelis, innititur insuper tanquam potentissima angelis imperando.] Quid ni super angelicam naturam innitatur, quæ innixa super dilectum suum in cœlum ascendit: [Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum?] [Sileat ergo iam sapientissimus Salomon, vt ait Damascenus, nec iam nihil sub sole nouum esse affirmet.]

Maria sanctificatur homines & Angeli.

Cantic. 8.

Damasc. orat. 1. de Mariæ natiuitat.

Luca 1.

23. Hanc tuam, ô B. Virgo, animo præuidens eminentiam, ac gratiarum diuitias magnificasti Dominum: [Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna, qui potens est.] Magna sanè fecit tibi: & nobis, per te, magna fecit. Te fecit matrem considere à dextris suis in cœlestibus: & nos, per te, à morte peccati consuscitatos, sibi fratres simul conregnare tecum. Te fecit domum sapientiæ, & nobis in te etiamnum locum secum parauit. [Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipse populus eius erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus.] Magna itaque nobis Deus fecit per Mariam: nam per illam factus est nobiscum Deus, saluator, nobis natus, nobis datus, ex cuius plenitudine omnes accepimus. Et nos, ô Maria, magna etiam quodammodo tibi fecimus, has itaque omnes diuitias, quas Deus in te plena manu congessit, nobis etiam quodammodo acceptas feres, vnde enim tibi hoc gratiarũ pelagus? à diuina quidem bonitate, fateor; sed audi Maria, tantorum tibi bonorum etiam occasio fuimus, vnde nobis multum teneris, & nos tibi, & omnes Deo. Quare in hac re maximè

Magna fecit Maria & nobis per Mariam.

Apoc. 21.

Digitized by Google

maximè gloriatur Augustinus, qui cũ peccator esset, tamen sibi multum teneri cum cæteris peccatoribus te Maria asserit: [Maria (inquit) hominibus multum tenetur , quia per eos habet quicquid habet: quia si nos peccatores nõ fuissemus, de ea Christus carnem non suscepisset: nos igitur illi tenemur, quia sumus per ipsam Deo reconciliati : & ipsa nobis tenetur, quia mater nostra, & mater Dei effecta est. Cur ergo, vt ait Anselmus, non iuuabis nos peccatores , quando propter nos in tantam celsitudinem es leuata, vt te Dominam habeat & veneretur omnis pariter creatura.] Sancta igitur, nobilis ac dines ex Dei magna gratia , & tui & nostri gratia effecta es.

Anſel. lib. de excell. virg. c. 12.

EXEMPLVM.

24. Iuuenis proiectæ pudicitiæ post multa commissa flagitia , immodico cuiusdam mulieris amore flagrabat, post omnia incassum adhibita , dæmonis auxilium expetit, vt se voti compotem faciat, & ad omnia se descendere paratum ostendens, si eo quod expetierit frueretur. Diaboli ergo iussu à Christo defecit, se totum illi dedit tradiditq;, super hæc omnia iurat conceptis ab illo verbis , & chirographo suam obstringit fidem. Vsque eò impuras mentes voluptatis amor excœcat. Cæterùm vt potitus est quod cupierat, fecit, vt fit, fastidium copia, & cœlesti luce oborta, magnitudinem sceleris sui seria æstimatione perpendit: Ergo posteaquam animam curis anxiam pœnitentia subiit , ad veniæ spem erectus cœlestem opem spectare, Deum, Deique parentem implorare cœpit. Inter hæc occurrit animo virgo Lauretana, eiúsque ædis sacerdotes amplissima facinorum expiandorum auctoritate præditi , protinus Deo auctore ac duce Lauretum petit, haud dubius, quin inibi esset tantis malis remedium inuenturus; nec sua illum frustrata spes. Lauretum vt venit , sa-

Horatius Turcellinus Soc. Iesu. li. 4. hist. Lauret. cap. 33.

Digitized by Google

cerdotem idoneum nactus re omni expoſita conſulit, ecqua ſibi ſpes ſit reliqua ſalutis? Ille primò ſceleris atrocitate exterritus pauliſper hæſit: deinde immanitate facinoris demonſtrata ita ſpem illi ſalutis oſtendit, ſi precibus, ieiuniis, voluntariáque corporis vexatione, Deum placare penitus inſiſtat. Cùm ille nihil omnino pœnarum recuſaret, promiſit ſacerdos, ſi imperata feciſſet, ſe faciles aures ei daturum. In digreſſu hominem monet, vt per triduum inediâ, cilicio, flagris corpus affligeret, B. Virginis opem implorans, per eam à Deo veniam expoſcat, ſe eodem triduo rem diuinam pro ipſius incolumitate facturum. Ita triduo extracto, ſacerdos optimum ratus eſt, ante abſolutionem chirographum à dæmone extorqueri, ne quid omninò iuris in illum haberet: proinde hominem ab ſe dimittit monitum, vt auguſtiſſimum ſacellum ingreſſus precibus lachrymiſque Deiparam vſque eo fatigaret, dum chirographum à diabolo extortum reciperet. Morem geſſit ille, ſuæ ſalutis ergo ingreſſus, proſtrato ante virginem corpore lachrymans obnixè eam precatur, vt recepto illo nefario chirographo, ſaluti ſuæ conſultum velit. Ingenti miraculo voti compos efficitur, verſiculos illos ex animo iterabat: [Mónſtra te eſſe matrem, Sumat per te preces, Qui pro nobis natus Tulit eſſe tuus.] Talia precatus ſubitò chirographum in manus ſuas dilapſum conſpicit. Itaque vix ſibimet ex inopinato gaudio credens integrato fletu grates Virgini enixiùs egit: ad ſacerdotem accurrit, miraculúmque aperit, vnde Deo & B. Virgini reconciliatus, facinoroſus anteà, fit Dei filius, vt diſcamus nos quamuis facinoroſi ſimus, nihil eſſe præſentius, quàm ad matrem Dei B. Virginem Mariam recurrere.

IN

Digitized by Google

IN FESTO SANCTI THOMÆ Apostoli,

Concio.

THEMA: *Pax vobis: infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis: Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus.* Ioan. 20.

1. TAnta Christi de nobis sollicitudo & cura semper fuit, vt nihil, quod ad salutem nostram faceret, vnquam prætermiserit: Quare etiam resurrectionis suæ mysterium ita clarum nobis esse voluit, vt nihil in eo penitus dubij relinqueretur: quippe cùm sit totius nostræ fidei ac religionis fundamentum: quo sublato iuxta Apostoli sententiam, illa omnino perit: [Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.] Quare [non casu, vt ait Gregorius, sed diuina dispensatione gestum est] vt Thomas de Christi resurrectione dubitaret: [Egit namque miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in magistro suo carnis vulnera palparet, in nobis sanaret vulnera infidelitatis; plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides discipulorum credentium profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita, in fide solidatur:] abfuit itaque non casu, dubitauit, in fide vacillans, amoris tamen magnitudine ac desiderio videndi saluatorem exardescebat. Vnde Christus partim eius desiderio satisfaciens, partim etiam omnem dubitandi causam ex nostris eiusque animo eximere volens, post dies octo, Thomâ

1. Corint. 15.

Greg. hom. 26. in Euãge. Plus profuit nobis incredulitas Thomæ quàm Apostolorum credulitas.

præsente,in medio discipulorum apparuit, quos salita recreat salutatione.[Pax vobis]ter ingeminans, vt hac triplici pacis arrha donatos , iam in suæ resurrectionis fide confirmatos significaret.

Triplici pacis symbolo triplicem Thomæ pacē amissam restituit.

2. Hoc verò triplicis pacis symbolo, Thomam Christus ad triplicem,quam amiserat,pacem inuitat, Imprimis ad pacem cum Deo,cuius filij resurrectionem multis comprobatam testibus minimè credidit. Deinde ad pacem cum proximis,quibus Christi resurrectionē protestantibus fidem non adhibuit. Denique ad pacē secum habendam , qui de Christi resurrectione dubius fuit , vtq; eius contumaciā facilius infringat sese illi palpandum offert : [Infer,inquit,digitum tuum huc,& vide manus meas & affer manum tuā & mitte in latus meum , & noli esse incredulus sed fidelis:]quorū verborū efficaciā statim Deo,proximis,& sibi reconciliatur : dubio enim de Christi resurrectione,ab eius animo prorsus remoto, corporeo oculo, & manus attactu Dominum suum, qui proprio eum sanguine redemit, agnoscens, vlterius perspicaci fidei oculo,augustā in eo maiestatem penetrans adorauit, & in stuporem raptus exclamauit:[Dominus meus & Deus.] Ecquid mirū,cùm illius tangeret latus à quo omnis salutifera deriuatur virtus.[Tactum igitur,vt ait Theophylactus,lateris Thomas verbum optimum indicauit:duas enim naturas & vnam hypostasim vnius Christi docuit : dicendo Dominus, humanam indicat , dicendo Deus meus,diuinam substantiam ostendit, & ita vnum, & eūdem esse Dominum & Deū:] cui Dominus:[Quia vidisti me Thoma credidisti.Beati qui nonviderūt & crediderunt.] Quàm fœlices igitur nos , qui ipsius Dei ore laudamur; quamuis enim glorioſa eum carne circundatum minimè videmus, viua tamen fide eius credimus resurrectionem, quam ardentibus charitatis operibus comprobamus, vt illud in nos Gregorij meritò quadret:[Ille verè credit,qui opere exercet quod credit.]

Theophyl. in hunc locum.

3. In

3. In hoc autem, quod in B. Thomæ solemnitate nobis proponitur, Euangelio tria dicam. Primum, pacis sagitta Thomas cõfixus cor alioqui adamantium per oculos illachrymans resoluit. Deinde, secunda misericordiæ sagitta transfixus veluti Euangelicus canis salutariter allatrando varias percurrit prouincias & regiones, cui subditur diuinæ iræ ac misericordiæ, cum nostra ira ac misericordia disparitas. Denique præcipui amoris ac prærogatiuæ sagitta vulneratus miraculorum virtute instructus, ac charitate incensus infidelium animas omni infidelitatis errore abiurato, ex contumeliæ vasis gratiæ vasa effecit. Sed prius salutemus Virginem, quæ sicuti hactenus sic hodie Spiritus sancti gratiam nobis impetrabit. Aue Maria.

Concionis diuisio.

PRIMVM PVNCTVM.

4. Deus peccatores duobus armorum generibus misericorditer persequitur, alios euaginato amoris gladio, iuxta illud Ezechielis: [Euaginabo gladium post eos;] alios, qui inueterata peccatorum consuetudine adeo procul abierunt, vt sub diuini gladij ferientis ore quasi non sint, misericordiæ sagittis, quæ procul ac citò auolant, insequitur: [Sagittas meas complebo in eis.] Ecce peccator quomodo te Deus imprimis stricto amoris gladio, insequitur, vt faciem tuam ab eo iam tibi ob peccatum irato auersam, ad se, per veræ pœnitentiæ lachrymas placatum conuertas, & si eius libratum in te ictum impœnitens sustinere velis, audi quid subdat: [Et complebo furorem meum in eis] amoris gladio in furorem verso, iustitiæ te rigori puniendum, tradens omnipotentiæ suæ furorem in te complebit, nihilominus tamen pertinaci animi proposito in scelere perseuerante & torgũn Deo vertentem fragilis tui

Gladio prius peccatorem sed longiùs abeuntem sagittis petit.

Ezech. 12.

Deut. 32.

figmenti recordatus miſericordiæ ſagittis aliquando impetit. Et quoniam Thomas neque mulieribus, neque Chriſti Apoſtolis reſurrectionem nunciãtibus credere voluit,neque ipſius Chriſti ante paſſionẽ affirmãtis breui ſe reſurrecturum prædictionis meminit,ſed procul ſua infidelitate à Deo recés obfirmato animo auſus dicere:niſi videro in manibus eius fixuram clauorum,&c.non credam : ideo ſagittis eum longiùs , quàm par erat à diuini gladij ictu abeuntem perſequi oportuit , vt ſic improuiſis confoſſus vulneribus ſtare cogeretur , donec ſub gladij ore inuentus, valido ictu obſtinatum eius cor feriretur. Electam itaque ex amoris pharetra ſagittam , ſtatim eductam , ita dexterè in eum Dominus intorſit, vt in ictu oculi anima à ſpiritu diuiſa cordis imum veluti album ſibi propoſitum, penetraret , vt meritò illud Threnorum vſurpare potuerit: [Tetendit arcum ſuum & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam, miſit in renibus meis filiam pharetræ ſuæ.] Et cum Dauide amoris vulnere iam ſaucius fateri, [Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi]quibus confoſſus,cùm ne loco quidem ſe præ magno amoris languore mouere poſſet , Dominus eum intra gladij ſui ſphæram veluti iam comprehenſum ita potenti feriit ictu,vt amplius fugere non valeret,ab eóque præclaram illam fidei ſimul ac amoris pleniſſimam confeſſionem elicuit: Dominus meus & Deus meus.

Thren.3.

Pſ. 73.

Prima potẽtiſſima ſagitta,Pax vobis.

Pſ.119.

5. Sed videamus primam,ex miſericordiæ arcu, ſagittam emiſſam, qua incredulum Thomæ cor ſauciauit:[Pax vobis.]Sagitta hæc,vt ait Pſalmiſta,[potentis acuta cum carbonibus]non [deſolatoriis,]ſed lætitiâ refertis, qua in primis Apoſtolorum pectora vulnerauit,& potenti amoris igne, in ea latitante liquefecit , quæ etiam magno impetu in Thomæ pectus,vltimo inſiliens loco,quaſi in duriſſimã impactã rupem reſiliit in ſagittarij pectus,illudque grauiter reuerberans,nouo quaſi amoris iaculo ſauciauit. Sed omnipotenti quodam ſaltu,ea vi , qua ad auctorem redíit,

rediit, iterũ in inimicũ Regis tanto impetu retorquetur, vt vix vnquam potentior à Deo in peccatorem longè per infidelitatem abeuntem euibrata fuerit ſagitta. Sagitta quidem Ionathæ, quia à potenti manu emiſſa, & ſcopum ſemper certò attingens multum extollitur. [Nunquam enim rediit retrorſum, & gladius Saul (ob ictus ſimul certitudinem, ac virtutem) nunquam eſt inanis reuerſus: at infinitis partibus ſagitta Domini, eiuſque gladius potentior, & laude dignior. Nam licèt illa Ionathæ, & Saulis arma aduerſarium certo ſemper ferirent ictu, nunquam tamen auditum, adeo potentia fuiſſe, vt vno ſimul ictu, decem ſtrauerint, & vndecimum etiam reſilienti ictu confoderint, quamuis enim penetratis decem Apoſtolorum pectoribus adamantinum Thomæ pectus, diuinæ reſtiterit ſagittæ, ita tamen potens fuit, vt inde reſiliens, pectore ipſius Domini vulnerato, in Thomæ pectus denuo retorta, ad viuum illud ſauciauerit, ac tanta amoris vi molle fecerit durum eius cor, vt tandem in lachrymas quaſi reſolutum, quodammodo per oculos effuderit: vnde meritò exclamauit: [Dominus meus & Deus meus.] Hac pacis ſagitta corporeos mihi oculos aperuiſti, vt te Dominum meum, qui tuo peccata mea ſanguine lauiſti, agnoſcam, & quia altius, tua, animæ viſcera, penetrauit ſagitta, ſimul etiam mentis oculos aperuit, vt te Deum meum, ſub humanitatis velo fidei oculis videam, quæ duo ſimul, vna pacis ſagitta, mihi inflicta vulnera adeo cor meum intra me liquefecerunt; vt verè cum Dauide poſſem dicere: [Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.] 2. *Reg.* 1. *Pſ.* 21.

Cor mœrore contractum deſiderio obtento ſeſe per lætitiam dilatat. Simile. Cantic. 3.

6. Sicut cor diu mœrore, ac triſtitia contabeſcens, quaſi gelu quodam contractũ deficit, niſi quàm citiſſimè ſperatum conſequatur bonum, quo obtento omni paulatim deterſo mœrore, triſtitiæ ſeſe vinculis expediens, nouo concepto calore ſeſe dilatat, & ad ſe ipſum rediens exclamat: [Inueni quem

diligit anima mea.]ſic Thomas corde,prę triſtitiã,ac mœrore,ob ſui magiſtri mortem,contracto & ob dilatam diutius,quàm par erat,vt ipſe putabat, reſurrectionem,deſpondebat animo,donec ipſi,& cæteris Apoſtolis ex inſperato rediuiuus intonaret Chriſtus: [Pax vobis]qua inexpectata Thomas excitatus voce,ita ſtatim inflammabatur , vt ſcintillæ inde exſilientes,ſuo calore,cor hactenus mœrore contractũ, iã ita dilatarint,vt in hæc ignita erũperet verba:[Dominus meus & Deus meus.]Huiuſmodi ſanè pacis ac charitatis ignita ſagitta,illius cor inflãmari debuit, cuius ardenti incitatus ſtimulo,vniuerſum penè terrarum orbẽ,aliquando percurſurus & incẽſis charitate doctrinæ ſagittis,corda inimicorum Regis erat cõfixurus.Nã,vt ex Chryſologo affirmat Silueſter,hic ſolus Apoſtolus vniuerſum terrarũ percurrit orbem, pacem & miſericordiã omnibus ad fidẽ redeũtibus ànnuncians.Accepto ſiquidẽ ſpiritu ſancto,ſtatim in orientem profectus,tres illos Magos , qui Chriſtum in præſepio adorauerant,baptizauit,eoſdemq;prędicationis ſuæ ſocios ac àdiutores fecit.Quàm efficax etiã,vel diuinæ ſagittæ ſtridoris vis,ex diuino ac intento amoris arcu emiſſæ:[Pax vobis.]quo effectum eſt, vt Thomas, reddita ſibi conſcientiæ pace,nuſquam quieſcere potuerit , ignito magiſtri ſui iaculo confixus,donec veluti canis venaticus, infixa femori ſagitta, hinc inde eiulans , per omnes mundi plagas animarum zelo plenus tranſcurreret , omnibúſque ſignificarèt,ſe pacis ac charitatis Chriſti ſagitta ſaucium , cuius ſalutari ſtimulo , omnes ſecum exagitatos cupiebat. [Sagitta infixa femori canis :] ait Eccleſiaſticus : verè ſagitta pacis , charitate incenſa,infixa etiam femori huius Euangelici canis. Nam pace ſibi à Chriſto impertita , tanquam ignea infixùs ſagitta,tantùm abfuit,vt vnam contentus fuerit prouinciam percurrere , ſed inſtigante pacis ſagitta animæ eius veluti inhærente , eiuſque ſtimulo actus,ita animarum zelo inflammabatur , vt nullibi

potuerit

Silueſter in roſa aurea. Solus vniuerſũ percurrit orbem.

Hac Torpinus p. 2. dia. 4. c. 21. Chryſoſt. homi. 2. in Matthæũ. Tres magos baptizauit, & ſuæ prædicationis ſocios habuit.

Eccl. c. 19.

Sagitta pacis cõfixus nuſquamquieuit donec pacem plurimis regionibus attulerit.

potuerit quiescere donec pacem plurimis à se inuicem dissitis regionibus, ac prouinciis annunciaret. Postquam enim Magis Euãgelium prædicasset, Thadæo ex septuaginta discipulis vno ad Abagarum Regem Edessenorum misso, qui ei, iuxta Christi, ad eum per litteras: pollicitationem Euangelium prædicaret, vt testis est Eusebius & Nicephorus, eius feruore in dies magis augescente, ac diuinæ sagittæ stimulo mirum in modum exagitatus, ad septentrionales mundi partes sese contulit. Ecce quomodo sagitta femori canis nostri Euangelici infixa festinare potius, quàm tardo incedere gressu ad animarum lucra cogat!

Multas prouincias pera-grat.

7. Vbi verò Germanis Christi fidem annunciasset, in Meridiem & Orientem sese extendere decreuit, ad ipsam vsque Æthiopiam, in ipsis ferè vltimis Africæ finibus constitutam penetrare, sed antequàm eò pertingeret, plurimis circúquaque gẽtibus Christi Euangelium prædicauit, Parthis, Medis, Persis, Hircanis & Bactris, quẽadmodum Dorotheus, Hieronymus, Sophronius, Eusebius fidem faciunt. Quod verò in Æthiopiam delatus fuerit, ac Abessinos docuerit, Iacobus Nauarcha testatur: S. Thomas, inquit, in Æthiopiam delatus, Abessinos docuisse legitur. Inde in Zocotorum Insulam, ad Æthiopiæ promontorium, quod modò Guarda Fumi nominant, non adeo procul à freto maris rubri positum traiecit. Vbi & templum in ipsius memoriam extructum, etiam hodie visitur, & Insulani narrant suos maiores doctrinam fidei ab hoc Apostolo accepisse, vt latè in Epistola sua Pater noster Gonsalus Rodoricus, qui in Zocotora fuit, scribit. Hinc rectà in Persidem nauigare videtur; Inde in vicinam Mediam, & Parthiam quibus in locis omnibus ipsum, verbum Dei proposuisse testatur Eusebius. Deinde per Hircaniam, Bactrianos, & Sacos in Indiam Orientalem penetrasse affirmat Hieronymus. Item Abdias peruenisse vsque in Scythiam extra

Nauar. in Epis. Asiatica.

Euseb. l. 3. c. 1. Hist. Eccle. Hiero. Epis. ad Marcel.

Digitized by Google

Imaum positam & Cataiam,& regnum Mangiæ,siue Sinarum populos , vsque ad Oceanum peruagatum esse crediderim. Hæc Nauarchus. Insuper Nicephorus scribit,quod in vniuersa extremi orientis ora,& ad vltimum Oceanũ, apud Insulam quoque Taprobonam gentemque Brachmanam templis maximis ædificatis,verbum salutis prædicauerit.Infixa igitur verè sagitta femori nostri Euangelici canis , sagitta inquam,pacis,amore,& zelo imbuta,quastimulatus, ad tot regiones,ac prouincias conuertendas festinabat, vt sicuti ipse obtenta conscientiæ pace,infidelitatis errore sublato,Dominum & Deum suum resurrexisse agnouit;sic illæ , ad pacis auctorem reductæ, abiuratis omnino infidelitatis erroribus,eadem cum ipso conscientiæ pace perfruantur.

8. O Thoma Thoma , quàm ardentem amoris flammam,pacis sagitta, pretioso infecta Christi sanguine , inter animæ tuæ viscera , præ cæteris Apostolis excitauit , vt non tantùm diuino amore adamantinum alioqui pectus tuum,incẽderet, sed etiam illam amoris flammam, extra pectoris tui angustias erumpere cogeret,qua totum terrarum orbem, longè latéque inflammares. Hæc est,vt video,vis Christi sanguinis , quæ non tantùm incredulum cor tuum perfregit , sed singulari etiam amoris ardore colliquefecit. Adamas adeo durus esse perhibetur,vt nulla pene vi perfringi possit, facilè tamen hircino sanguine conteritur ; & cor Thomæ ita adamantinum fuit,vt nullis sagittarum à Christo, in cæteros Apostolos emissarum , ictibus infringi potuerit, neque etiam Apostolorum relationi,vti diximus,neq; mulierum affirmationi,neque Christi ipsius prædictioni cesserit.Sed vbi nobilissimi illius hirci Christi nimirum sanguine,quem scriptura hircũ vocat,cùm Deus hircum(&quem nisi Christum pro peccatoribus immolare iubeat,illius,inquam , cœlestis hirci sanguine , quasi iam tepido ,ac recenti , intincta pacis sagitta Thomæ cor attingeret , illud statim perfregit.

Christi sanguine cor durum Thomæ madefactum.

Simile.

Leui. 9.

Nasn

Nam qui paulò ante pertinacior Christum à mortuis resurrexisse credere noluit; iam cordis duritia Christi sanguine emollita exclamauit: [Dominus meus & Deus meus,] quia licèt præcisa, & veluti trunca oratione, insignem tamen præ se fert confessionem, in quam tanto amoris ac gaudij impetu erupit, vt non satis ad explendam orationem otij suppetere videretur: [Dominus meus (inquiens) & Deus meus.] Quo non solùm confessus Christum à mortuis, virtute propria surrexisse: sed, quod inde sequebatur, Deum ac hominem verum esse, qui sese à morte ad vitam reuocasset. Clarissimum sanè testimonium diuinitatis, ac humanitatis Christi reddidit, ab homine maximè etiam incredulo!

9. O vtinam cor nostrum, quod veluti adamas, vt illud vocat Zacharias, diuinæ pacis sagittæ ictui resistit, applicato hoc sanguinis remedio, confractum cum Thoma vehementissimo Christi, vt ait Nicephorus, amatore exclamet: [Dominus meus & Deus meus.] Sed [cor suum, ait Zacharias, posuerunt vt adamantem, ne audirent legem.] O quanta hæc reprobati hominis miseria, cuius cor ita sceleribus induruit, vt diuinæ pacis sagitta, aut cœlestis verbi malleo contundi, aut emolliri nequaquam possit. [Cor enim eius indurabitur quasi lapis, & quasi malleatoris incus stringetur.] Ecce quomodo reprobi hominis cor peccatis irretitum, adeò paulatim indurescit, vt quò magis diuinis impetatur sagittis, eò etiam magis sese obstinatum, in malitia corroboret: induratur siquidem longa peccati consuetudine veluti lapis, sed quoniam lapideum cor diuina misericordiæ, ac pacis sagitta, & cœlestis verbi malleo sæpius confringi contingit, iuxta illud Prophetæ, [Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis.] Et illud verbum Dei quasi malleus est conterens petras: ita peccandi licentia naturam exuit lapidis, vt in ferri, imo incudis naturam sese transferat, vt & sagittas in se emissas, in sagittarium

Quanta peccatoris cordis duritia!

Nice. l. 2. c. 40.

Zach. 7.

Iob. 41.

Psal. 44.

Hier. 23.

Digitized by Google

rium retorqueat, & quò ſæpius diuini verbi mal-
Simile. leo contundatur, eò fortius reſiſtat: nam quemadmodum malleatoris incus, quò frequentioribus percutitur ictibus, eò magis ſtringitur, ac roboratur, imò non citius ab illa ictus excipiuntur, quàm reſiliunt: ſic huiuſmodi hominum corda, tanquam duriſſimæ ac ſtrictiſſimæ malleatoris incudes, frequentibus pacis ſagittæ, ac diuini verbi ictibus contuſa, tantùm abeſt, vt molleſcant, vt potius magis indureſcant, irritóſque reddant diuinæ gratiæ ictus. O vtinam ſub pectoribus noſtris huiuſmodi adamantina, non geramus corda, quæ diuinas pacis ſagittas, diuiníque verbi ictus toties repetitos irritos reddant! Vtinam duriſſima hominum corda cœleſtis gratiæ ferramentis, (cùm omnes hactenus pacis ſagittas ſibi impactas reiecerint) è pertinaci pectorum lapidicina dextrè exciſa, foràs efferantur, & noua, carnea, mollia, flexibilia & docilia eorum inſerantur loco, vt qui hactenus in fide infirmi fuerunt pacis ſagitta hodie corroborati, cum Thoma, ex ardente animi affectu exclament: [Dominus meus & Deus meus.]

SECVNDVM PVNCTVM.

Secunda ſagitta, infer digitum tuũ huc, qua ſeſe in alium ſtatim conuerti ſenſit.

10. Secundo conſideremus loco ſecundam, quam ex ſuæ miſericordiæ pharetra eduxit, ſagittam, qua penitius Thomæ cor, animarum amator ſauciauit: [Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.] Salutaris profectò hæc miſericordiæ ſagitta: [Infer (inquit) digitum tuum huc.] Quid, obſecro, dulciùs? quid ſuàuius? quid eſt quòd magis Chriſti in Thomam amorem, & miſericordiam potuit exprimere. [Infer digitum tuum huc.] Hæc ſanè ſagitta etiã eſt potentis acuta, cum carbonibus non deſolatoriis, ſed lætitiâ plenis: ſagitta, inquam, amoris ac miſericordiæ plena, quæ ab amoris & miſericordiæ pharetra educta eſt: [Infer digitum tuum huc,] adeſ-dum Thoma, qui neſcis aliter, quàm tactu credere, [Infer digitum tuum huc.] Fiat vti vis; vide, & tange manus

nus meas. Ecce clauorum locus! ecce depressum lateris vulnus, & ne fortè Spiritũ me esse putares, aut tibi fatcinari oculos, [mitte manũ tuam in latus meũ & palpa, & vide, quia Spiritus ossa & carnẽ non habet: cui Thomas; Dominus meus & Deus meus.] Diuinæ Vocis ardorẽ olim Dauid expertus [ignitũ (exclamat) eloquiũ tuũ vehemẽter, & seruus tuus dilexit illud.] sic igneũ Christi eloquiũ, igneã huiusmodi legẽ, nõ tãtũ in dextra, vt ait Moyses, sed in latere etiã suo prę ferẽtis: [Infer digitũ tuũ huc,] Thomã sentiẽs subita mutatione, anima ex infidelitatis duritie, ad fidei feruorẽ cõuersa, affectu saltẽ exclamauit: [Ignitum eloquiũ tuum vehementer.] Vix enim è diuino ore, ignea illa verba sunt emissa, cũ ferreum eius pectus, veluti ignita saucium sagitta penitus colliquefieri senserit, ac propterea cũ Dauide eodẽ affectus ardore subdit. [Et seruus tuus dilexit illa,] quippe cùm Christi amorem, quẽ per infidelitatis peccatum, magna ex parte amisit, per illa statim recuperauerit: igneam siquidẽ charitatis legẽ, animæ eius visceribus, lateris sui attactu, ita diuino veluti stilo Christus insculpsit, vt in alium omnino hominẽ derepẽtè mutatus fuerit Thomas: vnde claro fidei lumine illi restituto, statim exclamauit: [Dominus meus & Deus meus:] credo, credo iam te Dominũ meum, & Deum meum. Ecce quàm præclaram fidei confessionẽ edidit! tantò sanè clariorem, quantò anteà magis fuerat incredulus: sic enim ingenia sunt quædam, vt in quãcumque partem incumbant plurimùm valeant; cùm se in malum dedunt, Sauli: cùm in bonum, Pauli sint. Digito itaq; in latus Iesu misso ex incredulo factus est fidelis, aliud tangens, aliud credens; tetigit enim & vidit Dominum, credidit, & confessus est fuisse Deum, [videbat, inquit Augustin. tangebatque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat. Sed per hoc quod videbat, atq; tangebat, illud iam remota dubitatione credebat.] Hinc apertis animæ oculis totus Christi amore in-

Psal. 118.

Aug. in hunc locum.

cen

census (ô mutatio dextræ excelsi!)ex certa fide exclamat:[Dominus meus & Deus meus.]

Mutationis diuinæ indices cum præclara confessione, lachryma.

11. Huius verò diuinæ mutationis indices sunt, cum præclara eius confessione obortæ pœnitentiæ, lachrymæ, in quas cor alioqui Thomæ adamantinum præ amoris igne resolutum esse videbatur. Dum enim Christus, vt ait Gregorius, se per Spiritum suũ animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissoluit, & aliquando mẽtem in tantas lachrymas liquefacit, vt vix capere possit hoc, quòd se capere intra se exultat & intus miretur, quid fieret, & quid factàm subitò seipsam videat.] Hoc itaque Spiritu, & diuino inflammatus igne Thomas, cum lachrymis, [Dominus meus & Deus meus] exclamat: vocem Domini, [infer digitum tuum huc,] intus ignitam sensit, ac proinde ignis præsentiâ intus ardentis, & eius viscera lambentis, hanc cum lachrymis cœlestem elicuit confessionem:[Dominus meus & Deus meus; in die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte, contra eum, & non sum deceptus.] Magna siquidem illi tribulatio fuit, mortuum ante paucos dies Dominum suum, nondum rediuiuum cum cæteris Apostolis vidisse; sed in nocte cœcitatis, & incredulitatis, quæ Resurrectionis lucem animæ oculis eximebat: Deum, inquit, exquisiui manibus meis, vt cœcus palpans in meridie: Volens itaque tangere manibus meis manus eius, & latus, ô diuina dignatio! ô summa clementia! non sum deceptus: te etenim quærens, non mihi succensuisti, non vertisti mihi terga, non me abiecisti: sed, vt Deus ad misericordiam semper propensus, manus ac latus mihi cœco palpanda, libenter exhibuisti, & dum cœcus corporis tui vulnera tãgerem, tu animæ meæ sanasti cœcitatem. Quare spirituali recuperato visu, palpaui, cœcus esse desij, téque Dominum meum, ac Deum meum infinitâ tuâ potentiâ à mortuis excitatum statim credidi. [Et lumen oculorum meorum, & ipsum est mecum.] O Thoma Thoma, quid vides

Greg. in Cãt. c. 5.

Ps. 76.

Digitized by Google

in Chriſto ? cicatrices vulnerum Deúmne probant? putáſne ſi mortuus reſurgat, illum ſtatim Deum eſſe ? vidiſti ante Lazarum à morte ad vitam reuocatum, neque tamen illum Deum eſſe credidiſti, neque exclamaſti ? ſed aliud modò vides, vti fateris, aliud credis, hominem vides, Deum credis: ſed vide ô Thoma, quomodo Dominus animi tui etiam pertinaciam huius ſagittæ acuta cuſpide, licèt miſericordiæ plena, tibi exprobret: [Infer (inquit) digitum tuum huc,] non credis, ô Thoma, me à mortuis reſurrexiſſe, non credis has eſſe manus, quæ cruci fuêre clauis affixæ! non credis hoc eſſe latus, quod militis lancea aperuit! ô Thoma, Thoma, terruerunt te, ſcio, vulnera, ſed modò animent te glorioſæ cicatrices: nutaſtis omnes in morte mea, ſed [Ego confirmaui columnas.] Ego te & cæteros Apoſtolos, qui terrore conſternati, in morte nutaſtis, gloriosâ meâ Reſurrectione confirmaturus veni. [Infer (ergo) digitum tuum huc, & vide manus meas.] *Pſ.74.*

12. Columnas, dicit Pſalmographus, Apoſtolos. Et quid eſſent illæ columnæ niſi ab illo firmarentur ? columnæ, quæ in paſſione nutauerunt, in reſurrectione firmatæ ſunt: terruerunt eos vulnera, firmauerunt cicatrices. Hãbere voluit cicatrices, vnde nutantès columnas firmaret.] Tangis Thoma digito cicatrices, ac proinde firmatus exclamas: [Dominus meus & Deus meus.] Dominus vulnera, inquit Chryſologus, reportat, clauorum foramina reſumit: ipſa facit teſtimonia ſui corporis, ſuæ Reſurrectionis indicia, quæ ſuæ fuerunt contumelia paſſionis.] Quemadmodum elegantiæ cauſa veſtes à ſartoribus artificiosè incidi ſolent, vt aureus pannus, qui, alioqui ſub viliori veſtium tegmine deliteſceret, per ſciſſuras pulcherrimè emergeret: ſic Deus, qui primus in mundo ſartor extitit egregius (vt tunicæ pelliceæ ab eo Adamo & Euæ concinnatæ teſtes ſunt) aperta in ſui filij corpore vulnera eſſe voluit, vt inde aureus ille gloriæ pannus, quæ à diuinitatis

Sua reſurrectione nutãtes Apoſtolos confirmauit. Augu. in illũ locum Pſ.74.

Chryſol. ſer. 76.

Simile.

Genes.

viſione

visione emanabat sese exerceret, admirandóque suo splendore Apostolorum oculos recrearet. Quid ergo ad hoc, ô Thoma: [Dominus meus & Deus meus] inclamas animæ tuæ cœcitati infixa misericordiæ sagitta, inclamas, vulnerasti cor meum, inclamas, sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis: inclamas, inquam, sagittâ vulneratus, manus do Regi gloriæ, vulneror, sed non extinguor, vulneror, vt moriar peccato, & iustitiæ viuam, vt sic subiectus Regi Christo remaneam, eique in perpetuum seruiam. Cor enim meum verbi sui sagitta ita penetrauit, vt semel in corde infixa ibidem hæreat, & amoris vulnus alat, & conseruet; & sic, ex inimico, & peccatore Regis amicus, & sanctus factus sum. O procul à te, infidelitatis vulnere aliquãdo saucius, Deus meus, abij, verbi tui quidem gladio me, quamdiu intrà sphæram eius manſi paternè sæpius castigasti, sed dum per incredulitatem longiùs à gladij tui ictu abirem, non intelligens [qui elongant se à te perire,] à te procul absentem sagittasti, méque misericordiæ tuæ visitatione animasti. Vide (inquit Theophylactus) quomodo propter vnum hominem Thomam, non dedignatus est, ita condescendere Dominus, & latus ostendere, vt soluat animam vnam incredulam.]

Cant. 4.

Psal. 72.

Theoph.

13. Quàm verè ab Isaia dictum [ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.] Magnam sanè hæc Domini miseratio nobis ingerere debet consolationẽ, si quando enim iustus, quem ab æterno elegit, in grauius impingat peccatum, & ab eo recedat, ita longum illi sit, eius ad modicum differre conuersionem, vt momentum illud, quo in peccato iacet, longissimum illi videatur tempus. Quemadmodum enim sponsus, qui tenerrimè sponsam amat, quando ad modicum peregrè proficiscitur, nihil ei molestius, quam

Isa. 54. Momẽtaneæ Dei iræ in electos.

Simile.

quàm moram aliquam, à sponsa facere: quare ita sese comparat, vt momento temporis, si fieri possit, negotium expediat, vt quàm citissimè ad desideratos sponsæ amplexus redeat: sic animarum spõsus Christus, quando ab electis ob peccatum, quasi peregrè abiens, recedit, tantùm abest vt moram faciat, vt potius teste Gregorio, eos statim veniendo adiuuet, [Sanctus enim suos Dominus, inquit, veniendo adiuuat, derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat: vbi enim eos videt derelictos, statim corde ad illos conuerso errantes quærere festinat. Nam ira eius ad momentum, sed misericordia eius sempiterna. Momentanea erat eius in Thomam ira, irę quam ob infidelitatis peccatum meruit comparata, durauit enim tantùm ad octo dies, qui nihil sunt æternæ iræ comparati, quam ipse fortassis meruit; sed misericordia eius sempiterna. Verè eius in Thomam misericordia sempiterna, cui postquàm incredulum eius animum misericordiæ sagitta confoderat, vulnera ostendit, vt se Deum & hominem esse intelligens, sempiternam consequeretur misericordiam. [Ideò, vt auctor est Leo, Christus vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissima passionis signa Thomæ monstrauit, vt agnosceretur in eo proprietas diuina, humanæque naturæ indiuidua permanere: quo effectum, vt agnitis huiusmodi altis mysteriis diuina sedata indignatione sempiternam obtineret misericordiam.

Greg. c. 30. in Iob.

Leo.

Quàm dispar ira nostra à Dei ira.

14. Quàm dispar hæc diuini numinis ira, à nostra; nostra enim plerúmque perpetua, odium enim semel in proximos conceptum, nũquam penè deponimus, illa verò momẽtanea, quæ in ictu sæpè oculi mitigatur. Et sicuti ira nostra aliquãdo perpetua; sic è contrario misericordia nostra momentanea: cui enim iam beneuoli extitimus, & quem intimè saltẽ, in specie, amauimus, cũdẽ statim suborta leui cõtrouersia omnis obliti amicitiæ, intestino prosequimur

odio: miſericordia itaque noſtra momentanea, quæ
Simile. in ſempiternam iram aliquando conuerti ſolet. Sicuti ardens in pectus ſcintilla inſiliens, niſi protinus excutiatur, non tantùm extimam exurit veſtem, ſed paulatim ſerpens eouſque attingit, vt carnem & oſſa etiam penetret: ſic noſtræ iræ ſcintilla, ſi in animi ſinu foueatur, ità omnes ſenſim vires abſumit, vt ſempiterno in proximum odio efferueſcens, rationis nos expertes faciat. Qui ergo vult ſapere, iræ ſcintillam ſub pectore quieſcere non permittat, ne mora ſua, pectus inflammans odij incendio ſeſe penitus inuoluat.
Similia. Quemadmodum enim incendium quantumuis magnum, fomento ſubtracto, aquarum copia facilè extinguitur: ſic inſurgentes iræ ſcintillas, iurgiorum flatu minimè concitatas, ſubtracta rancoris materia, facilè extingues, quæ alioqui in ſinu congeſtæ, ac verborum flatu excitatæ, in magnum erumpunt incendium. Aſſurgentes itaque in pectore iræ flammas ne amplius vel aſpero contentionis vento, vel rancoris fomite creſcant, ebullientis ſanguinis feruorem gelidiſſimæ ſtagnantis inferni aquæ ſedula conſideratione ſubtrahe, alioqui iram non extingues irâ, ſicut nec ignem igni: ſed ſicuti ignem aqua, ita iram extingues patientiâ, & benignitate: aliter profectò, ſicuti tarda eruca paulatim ſerpens virentia exedit olera, ſi opportunè non expellatur: ſic iræ ſcintilla, ſi per animæ ſinum diſcurrere permittatur, ita ſenſim virentes depaſcitur charitatis flores, vt nihil proximo relinquatur obſequij.

Quomodo ira ſeſe in animã inſinuãs diabolum intromittat.

15. Si igitur miſericordiæ oculo, tanquam ſalutari ſagitta, cum Thoma feriri velimus, omni depoſita ira, in condonando, Chriſti miſericordiam imitemur, qui licèt ſæpè minas ſpirare videatur, vna tamen pœnitentis lachrymâ ita placatur, vt ſubitò in ſempiternam feratur miſericordiam. Nolite itaque locum dare diabolo, per longam iram

qui

Digitized by Google

[qui tanquam leo rugiens quærit, vt ait Hieronymus, aditum, per quem possit irrumpere.] Quomodo enim pater & filius stant ante ostium, & pulsant, vt introeant, & cœnent cum eo, qui se receperit, vti cum Thoma, qui per pœnitentiæ lachrymas, eos in sui cordis cubile introduxit, ita aduersarius semper in nos est paratus irrumpere, vt cùm locum dederimus ingrediatur. Solet autem antequam veniat quædam iacula præmittere, sicuti Christus in Thomæ pectus amoris sagittas præmisit, antequam incredulam eius mentem perfringeret, & præcursorem aduentus sui facere cogitationem. Hanc si nos in corde susceptam nutrierimus intrinsecus, & crescere fecerimus, cùm in nobis prolem suam auctam viderit, & ipse audebit intrare.] Iracundis enim cogitationibus facillimè & occultissimè sese insinuat, eáque iniuria nobis ob oculos proposita, magis ac magis excitat & sua suggestione, & consilio vindictæ quasi folle accendit: quare Spiritus, & sanguinem commouet, vt bilem inflammet adeóque rationem & iudicium turbat, vt irati vindictam, non vindictam sed iustitiam esse putemus: itaque in vltionem quasi æquam & iustam prosiliamus, neque videamus peccata, & pericula, in quæ nos coniicimus, sed quasi furentes & amentes in conuitia, verbera & cædes feramur: nihílque tam immane sit, quòd non audeamus attentare, dum nobis furor arma ministrat: ratione enim & mente erepta, irati & furibundi non tam agimus, quàm agimur à furore, & à dæmone, videmúrque esse dæmones incarnati. Non sine ergo ratione in nobis diabolus locum quærit, & iram, vt pandat ostium, locúmque faciat, in corde præmittit, vt illud omni gratiæ thesauro expilet. Christus quidem in Thomæ anima locum quæsiuit, & misericordiæ sagittam, quo pertinax cordis eius ostium perfringeret, locúmque in corde eius faceret, immisit. Quare sicuti incredulitatis vitio, per misericordiæ sagittam in fidelitatis virtutem con-

Hier. in cõment. Pauli: Nolite locũ, &c. Ephe. 4.

Digitized by Google

uerſo,cordis oſtium aperuit:ſic nos eadem petiti ſagitta Chriſto locum demus; Extinguamus iram ne oſtium aperiat, locúmque diabolo paret. [Diabolus enim,vt ait Theophylactus,quamprimùm inuenerit diſſenſionem inter nos,tum ceu per ſe inuento loco caput ſuum ſubintroiicit ſerpentis inſtar, ac deinceps omnem reliqui corporis tractum ſecum contrahit.]Momentanea igitur noſtra ſit ira, ac in proximos miſericordia ſit ſempiterna, alioqui diuinæ vindictæ ſagittas in nos intorqueri,experiemur, diabolo facti præda.

16. Olim quidem Deus manibus arcum ſuum tenébat, & ſuæ iuſtitiæ ſagittas in nos tendebat,ac gladio,ſuæ vindictæ,vibrato, ingentes edebat ſtra-
Pſ.7. ges, [gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit & parauit illum,& in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.] Ecce quomodo Deus non tantùm iraſcebatur, vel minabatur, ſed quæ comminabatur mala,infetebat etiam, [niſi,inquit, conuerſi fueritis] gladium agitabit cædendo, ac in veſtro cum ſanguine ſplendeſcere faciet, neque ſolùm gladio cominus percutiet, in flagranti delicto comprehenſos, ſed eminus etiam ſagittis conficiet, qui ſeſe longa peccandi conſuetudine, gladij eius ictum declinaſſe putant, & mortiferis quidem ſagittis, ex ardenti materia fabricatis, vt ſint tela ignita, quæ velociſſimè, & ſumma vi peccatorum corda penetrant. Hæc olim Dei in peccatores vindicta. Vbi verò Dei Filius noſtrâ ſeſe induit carne, [in momento indignationis abſcondit faciem ſuam parumper à nobis, & in miſericordia ſempiterna miſereretur noſtri :] Mitius igitur agere cœpit, & gladium in vaginam, quo peccatores mortifero percutiebat ictu, recondit, arcúſque ſui faciem in cœlum intendit, vt nos à Patris ſui ira tueretur; & ſuis tantummodò amoris ſagittis, cordibus peccatorum vulneratis, peccatum

inter

interficit, peccatoréſque rediuiuos facit. Hinc ipſe ad hoc gratiæ tempus reſpiciens, [cum eis, inquit, fœdus percutiam, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.] Fœlix ſanè illa anima, cum qua Dominus fœdus icit, vt hodie cum Thoma, vindictæ arcu, ac furoris gladio ſublatis, miſericordiæ ſagitta animæ viſceribus infixa, in pacis ſecuritate, ac gratiæ tabernaculo fiducialiter dormiat. Verè infixa canis noſtri Euangelici Thomæ claudicanti femori recuperato animæ greſſu, longè latéque exſpatiatus, & quaſi nonnihil ex longo itinere fatigatus, tot animarum millibus, ex peccati cœno, & infidelitatis tenebris ad clarum fidei lumen, ſanctúmque vitæ inſtitutum traductus meritò à laboribus ſuis tandem requieſcens, in illius ſinum fiducialiter glorioſus in cœlo recumbit, cuius vulnera, in terris fide & amore plenus contrectauit. Si enim eius digitum in tanta Deus voluit habere veneratione, vt illum in ſui lateris vulnus inſeri expetierit: [Infer digitum tuum huc:] Quomodo in æternum cum Deo non coniungeretur illius digiti inſertor? Hinc Deus, vt hanc ſibi cum illo coniunctionem perpetuo comprobaret miraculo, voluit eius veſtigia etiam hodie propè quendam fluuium terra impreſſa omnibus conſpicua eſſe: De qua re ſic ſcribit R. P. Emanuel Nobrega: Habent, inquit, incolæ D. Thomæ notitiam, quem Zoma nuncupant, eúmque hac iter feciſſe à maioribus acceperunt, & veſtigia Apoſtolica etiamnum cerni propè quendam fluuium affirmant: quod, vt certius cognoſcerem, ipſe abij, & propriis oculis inſpexi, quatuor pedum, & digitorum ſatis altè impreſſa veſtigia, quæ nonnunquam aqua extrinſecus cooperit.

Oſee 2.

P. Emanuel ex Braſilia exteriori Americæ parte anno 1552. hæc ſcribit.

17. Hæc Apoſtoli veſtigia ſumma Incolæ ſuſpiciunt veneratione, præſertim ob ſingularia, quæ ſubſecuta ſunt miracula: Sicuti enim Eliæ

Aquas diuiſit ſuo digito.

Digitized by Google

pallio aquas fluuij Iordanis diuidendi virtutem
4.*Reg.*2. Deus indidit, quo ipſe & Eliſæus miraculoſo tramite in aquarum medio ſicco pertranſirent veſtigio: ſic huius Apoſtoli digito in latus Chriſti inſerto huiuſmodi vim collatam crediderim, qui, vt ſcribit, idem Pater, à perſecutoribus fugiens, flumen haud dubiè ſigno crucis facto, per illum digitum, tanto donatum priuilegio, diuiſit. Ferunt, inquit, ea relicta veſtigia ſcilicet dum Sanctus Thomas perſecutores ipſum configere volentes fugeret, flumén-que diuiſum fuiſſe, per cuius medium, ad vlteriorem ripam, ſicco pede, profectus in Indiam abiit, ſed tanti miraculi auxit admirationem ſubſequens miraculum. Sicuti enim adamantinum Thomæ pectus, immiſſas, vti dixi, à Chriſto in authorem retorſit ſagittas: ſic etiam nocentia in ſe ab aduerſariis ſpicula collimata, miraculo in auctores retorſit. Cùm enim in America Chriſti Euangelium prædicaret perſequentium ſagittas quibus ipſum petebant in ſagittarios manu illa, vix dubito, per Chriſti lateris tactum miraculorum virtute prædita, retorquebat, vt idem Pater ſcribit. [Pari, ait, modo narrant ſagittas, quibus ipſum petebant, in ſagittarios reflexas:] quibus licèt barbari fortaſſe interierunt iudices tamen fuere, aliquando futurum, vt Thomas ſalutares ſagittas recenti Chriſti ſanguine imbutas, in tot hominum millia, intento charitatis arcu, euibraret, quibus Chriſti inimicos, diuino amore ſaucios, gratam Deo hoſtiam conſecraret. Ecce quàm efficax ſagitta in Thomæ pectus euibrata: [Infer digitum tuum huc] qua non tantùm omne de Chriſti reſurrectione dubium ſublatum eſt, ſed tanta etiam illius digitum ſuorum vulnerum attactu, miraculorum potentia donauit, vt diuina illi inſidere virtus, ad miracula pro ſuo penè arbitratu patranda, videretur!

Tertia ſagitta affert manum ſuam.

TERTIVM PVNCTVM.

18. Tertio denique loco de tertia inſignis prærogati-

Digitized

rogatiuæ sagitta agendum : [affer manum tuam & mitte in latus meum:] sufficecit quidem Thomæ ad propriam fidem vidisse,quod viderat,sed nobis operatus est, vt tangeret etiam quem videbat : vnde D. Augustinus exclamat:[Quàm bona ignorantia, quæ eiudiuit ignaros , quæ instruxit incredulos , quàm bona incredulitas, quæ omnium sæculorum fidei militauit.Affer, inquit,manum tuam & mitte in latus meum.] Quàm specialis hæc prærogatiuæ sagitta: in increduli cor intorta, qua ad vitum percussus Thomas, reddito sibi penitus claro fidei lumine, cbortis , vt arbitror , lachrymis in genua prouolutus,præ tantæ maiestatis reuerentia, quam in Christo agnouit, latus eius contrectare erubuit. Vnde Euthymius:[Videns(inquit)Thomas vestigium clauorum,& latus apertum continuò credidit, non expectauit dum contrectasset:] at Christus apprehensam eius manum lateri admouit , vt hoc claro Resurrectionis signo , Dominum resurrexisse posteri docerentur:ab ipso itaque contrectari voluit , vt & oculo, & tactu & fide, testis fidelis Christi resurrectionis , cum cæteris Apostolis esse posset , & cum Ioanne prædicare:[Quod audiuimus,quod vidimus oculis nostris , & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ annunciamus vobis: palpauit ergo Thomas(vt auctor est Cyrillus)latus Saluatoris,& ictum salutaris lanceæ curiosiùs pertractauit]vnde virtus, à Christi latere in Thomam statim deriuata est, qua mira operabatur. Quid enim manus illa in saluatoris latus emissa non operaretur? Quare tanquam insignis artifex diuina prouidentia , in Indiam missus singularem,ex Christi latere,virtutem hausisse miraculis ostendit , quorum hodie ibidem, quasi recens extat memoria:æneæ enim tabulæ in eius sepulchro cernuntur, in quibus scriptum Regem illius loci B. Thomæ certam telluris dimensionem ad templũ extruendum donasse,vti asserit Osorius:sed & huic sepulchro,ait P. Gaspar,fidem faciebat ciuitatis prefectus

Aug. serm. 156.de Tempore.

Euthy.in hũc locum.

1. *Ioannis* 1.

Miram virtutem hausit eius manus à Christi latere.

Osorius l. 3. rerum Lusitanarum. P. Gaspar literis ex Goa anno 1553.

Digitized by Google

ctus lignum nobis ostendens incredibilis magnitudinis, quod Apostolus, dum viueret, è longinquis regionibus ad locum in quo palatium Regis extruendum erat Archio vocant mari miraculosè aduexisse fertur; cuius ligni vastitas ea est, vt ne boum quidem copiosa multitudo id loco mouere quea:, quod tamen facili negotio post se Thomas traxit. Quãta hæc ex lateris Christi attactu virtus in Thomæ manus deriuata quibus ingentem trabem quasi ludibundus ad Regiam fabricam duxit!

Insignis fuit Architectus.

19. Quare cum Thoma Stapletono colligere possumus non esse penitus fabulã D. Thomam, ex Iudæa in Indiã, sub specie Architecti missum, quem Rex solicitè quærebat, vt sub hoc egregio prætextu Christi Euangeliũ Regi eiusque subditis anuntiare posset, sed rem verè gestam fuisse, vt Abdias, Vincentius, Beluacensis, Perionius & Simeon Metaphrastes testantur: insignis igitur architectus fuit Thomas cuius manus in Christi latere ad omne præclarum opus conficiendum efformatæ sunt: verè manus eius tornatiles. Nam sicuti virtus Dei rerum omnium effectrix, eiusque munificentissima natura tornatilis est, iuxta illud Cant. [manus eius tornatiles] ob summam in operando, & benefaciendo celeritatem (est enim tornatoria ars velocissima) tum etiam, ob rectitudinem, quam in agendo obseruat. Eadem siquidem ars maximè certa: circinus enim ille cui affixa sunt, ea, quæ torno elaborantur, est veluti norma ac regula eorum quæ efficiuntur, iuxta illud Isaiæ: [in circino tornauit illud.] Sicuti ergo Deus in operando & benefaciendo, vti etiam in hac Thomæ conuersione apparet, celerrimus & rectissimus & quasi torno sua elaborat opera: sic Thomas licèt infinitè inferiori modo, per acceptam à Christi latere virtutem in operando & benefaciendo celerrimus, & rectissimus: quippe qui tot obiens, vti diximus, longè à se inuicem remotas regiones, ac prouincias operando & benefaciendo, tot miraculorum splendoribus conspicuus

Cant. 5.

Isai. 44.

In operando & benefaciẽdo celerrimus, & rectissimus.

Digitized by Google

conſpicuus adeo claro fidei lumine illas colluſtrauit, vt rectam ſibi contributorum à Deo beneficiorum,ac gratiarum menſurá,pro cuiuſque capacitate ſic ſingulis impertiit , vt quaſi torno ſua opera elaboraret.Hinc tanta morũ mutatio, in omnium penè animis ſubſecuta,miraculorũ eius, ac doctrinæ certitudine,& rectitudine,vt omnes veluti vnius moris in Eccleſiæ domo eſſent.Quàm efficax ergo hæc ſingularis prærogatiuæ ſagitta! [Affer manum tuam & mitte in latus meum,]quæ veluti ardens facula omnem infidelitatis ſcoriã penitus abſumens , Thomã etiam in miraculoſam quaſi conuertens faculam,per tot regiones ac prouincias tranſuolare,& infidelitatis vbiq; fæces ita abſumere effecerit, vt deterſa errorũ omnium rubigine, infideles in argentea & puriſſima vaſa trãſirent,qui anteà contumeliæ vaſa extiterunt,iuxta illud Sapientis: [Aufer rubiginem de argento & egredietur vas puriſſimum. *Prouerb. 25.*

10.Non immeritò crediderim manum illam,quæ Chriſti vulnera tetigit , quotannis populum ſuum cõmunicare.Nã conſtat,(vti Ioannes Patriarcha Indorum , anno ſalutis milleſimo centeſimo vigeſimo Romam,peregrinationis cauſa,veniens, Calixto Secundo Romano tunc Pontifice,Cardinalibus,aliiſq; Præſulibus præſentibus,in Conſiſt.publicè declarauit D.Thomam Apoſt.omni olim anno cõmunicaſſe populũ ſuũ(vtor authorũ verbis)manu propria porrecta dignis,& retracta ab indignis.O quãta hęc vis ex Chriſti vulneribus in Thomæ manum tranſlata, quæ veluti ardẽs præcipui amoris ſagitta,nõ modò ab infidelitate Thomã vendicauit,ſed quaſi ſpiritalis façula intra animæ eius viſcera volans, liberè & efficaciter vim ſuã exeruit. Et inde in eius trãſuolãs potẽtias,tanquã in materiã ſibi ſubiectã omnẽ penitus incredulitatis nęuũ abſterſit,ſuáq; demũ veſtigia in defuncti manu reliquit, quibus malos ab indigna Chriſti corporis cõmunicatione arcebat,bonos verò ad dignã admittebat.Hinc etiã illius manui vim ſar-

Tho. Stapletoni in Collectaneo de D.Thoma,& Ribad. in eius vita. Magna vi tributa eius manui.

menta viuificandi tributam putauerim. Nam vti refert Episcopus quidam quotannis in profesto B. Thomæ aridum sarmentum in manu eius ponebatur,quod postridie multis viresçens palmitibus maturum racemorum botrum,cum omnium admiratione efferebat. Quid mirum huiusmodi vim ex Christī latere in ejus manum deriuari,quæ & eius incredulitatem sanaret, virtutémque alios viuificandi contribueret, eò quòd [virtus ex illo exibat,quæ sanabat omnes,]quæque non tantùm sese in eius manum sed per totum etiam eius corpus transfudit, cuius rei euidens hoc argumentum est,quod in India inuẽtum olim eius corpus in sepulchro suauissimum afflabat odorem, cuius miraculi gratia,iam tũ magna cum veneratione ab omnibus tam Christianis quàm etiam Gentilibus & Mahometanis colebatur, qui etiã,vt testis est Nauarchus,eò deuotionis causa peregrinantur,imò tantã sanctitatis opinionẽ de Apostolo conceperunt, vt nõ tantũ sacratũ eius corpus, sed etiã sepulchrũ,quod,vt scribit P.Gaspar,in rupe excisũ est,singulari veneratione honorẽt : Præclarũ illud eius elogiũ,in cruce quadã eius sepulchro exsculpta,identidẽ secũ admirãtes,quantíq; Deus eius conatus ac infractũ pro eius gloria moriẽdi desideriũ fecerit suspicientes: [Thomas diuinus vir fuit,à Dei filio,cuius erat discipulus,in eas oras Regis Sagami tẽpore missus,qui Dei notitiã illas gẽtes doceret,ibíq; templũ extruxit,& res admirabiles effecit, ac tandẽ cũm genibus flexis ad crucem illam oraret à quodam Brachmãno hasta transfixus fuit:crucem verò eiusdẽ Sanctissimi Apostoli cruore tinctam, ad memoriam illius sempiternã relictam fuisse Osorius scribit.Porrò posteros eorũ,qui cruentam illam cẽdem commiserunt, diuinam etiamnũ insequi vindictã testatur Marcus Venetus.[Est,inquiens,in Malauaria genus quoddam hominum, qui ab iis,qui B. Thomam interfecerunt,originẽ trahere dicuntur,de quibus huiusmodi Deus sumit vindictam.Fieri enim non

Luca 6.

Osorius li. 3. rerum Lusit.

Mar.Vene.in reb. Asiatic.

non potest, vt eorum quispiam, etiamsi à decem trahatur, in templum ciuitatis Malapur, vbi B. Apostoli corpus sepultum iacet, inferatur: confluentibus eo nõ solùm Christianis, sed & Sarracenis sancti opem implorantibus auferentibusque secum puluerem loci, qui rubricat, vbi fuit martyrio affectus: qui etiam varios morbos depellit. Ecce quanto Apostolum suum, ac Martyrem honore Dominus à nobis magnificari cupit, qui singularem etiam vim, pulueribus eius sanguine tinctis, miraculorum tribuit. Quis ergo inficias ibit opem huius in cœlo collocati implorandam, cuius sanguinis tinctura in terris, morborum est expultrix? O admirandam diuinæ sagittæ virtutem, quæ ardentibus gratiæ alis duram ac incredulam Thomæ mentem depascens, omnia penitus eius interiora ita liquefecerit, vt in diuinum quoddam esse subito refusus videretur. Si enim sola sponsi vox sponsæ animam ita emolliit vt eam liquefaceret; quomodo ad hanc Christi vocis sagittam diuinæ gratiæ alis instructam: [affer manum tuam & mitte latus meum] Thomæ anima, licèt hactenus ferrea, charitatis calore non colliquescens, in diuino veluti posita cõflatorio refusa in nouam veluti creaturam non mutaretur. Si enim Elisæus natuo corporis sui calore demortuum statim miraculo excitauit, quanto magis Christus sagitta à se emissa diuinitatis impetu impulsa, & charitatis alis librata infidelitatis peccato Thomæ animam moribundam erigere ac instaurare potuit, necnon & vim defuncti dextræ dignos ad Synaxim admittendi & indignos repellendi tribuere, eiusque sepulchri pulueres sanguine rubricatos morborum expulsores efficere. 4. *Reg.* 4.

21. Consimilibũs nos quotidie in fide vacillantes sagittis Deus petit, & tamen nonnullorum adamantina minimè penetrat corda. Nonne in primis æternus Pater suæ potẽtiæ sagitta, ex immensa pharetræ suæ amplitudine educta in nos infinita quotidie vi intorquet, & tamen caucaso duriores sumus? *Nos etiam sagittis petimur, sed non penetramur.*

Nonne

Nonne deinde filius, ſuæ ſapientiæ fortiſſimo nos ſubſequitur telo,& tamen in vera fidei confeſſione, ſine vllo tergiuerſationis ſigno, obruti quidem aduerſariorum potentia vix audemus ſtare? Et ſpiritus ſanctus diuino gratiæ ſuæ flatu amoris in nos condenſat ſagittas,ita vt condenſatis quolibet penè momento nos ſauciare non deſinat, arcum ſuæ miſericordiæ,& iuſtitiæ pariter intendens,ſed tamen adeo corda noſtra, contra infinitam illam teloruin, ac ſagittarum vim inualuerunt,vt vel omnino illas retundant, vel inſtar aëris percutienti cedant, quo fit vt tantarum ſagittarum in iis veſtigium reperiatur nullum:Non ſic,non ſic incredulum Thomæ cor,ſed diuinis infixum ſpiculis,omnem infidelitatis duritiē exuit,cœleſteſq; ſtatim illuſtrationes ſuſcipiēs,omni depoſito infidelitatis errore, Chriſti admonitionibus veluti ſagittis, charitate ardentibus, obtemperans,dicto eius ſemper audiens fuit.

22. Quid ergo faciemus his,Domine,auditoribus? deſeremúſne eos,qui cœleſtibus diuini verbi ſagittis toties petiti,languidi tamen,ac tardi in fidei confeſſione manent? Liceat mihi cū Iſaia de his apud te cōqueri & te ipſum tibi quodāmodo accuſare. [In vacuum itaq; laboraui ſine cauſa,& vanè fortitudinem meam conſumpſi.] Quid ergo faciam? excutiámne graue hoc onus meis impoſitū humeris? Sed inaudio tacitum diuinę vocis ſuſurrū,audio te mihi,Domine, dicentem:ſolius Thomæ cauſa ego hodie apparui,ac proinde,ne animo deſpondeas:,labor enim tuus in irritum minimè cadet: Audit, Domine, ſeruus tuus hæc oris tui verba quibus lubens obtempero [iudicium enim meū cum Domino & opus meū cū Deo meo] reuertetur ad me ſudor meus & labor meus, vóſq; in judicium adducā:[iudicium enim meū cum Domino]in quo nimirum quodlibet verbum à me in hoc conſeſſu prolatum ſtricta examinis ſtatera ſuo tempore ponderandum [Ecce(inquit)mundaboego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut

Iſa. 49.

Licèt ſæpius cōcionando proficiamus non deſpondendum animo tamen. Nam labor noſter ad nos reuertetur.

Amos 9.

sicut cõcutitur triticum in cribro]separabit triticum à paleis, eosquè maximè exagitabit, quibus gratiæ suæ abundantiam impertiit: Et veluti triticum crebris agitationibus concutitur; sic ego vos cribrabo. Et sicuti solent mulieres toties cribrare farinam, donec tandem subtracto omni furfure puram omnino similam reddant: sic ego [colabo filios Leui] vos nimirum quos singulari præ cæteris Hiberniæ ciuitatibus amoris priuilegio honoro, quos tot sagittis, viuis nimirum concionatorum vocibus quotidie, quos præ cæteris proborum ac doctorum consiliis munio, quos cœlestibus fulcio documentis, quos denique singulari doctrina illustribus decorauì viris. Ecce quibus obligati beneficii Dei obsequiis insistere debeatis alioquì seueræ eius censuræ subditi, sine misericordia iudicium experiemini. *Similia.*

23. Si hæc Dei in vos beneficia expendere minimè velitis, fiet tandem aliquando, vt quos tanquam electos sibi habuit Deus à se ingratos repellat, quod ne contingat etiam nostra culpa, qui concionatores sumus, monet Anselmus vt sermo noster sapientiæ sale semper sit conditus. [Sicut (inquit) cibus, cui sal immiscetur fit sapidus, & caro bene salita non putrescit, nec fœtet: ita sit & sermo vester, vt quasi cibus sapidus recipiatur, ab ore cordis audientium, non sit insipidus per insipiétiam, nec putridus per admonitionem carnalis delectationis, nec corruptus per admixtionem falsitatis; sed semper sale spiritualis sapientiæ conditus, & integritate veritatis incorruptus, atque odorem cœlestis & incorruptibilis delectationis spirans, & ita condimentum diuini salis habeat sermo vester] huiusmodi nos concionatores esse velim, qui sermone, doctrina ac vitæ integritate omnibus viua simus exépla, vt mores nostri specula sint lucidissima, in quæ auditores intendentes vitam nostram doctrinæ ex æquo respondere videant, vt sic cum Thoma forma gregis facti illum ad diuinam *Anſel. in il. lud Apoſtoli, ſermo veſter ſemper in gratia, &c. Coloſſ. 4. Simile. Deiconcionator operã det ne culpa ſua auditores nõ conuertãtur*

Digitized by Google

adductum caulam cœlesti doctrinæ, vitæ perfectionis, virtutumque solidarum pabulo enutriamus, morum candore conseruemus, spiritalibus admonitionibus solidemus, vt ad perfectum Catholicæ religionis culmen cum Thoma perducti singulari patientia, charitate eximia, & spe æternorum præmiorum allecti Christi gratia libenter mortem subeamus.

EXEMPLVM.

24. Non prætereundum continuum illius crucis in eius sepulchro inuentæ, eiusque sanguine imbutæ miraculum, de qua sic scribit Hieronymus Osorius: [Crucem illam, quam in D. Thomæ sepulchro inuentam diximus, in templum quoddam, ad honorem D. Thomæ à Lusitanis Christianis in Malapur extructum illatam, & super altare ipsum collocatam fuisse, simulque institutum vt quotannis octo diebus ante Natalem Christi res illi diuina fieret, & Christiani eo conuenirent: hoc autem dum fieri cœpisset anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, etiam octauo ante Natalem Domini die Euãgelium, demisso ad Virginem Angelo, in Missa legeretur; ecce tibi repentè crux tota, in nigrum colorem vertebatur, ita tamen vt splenderet ac si oleo fuisset delibuta: simulque instar roris, guttæ liquidæ defluere cœperunt, quæ paulatim grandiores factæ, totam crucem humore largissimo compleuerunt, cùm autem Sacerdos, re diuina peracta, linteis sacris crucem extersisset, lintea maculis sanguineis tincta repentè sunt. Hoc quotannis illic fieri, nec alio die, quàm iam dicto, nec alio tempore, quàm cùm Euangelium prædictum recitatur per Episcopum Cochinensem. Hoc idem perpetuum miraculum Patres Societatis IESV tanquam rem certissimam scribunt, sibíque aliquando idem contigisse miraculum dum missas facerent decimo octauo Decembris, quod

Osorius l. 3. rerum Lusitanarum.

miracu

Digitized by Google

miraculum si aliquo anno desinat pro certissimo incolæ habent eo anno extraordinariam sibi obuenturam aliquam calamitatem, quod etiam euentus semper ostendit. Quid obsecro ad tãti Apostoli gloriam propagandam dici potest efficacius? quod expressius eius sanctitatis testimonium Deus potuit relinquere, cuius adhuc sanguis vindictam clamat de malis, & misericordiam de bonis sibíque verò in terris honorem ac gloriam in cœlis sempiternam.

IN FESTO S. BRIGIDÆ Virginis,

Concio prima.

THEMA: *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ.* Matthæi. 25.

1. CVr, obsecro, Deus ingentes duas columnas, ex ære conflatas, ante templi vestibulum collocatas esse voluit, in quarum culmine lilia candidissima posita erant? an quia, horum liliorum pondus adeo graue, vt necesse fuit, illa, duabus fulciri columnis, ne in terram ruerent? planè: licet enim, in speciem, leuissima esse videantur, non sine tamen grandi mysterio, Spiritus sanctus, ea, fortissimis sustineri columnis, ex ære, confectis, ordinauit; quarum altera Booz, altera Iackin nominabatur, quæ vtraque vox fortitudinem significat: vt, meo iudicio, duo pulcherrima castitatis lilia, corporis scilicet & animæ, duabus robustissimis fulciri columnis, timore scilicet gehennæ, ac cœlestis gloriæ amore, debere, indicaret; Quæ ante rationem, tanquam animæ (quæ est viuum Dei templum) vestibulum, semper versari debent, vt simul in mente castitas, & corpore conser-

3. *Reg.* 7.

Castitatem acquirere difficile sed difficilius conseruare.

uetur.

uetur. Quid enim ad omnem virtutem conſeruandam efficacius,quàm ſi quis ſeriò ſecum reputet,ſtatim, virtute amiſſa, per peccatum, duo ſe extrema incurrere mala: extremam ſcilicet in inferno calamitatem, ac ſimul omnium cœleſtium bonorum iacturam. Hæ ſunt æreæ columnæ, quibus quælibet ſuſtentatur virtus. Inter cæteras verò virtutes mentis, ac corporis caſtitas difficillimè acquiritur, ſed & difficilius conſeruatur. Et verò licèt huius nobiliſſimæ virtutis pulchritudo, per candidiſſima illa lilia, nobis proponatur,per ingentes tamen columnas,ex ære conflatas,illiſque ſuſtentandis ſuppoſitas, maxima, caſtitatis conſeruandæ, difficultas declaratur, eiuſque pondus adeo eſſe graue,vt nemo ſit, qui illud perferre poſſit, niſi his duabus fortiſſimis columnis,timore ac amore ſuſtentetur. Adeo ſiquidem ſublimis hæc virtus eſt, vt eam nemo humano poſſit ingenio,vt ait Ambroſius,comprehendere,quam nec natura ſuis incluſit legibus, tantamque eius acquirendæ difficultatem eſſe cenſet, vt è cœlo illam accerſiri oporteat. [Quis(inquit) naturali voce complecti poſſit,quod ſupra vſum naturæ ſit?è cœlo accerſiuit,quod imitaretur in terris: Nec immeritò viuendi ſibi vſum quæſiuit è cœlo, quæ ſponſum ſibi inuenit in cœlo.]Vnde hæc virtus,ſicuti omnes,difficillima,& ſupra naturam poſita, ingentíſque ponderis,cui ferendo, omnes humanæ vires non ſufficiunt,ita neceſſe eſt, validis ac firmis ſulciatur columnis,ne alioqui,è cœlo ſemel accerſita,ſuo in terra labaſcat pondere.

Caſtitatem è cœlo accerſiri oportet.

Ambroſius l. 1. de Virgi.

2. Vnde ſapiens probè ſciens, humanæ virtutis minimè eſſe caſtitatem adipiſci:[ſciui, inquit, quoniam aliter non poſſem eſſe continens niſi Deus det.] Hinc etiam rem magni momenti eſſe nemo non videt, quæ in terris haberi non poſſit, vnde ſummo virtutum ſuperato vertice,B.Ioannes,illam, in montem poſitam, nos rapere oportere indicat: [Vidi, inquit, & ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion,

Humanæ virtutis non eſt caſtitas. Sapientiæ 8.

Apoc. 14.

Digitized by Google

Sion , & cum eo centum quadraginta quatuor millia,&c.] in quem locum:[bene (inquit Rupertus) in sublimi esse virgines dicuntur , quia quod naturam humanam supergreditur , in altissimo virtutum culmine situm est. Vnde & virgo ille dilectus Iesu, locum virginum insinuans ait : [Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt:]inter quas virgo nostra Brigida , candidissima virginitatis trabea coruscа , in sublimi cœlorum monte hodie residet.

3. Duo in hac concione, Deo fauente , pertractabimus. Primum de virginitatis præstantia , de diuinis eius virtutum prolibus , ac de præmiis hîc & in futura vita illi debitis. Secundum de similitudine nostræ virginis Brigidæ cum omnium virginum principe Maria. Quod vt ad Dei gloriam nostrarumque animarum salutem eueniat , sedulò nobis spiritus sancti gratia imploranda virginum omnium regina nobis ad id cooperante , ac deprecante. Aue Maria. *Concionis diuisio.*

Primum Punctum.

4. Tres Ecclesiæ status tribus illis in arca Noë contignationibus adumbratos docet Augustinus: Prima contignatione virginum, secunda viduarum, tertia coniugum. Quorum primus adeo nobilis est, vt illum Theophylactus prestantissimo cõparet auro: secundum verò argẽto,igne defœcato: tertiũ deniq; inferiori argento, vtpote,qui adhuc concupiscentiæ scoria infectus,perfectum castitatis nitorem nõdum induerit. Hos tres etiã status præclarè sanctus Aldhelmus occidentalium Saxonum Episcopus ferè eodem modo distinguit: [cùm tres,inquit,sint status in Ecclesia , Virginitas , cœlibatus, & coniugium : ex reuelatione Angelica didicimus, si meritorum ratio habenda

Auguſt. l. 15. de ciuitate Dei cap. 26. Theoph. 1. ad Timotheum 4.

Tres Ecclesiæ status tribus arca Noe contignationibus adumbrantur.

Aldhelmus t. 3. Bibl. pp. in libel. de laud. virg. c. 5.

habenda est, eum has inter virtutes constituendum esse ordinem, vt sit virginitas aurum, cœlibatus argentum, coniugium æramentum: virginitas diuitiæ, cœlibatus mediocritas, coniugium paupertas: virginitas pax, cœlibatus redemptio, coniugium captiuitas: virginitas sol, cœlibatus lucerna, coniugium tenebræ: virginitas regina, cœlibatus dominus, iugalitas ancilla.] Hinc D. Hieronymus multo sublimius hanc arduam virginitatis margaritam effert, quàm nuptias, quibus ob id laudem præcipuè tribuit, quia ex illis virgines nascuntur: [Laudo (inquit) nuptias, sed quia virgines generant: colligo de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritam.] Quænam, obsecro, ô Hieronyme, sunt illæ spinæ, de quibus rosam colligis? quænam terra, ex qua aurum effodis? quanam denique concha, vbi margaritam reperis? quænam rosa de spinis collecta? quodnam aurum ex terra effossum? quæ margarita in concha inuenta? Coniugium, inquis, spinæ, terra, concha: spinæ quia dolorum, vt ait Basilius, officina, vxoris, prolis ac rei domesticæ sollicitudinibus plena, terra quia rebus terrenis inhiare solet, concha quia de domo anxiam curam habet: virginitas verò rosa, aurum, margarita: rosa quia rubicunda, aurum, quia pura, margarita quia pretiosa: O quanta virginitatis dignitas! Hanc dignitatem à castissimo virgine Christo, ex castissima virgine nato, virginitas accepit: virginitas siquidem adeo aurea fuit, ex filij, & matris virginitate adeo cœlesti nobilitata coruscatione, vt in omnium virtutum sublimitate posita, cæteras, suis aureis radiis, quodammodo illuminaret. Hinc hoc virginitatis auro virginis humilitas splendida, ita sublimata fuit, vt nubes, aëra, Angelos, syderáque (vt ait Ambrosius) transgrediens verbum Dei in ipso sinu Patris inuenerit, & toto hauserit pectore & ad nos detulit

Tres Ecclesiæ status auro, argento, æramento, & diuitiis, mediocritati, paupertati, &c. conferuntur. Hieronym. in Epist. ad Eust.

Virginitas rosa, aurum, margarita: coniugium spina, terra, concha. Basilius l. de sancta virginitate ante finem.

Humilis virginitas verbũ Dei ad nos traxit. Ambros. ibidem.

detulerit: verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis: de cuius plenitudine omnes accepimus. *Ioannis 1.*

5. Hoc virginitatis auro dilectus Deo discipulus Ioannes ita resplenduit, vt præ cæteris Apostolis, Dei Ecclesiæ tanquam lucerna splendidissima, vitæ castimonia, ac alta mysteriorum scientia præluceret. Hoc etiam virginitatis auro B. Brigida ita fulgurauit, vt æternus ille sponsus, eius decorem concupiscceret, quippe quæ ab ineunte ætate sponsi matrem, Mariam quodammodo referebat: Sicuti enim beatissima virgo ob virginitatis pulchritudinem, solido innixam humilitatis fundamento, inter omnes placuit Altissimo: sic hæc inter suas coætaneas, ob vtriusque pulcherrimam coniunctionem sponso suo placuit. Vnde ex diuina desponsatione, ac eius cum Deo connubio breui tales concepit, ac peperit proles, quales animæ Deo desponsatæ parere solent. Huiusmodi verò sunt, quas præclarè nobis Origenes proponit. [Dum igitur, inquit, anima adhæret sponso suo (vti à teneris annis Christo adhæsit Brigida) & audit verbum eius, & ipsum complectitur, sine dubio, ab ipso semen suscipit, & sicut ille dixit: de timore tuo Domine in vtero concepi, & parturiui, & spiritum salutis tuæ feci super terram. Inde nascetur generosa progenies, inde pudicitia orietur, inde iustitia, inde patientia, inde mansuetudo, & charitas, atque omnium virtutum proles veneranda succedet.] Hinc Brigida, vt huiusmodi prolium mater fœcunda esset, ne virginitatis suæ florem, semel Deo dicatum, violari permitteret, externam corporis pulchritudinem, insigni aliqua deformitate obscurari, qua simul insanientium procorum exorbitantem extingueret ardorem, ac tanta sui humiliatione magis sponso suo placeret, repetitis identidem precibus peroptauit, cuius castissimo Deus annuens desiderio, illam, excæcato oculo, procorum oculis deformem, ac

Diuinæ virtutis proles ex spirituali cum Christo connubio cõcipiuntur & nascuntur.

Origenes Homi. 20. in c. 25. Num.

Extinguit oculum suum orat ne sit aliis offendiculo.

Digitized by Google

vilem reddidit; licèt brèui tanto pulchritudinis augmento oculus illi restitueretur; vt ipse Deus, qui singulari eius oculum pulchritudine induit, eius amore adeo fuerit inflammatus, vt suaui eam amplexu stringens, amoris sui arrham illi traderet, ac nuptias cum ea, his inflammatis verbis, vtrimque consensum exprimentibus, licèt infinito modo imparis essent conditionis, inierit: [Osculetur me osculo oris sui,] fertilemque statim omnium virtutum matrem effecerit. O quantus amantium hic vtrimque ardor! licèt enim longè inferior, ac impar conditio ac amor Brigidæ Deo fuerit, ac inter Deum & ipsam, non posse, in speciem, esse connubium, quod solet esse inter pares, tamen, vti Bernardus asserit, inter quaslibet sanctas animas, ac Deum spirituales nuptiæ contrahuntur. Hinc huiusmodi pulchèrrimè respondet obiectioni: [Non planè pari, (inquit,) vbertate fluunt amans & amor, anima & verbum, sponsa & sponsus, creator & creatura, non magis quàm sitiens, & fons. Quid ergo? peribit propter hoc, & ex toto euacuabitur nupturæ votum, desiderium suspirantis, amantis ardor, præsumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum sole, charitate cum eo, qui charitas est? Non. Nam etsi minus diligit creatura, quoniam minor est, tamen si ex tota se diligit, nihil deest, vbi totum est. Propterea dixi: sic amare nupsisse est: nisi quis dubitet animam à verbo, & prius amari, & plus. Prorsus & præuenitur amando & vincitur. Fœlix, quæ meruit præueniri in tanta benedictione dulcedinis.] Fœlix ergo nostra Brigida, quæ insigni amoris ictu, quo propositi tenacem sese ostendit, oculum prius extingui maluit quàm tantis amorum sponsi signis præuenta, inita cum illo sponsalia, aliquo concupiscentiæ

Cantico. 1.

Disparitas cõditionis & amoris spiritale connubium cũ Deo non impedit. S. Bern. ser. 38. in Cantica.

Digitized by Google

centiæ flatu inficeret.

6. Videte quid sponsus sponsæ amori tribuat, quid eius proposito nullis concupiscentiæ afflatibus violato: non tantum amorem amore, propositum præmio, hic compensat, sed multis etiam eam priuilegiis in vita futura honorat, cuius rei gratia, quamlibet sanctam animam Deo hîc per gratiam desponsatam ad gratiarum actionem, reciprocumque amorem qui inter coniuges esse debet Bernardus adhortatur. [Quid (inquit) retribues Domino, pro omnibus quæ retribuit tibi, vt sis socia mensæ, socia regni, & socia thalami, vt introducat te rex in cubiculum suum? Vide quibus brachiis Vicariæ charitatis redamandus, & amplectendus sit, qui tanti te æstimauit, imo qui tanti te fecit. Iam enim desponsata es illi, iam nuptiarum prandium celebratur.] Ecce quid in hac vita sponsæ suæ amori ac proposito impertitur! Sed audite quid etiam in futura. Subdit Bernardus: [Nam cœna quidem in cœlo paratur: sed ibi vinum non deficiet; inebriabimur enim ibi ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potabimur. Paratum est profectò illis nuptiis flumen vini; vini, inquam, quod lætificat cor: siquidem fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.] Ecce nuptiarum in cœlo parata cœna! Ecce vini flumina, quibus cœlestes sponsæ inebriabuntur! ad quas nuptias, si nos velimus inuitari omnes, vt nos monet Bernardus, carnales deseramus affectus: [defer é (inquit) carnales affectus, sæculares mores dedisce, consuetudines noxias obliuiscere quid enim putas? non stat Angelus Domini, qui secet te mediam, si forte (quod auertat ipse) alterum admiseris amatorem?]

Sponsa obligatio ad amorem & gratiarum actionem.

Bernardus ser. 1. Dom. 1. post epiph.

Ecce quibus donis hic & in futura vita sponsæ amorem ac propositum compenset.

7. Proponite, obsecro, vobis ob oculos, cum hac nostra virginitatis cultrice Brigida, religiosissimum illum, ac reuerendissimum Cathalonensem Episcopũ Ludouicũ corpore & anima speciosissimũ, cuius anima diuino sponso maritata, cùm resciret se à nobili

Thomas à Canti. l. 2. apum c. 30. p. 33.

Digitized by Google

fœmina deperiri, ita ſtatim eam ſeuerè, oculi ictu, intuitus, vt eam penitus confunderet, cuius conſtantiæ, huiuſmodi Deus præmium impertitus eſt, vt is nimirum oculus, eo mortuo, nunquam corrumpi potuerit: ſed adeò ſplendeſceret, corpore eius quadraginta iam annis terræ mandato, vt ſuo ſplendore tenebras in lucem verteret. O quantum hoc præmium etiam in terra caſtitatis amatoribus à Deo tributum! Oculos etiam, obſecro, mentis, in caſtiſſimam illam Virginem nobilibus prognatam parentibus Luciam, quæ (vt refert Antoninus) cùm eam iuuenis quidam perditè amaret, rogauit quid maximè illi in ſe arrideret: ille duorum, inquit, oculorum tuorum aſpectus, quo audito, à Spiritu Sancto impulſa, ambos ſibi eruens oculos, iuueni illi in diſco obtulit, quo lethiferum animæ eius vulnus ſanaret. Hoc egregio commotus facinore, & ſtatim timore, ac dolore conſternatus, ſeſe identidem increpauit; quòd auſus fuiſſet, Deo ſemel dicatam Virginem ad ſacrilegium ſollicitare. Quare prioris vitæ ſordes deteſtatus, Beati etiam Dominici habitum aſſumpſit, ac ſimul Virgini diuinitus vterque reſtitutus eſt oculus. Moueat ſaltem vos ad connubium cum Deo per gratiam initum illibatè conſeruandum, præclarum illud Aniani Epiſcopi Alexandrini facinus; cùm hic incautius oculos in prætereuntem coniecisſet fœminam, atque hinc concupiſcentiæ motu inflammaretur, eum ſtatim oculum eruens à ſe proiecit: deinde ſeſe in aquam gelidam coniecit, donec ſuæ carnis petulantiam penitus edomuerit; quare adeò poſthac profecit, vt fidei Chriſtianæ tuendæ cauſa montem à Numidia in Babylonem tranſtulerit. Imò ſæpius huiuſmodi caſtitatis amatores diuino quodam ſplẽdore, vt de Agnete legimus, ad lupanar tracta, veluti diuina veſte denudatos Deus obtexit. Sophronius in prato ſpiritali cap. 179. refert Virginem quandam ſeceſſiſſe in eremum, ibiq; vixiſſe 17. annos, vt amaſium fugeret, quò pro hac fugâ duplex à Deo præmium

Præmia caſtitatis.

Anto. Senen. in Chronicis fr. 2. rum pra-dic. de quadã Virgi. Lucia.

Sabel. li. 5. c. 6. & Conrad. Lyoſth. l. 13. theatri.

mium in hac vita accepit nimirũ, vt cùm ipsa omnes videret, ipsa tamen à nemine videretur, secundùm quod cum pauca infusa secum tulisset in eremum & ex ipsis iugiter comederet: illa tamen non sunt imminuta. B. Dominicus ad mortem vsq; Virgo permanés aliis virginitatis amoré afflabat: Quare studiosus quidam eius maritum deosculans, tantam inde fragrantiam & gratiam hausit, vt deinceps & mente & corpore esset castus. O quanta hęc castitatis præmia! O quàm multò maiora in futura vita illius amatoribus reseruantur. Hactenus de virginitatis præstantia, de diuinis eius virtutum prolibus, déque præmiis hîc & in futura vita illi debitis. Ad secundum itaque nobis propositum pergamus.

Secvndvm Pvnctvm.

Secundũ cõcionis punctũ Brigidã Mariæ similem esse.

8. Inter Mariæ nomina non illud infimum: lilium inter spinas. Licèt enim à parentibus, qui peccati originis spina vulnerati fuere, progenita sit, illa tamen eius aculeum nunquam sensit. Cæteræ quidem omnes mulieres licèt ex iis multæ sint Sanctissimæ, spinis tamen plenæ extiterunt: ipsa inter cæteras, sola pulcherrimum sese in lilium, diuina prœuenta gratia erexit, ex quo lilio cãdidissimus ille flos, simul & aureus Christus egressus est. Sicut enim lilium candidum simul est, & aureum: sic flos, qui ex hoc nostro lilio emersit, candorem simul, quo humana designatur natura, & aureum ostendit colorem, quo diuina significatur natura. Sanè suo etiam modo Brigida nostra lilium inter spinas appellari potest, quæ ex parentibus, peccati spinis, obsitis, tanquam pulcherrimum lilium efloruit. Licèt enim illi peccãdo adultetino coitu eam genuerint, & in peccato etiã originis ipsa concepta fuerit, ita tamen breui sacro abluta baptismatis fonte, eius virginitas, præ cęteris eius coætaneis enituit, vt ad instar lilij, in altum ascendens, Dei ipsius naribus, suauissimum afflauerit

Vt Maria liliũ inter spinas, sic Brigida lilium inter spinas.

Digitized by Google

odorem. Lilium autem hoc candidum, ipsa quippe corporis ac mentis puritate longè lilij candorem superauit; aureum erat insuper, ob auream enim ardentis charitatis vitam, ita Deo placuit, vt in ea sibi domicilium fabricare decreuerit. Sicut ergo lilium illud cœleste, beatissimam scilicet Virginem, simul ob naturæ eius puritatem, ac auream charitatis conuersationem, Deus, præ cæteris, amplexus est: quidni post eam, hoc nostrum secundum lilium amplexaturus sit: [Adducentur regi virgines post eam.] Ergo adducenda inter cæteras, hæc nostra Virgo, post Mariam, regi gloriæ.

Ps. 44.

Maria Virgo Virginum.

9. Aliud nobilissimum fuit Mariæ nomen: Virgo virginum, & virginum regina. Ipsa siquidem sublimem virginitatis statum, in lege gratiæ, voto prima confirmatum inchoauit, qui adeò cœlestis est, vt illa, Dei matris titulo, eum prætulisse videatur, cum Angelo, consensum eius ad Dei filium, in vtero concipiendum elicienti responderit: [Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?] quasi diceret: ego malo votum Deo semel nuncupatum, illibatum conseruare; quàm eo, per viri complexum, violato Dei matris titulo gaudere, ac proinde Angelo assensum minimè præbuit, donec ab eo audiret: [Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.] Ne verearis ergo, ô Virgo Sanctissima, consensum ad hoc opus admirabile in tuo vtero perficiendum, dare; non enim humana ope, sed Spiritus Sancti in te illabentis virtute, concipies & paries, virginitatis voto illibato filium Dei: cuius voti conseruandi constantiam plurimi ac plurimæ ita sunt imitatæ, vt monasteria, penè infinita, hoc Virginis exemplo commotæ implerent. [Adducentur ergo regi virgines, sed post eam.] Complures siquidem eam imitantes, proximæ ei fiunt, ac proinde adducentur tibi gloriæ regi, tanquam matris tuæ pedissequæ, in lætitia & exultatione. Adducetur & Brigida, quæ ab infantia tibi, ô Regum Rex, ita suam

Luca 1.

Maria virginitatis votum prætulit Dei matris titulo.

Brigida virginitas ita

nunc

Digitized by Google

nuncupauit virginitatem, vt nec linguâ, nec auribus, nec oculo, nec alio omnino sensu; imo neque cogitatione, vel minimũ illam violauerit, sed corpus velut tẽplũ quoddã, aut thalamũ sponsi, sẽper habuerit prę-parątũ. Hinc adeò tibi accepta fuit, vt illi in spõsam à teneris annis acceptæ amoris tui tesserã traderes.

Deo placuit, vt à teneris eam in spousam acceperit.

10. Aliud beatiss. Virginis nobilissimum fuit nomen: spõsa Dei amantissima: ita enim sua Deum pulchritudine, ac pulchræ dilectionis illice, quodammodo allexit, ac vicit, vt ad se amandã, imo etiam & sibi quasi parendũ, per carnis assumptionem pertraxerit: sic tanto amoris vinculo Brigida cum Deo copulata fuit, vt in eius pectore Dei ipsius cor, sicuti ipsius in Dei pectore residere videretur: ita enim, vt ex eius vitæ decursu apparet, sese in illius amorem ac voluntatem absorpsit, vt potius in illo viuere, quàm in se censeretur, ac vice versa reciproco amore, in illa etiam ita Christus viueret, vt pro eius arbitratu stupenda per eam miracula patraret, vt meritò sibi illud sponsæ applicare Brigida posset: [Ego dormio & cor meum vigilat] quasi dicat, ego in spõsi mei pectore conquiesco, qui est animæ meæ thesaurus, ac proinde cum eo cor meum conquiescit, & cor meum vigilat, hoc est, sponsus meus, qui meum est cor, cùm ego in eo dormio, vel ipse in me, loco cordis mei vigilat: tanto enim in sponsum amore feror, vt ipsi suum, mihi, cor surripuerim, meúmque fecerim, translato in ipsum corde meo, vt cum Apostolo dicere meritò possem: [Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus.]

Tertium beatissimæ Virginis, & Brigidæ nomẽ, spõsa Dei.

Cant. 5.

Galat. 2.

11. Insuper soléne nomen virgini virgo liberalissima. Adeò enim in Deum fuit liberalis, vt nihil sibi retinens se, omniáq; sua illi penitus consecraret, vt verè dicere potuerit, [Eructauit cor meum verbum bonũ, dico ego opera mea regi.] Verè eructauit cor virginis verbum bonum. Nam mens eius, ex plenitudine ac copia diuinæ illustrationis, & cœlestiũ reuelationũ eructauit foràs verbum bonum. [Magnificat

Quartũ Mariæ ac Brigidæ nomẽ, Virgo liberalissima.

Ps. 44.

Digitized by Google

Luce 1. (inquiens)anima mea Dominum.] Verè magnificas Dominum mũdis cogitationibus, ſanctis deſideriis, perfectis operibus,ac deniq; tota vitæ ſuæ ſerie mũdiſſimæ, ac proinde ſe illi prorſus dicauit. [Ecce, Luce 1. aiẽs,ancilla Domini,fiat mihi ſecundũ verbũ tuum.] Neq; ſatis illi fuit interna animi ſui bona Deo penitus cõſecrare,niſi etiã illa à tribus Regib.oblata munera,per manus pauperũ illi largiretur:ſic hæc liberaliſſima virgo Brigida nihil prorſus ſibi reliquit,ſed omnia tã interna animi quã externa corporis bona Deo accepta ferẽs,perfecta in eũ trãſtulit oblatione. Nã ſuam ipſius libertatẽ, quæ cæterorum omniũ inſtar eſt,ſeſe religionis votis obſtringẽs,Deo liberaliter dicauit,conſecrauítq; ac proinde quicquid emẽdicare,aut bono dolo ab amicis ſurripere poterat,id omne ſponſo ſuo nimirũ Chriſto per pauperũ manus offerendum decreuit.Hinc quòd rex Medenſis dono Patri eius miſit perinſignẽ ſcilicẽt enſem,cuius vagina pulcherrimè pretioſis exornata gemmis fuit: hunc,inquam, enſem ipſa clàm ſuſtulit, ac in ægros extrema oppreſſos pauperie,vniuerſas diſtribuit gẽmas,cuius tantæ prodigalitatis(vt videbatur)coram rege à patre acculãta,ac grauiter reprehenſa,annos tantũmodò nata nouem ſapienter iuxta, ac cõfidenter Patri reſpondit:ſe nimirum nobiliori ac meliori regi gẽmas impendiſſe,quem,inquit, ſi rurſus penuria laborantem reperirem,omnia potius patris bona illi donarem, quã eum paupertate opprimi paterer; imò adiecit , oculis in regem ac patrem coniectis, vos ipſos,ſi poſſem,antequam fama periret illi contribuerem:quo exacerbatus reſponſo,pater eam ſtatim regi diuendere voluit: rex verò excelſi eius animi altitudinem admirans;certè, inquit patri,procul à finibus terræ pretium eius. Hæc de eius liberalitate.

Maria liberalitas.

Brigidæ liberalitas.

12. Celebre etiã illud Virgi.Mariæ nomen:Virgo humillima.Hinc ipſa de ſua humilitate hoc inſigne decãtat elogium:[Quia reſpexit humilitatẽ ancillæ ſuæ

Quintũ Mariæ ac Brigidæ nomẽ, virgohumillima.

Digitized by Google

uæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.] Quid dicis, ô virgo, te virginem oblita, gloriaris de humilitate. Verè meritò gloriaris: nam vt placeret virginitas tua sponso tuo, humilitas proculdubio effecit: quis ergo negligendo humilitatem, sibi blandietur de virginitate. Hinc Brigida probè intelligens virginitatem aliis destitutam virtutibus, nihili à Deo reputari, cùm Maria addidit virginitati humilitatem. Audiamus hac de re mellifluum Bernardum qui dicere audet ipsius Mariæ Virginitatem sine humilitate non esse commendabilem: [Potest, (inquit,) placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam: sine humilitate (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisset super quem (inquit,) requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum: super humilem dixit non super virginem: si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requieuisset.] Quid ita? nam vt ait idem Bernardus, licèt [Virginitas sine humilitate fortasse habet gloriam, sed non apud Deum. Humilia semper excelsus respicit, qui alta à longè cognoscit, & humilibus dat gratiam, qui superbis resistit. Vt ergo virginitas sua, sponso placeret, eam humilitate exornatam, ita voluit Brigida, vt idem cum Maria, licèt inferiori modo elogium posset vsurpare: [Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.] Nam ex ancilla, & mancipij filia eam multarum virginum dominam instituit [qui ponit humiles in sublimi.] Et sicuti beatissima Virgo ex humili ancilla Dei mater effecta, tantum suæ humilitatis specimen exhibuit, vt sanctissimi quique prodigium hoc, ac humilitatis miraculum inuisere festinarent. Hinc D. Ignatius Martyr eam inuisendi desiderio accensus ait: [sicut nobis à fide dignis narratur in Maria matre IESV humanæ naturæ natura sanctitatis angelicæ copulatur, & hæc talia excitauerunt viscera nostra & cogunt valde desiderare aspectum si fas est fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi.]

Virginitas sine humilitate nihil prodest.

Bernard. ser. 2. super missus est.

Isaiæ 66.

Bern. ser. de beata virgine.

Iob 5.

Ignatius Epistola ad Ioannem.

Sicut famâ Mariæ ſanctitatis excitati ad eam viſendam ſancti, ſic ad Brigidam etiam viſendam plurimi excitati sũt.

ctaculi.] Nonne prodigium cœleſte, & ſacratiſſimum ſpectaculum virginem intueri Dei matris titulo ſublimem, in tanta ſui deſpectione, vt ancillam ſe pauperem vocet: ſic Brigida tot ornata virtutum ſpendoribus multíſque præfecta virginibus, in tantum ſeſe humiliauit, vt omnium ſe ancillam potius, quàm dominam eſſe iudicaret.

13. Hinc quemadmodum ſancti ad videndam arcam teſtamenti Mariam ſcilicet vndequaque confluebant: ſic illa à S. Patricio inſtructa, tanta ſanctitatis fama vbiq; celebrabatur, vt integra Epiſcoporum ſynodus Dubliniã venerit, vt eam ſimul coram intuerentur, quo tanti ineundi Concilij rationẽ ab ea diſcerent. Nec mirum, tanta enim fuit ſanctitate prædita, vt dormientes etiam illius experientiã aliquando didicerint, vti quidam vir ſanctus in ſynodo habita in cãpo Lyſten, expertus eſt. Vbi enim Brigida ad locum, vbi vir ille ſanctus dormiret, accẽſiſſet, ſingulari quadam viſione, exhibita ſibi puella eximiis ſanctimoniæ ſplendoribus coruſcante, ſtatim è ſomno excitatus è lecto exiliens exclamauit: ſancta Maria habitat inter nos, exiſtimabat enim Mariam fortè ſibi obiectam pulcherrimo virtutum ornamento huiuſmodi inſtructam puellam. O quale hoc ſanctitatis ac illibatæ eius virginitatis argumẽtum! [Adducentur regi virgines poſt eam] ergo adducenda inter cæteras hæc noſtra virgo, poſt Mariam regi gloriæ. Tanta ſiquidem eius fuit ſanctitas ac in animæ ſuæ ſponſum amor, vt omnia, præ eius amore penitus deſpiceret, ſeque inſtar Mariæ Deo prorſus deuouens in omni virtutum exercitatione ſemper humillima perſeueraret, votúmq; Deo ſemel nuncupatũ integrum, vſque ad mortem conſeruaret: quod quàm gratũ acceptumque Deo fuerit ſtupendo docuit miraculo. Cùm enim velũ, vt fit, ſacrum indueret virginitatis inſigne, tanto pulchritudinis augmento ei Deus extinctum reſtituit oculi lumen, vt omni deformitatis macula abſterſa, amiſſam pulchri

Pulchra viſio obiecta ſancto cuidã Epiſcopo.

pulchritudinem duplici pulchritudinis fœnore, compensarit, interno scilicet & externo: vt vix dubitem, quin adeo mira sui vultus venustate cœlestíque quadam luce exterius, ab interna mentis pulchritudine erumpente, fulgurauerit, vt qui ante impudico amore in eius exarserunt concupiscentiam, iam viso tanto cœlesti fulgore, concupiscentia in spiritalem amorem versa, eam tanquam Christi spõsam admirarentur simul & obseruarent. Tanta siquidem fuit illius oculi pulchritudinis efficacitas, vt quodammodo sicuti de beata virgine Ambrosius, impudicitiæ motus in aliis extingueret: sicut enim cùm luna solem aspicit, ab eodem illuminata, discussis tenebris, ita pulchra eius aspectu efficitur, vt densas occurrentes nubes suo dissipet fulgore: sic Brigida veluti pulchra, vt luna, iustitiæ solem semper intuens, ab eodem semper illustrata, cupiditatis in se tenebris discussis, ita venusta, solis Christi aspectu, efficitur, vt densas congredientium libidinis nubes, suo dissipet fulgore. Quemadmodum enim carbunculus, qui inter gemmas (vt ait Plinius) rubeo colore fulgentes, principatum tenet, ignis similitudinem præfert, cùm ipse tamen ignem minimè sentiat: vnde & à quibusdam apyrastes seu apyrotus nuncupatur, quemadmodum, inquam, instar carbonis igniti ita apparet, vt eius fulgor nocte minimè vincatur, quin flammas ad spectantium oculos, vibret: sic noster carbunculus Brigida inter cæteras huius Insulæ Virgines rubeo castitatis colore primas tenet, quæ licèt inter concupiscentiæ igniculos pro naturæ conditione extiterit, non fuit tamen combustia: vnde & meritò apyrastes appellari potest: fuit quidem alio sed charitatis igne adeo incensa, vt fulgor ipsius, neque nocturnis phantasmatum illusionibus vinci potuerit, neque salebrosis carnis illecebris obscurari, quin etiam charitatis flammas ad oculos se spectantium vibraret, quibus in aliis

Ambros. l. de Institut. vir. cap. 7.

Similia. Sicut Mariæ suo aspectu impudicitiæ motus in aliis extinguebat, sic quodammodo Brigidæ.

libidinis

libidinis flammas extinguebat. Nam,vt ait Ribadeneira in eius vita, eius consuetudine ac alloquio plurimi licentioris vitæ cursum reflectentes, ad tutum religionis portum confugientes, vitæ periodum fœliciter concluserunt.

Simile.

14. Si Archimedes Syracusamus, tanto artificio, speculum effecit, quod solis radios in se receptos,ex se iterum in vnum aliquod punctum,coeuntes tanta dexteritate in obiectam materiam reuerberabat,vt hostium aliquando naues pice,facili negotio, ignem concipiente, illius ministerio concremauerit,quanto magis Deus potuit diuino artificio hoc virginum speculum fabricare,quod in se collectos,diuinæ gratiæ radios,ex se iterum, in obiectos ita euibraret: vt Christi hostes tumultuantes carnis motus, anima diuino beneficio Spiritus sancti igné concipiente,ita eius ministerio concremaret,vt omnibus concupiscentiæ excessibus omnino suppressis, sola triumpharet castitas. Hinc fit vt quos concupiscentiæ ignis non comburit, Deus instar Aniani ab elementari igne illæsos sæpius miraculo seruet: nó enim in eis ignis inuenit carnale viscus, aut carnis sordes, quas adurat. Sic B. Cunegundis vxor Henrici Impera. vt suam virginitatem marito probaret, nudis & illæsis pedibus candens ferrum intrepidè calcauit. Sic Theognia iussu S.Basilij excipiens in sinum carbones igneos, illæso sinu eos gestauit, eo quod in coniugio cum Anastasio marito continentiam seruaret: sic & Abbas ille qui Porphyriam meretricem conuertit,cùm in suspicionum complexus cum ea veniisset, ab ea se purgauit igne, qué in veste illęsa portauit,vt in Ioannis Eleemosynarij vita legimus.O vtinam nostræ virgines specula hæc sibi sanctitatis ac castitatis,intuenda proponerent!Vtinam à Deo impetrarent,cum Brigida potius corporis pulchritudinem insigni aliqua deformitate,corrumpi, quàm illa exterius tantùm coruscante, interioris animi pulchritudinis naufragium facerent!

Breuis Epilogus quo ad castitatem seruandam incitamur.

Digitized by Google

facerent!res hæc delicata,quæ facilè vel vnius oculi ictu violatur , speculum est clàrissimum quod solo intuitu & habitu offuscatur : quare B. Iordanes,qui B.Dominico in generalatu proximè successit: fratri cuidam quem increpauit , quod manum mulieris tetigisset , sese excusanti piamque deuotámque fuisse mulierem asserenti respondit: pecunia bona est & terra bona, & tamen ex horum commixtione fit lutum:O si castitatis violatores,conceptiones & proles quas eorum animæ ex diabolo concipiunt sedulo secum perpenderent,nunquã cum eo connubiũ inirent,audiant,obsecro,quid de huiusmodi cõceptionibus ac prolibus Origenes scribat:[Quod si (inquit)infœlix anima diuiniverbi dereliquerit sancta connubia , & in adulterinos se complexus diaboli tradiderit , generabit sine dubio etiam inde filios , sed illos , de quibus scriptum est : filij autem adulterorum imperfecti erunt , & ex iniquo concubitu semen exterminabitur. Omnia ergo peccata filij sunt adulterij , & filij fornicationis.] Ecce ex diabolo animæ conceptiones! Ecce proles! O si huiusmodi violatores sibi ob oculos, castitatis illibatæ præmia proponerent,proculdubio tantorum saltem spe præmiorum allecti, aliquousque resistere potius conarentur , quàm gratissimum Deo castitatis thesaurum vel oculorum illecebris furto auferri , vel tactu violari , vel opere penitus expilari permitterent:filioli,inquit , senior ille apud Sophronium sal ex aqua est, & si appropinquauerit aquæ, continuò soluitur & deficit:& monachus similiter ex muliere est,itaque si appropinquat mulieri,soluitur & ipse, atque in id desinit,vt iam monachus non sit.

Origenes Hom. 10. in 25.ca. Num.

In prato spiri.c.119.

Exemplvm.

15. Illustre exemplum extat in vita Sanctæ Theophilæ , quæ sub Maximiano Imperatore ad prostibulum damnata,cùm eo duceretur,ita orabat: Mi

Illustre exẽplum S. Theophila de virginitate.

Digitized by Google

Mi IESV, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis & vitæ, vide eam, quæ tibi desponsata est, festina ne lupi tuam pecudem lanient, serua sponse sponsam, meam conserua castitatem fons castitatis: Ingressa ergo prostibulum librum Euangeliorum è sinu protulit attentéque legit: affuit mox Angelus, qui primum iuuenem procacem ad eam ingredi volentem morte, secundum cœcitate, alios aliis pœnis mulctauit, ita, vt nemo amplius ad eam ingredi auderet: sed libidine in reuerentiam versa, cùm plures religione tacti locum intrassent, viderunt Theophilam honestè sedentem & libro incumbentem: adolescentem autem quendam prope eam stantem luce quadam ineffabili, pulchritudine verò incredibili, veluti quædam fulguris tela emittentem ex oculis; qui tandem Theophilam educens ad Ecclesiam eamque in vestibulo statuens, cùm, pax tibi, dixisset, recessit, attonitis gentilibus & exclamantibus: Quis est sicuti Christianorum Deus?

IN FESTVM SANCTÆ BRIGIDÆ Virginis,

Concio secunda.

THEMA: *Veni & ostendam tibi sponsam, vxorem agni.* Apocalypsis 21.

Leo ser. 2. de Nati. Domini. Hieronymus.

August. tract. 112. in Ioannem.

1. DEus omnipotens, & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia, sæpe, vt ait Hieronymus, ex malo bonum elicit: [Nonnunquam, inquit, malum occasio fit bonorum, & hominum praua consilia Deus vertit ad rectum:] nam, vt ait Augustinus, bene vtens, bonus malis est: & faciens bona de malis:] quippe qui de spinis nouit rosas colligere, ex fellis amaritudine mel; & de tenebris lumen splendescere dixit.

Quantum

Quantum, obsecro, bonum ex ingenti peccati originis malo, elicitum, Christi incarnatio! nos autem è contrario, ex bonis mala, ex sanitate, & viribus audaciam, ex vitæ longitudine, peccatorum multitudinem, ex pulchritudine libidinem, ex diuitiis superbiam, ex potestate tyrannidem, ex ipsa Dei misericordia, in peccatis persistentiam, ex floribus venenum, ex melle fellis amaritudinem depromimus. Sampson ex leonis mortui ore fauum: sed Ionathas ex fauo mellis, mortis periculum hausit. Quemadmodum ergo Deus malarum voluntatum, teste Augustino, iustissimus ordinator, cùm malè illæ vtuntur naturis bonis, bene vtitur etiam illis voluntatibus malis, sic nos è contrario, ex ipso diuinæ misericordiæ fauo, ipsaque creaturarum dulcedine, quam, nostri gratia, illis indidit, non vitã, sed morté nobis sæpè adsciscimus sempiternam. Vtriusque rei exempla S.Brigidæ vitæ series nobis suppeditat. Imprimis quid aliud Duptacus Brigidæ pater, & infame mancipium, ex quo adulterino complexu suscepit Brigidam, quam spinæ, amarissimum fel, & tenebræ fuerunt. Spinæ, quæ pungentibus carnis motibus ipsos continuè ad adulterium stimulabant, amarissimum fel: nihil enim amarius, cœnosq; voluptatis, cõtra Dei legem, adulterino complexu; tenebræ, nihil enim obscurius, carnalibus illecebris mancipio deuoto: sed tanta diuina bonitas est, vt de spinis rosam, de felle mel, de tenebris lumen eliciat: Ex concupiscẽtiæ ergo spinis pulcherrimam eduxit rosam, virginem scilicet, omnibus ornatam virtutibus Brigidam, quam rosæ meritò Ecclesiasticus comparat [obaudite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate:] Ecce, quomodo, diuinos fructus, & quasi rosam super riuos aquarum plantatam, virgines Spiritus sanctus vocet! verè diuini fructus, quos Dèus ex cõcupiscentiæ cœnoso horto, sua benignitate, colligit, quos rosæ, iure optimo, confert: quoniam cum candore ruborem

Deus ex malis bona sed homo ex bonis mala elicit.

Iudicum 14. *1.Reg.*14.

*Ecclesiast.*39.

habent: virginitas siquidem, non tantùm ob puritatem, candida, sed etiam, ob speciem martyrij, rubicunda. Quibus præ reliquis Ecclesiæ surculis dicitur ab eodem Spiritu sancto: [florete flores, quasi lilium] nam virginitas (Tertulliano teste) flos morum, honor corporum appellatur, cui accinit illud Cypriani: [virgines sunt flores Ecclesiastici germinis] veni ergo, & ostendam tibi sponsam vxorem Agni.

Tertullian. l. de pudicitia. Cyprianus l. de disciplina & habitu virginum.

2. Flore ergo, ex spinis orta rosa, ô Brigida, flore inquam, quæ interius ab ineunte ætate, per sanctum propositum efflorescis, flore quoque exterius, per puræ conscientiæ, morúmque integritatis odorem: fronde in gratiam, bonorum operum frondes producendo, & vbi hæc præstiteris, vt te monet Ecclesiasticus: [da nomini eius magnificentiam:] singulari vitæ sanctimonia, Dei potentiam omnibus deprædica, cuius in te potentia maximè commendatur, qua semper fulta, carnis petulantiam, & effrænatas, corruptæ naturæ, appetitiones, animosè coercebis, vt cum cæteris virginibus, confitearis illi: [in canticis labiorum & cytharis] per sancti silentij obseruationem, & assiduam corporis tui macerationem. Ecce ex spinis orta rosa, ex felle dulcissimum etiam mel expressum gustate: Ex hoc adulterino complexu exoritur omni melle dulcior Christi sponsa, quæ, sæculi onere proiecto, semper ad pedes Domini sedet, inter quos tanta interuenit communicatio, & familiaritas, tanta sponsæ quies, tanta voluptas, tantúsque diuini amoris æstus, vt à suaui sponsi præsentia absorbeatur, in ipsumque penitus omnes animæ eius affectiones deriuentur, ac indissolubili amoris vinculo sese illi, tanquam animæ suæ sponso, copulet: [Talis (inquit Bernardus,) conformitas maritat animam verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet, per voluntatem, diligens sicut dilecta est: ergo si perfectè diligit (vti Brigida) nupsit. Quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate, quâ

Ex adulterino complexu Christi sponsa nascitur.

Bern. ser. 38. in Cantica.

Digitized by Google

qua fit, vt humano magisterio non contenta, per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad verbum, verbo constanter inhæreas, verbum familiariter percuncteris, consultésque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritualis sanctique connubij contractus est iste. Parum dixi, contractus, complexus est, complexus planè, vbi idem velle, & nolle idem, vnum facit spiritum de duobus, nec verendum, ne disparitas personarum claudicare faciat conuenientiam voluntatum, quia amor reuerentiam nescit, amor sibi abundat, amor vbi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captiuat affectus. Propterea quæ amat, amat, & aliud nouit nihil: Sponsus & sponsa sunt, quam quæris aliam inter spõsos necessitudinem vel cõnexionem præter amari & amare.] Ecce ex amarissima fellis illecebra, omni melle suauior, Christo sponsa, enascitur! veni ergo & ostendam ei.

Brigida non tantùm per virginitatẽ sed per amorem etiam sponso Christo sese maritat.

3. Denique vt ex tenebris splendescere videatis, ex tenebricoso, inquam, complexu fulgidam virtutum splendoribus lucem: proponite vobis ob oculos, castam hanc virginem, Christo, sine ruga, in sponsam exhibitam, quæ suæ vitæ, morúmque pulchritudine, tanquam fax, in Hibernicæ Ecclesiæ aureo charitatis candelabro accensa, omnibus castè viuentibus illucescit, ex quo enim inuenit, quem dilexit anima eius, tenuit eum, nec dimisit, ex cuius consuetudine, ita fuit delinita, vt eius imbiberit conditiones. Hinc cubiculi sui secreta diligenter semper custodiuit, vbi cum ipsa semper sponsus ludebat: si orat, ille orat, si loquitur ad sponsum, ille respondet: [vna est columba mea, perfecta mea: si legit, ille simul legit, si somnus illam aliquando opprimit, venit post parietem, illámque excitat, quæ expergefacta identidem ingeminat: vulnerata charitate ego sum, & rursus, ab eo audit: hortus conclusus, soror mea, ponsa: Quid ergo mirum, si tanta animorum

B. *Brigida quasi fax ardens totiHibernia illucescit.*

Cant.6.

coniunctio in vnam exeat naturam, ac peccati tenebris, potenti gratiæ vi, decussis, ac nube ipsa, nimirum Brigida, aureo, informata, splendore toti Ecclesiæ Hiberniæ, virginea hæc facula illucescat? Veni ergo & ostendam tibi sponsam vxorem Agni.

Concionis partitio.

4. Tria in hac concione dicam. Primum, quibus gratiæ ornamentis desponsatam sibi Brigidam ditauerit Christus. Secundum, similem eam sibi voluntatis vnitate, virtutis magnitudine, in bono immutabilitate, in sanctitatis & potentiæ imitatione effecit. Tertium denique secum miraculorum gloria certare voluisse ostendam, si prius Spiritus sancti gratiam virginem virgine mihi præeunte orationis suffragio emagitem, per consuetam salutationem. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

Magna Christi cum Brigida coniunctio.

5. Quàm arctè sibi Christus hanc virginem gratiæ amoris ac castæ vitæ nexu copulari voluit, facilè ex carnali connubij vinculo colligi poterit, per quod duæ distinctæ personæ ætate aliquando, educatione, moribus, patria, conditione inæquales, ita in vnum quodammodo coalescunt, vt vnâ quasi persona, vna caro vnius moris (vt loquitur Psalmista) in domo fiant. Hinc in primæuo illo matrimonio ex Adami costa Eua à Deo efformata, quo significare voluit quasi virum & fœminam, non tam duos quàm vnum esse ac debere vnum esse amore & voluntate, adeóque, si sit opus coniugem coniugis causa oportere patrem & matrem descrere. Ecce quanta hæc corporum ac animorum coniunctio. Sic hæc virgo licèt distincta fuerit persona à sponso suo Dei filio, licèt ille de cœlo cœlestis, hæc de terra terrestris: ille sua natura æternus, hæc breui temporis momento circumscripta: ille naturâ Dei filius, hæc iræ filia: ille Patris sapientia, hæc insipiens: ille creator, hæc creatura, tanta tamen per gratiam amorem vitæque

Genesis 2. Cur Deus ex costa Adami fecit Euam.

Digitized by Google

vitæque illibatæ pulchritudinem inter illos coniunctio, vt in vnum etiam quodammodo coaluerint, iuxta illud Apostoli: [Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est:] Vnus ergo cum eo charitate, voluntatis consensu, gratia, & gloria, quibus homo quasi diuinus & Deus ita efficitur, vt cum Deo veluti vnus idémque sit spiritus quilibet Dei amator fit. Hinc Brigida, cuius anima casta, & sancta Dei spõsa gratiæ amoris ac virginitatis vinculo vna cum Deo sit, ex qua cum Deo coniunctione omnem corporis ac animæ puritatẽ, virtutem, incorruptionem, pacem ac tranquillitatẽ ita hausit, vt in diuinæ imaginis excellentiam translata cum Deo vnus fiat spiritus, eiúsq; attributorũ particeps efficiatur, iuxta illud Basilij: [Quocirca (inquit) anima, quæ Christo copulata est, tanquã sapientiæ verbi Dei spõsa, sapiẽs ac prudens sit, necesse est, vt omni stultitiæ, & insipientiæ nota iugi diuinarum rerum meditatione explosa, sapientiæ, cui coniuncta est, ornetur pulchritudine, donec æternam sapientiam sibi penitus iungat, vnumq; cum eo, cui inhæsit, effecta, ex corruptibili fiat incorruptibilis, ex imperita prudens ac sapientissima, tanquam verbi, cui adhæsit costa (atque vt breuiter dicam) ex homine mortali immortalis Deus, sic vt ille, cui coniuncta est, omnibus manifestetur.] Ecce quomodo sponsæ suæ attributa sibi debita ad ornamentum tribuat. Veni ergo & ostendam tibi sponsam, &c.

1. Cor. 6.

Quomodo adhærẽs Deo fit cum eo vnus spiritus.

Basili. l. de vera virginitate.

Deus attributa sua cũ sua sponsa cõmunicat.

6. Videamus modò nostram virginem his ornatam virtutum ornamentis Deo sponsatã: [sponsabo, inquit, te mihi in fide, spõsabo te mihi in misericordia, sponsabo te mihi in æternũ] qua trina despõsationis repetitione, eã sibi quasi tribus amoris colligatam vinculis perpetuò in sponsam accepit. In fide sibi eã desponsauit, quam semper inuiolatã seruauit, deinde in misericordia eam sibi desponsauit, tot ab ineunte ætate gratiarũ donis, humilitate, mãsuetudine, obediẽtia, ac charitate, vti in eius vita legimus, illã

Osea 2.

Desponsatur Brigida Christo.

cumulans, vt ſuæ miſericordiæ vexillum in manu tenere videretur. Tertiò denique deſponſauit illam ſibi in æternum, vt ſicuti ſingulari gratia ac indiſſolubili ſpiritalis coniugij nodo ſeſe illi in vita donauit, ſingulari etiam gloria in cœleſti patria in æternum conſpicua appareret. Ecce virginis deſponſatio? Sed quemadmodum nouæ ſponſæ nouus ſponſus corporis ornamenta tribuere ſolet: ſic Chriſtus nouus ſponſus, nouæ ſuæ ſponſæ pulcherrima dedit ornamenta, fide itaque in primis, ſpe, charitate, gratia, patientia, fortitudine cæteriſque virtutum indumẽtis, ita eius animã ornauit, vt ſuis ſplẽdoribus, ſui ſponſi in ſe amorem magis excitaret. Hęc à ſe ornamenta ſponſæ ſuæ impertita, per Ezechielem declarat: [veſtiui te, inquit, diſcoloribus] nõ enim vnius tantùm coloris ſponſæ ſuæ veſtem eſſe voluit, ſed plurimarum virtutum niteſcere coruſcationibus, vti oſtendimus in interiori Brigidæ veſtimenro tot virtutum ſplendoribus coruſcante. Subdit, [calceaui te hyacintho] animi ſpiritales pedes, affectus ſcilicet, hyacinthinis calceis, id eſt, cœleſtibus fidei atq; ſpei & charitatis cogitationibus muniui [cinxi te byſſo] te caſtitate, veluti cingulo byſſino ac cãdidiſſimo ita circumduxi vt effrænatos concupiſcentiæ motus facilè coerceres [indui te ſubtilibus] ſubtili rerum cœleſtium cognitione [dedi armillas in manibus tuis] te ſpiritalibus inſtruxi armis, quibus ignita nequitiæ tela retũderes [torquem in collo tuo,] ſanctæ obedientiæ iugo collum tuũ exornaui [dedi inaures] quibus ad obedientiæ opera arrectis auribus perficienda ſemper ſtares, & coronam capiti illibatæ virginitatis velo tuum caput condecoraui. Ecce ſponſæ ornamenta! Veni ergo, &c.

Animi ſpõſæ ornamenta.

Ezech. 16.

7. Sequitur ex hoc cõnubio bonorum cõmunicatio, licèt enim omni careret dote, omni per peccatũ originis animi pulchritudine deſtituta ſumma prodiret in lucẽ paupertate, & miſeria; opulentiſſimus tamen ſponſus doté ſponſæ præſcripſit, opulentiſſimã animi pulchri

Bonorũ communicatio inter ſpõſum & ſponſam.

Digitized by Google

pulchritudinem cõtulit & à summa peccati miseria, ad summam spõsæ suæ prouexit dignitatẽ, vt meritò illa omnibus delitiis, ac diuitiis affluẽte, ac in cœlum abeunte admirabũdi illud sapientis vsurpare possimus: [Quæ est ista quæ ascẽdit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectũ suum] nõne illa inops aliquando infans Brigida in partem diuini thori iã associata, delitiis, & diuitiis affluit? nõne illa inops infans Brigida iã sponsi sui humeris, id est, meritis innixa, ex humili miseriæ, ac paupertatis loco ad excelsum diuinæ spõsæ honorẽ ascendit? nonne illa nigra ex contaminato cõceptus sui modo, sed formosa, ex sponso, qui detersa illa ignominiæ labe, gratiæ illam pulchritudine induit, nigra ergo aliquando per naturam, hodie formosa per gratiã, nigra adulterino cõceptu, formosa diuino cõplexu, nigra originis peccato infecta, sed formosa sacro baptismi fonte abluta. Hinc licèt dote caruerit, pulchritudine nimirũ, digna diuino sponso tamen per hanc desponsationẽ, omniũ eius bonorum cõmunicationẽ habuit. [Anima enim, vt ait Bernardus, quæ diligit Deũ spõsa vocatur; hæc enim duo nomina spõsa & sponsus maximè indicãt internos affectus: his enim omnia cõmunia sunt, vna hæreditas, vna domus, vna mensa, vnus lectus, vna caro. [Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.] Veni, ergo &c. *Cantic. 8.*

8. Tantus verò Brigidæ in Deũ amor extitit, cui etiã sese à teneris virginitatis voto arctius stringere decreuit, vt licèt, præter eius intẽtionẽ singulari vultus sui venustate, ac præcipuè admirãda oculorũ pulchritudine in sui amorẽ intuentium animos raperet, ac proinde importunis patris sui quotidie precibus sollicitaretur, vt alicui nobiliũ nuberet; ita tamẽ amorem sponsi sui Christi sigillo consignatũ illa semper seruauit, vt nullum admitteret corriualem. Quare illud quod maximè in se amorũ bella ciere nouit, infinitis à Deo precib. impetrauit vt in sui vultus verte-

Quanto amore Brigida in Deũ ferebatur insigni docet exemplo.

retur deformitatem. Nam altero oculorum extincto & in morē aquæ diſtillante, ita derepentè turpis reddita eſt, vt procorū libidinoſas extingueret flammas, ſuóque diu deſiderato potiretur voto. Hinc eā Chriſtus in ſuam ſponſam eligens, reproco amoris ſigno declarauit affectum ac bona ſua cōmunia ipſi voluit. Quare non tantùm oculū illi mira reſtituit pulchritudine, ſed eo tempore quo ſacrum virginitatis velum ſacro eius capiti Reuerendiſſimus Machillus Epiſcopus Patricij diſcipulus, aptaret, igneam vidit columnam eius capiti inſidentem, quæ igneam charitatis legem eius pectori impreſſam à ſponſo, non obſcuris indicauit argumentis: cùm verò ſuum interim inclinaret caput ſubiectum ſibi altaris ſuppedaneum ex arido fabricatum ligno manu leniter attingente ſtatim viruit, quo prodigio, & ſimul illi communicatam miraculorum vim ſibi propriam, & virginitatis florem, quem Deo ab infantia conſecrauit, virentibus exornatum virtutum floribus perſeueraſſe ſignificare voluit. Ecce quomodo ſponſus ſponſæ ſua communicare incipiat! Veni ergo & oſtendam tibi ſponſam, vxorem agni.

Columna igneа in eius capite apparuit.

Manus tacti aridum lignum floruit.

Magnus amor ſponſæ in ſponſum.

9. Vbi verò ſponſus ſponſam ſuam, in caſtum introduxit cubile oſculumque diu deſideratum identidem repeteret, tantùm abfuit vt huiuſmodi oſculo ſeſe indignam præ amoris in ſponſum magnitudine iudicaret, vt potius veluti ſponſa ſponte ſua illud expeteret[ſponſa quidem, Bernardo teſte, dicitur illa, quæ amat, meritò Chriſti ſponſa Brigida eſſe comprobatur, nam omnem ſuum in Chriſtum amorem vnico illo heroico actu deprompſiſſe oſtendit. Et ſi illa amare dicitur, vt ait idem Bernardus, quæ oſculum petit, non petit libertatem, non mercedem, non hæreditatem, ſed oſculum more planè caſtiſſimæ ſponſæ, ac ſacrum ſpirantis amorem, nec omnino valentis flāmam diſſimulare, quā patitur; oſculetur ingeminans me oſculo oris ſui] verè Brigida

Bernardus ibidem.

quæ

quæ castum osculum petiit, sua libertate per virginitatis votũ se priuauit, non terrenam mercedem, non perituram hæreditatẽ expetens, sed osculum veluti castissima Christi sponsa, ac sacrũ spirans amorẽ, tantam amoris flammam dissimulare, nescius; osculetur (inquit) me osculo oris sui, vt sic sponsa probetur & amantis se amantissima. Et vt vehemẽtiam sui amoris ex casto cordis cubili proficisci ostenderet, nihil aliud suo amore quærit præter ipsum in quo omnis casti amoris causa reperitur. [Amat ergo profectò, vt ait idem Bernardus, castè, quæ ipsum, quem amat, quærit, non aliud quid, præter ipsum. Amat sanctè: quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus. Amat ardenter, quæ ita proprio inebriatur amore vt maiestatem non cogitet. Quid enim? respicit terram, & facit eam tremere, tangit montes & fumigant, & ista se ab eo postulat osculari? ebria est? ebria certè, quia fortassis de cella vinaria egressa erat. O quanta amoris vis! quanta in spiritu libertatis fiducia! perfecta charitas foras mittit timorem. Nec dicit me, osculetur iste, vel sponsus, vel amicus, vel res, sed indeterminatè, loquitur osculetur me: quemadmodum & Maria Magdalena dixit, loquens de Christo Domino, quem in monumento non reperiens, sublatum credidit; si tu sustulisti eum dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Quem eum? non aperit: quia palam omnibus esse credit, quod à suo corde, nec ad instans recedere potest. Sic sponsa: osculetur me, ait, ille, qui nunquam à corde meo absens est: quia amore accensa credit nomen sponsi omnibus conspicuum esse.] Hunc sanè amorem ebria in se expressit Brigida, cùm reiectis nobilibus procis cœca maluit sponso quem patri & omnibus notum ex nimio amore putauit, inhærere, quàm oculorum pulchritudine conspicua, cœco amoris impetu, in terrenum sponsum ferri. Veni ergo & ostendam tibi sponsam vxorem agni.

Bernardus ibidem.

Ioannis 20.

Insigne sanctitatis eius præsagium.

10. Tantorum beneficiorum à sponso accipiendorum certũ illud præsagiũ fuit quod nõ satis sponso fuerit expectare donec sponsa ad nubiles perueniret annos,sed tẽpus prçueniẽs veluti nuptiarũ vix è materno egressæ vtero,suæ gratiæ annulũ donãs,sibi illam in sponsam designaret. Quemadmodũ enim S. Dominici mater paulo ante eius natiuitatẽ sibi visa catellum peperisse ardẽtẽ in ore faculã præferẽtem, quod pueri eximiæ sanctitatis prognosticon fuit; quippe qui aliquãdo sanctimoniæ exẽplorum ac doctrinæ faculis totũ terrarum orbẽ incensurus erat;sic intempestæ noctis silentio antequam in lucẽ fulgẽtissimum hoc virginum decus prodiret,lux pulcherrima adeo matris lectum ambiuit, vt derepentè nox obscurissima in diẽ verteretur lucidissimã,quod sanè mentis pulchritudinẽ mirificis, cœlestis gratiæ,donis ita exornandam, præsagiebat,vt in externã corporis superficiem pulcherrimè redundaret. Hinc ne quidquam illi splendoris deesset sponsus ille cœlestis,qui quas in sui trahit amorem sponsas,sibi quàm proximè similes moribus , ac sæpe etiam miraculis efficit:Brigidam nostram moribus ac miraculis sibi similẽ esse voluit quod secundo loco explicadũduxi.

SECVNDVM PVNCTVM.

Secundum punctum. Triplicem sui sponsi imaginem in se expressit:Primã idem cũ illo velle & nolle. Bernardus ad fratres de monte Dei.

11. Quàm expressam sui sponsi in se similitudinem vita,moribus, ac miracũlis gesit secũdo loco ostendam.Illa perfectissima est Dei similitudo quæ in hac mortali vita haberi potest nihil velle quã quod velit Deus:de qua re egregiè Bernard.[Vnitas,inquit,spiritus cũ Deo homini sursum cor habẽti proficiẽtis in Deum voluntatis est perfectio, cùm iam,non modò vult,sed sic est non tãtum affectus,sed in affectu perfectus,vt non possit velle, nisi quod Deus vult. Velle enim quod Deus vult , hoc est iam similem Deo esse:non posse autem velle , nisi quod Deus vult, hoc est iam esse quod Deus est , cui velle , & esse id ipsum est.] Hæc verò perfectio tanta est, vt vel nullo modo in hac vita haberi possit , vel maximè

Digitized by Google

maximè per religiosa vota, quæ volũtatem nostram adeò diuinæ voluntati subiiciunt, vt velle nostrum ex Dei voluntate penitus dependeat. Hoc ergo modo Dei perfectè similitudinem Brigida consecuta est, quæ religionis se votis quasi validissimis Deo constringens funibus, nihil vnquam voluit, quàm quòd velle intelligeret Deum. [Est & alia magis Deo propinqua similitudo, ait Bernardus, in quantũ voluntaria, quæ in virtutibus consistit; in qua anima virtutis magnitudine summi boni quasi imitari gestit magnitudinem, & perseuerantiæ in bono constantia æternitatis eius incommutabilitatem.] Hanc verò firmitatem, quę diuinam imitatur æternitatem, sacra illa religionis vincula Brigidæ etiam attulerunt, cuius quippe anima cum Deo, re tam firma & immobili ita semper colligata fuit, vt immobiliter illi, cui se semel deuinxit, adhæserit. Veni ergo & ostendam tibi sponsam, vxorem agni.

Bernar. ibid. Secundam similitudinem quæ in summa boni magnitudinis imitatione, & in incommutabilitatis ẽm boni imitatione consistit.

12. Supereſt tertia Dei ſimiltudo admiranda, quæ in eius ſanctitatis ac potentiæ imitatione conſiſtit. Hanc etiam Brigida, Dei gratiâ, acquiſiuit, quippe, quæ Deum in bonitatis excellentia imitata eſt, vti ex ſumma eius in pauperes charitate cõſtat, ſic neceſſariò potentiæ etiam eius ſimilitudinem conſecuta eſt. Hæc enim illa eſt religioſi ſtatus eminentia, ad quam illa pertigit, ſuprà res omnes creatas, quæ tantùm iis omnibus abdicatis, & contemptis acquiritur, cùm, qui eas aſpernantur, vti illa, iis dominentur. Ecce vobis agni ſponſa, quæ non tantùm ſui ſponſi pulcherrimas ac rariſſimas aſſecuta eſt ſimilitudines, eiúſque anima adeò ſuper omnes res creatas euecta, veluti quædam Deo omnibus ſublunaribus dominabatur; ſed ita etiã omni perfuſa gratia coruſcabat, vt illius radij, in mortale etiam eius corpus redundarent, atque adeò ſui pulchritudine admirationem ſimul & ſtuporem intuentibus ingereret, ac caſto in ſe amore intuentium animos excitaret. Quare meritò illud egregium Ambroſij de

Tertia quæ in ſanctitatis eius ac potẽtia imitatione reperitur.

Ambr. l. de in ſtit. virg. c. 6.

de beatissima Virgine elogium illi competat: [Tanta,inquit,erat eius gratia, vt non solùm in se virginitatem seruaret, sed etiam, si quos inuiseret, integritatis insigne conferret.]Si enim speculorum arte elaborata concauitas, collectos in idem punctum Solis radios; ita in obiectam ex aduerso rem reflectat,vt & plumbum in tectis colliquescere faciat, & aptam combustioni materiam,quasi igne iniecto,cõburat:quantò magis Brigidæ cor,diuina arte disposi-tum,omnes diuini amoris radios,in se euibratos, ac collectos recipiens,in circumstantes,diuina conuersatione reflectet, vt ferrea etiam pectora colliquescere faciat,aptámque diuino ardori materiam,quasi charitatis igne iniecto, comburet. Hinc quoniam virginem hanc ad sui omnino similitudinem Christus effigiare voluit tantùm illi diuinæ gratiæ fulgorem indidit:vt quod Hieronymus scribit,de ipso Christo:in hanc etiam suo modo quadret:[Certè(inquit)fulgor ipse,& maiestas diuinitatis occultæ,quę etiam in humana facie relucebat,ex primo,ad se videntes,trahere poterat aspectu.] Mira siquidem sui vultus pulchritudine, cœlestique quodam splendore, exterius emicante, ex interna animi virtutum harmonia redundante, omnium se intuentium sibi amorem conciliabat. [Veni ergo & ostendam tibi sponsam,vxorem agni.]

Simile.

Mira Brigidæ pulchritudo.

Hiero. super c.9.Matt.

Tertivm Pvnctvm.

Tertium pũctum, de miraculorũ potentia. Ioan.2.

13. Vt etiam in miraculorum potentia iam tertio loco nostram virginem, sui sponsi similitudinem induisse demonstremus:quanta miraculorum gloria cum sponso suo,quodammodo certauerit,paucis audite. Quemadmodum enim in principio signorum suorum Christus aquam in vinum vertit, vt pauperum coniugum inopiam subleuaret,præsentique eorum succurreret necessitati: sic hæc cùm Episcopum quendam sibi perfamiliarem ad refectionem in-

vitaret,

Digitized by Google

ditaret, potúísque deficeret, miraculo, derepentè vas optimo repleuit potu. Et ſicuti Chriſtus quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus quinque penè hominum millia ſaturauit: ſic hæc ita cereuiſiæ vas, impreſſo ſalutari crucis ſigno auxit, vt octodecim Eccleſiis, ad aliquot dies, ſufficienter cereuiſiâ miniſtraret. Et ſicuti Chriſtus hæmorrhoiſſam à ſanguinis fluxu attactu veſtimenti ſui fimbriæ liberauit: ſic beata Brigida virginem Deo dicatam à carnis importunis inſultibus ſuis orationibus ita vindicauit, vt nunquam in poſterum aculeos illos ſentiret: & ſicuti Chriſtus luto ex ſputo facto, cœci nati oculos aperuit: ſic Brigida virginis Dariæ viſu priuatæ, ſua benedictione, non tantùm oculos aperuit, ſed etiam lumine quodam interiori colluſtrata Daria agnouit omnia, quæ oculis in hoc ſæculo videre poterat caduca eſſe, & impedimenta potius eſſe ſaluti, quàm adiumenta. Quare ad Brigidam reuerſa obnixè deprecatur ſibi rurſum cœcitatem reſtitui, & Brigida eadem facilitate qua reſtituit illi viſum, eo illam etiam priuauit. Et ſicuti Chriſtus maledictionis ſuæ potentiam oſtendens, viuidam arefecit ficulneam: ſic hæc diuinæ potentiæ adminiculo freta, licèt contrario effectu lignum aridum ſuo tactu, vt diximus, viuidum reddidit, quo miraculo mentis & corporis caſtimoniam declarauit inuiolatam. Et ſicuti Chriſtus manus ſuæ attactu leproſum mundauit: Sic hæc in cœna Domini, quendam leproſum ab eo eleemoſynam petentem aquæ luſtralis aſpergine à lepra penitus liberauit. Præterea ſicuti Chriſtus, ægrotanti Petri ſocrui ſanitatem reſtituit: ſic hæc ægrotanti vni de puellis ſuis, mulſúmque petenti, phialam aquæ ſigno crucis in mulſum conuerſam, bibendam dedit & ſanitatem ſimul reddidit. Et ſicut Chriſtus Chananeæ filiam à malo dæmone liberam fecit: ſic Brigida quandam filiam, cuius lateri diabo

Ioan.6.

Matth.9.

Matth.15.

by Google

diabolus assidebat crucis signo miraculo ita illustrauit, vt cruentam sibi assidentem bestiam horribili aspectu, ignem & flammas per os euomentem videret, quæ causa illi fuit peccati, quo infecta fuit, cognitionis & seriæ vitæ emendationis ac pœnitentiæ, ac à tanto monstro liberationis. Porrò sicuti Christus mutos loqui fecit: sic Brigida cuiusdam dominæ mutam à natiuitate filiam duodecimo ætatis suæ anno loqui fecit. Apprehensa enim eius manu, eam Brigida interrogat: Visne ob Iesu Christi amorem perpetuam seruare virginitatem? cui distincta & alta voce puella respondit, quicquid mihi imperaueris faciam. Et ab eo tempore Virgo permansit, ac sermonis beneficium accepit. Et sicuti Christus arbori maledixit, quæ posteà nunquam fructus tulit: sic Brigida poma sibi in donum missa leprosis dari iubet, qui eleemosynam efflagitabant, sed cùm fœmina quæ poma illi tulit, horrore quodam ex eorum aspectu, correpta poma illis dare negaret, dicens se poma, non pro leprosis, sed pro religiosis asportasse, cuius rei indignitate Brigida nonnihil commota eam increpans quodam prophetico spiritu in huius peccati pœnam prædixit, omnes eius horti arbores arefactum iri, & nunquam in posterum fructus producturas, quod & euentus comprobauit. Insuper sicuti Christus suauissima voce armatos milites in se irruentes, in terram prostrauit, vt sese loco dimouere non potuerint: [Ego sum:] Sic Brigida plurimos cataphractos equites in terram prostrauit. Nam filia cuiusdam magni Domini virginitatis voto Christo Iesu nũcupato, à patre sollicitata, vt cuidam nobili nuberet, sed die nuptiarum, epulo exstructo, sese clàm à paterna domo subduxit, ac tanquam ad sacrum asylum sese ad D. Brigidæ monasterium recepit: qua re cognita pater exacerbatus, pluribus stipatus cataphractis equitibus filiam suam vi extrahere è monasterio decreuit: quibus visis ad se venientibus, Brigida statim signum

crucis

crucis terræ impressit:quo facto, derepentè & equi & equites, veluti quædam statuæ immobiles hæsêrunt.Hinc subitò consternatus miraculo pater, Dei esse vindictam agnoscens,sui facti pœnitere incepit, ac statim etiam omnes à tanto horrore,ac membrorum constrictione liberati sunt,ac puella in sui voti impletione,vsque ad mortem perseuerauit. Sicut denique Christo mare obediit:sic Brigidæ precibus ita ingens fluuius obediuit,vt retrò cursum ageret.[Veni ergo & ostendam tibi sponsam, vxorem agni.]

Recapitulatio.

14. Ecce quàm propè sponsa ad sponsi sui similitudines accessit! quàm perfectè suam in eius voluntatem resignauit! quanta certauit industria, vt virtutum splendoribus exornata summi boni magnitudinem ac in bono incommutabilitatem,quoad humana fragilitas assequi potérat imitaretur!quanta denique vitæ sanctimonia effulsit, quæ infinitæ Dei sanctitatis, ac potentiæ imitatrix ita fuit, vt suprà humanam conditionem sese erigens:omnia hæc inferiora,tanquam terræ purgamenta despiceret, & miraculorum gloria,mutuata quasi Dei omnipotentia cum ipso Deo quodammodo certare videretur. Ecce tibi sponsa,vxor agni.

Brigidæ vita speculum omnium virtutum.

15. Vtinam huius sponsæ virtutes nobis semper imitandas proponamus, vt cuius miramur facta, imitemur etiam & vitam! Sapienter sanè animarum sponsus,tot vbique viua Christianis morum specula contuenda reliquit, sponsas nimirum suas, per gratiam & amorem,vt quilibet intra suę nationis limites, tam rara reperiat exempla, vt non opus sit ad exteras confugere nationes: quæ si animæ nostræ vultui obiecta semper habere velimus, illáque non cursim,sed diu ac diligenter contemplari,omnes facilè animæ maculas detectas dispiceremus:sin verò illa, quasi aliud agentes, & strictim tantùm intueamur, tantùm abest, vt animæ vultus næui nobis detegantur,vt potius occultentur,cùm animarum maculæ, sine diligenti animaduersione apparere non

solent,

Exod. 30. Breuis adhortatio ad eius virtutes imitandas.

soleant. Vtinam sacerdotum olim morem consectemur, qui in affixa specula, iuxta labium æneum antequam ad sacrificium offerendum progrederentur, inspiciebant: quo vultus sui maculas per specula sibi obiectas eluerent. Hæc verò specula à mulieribus, quæ in tabernaculi ostio excubabant, prætereuntibus Sacerdotibus offerebantur: Ecce vna ex his sanctis mulieribus Brigida, quæ in sancta religione, tanquam in tabernaculi ostio, semper in oratione excubabat nobis speculum mulierum, exempla perfectarum mulierum in se expressa exhibet, quæ nobis introeuntibus Dei tabernaculum, vt hostiam illam viuentem, per manus sacerdotum æterno Patri offeramus, porrigit; vt in illa tanquam in viua intuentes specula, nostros corrigamus defectus. Speculũ enim hoc mulierum, quod nobis virgo hæc hodiè exhibet, est, vt ait Gregorius, præceptorum Dei perfecta obseruatio, quam in hac nostra virgine perfectissimè videmus; ac proinde in seipsa, tanquam in speculo, præcepta Dei diligentissimè semper obseruata nobis imitanda proponit: in quæ si nos sedulò aspiciamus, quicquid in nobis fœditatis est deprehendemus, corrigemúsque: [Et quasi ex reddito (vt ait Gregorius) imagine nostros componemus vultus.] Vtinam abiectis vitreis speculis, quæ vitreæ tantùm inseruiunt carnis pulchritudini; speculum hoc sibi proponant, quòd internæ inseruit mentis venustati! ad speculum ergo hoc splendidissimum vitæ huius virginis, mores vestros comite, animos ornate, vitam actionésque omnes concinnate: [Sit (vt ait Ambrosius de Maria) vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitáque beatæ Brigidæ: & quæ velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis: hinc sumatis licèt exempla viuendi, vbi tãquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oste̅dunt.] Vt sic cum illa carnis illecebris omnino deuictis, hoc corporis ergastulo soluti, cœlesti in regno

Gregor. hom. 17. in Euan.

Ambr. l. 2. de virginib.

Digitized by Google

gno ſumma cum lætitia, Maria duce, præſentemur. Hanc enim quam ſibi in terra propoſuit imitandam, ad cœleſtem proficiſcens aulam veluti præuiam viç ducem (non dubito) habere meruit: Veni ergo, &c.

16. Poſtquàm mare rubrum Maria ſoror Moyſis incolumis tranſiit, ſumpſit tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam, cum tympanis & choris, quibus prçcinebat, dicens, [Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem eius deiecit in mare.] Nónne ſic poſtquam hoc mundi procelloſum mare ſaluo, incolumíque virginitatis pudore, charitate plena, Virgo noſtra tranſiit Maria virginum ductrix, cœleſte ſumpſit tympanum, egreſſáque eſt Brigida poſt eam, cui, hoſte triumphato præcinit: dicens, [Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt: equũ & aſcenſorem eius deiecit in mare. Equi ſiquidem eorum çaro.] Hunc equum, ita Dei gratia, edomuit Brigida, vt diuini timoris conſtrictum loris ſpiritui traderet, diuinarum inſpirationum veluti calcaribus compungendum, quoties contra rationis dictamen, calcitrare conaretur. Hinc inter illos hodie virginum choros, præcinente Maria, petulantibus carnis ſuperatis motibus eſſe meruit. Hinc Ambroſius, [Tunc, inquit, Maria tympanum ſumens choros virginales excitauit, cantantes Domino, quod per mare ſæculi, ſine ſæcularibus fluctibus tranſierunt. O quãtis illa virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet: dicens, Hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſeruauit pudore!] O quàm fœlix ergo es hodie, ô Brigida, quæ ſæcularibus fluctibus calcatis, & de carnalibus triumphãs illecebris, plena cœleſtibus meritis tuç carnis equo inſidens, luxuriæ aquas incolumis tranſiiſti! Sanè nõ immeritò illud in te Moyſis quadrat: [Filij Iſrael,] id eſt, viri quibus dextra Dei fert opem: [ambulauerunt per ſiccum in medio eius:] id eſt, maris. Verè ſingulare miraculum eſt, & diuinæ potentiæ opus

Gloriosè cãrnat deuicta carne. *Exod.* 15.

Iſa 31.

Ambr. l. 2. *de virginib.*

Exod. 15.

inter aquas aquis nó obrui,inter fluctus fluctibus nõ demergi,in carne viuere, & de carne non sapere:in terra esse,& vitam cœlestem ducere.O Brigida diuina suffulta ope tantùm abfuit., vt inter carnis fluctuantis illecebras submergereris,vt non existimem vel minima impudicitiæ labecula te vnquam infectam fuisse.Hinc eximia coruscans humilitate virginitatis coronâ redimita , ardentem charitatis oleo lampadem præferens meritis plena, Maria præeunte,ad nouas cum sponso ineundas nuptias , de mundo,carne ac diabolo triumphans hodie commigrauit. Veni ergo & ostendam tibi sponsam , vxorem agni.

EXEMPLVM.

Ribadeneira in eius vita.

17. Quædam perfrictæ frontis mulier,ex illicito complexu peperit , ac tanti criminis authorem sanctissimum quendam Episcopum impudentius insimulauit.Qua re cognita,illam ad se accersiri iubet Brigida, ab eáque scisscitatur quis esset huius prolis pater ? illa in sua persistens malitia respondit esse Episcopum.Sed Brigidą,facto crucis signo,super impudens meretricis os:Ecce(ô Dei stupendum miraculum)statim linguam eius turgidam ac inflatam reliquit. Deinde Brigida iterum sanctissimæ crucis signum infantis linguæ impressit , rogauitque illum quis esset pater eius:respondit infans (ô Dei misericordia,quæ linguas infantum facit esse disertas)non est Episcopus pater meus , sed quoddam hominis monstrum , ex omni veluti colluuione productum. Quo horrendo simul ac stupendo miraculo veritas patefactą est,Episcopus suum recuperauit honorem, & impudens meretrix serio pœnitentiæ remedio sibi adhibito, in gratiam rediit cum Deo, Angelis ac hominibus, cuius rei gratia, vniuersus populus,vna voce,immortales Deo gratias egerunt.

IN

IN FESTO PVRIFICATIONIS Beatæ Virginis,

Concio prima.

THEMA: *Postquam impleti sunt dies purificationis Mariæ, secundùm legem Moysi, tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino.* Luc. 2.

1. PVrificationis legem, Spiritus Sanctus, in Leuitico, sic præscribi voluit: [Mulier si susceptо semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circumcidetur infantulus: ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, neq; ingredietur in Sanctuariũ, donec impleantur dies purificationis suæ.] Dies verò isti sese similiter minimè habent: primis enim septem diebus, ita omnino immunda erat, vt ei non tantùm interdicta esset rerum sacrarum communicatio, vt in Sanctuariũ, ac templum ingressus, & sacrificatarum carnium esus, sed etiã profana cum hominibus societas: nemo enim cũ illa cibum, aut potũ sumere poterat, quin ipse etiã pollutus cẽseretur, neq vestes eius cõtingere: tãta ex peccato seu immũditia legali, profecta abominatio. Peractis autẽ septẽ illis primis diebus per triginta tres reliquos, cũ quolibet cõmunicare quidẽ poterat, cibũq; sumere, res tamẽ sacras adhuc illi tangere minimè licuit.

Leuit. 12. Lex Purificationis.

2. Cùm itaq; lex ista, eas tantummodò spectaret mulieres, quæ susceptо semine masculũ peperissent: ab huiusmodi lege B. Virginem Mariã, quę Christum non ex humano semine, sed ineffabili Sp. Sancti operatione susceptit exemptam esse penitus, quis dubitabit? Verba siquidem ipsius legis, hoc clarè demonstrant: [Mulier si susceptо semine:] cùm enim nulla vnquam fuerit, quæ concipere, aut parere potuerit, nisi [susceptо semine] gratis conditio illa adderetur,

A purificationis lege B. Virginem exemptã esse constat.

Digitized by Google

[si susceptо semine] nisi aliquòd illic mysterium latere Spiritus Sanctus voluisset: futuram nimirum, aliquando mulierem, quæ conceptura, & paritura foret, nullo susceptо semine. Cùm verò hanc, firma fide, B. Virginem esse credimus; perspicuè etiam legis verbis illam, veluti ab hac excommunicationis sententia, liberam esse videmus. Quam rem disertè D. Bernardus his verbis declarat: [Quis non aduertat, in ipso sententiæ huius initio, liberam matrem Domini, ab hoc præcepto? Putas enim, quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse non timuerit super matre Domini, blasphemiæ crimen incurrere, & idcircò præmiserit: [Si susceptо semine:) alioqui nisi parituram præuidisset sine semine Virginem: quæ necessitas erat, de susceptо semine fieri mentionem?] Ergo clarè ex legis verbis, ex susceptæ prolis, ac matris dignitate, ac patrum auctoritate constat, B. Virginem, ab hac purificationis lege, prorsus exemptam esse. Quid ergo opus illi purificatione?

Bern. ser. 3. de purific.

Concionis diuisio.

3. De qua duo mihi hodie dicenda propono. Primùm, aliquot ipsi Virgini quæstiones mouendas, quæ eius purificandi & Christi offerendi modum, cum earum responsis concernunt. Secundum, purificationis Mariæ causam fuisse Filij sui similitudinis imitationem. Sed de more Spir. S. qui omnis purificationis auctor est, purissimæ huius Virginis interueniente deprecatione, auxilium, angelica præmissa salutatione imploremus. Aue Maria.

Primum Punctum.

Quæstiones aliquot B. Virgini propositæ.

4. Liceat mihi, B. Virgo, à te, pauca scisciari, vt tuo fultus responso, in hac purificationis tuæ materia, confidentius loquar, quæ de tua puritate concepit animus. Et in primis, cur, cùm in tua ipsius conceptione, plena fueris gratia, & in Christi partu (vt ait Bernardus) superplena, adeò, vt omnes puritate angelos longè superaueris; cur, inquam, per dies quadraginta, à templi ingressu abstinuisti, quæ viuum

uum Spiritus Sancti templum semper extiteras? cur instar peccatricis,ac immundæ purificationis legem, subiisti; præsertim cùm, hac ratione, hoc augustum mysteriuin non intelligentibus,te ad morem aliarum fœminarum immunditiem legalem,siue illa sit peccati labes,siue typus,contraxisse persuaseris, atque adeò purificatione indigere,cùm tamen,ne minimo vnquam peccati nævo,infecta fueris,ac proinde neque ipsa purificationis lege tenearis,neq; vlla opus purificatione haberes? Cur præterea,Dei filius,quasi legi illi subiectus:[Omne primogenitum adaperiens vuluam,sanctus Domino vocabitur.] More cæterorum,te soluente peccati pretium, in templo sit præsentatus?cùm tamen sine vlla tuæ virginitatis sigilli fractura,ex vtero tuo sit egressus? Deinde cur pauperum, pro eo oblationem, cùm ipse, teste Paulo, [Diues in omnes qui inuocant illum] fecisti? Denique cur non potius magnificum aliquod, ex prædiuiti, à Regibus thesauro accepto, munus in hanc rem reseruasti? *Exod.34.* *Rom.10.*

5. Quibus B. Virgo respondet: vt in cæteris vitæ meæ actionibus Filij mei; cuius beneficio, ab omni sum præseruata peccati labe,vestigiis insistendum, duxi;ita in his etiam eius exemplum imitata, me penitus eius voluntati conformaui. Quare, qui peccatum non fecit, factus tamen in similitudinem carnis peccati;peccatoris infami stigmate,in sua voluit circũcisione notari. Oblatus est etiam,quia ipse voluit: [In capite enim libri (ait) scriptum est de me,]quasi diceret:pro argumento(quod in capite & indice librorum inscribi solet)totius scripturæ:Ego sum:nam tota me lex spectat,suáq; sacrificia,& omnia quæ habet,dirigit ad meum sacrificium, meámque redemptionem significandam,& repræsentandã, ideóque quicquid hisce de rebus scribit, & præscribit,propter me scribit,& præscribit,vt scilicet, Ego veniam in mundum per incarnationem, hoc fine, vt tuæ, ô Pater, voluntati satisfaciam, quæ *Ad quæstiones Mariæ respondet.* *Rom.8.* *Isa.53.* *Hebr.10.*

eſt,vt morte mea redimam, & expiem hominum peccata, quæ nullis legalibus, aliiſque victimis expiari potuerunt, [vt faciam Deus voluntatem tuam volui,& legem tuam in medio cordis mei:] id igitur ego libenti, & prompto animo accepi, perficiámque,ad hoc enim volui venire,ô Pater,in mundum,vt tuo ſatisfaciam deſiderio, volui, & prompta voluntate,decretum tuum,de mea incarnatione, & morte,pro ſalute hominum, acceptaui, hancque tuam legem, & ſtatutum, in medio viſcerum meorum impreſſi, & infixi. Ecce quomodo ſua ſponte oblatus eſt!

2.Cor.8. *Pauper factus Chriſtus vt nos diuites faceret.*

6. Sic etiam, [qui cùm diues eſſet, propter nos egenus factus eſt]verè egenus,qui in ſtabulo natus, cui non erat locus in diuerſorio,qui pro throno Regali, præſepio vſus, pro culcitris, fœno, pro igne, bouis & aſini halitu, pro periſtromatis, aranearum telis, pro odoramentis, iumentorum excremento, pro purpura,vilibus panniculis, pro equitatu,boue & aſino,pro procerum turba,Ioſepho & Maria,imò ſic & tota deinceps vita, noſtri gratia, egenus fuit, vt etiam ſicuti Græcè habetur ἐπτώχευσε, mendicaret:vnde & illius inopiâ, vos diuites facti eſtis,ſpiritalibus nimirum diuitiis,fide,ſpe,charitate,gratia, peccatorum remiſſione, cæteriſque virtutum theſauris, quas virtutum diuitias vobis filij mei diſcipulus, Nazianzenus, per Antitheſim, ob oculos ſubiicit: [Pauper(inquit)factus eſt Chriſtus, vt nos illius paupertate diteſcamus:ſerui formam accepit, vt nos libertatem recipiamus: deſcendit, vt euehamur:tentatus eſt,vt vincamus:contemptus eſt,vt nos gloria afficiat:mortuus eſt,vt ſeruet: aſcendit,vt ad ſeipſum trahat, humi prouolutos in peccati lapſu.] Ecce quibus virtutum theſauris vos diuites effecit, vt licèt huius mundi crepundiis ſitis inopes, ditiores tamen cœleſtium bonorum gazis, quàm qui auro & purpura hominum opinione ditiſſimi cenſentur. [Omnes ergo,vt ait Beda,boni fideles ſunt diuites,

Greg. Naz. Orat. 1. in Paſcha.

Beda in illa Apoſtoli verba, vt illius inopia, &c.

Digitized by Google

diuites, nemo se contemnat: pauper in cella, diues in conscientia, securior dormit in terra, quàm auro diues, in purpura.] Quare sicuti omnis eius actio, nostra est instructio: sic eò omnes meæ tẽdunt actiones, vt vobis etiam, post Christũ, in omnibus, perfectæ vitæ regula fiam. Hinc licèt, filij mei, beneficio, immaculata sim, ad vestrã tamen institutionem purificari volui, & quamuis à primo exortus mei instanti plena fuerim gratiâ, & vt mater Dei essem ab æterno destinata: [nam ab æterno à principio ordinata sum,] & licèt etiam gratiâ plenior fuerim, dum Deum meum intra viscera mea conciperem: [nam cum eo omnia pariter venerunt mihi bona,] plenior tamen adhuc ac purior, cùm filium meum, æterni patris vnigenitum peperissem: purificari nihilominus volui. Nam licèt me supra legem fecerit gratia, me tamen sub lege fecit humilitas. Itaque qui ad tantum me gratiæ gradum euexit, eius sequi vestigia semper duxi, vt sicut ille, ab infimo humilitatis gradu, vestram inchoauit salutem: sic in tanto opere adiutrix facta, ab eodem mihi inchoandum censui. Quare filij mei vestigiis insistens, licèt [Ego quasi vitis fructificauerim suauitatem odoris,] licèt [& flores mei fructus honoris & honestatis] extiterint; licèt [Ego mater pulchræ dilectionis,] licèt, inquam, omnia pulcro amore amauerim, ita vt ex amore nihil immunditiei, plurimum verò meriti ac pulchritudinis semper collegerim, licèt mater timoris & agnitionis, & sanctæ spei, licèt, inquam, omnibus his virtutum donis præ reliquis omnibus excellerem creaturis, licèt in me gratia omnis viæ adeo vt meus seruus Chrysostomus magnum gratiæ miraculum me asserere non dubitauerit: [Magnum (inquiens) reuera miraculum fuit semper Beata virgo Maria: quid namque illa maius, aut illustrius vllo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cœlum ac terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? non Prophetæ, non

Eccles. 24.

Ecclesiast. vbi supra.

Chrysost.

Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non throni, nō dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quippiam inter creatas res viſibiles, aut inuiſibiles maius aut excellentius inueniri poteſt:]licèt, inquam, horum omnium gratia in me cumulatim reperiri dicatur, licèt in me, poſt Deum, omnes ſuam ſpem collocatam eſſe cupiant, licet virtutis conſequendæ in mei patrocinio fiduciam collocent, filij tamen mei humilitatis exemplum ſequens, veſtri cauſa purificari volui.

Licèt omniũ creaturarum gratia in Maria reperiatur, purificari tamen voluit.

Luc. 1. 7. Certum ergo eſt legem hanc purificationis me non concernere: [fecit enim mihi magna, qui potens eſt;] magna ſuper omnes creaturas: nam in conceptione mihi magna fecit, quoniam à communi illo maledicto, quod quilibet in ſua incurrit conceptione, à peccati nimirum originis contagione me exemit: [fecit mihi magna qui potens eſt, quia ſuæ domus in me profundiſſima humilitatis fundamenta fecit, [fecit mihi magna,] qui illis, quatuor virtutum altiſſimos veluti parietes ſuperpoſuit, prudentiæ, iuſtitiæ, temperantiæ & fortitudinis: [fecit mihi magna,] quia rutilanti charitatis auro, veluti pulcherrimo tecto, ſanctiſſimum illud ædificij corpus texit: [fecit mihi magna,] quia hanc à ſe excitatam pulcherrimè fabricam interius pulcherrimarum virtutum ſculpturis mirandum in modum exornauit: [fecit mihi magna,]in mea natiuitate, nam ſtatim ab Angelis, eius iuſſu viſitata ſum, & quæ repleta in materno vtero Spiritu ſancto fui, in natiuitate ingens toti orbi gaudium attuli. Prætereà [fecit mihi magna] in ſui filij conceptione: nam quæ ad Dei matris titulum, ab æterno deſtinata, virginitatis decore conſeruato, Dei de facto matrem me effecit. Porro [fecit mihi magna] in eiuſdem natiuitate, cùm à cœleſtibus omnibus mater Dei, & cœli Regina, ſalutarer. In me ergo ὁ δυνατὸς potens ille, potentiam ſuam maximè exercuit,

Quanta & quàm ſtupẽda Deus Maria fecerit.

Digitized by Google

exercuit, quam vndique magnam fecit. Quis antiquum illud templum auro vndique irradians videns non potentis alicuius Regis opus esse existimaret! & quis nouam hanc à Dei ipsius manibus excitatam fabricam, cœlesti auro, diuinisque omni ex parte fulgentissimam geminis intuens, non Dei omnipotentis stupendum opus esse proclamaret, ita vt sicuti in omnibus, magna mihi fecerit, in hoc opere, admiranda, vt omnes me generationes benedicant. [Si enim (vt ait Basilius Seleuciæ Episcopus) Petrus ob id Beatus appellatus, Regnique cœlorum claues sortitus est, quòd Christum Dei filium palam confessus est, quomodo ea super omnes beata prædicanda non est, quæ illum parere meruit, quem ille confessus est.] Verè ergo meritò omnes me benedicent generationes, vt quod princeps populi Ozias, Iudithæ dixerit, quæ typus ac imago mei fuit, non iniuria in me quadret: [Nomen tuum Deus ita magnificabit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum.] Magnificat ergo anima mea Dominum] qui ita magnificentem se magnificauit, vt nolit laudem eius de ore hominum in æternum recedere, illiúsque encomiis celebrandis omnes se impares fateri velit: Ecce quantis me ornauit bonis! filij tamen mei viuum humilitatis exemplar semper intuens, tui causa, ô peccator, purificari volui.

Basil. Oratio. de Annunciat.

Iudith c. 13.

8. O quanta tua Dei mater puritas, quanta Dei in se collata beneficia! certè tam ampla ac magnifica tuæ puritatis ac sanctitatis insignia, vti modò meis quæstionibus satisfaciens ipsa significasti, vt audacter etiam dicere potueris, quod de te, tui flagrantissimus amator Bernardus, tanta tuæ puritatis ac sanctimoniæ argumenta intuens, ex amoris magnitudine dixerit: hoc, magnum, de te meritò poteras dicere: [Quid mihi opus purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cuius vterus virum nescius, templum

Bern. ser. de Purifi.

Quanta in virgine puritas?

factus est Spiritus sancti ? Cur non ingrediar teimplum , quæ peperi Dominum teimpli. Nihil in hoc conceptu , nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum , nihil purgandum : nimirum cùm proles ista fons puritatis sit , & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me igitur legalis purificat obseruatio , quæ purissima facta sum, ipso partu immaculato ? O verè beata virgo , verè non habes causam , nec tibi opus est purificatione : sed nunquid filio tuo opus erat circumcisione ! Esto inter mulieres tanquam vna earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum.] Causa ergo fuit & tui , filij imitatio , & in omnibus cum eo similitudo , vti in sequenti puncto ostendam.

Secundum punctum.

Secvndvm Pvnctvm.

Simile.

Causa purificationis Mariæ alia fuit vt Christi consectaretur similitudinem.

9. Quod secundo loco , dictum volo , est causam purificationis Mariæ etiam fuisse , vt in omnibus filij sui consecteretur similitudinem. Inter res naturales , naturarum similitudo amoris fons esse solet : sic etiam in rebus super naturam positis , ex morum ac virtutum similitudine amor inter illas , ac animorum coniunctio omnis nascitur. Cùm ergo Beata Virgo inter cæteras creaturas , iuxta certas naturæ conditiones , ad Dei similitudinem , ac imitationem maximè accesserit, in supra naturam verò positis , omnes simul puras creaturas , in hac Dei imitatione , ac similitudine superauerit , maximè etiam inter omnes, & naturæ , ac supernaturalibus donis cumulata est , maximè ergo similis esse debuit filio suo , in humilitatis actionibus : Hinc purificari voluit.

Natura donis ad Dei similitudinẽ præ reliquis accessit.

10. Quod naturæ donis præ cæteris propius Deum sit imitata clarum est. Nam id quod de æterna Dei generatione dictum , rectè etiam suo

modò

Digitized by Google

modo ſibi vſurpare poteſt:[Generationem eius quis enarrabit?]Nulla ſanè creatura,ſolius Dei hoc opus, qui generationem eius ineffabili modo, ex ſemine infectioni alioquin obnoxio, illibatam tamen ſupra naturæ leges conſeruauit:[Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?Nonne tu qui ſolus es?]Præterea ſicut Pater ab æterno ſine matre filium generauit: ſic illa in tempore ſine Patre, in terra filium eundem genuit: Ille Patris intellectu generatus, eiuſdem quoque corpus è matris puriſſimæ ſanguinibus in vtero, ſolo Spiritus ſancti auxilio efformatum eſt. Inſuper ſicut filius in vtero æternitatis naturalem ſuum agnouit progenitorem. Sic ſtatim in vtero temporis Mariam ſuam agnouit progenitricem;ac proinde ſicut ab æterno quaſi diuinitatis lacte paſtus; ſic temporaneæ matris vberibus lactatus:inde potauit æternam Sapiẽtiam,hinc obedientiam didicit: [Cùm eſſet filius Dei, didicit ex iis,quæ paſſus eſt,obedientiam.]Cùm ergo præuiderit filium ſuum per totum vitæ ſuæ decurſum & nouo ac arctiore modo in paſſione obedientiam oſtenſurum, cæteráſque omnes virtutes patiendo hominibus demonſtraturum,noluit omittere quin ſeſe legi Moyſis ſponte ſua ſubiiciendo,obedientiam etiam diſceret:Hinc purificari voluit.

Iſa.53.

Iob.14.

Similia.

Beata Virgo natura donis omnes creaturas ſuperauit.

11. In iis verò, quæ naturæ ordinem ſuperant, omnes longè excelluit. Nam ſicuti de Chriſto dicit Iſaias:[Qui peccatum non fecit,& non eſt inuentus in ore eius dolus,]in hoc etiam,Dei munere, filium ſuum imitata eſt: nunquam enim peccauit, neque fraus aut dolus inuentus in matre omnipotentis: non enim acceſſit flagellum,ſcilicet peccati, Dei tabernaculo, [decuit enim domum tuam ſanctitudo in longitudinem dierum.]Si enim templum illud terrenum,à Salomone fabricatum, puriſſimo contegebatur auro,æquius ſanè eſt vt hoc cœleſte Domini templum B.virgo,omni gratiæ auro vndique conregatur & cooperiatur. Sicuti filius peccatoris induit

In donis ſupernaturalibus omnes ſuperauit.

Iſai. 53.

3. Reg. 6.

Digitized by Google

duit ſimilitudinem,quid ni etiam mater eius peccatricis ſubiret legem:hinc purificari voluit.

12. Sicut filius omnia potuit, [omnipotens enim nomen eius :] ſic & Maria,vt ait Bernardus,omnia quæcunque vult facit : ſola enim plus apud Deum impetrare poteſt,quàm omnes ſancti in cœlo:[Data eſt tibi,ait,omnis poteſtas,in cœlo & in terra,vt omnia quæcunque volueris valeas impetrare.[Cur ita? ob perfectam morum vitæq; ſimilitudinem, ac imitationem:ſicut enim ille[humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem]ſicut,inquam, graue ac durum Patris præceptum Chriſtus acceptauit, vt perfectum nobis daret , tam nobilis virtutis obedientiæ exemplum: ſic iſta humilem ſeſe ancillam vocans,cùm tamen Dei eſſet mater, eidem ſubiecit ſe præcepto , iuxta illud Simonis vaticinium, [Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius ,] nam tantum doloris ex Chriſti paſſione concepit,vt meritò dicatur , cum Chriſto , eidem ſe præcepto ſubieciſſe. Nam, vt ait Bernardinus, tantus fuit dolor virginis , quod ſi in omnes creaturas,quæ pati poſſunt,diuideretur, omnes ſubitò interirent. Et quid mirum ? nam Chriſtum , qui eius fuit anima , (illum enim tanquam animam & vitam ſuam dilexit ,) pertranſiturum gladium paſſionis ac mortis vbi intellexit, ſe illo transfoſſam ante tempus ſenſit. Quidni ergo, quem ſecuta eſt in humilitate , ſequeretur in cæteris eius obedientiæ exemplis. Paruit ergo legi,quia filius Dei factus eſt ſub lege;& hinc purificari voluit.

Maria plura poteſt quàm omnes ſancti.

Bern.

Phil. 2.

Filij obedientia amula.

Luc. 2.

Bernardinus Senenſis tom. 1. ſerm. 61. a. 3. c. 2.

13. Sicut Chriſtus ſubditus fuit Mariæ : [deſcendit enim & erat ſubditus illis :] ſic Maria erat ſubdita Deo adeo, vt nihil vnquam vel cogitauerit, vel loquuta fuerit, vel fecerit,quod non iuxta rationem, Deíque voluntatem , tanquam actionum ſuarum regulam eſſet, vt cum filio meritò poſſit dicere: [Ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper:] ergo, quæ ſic ſubdita diuinæ voluntati ſemper extitit , vt

Obediẽs Deo fuit.

Luc. 2.

Ioan. 8.

ab

ab illà penitus in ſingulis ſuis actionibus penderet, iure etiam ſeſe eius voluntati in hoc purificationis præcepto ſponte quidem adimplendo ſubiecit; hinc purificari voluit.

Mariæ perfectè Dei ſimilitudinem aſſequuta eſt.

14. Verè Dominus te poſſedit in initio viarum ſuarum, vnde illius ſimilitudinem ita in te impreſſiſti, vt poſt filium tuum, præ cæteris omnibus creaturis, illam perfectiſſimè conſequuta ſis. Nam quo magis per virtutum ſplendorem, inacceſſibilem gloriæ lucem quis accedit, eo perfectius illius lucis in ſe recipit radios, ac ſimilitudinem. Nam ſicuti ſpeculum, eo expreſſius rei obiectæ imaginem refert, quo illi res propius ad certum vſque terminum applicatur, diſtantia enim rei ſpeciem emittentis, & ſpeculi recipientis, ſimilitudinis diuerſitatem procreat: licèt enim tota rei obiectæ imago, in ſpeculo procul diſſito reſultet, in minus tamen diſtante plenius eiuſdem figura & quantitas cernitur, & ideo ſimilius ſeſe exhibet imago. Vnde ſi plura ſpecula alicui faciei in diuerſa obiiciantur diſtantia, licèt in illis tota facies ſplendeat, eiuſque ſimilitudo, inæqualiter tamen; in eo enim, quod ſemotius eſt minor apparet facies, in eo autem, quod propius, maior, in eo quod proximè æqualis penitus rei obiectæ imago in ſpeculo videtur. Dei itaque cuius in cordibus à peccato immunibus imprimitur ſpecies, & illam quilibet iuſtus in via per gratiam, & quilibet beatus, per apertam diuinæ eſſentiæ viſionem in ſe, ſicut in ſpeculo exprimit, licèt ſecundum totam Dei capacitatem, aut virtutis quantitatẽ, minimè eius ſimilitudinem referat. Nam in ſolo Dei filio, qui eſt figura ſubſtantiæ eius, ita diuinæ eſſentiæ imago infinitè, perfectè, & ſecũdum omnem penitus virtutem, vti eſt in Patre, collucet, vt nihil in ea deſideretur. Et quamuis creatura, quo magis virtutum gradibus creatori appropinquat, eò clarius ac perfectius diuinę eſſentię ſpeculum efficiatur; tamen

Simile.

cùm

cùm ſit finitæ virtutis, infinitæ maieſtatis imaginem referre non poteſt, licèt iuxtà cuiuſque gratiæ ac gloriæ menſuram aliquouſque tantæ eſſentiæ effigiem repræſentet. Vnde ſuperiores angeli, ac qui in æquali gradu gloriæ homines in cœlo beatificantur, perfectius ac expreſſius diuinæ eſſentiæ imaginem, quàm inferiores recipiunt. Vt verò, quàm proximè fieri poterat, à creatura hæc diuina ſimilitudo exhiberetur, ſingulare ſibi ſpeculum, quod cæteris omnibus creaturis, diuinæ maieſtati coniunctius foret compoſuit, Beatiſſimam nimirum virginem, quæ in cognoſcendo & diligendo Deum omnium creatarum perſonarum communitatem, ſine exiſtimatione excederet; vnde cùm cætera omnia ſpecula, ſaltem in ſuis quaſi partibus immunda reperirentur, hæc ſola ſpeculum ſine macula appellatur: vnde Bernard. [Hanc Domine feciſti imaginem bonitatis tuæ, quia Deo omnium propinquiſſima eſt, adeóque proxima, vt in vtero ſuo Dei imaginem, non participatam, ſed veram & infinitam continere valuerit.] Tamen ſpeculum hoc ſine macula purificari voluit.

Bern. ſer. de verb. Apoc. 12. ſignum magnum.

15. Quid mirum, cùm ipſe ab æterno tui imaginem ſic mente geſſerit, vt præ cæteris creaturis te tot virtutum ornamentis magnificare, ac beatificare voluerit, ac in te tanquam in omnium operum ſuorum compendium, quicquid pulchrum, magnificum ac glorioſum in cæteris omnibus creaturis inferre decreuerit. Tuam itaque pulchritudinem, antequam exiſteres, quam ab æterno in mente habuit, illis verbis Sapientis depinxit: [Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te,] vt non immeritò Rupertus te ſic loquentem faciat: [Priuſquam naſcerer, Deo præſens aderam, antequam fierem, bene illi cognita fueram. Si enim dicitis, & verè dicitis, quia elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate: nonne & de me rectè ſentitis, & rectè ſentiendo dicitis, quia elegit me ante mundi conſtitutionem,

Cantic. 2. Ruper. Cantic. 2. Deus ab æterno pulcherrimam virginis in mente geſſit imaginem.

vt

vt eſſem ſancta & immaculata in conſpectu eius in charitate?& ſi deliciæ eius,eſſe cum filiis hominum, quantò magis deliciabatur cum iſta ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum hominum.] Ecce videtis, quo magis ad diuinam acceſſerit ſimilitudinem, eo etiam magis præcipuas illas filij ſui virtutes,humilitatem & obedientiam adamaſſe: hinc purificari voluit,vt ſit,ſicuti ait Bernardus,[ſtella ſuper hoc mare ſubleuata , micans meritis , illuſtrans exemplis.]

Bern.hom.2. ſuper Miſſus.

16. Cùm igitur B. Virgo ſpeculum fuerit mundiſſimum,in quo perfectiſſimè filij Dei imago repræſentata,meritò in omnibus filij ſui imitata eſt virtutes;& ſicuti ille qui peccatum non fecit,circumcidi tamen voluit:ſic hæc quæ peccatum non fecit,hodie tamen etiam purificari voluit, perſonamque peccatricis induere,vt quæ filium Dei,per incarnationem exinanitum , forma indutum ſerui , & paulo ante in circumciſione peccatoris ſtigmate inuſtum vidit , ſe etiam conſimili humilitatis nota inſigniri gauderet. Quia ergo in omnibus perfectè filium imitata , ſic omnia ſub filio bona conſecuta eſt,ita vt illi ſingulariter,præ aliis,filius dicat: [Omnia mea tua ſùt,& omnia tua mea ſunt.]Ergoſi nos velimus à filio ſimul & matre amoris brachiis conſtringi , vtriuſque humilitatis ac obedientiæ imitemur virtutes. Circumcidamur cum Chriſto , & cum matre purificemur. Quid enim cauſæ virgini fuit purgationis legem ſubire,cùm legis ipſius verbis,vti dictum eſt,ab omni eximeretur purgatione? & cur voluit Chriſtus circumcidi, qui cùm circumciſionis finis eſſet , circumciſione non indigeret?Reſpõdet Bernard.[Quid eſt autem quod dicimus B.Mariam purificari ? quid verò quod ipſum Ieſum dicimus circũcidi?enimuerò tam non indiguit illa purificatione, quàm neque ille circumciſione.Nobis ergo & hic circumciditur , & illa purificatur,præbentes exemplum pœnitentibus, vt à vitiis continentes , primum per ipſam continentiam

B. V. filij ſui omnes imitata eſt virtutes.

Luc.15.

Bern. ſer.7. in parus. Sicut Chriſtus circumcidi , ſic Maria purificari in exemplum nobis voluit.

Digitized by Google

nentiam circumcidamur, deinde à commiſſis, per pœnitentiam purificemur.]

17. Ad hanc animi purgationem, quam Chriſtus & Maria ſuo nos faciendam docent exemplo, in primis vos, ô mulieres, omnes animi vires intendite. Parum enim profuerit externa illa corporis purificatio, ſi interna animæ facies ſordida remaneat. [Omnis enim gloria eius ab intus.] Hinc [nihil in beſtiis, teſte Ambroſio, plus reperias, quàm quod videtur: in homine nihil eſt inferius, quàm quod videtur. Aliorum gratia foris, hominis intus eſt; duo enim, vt idem ait, ſunt homines, in vno homine, vnus interior, alter exterior; exterioris ornamenta abiicienda, interioris omni animi contentione quærenda:] hanc enim mentis purificationem ſolam Deus ac Maria expetit. Hinc vos monet, ô mulieres, B. Petrus: [Non ſit (inquit) extrinſecus capillatura (criſpatura) aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.] Ecce mulieris purificatæ ornamenta, integritas nimirum, & incorruptio Spiritus quieti & modeſti, non externus corporis cultus qui in crinium nitore ac implicatione, in aureis ornamentis ac pretioſis veſtibus ſitus eſt; ſed multò magis virtutum varietate animas ornetis expoſtulat, quibus illas Dei oculis gratiſſimas, ac pulcherrimas reddatis, è cuius conſpectu locupletiſſimæ eritis.

Pſ. 44.
Ambr. lib. de inſtitut. vir. c. 3.
Eodẽ lib. c. 2.
1. Petr. 3.
Interna mẽtis purificatio Chriſto ac B. virgini placet.

18. Sed quid de effœminatis noſtræ ætatis adoleſcentibus viriſque dicamus, qui quod animæ ſuæ vultibus, virtutum ſplendoribus ornandis illis Deus conceſſit, vti corporis robur, vultus pulchritudinem, ac totius denique corporis venuſtatẽ, neſcio quibus pigmentis ac calamiſtris deſtruere. Non verentur ſe Creatore ſuo ingenioſiores eſſe autumantes quoties opus manuum eius peregrino confundunt ornatu. [Dixit Deus, ait Cyprianus, faciamus hominem ad imaginem noſtram; & audet quiſquam mutare ac

Iniuriam faciũt Deo qui ſuum vultum pigmentis mutant. Cypri. lib. de diſciplina & habitu virginum.

Digitized by Google

conuertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quoniã id,quod Deus formauit,reformare & trãsfigurare contẽdũt,nescientes quod opus Dei est omne quod nascitur;diaboli quodcunq; mutatur. Si pictor pinxisset imaginẽ,& alius manus inferret,an nõ grauis fieret pictori iniuria? tunc igitur impunè feres, quod Dei imagini manus inferas? Non metuis ne in resurrectione artifex opus suũ nõ agnoscat,dicatque: op' hoc meũ nõ est,imago hæc nostra nõ est,cutẽ falso medicamine polluisti,crinẽ adulterino colore mutasti,expugnata est mẽdacio facies, figura corrupta, vult' alienus est.Deũ videre nõ poteris,quoniã oculi tibi nõ sũt, quos fecit Deus, sed quos diabol' infecit,illũ tu sectat'es,rutilos & depictos serpẽtisoculos imitatus,de inimico tuo corruptus, cũ illo pariter&arsur'.]O si tãta sit dãnatio illis,qui externa hęc ad suã licẽtiã & libidinẽ explẽdã expetũt, quãta dãnatio iis,qui animã suã fœdis peccati maculis peccati contaminant, quæ vera Dei imago esse debuerat!

19.O vtinam ille qui scrutatur corda,& renes,hodie abdita cordis nostri intuens, ab omni purgata inquinamento verè reperiat, & omnium virtutum ornamentis coruscãtia eius oculis appareãt, sub vili corporis indumẽto.Vtinã B.etiã virgo hodie nostras cõtemplans actiones, ã mũdissimo cordis fonte profectas, ac cœlesti gratia tãquã singulari cõdimento imbutas inueniat!vtinã abiectis mũdi ornamẽtis, ac externo fucati vultus cultu, interiori, toto pectore exornãdo incũbamus!vtinã nobis semper ob oculos, viuũ ac æternũ quod æternæ inseruit mẽtis venustati,speculũ ob oculos habeamus.Virginẽ itaq;sãctissimã speculũ sine macula sẽper intueamur,& ad illius corporis ac mẽtis cõpositionẽ corporis nostri cultũ ac mẽtis mores cõponamus.]Sit(ait Ambros.)vobis tãquã in imagine descripta virginitas vitaq;B.Marię, & quæ velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis.Hinc sumatis licet exẽpla viuẽdi,vbi tãquã in exẽplari magisteria expressa probitatis,quid cõrrigere,quid effugere,qd tenere debeatis ostẽdũt.]

Cohortatio ad cordis munditiã, in qua consistit vera purificatio.

Ambr. lib. 2. de virgin.

EXEMPLVM.

Adolescens quidam Deiparæ, vt sibi videbatur, deuotus, quippe qui sese illi frequenter in die per orationes & piâ in speciem opera arctius coniungebat, interim cor suum illicitis rerum imaginibus contaminatum expurgare negligens. Hic per quietem ad se Deiparam venientem vidit sibíque opiparum offerentem ferculum, sed in disco sordidissimo. Cumque renuisset oblatum gustare cibum: cur, inquit Deipara, sapidum respuis cibum? cui ille, licèt sit sapidus & egregiè conditus, discus tamen illi suppositus mouet nauseam & à cibo maximã auersionem. Et nescis, respondet Deipara, mihi etiam tua esse obsequia ingrata, quæ, licèt in speciem bona ac sapida videantur, tamen impuro cordis disco contaminàta fastidium mihi pariunt, eáque nauseabũdo stomacho reiicio; quo attonitans responso, statim expergiscitur, suamque cogitationem ad cordis sui recessus reflectens ingemuit ac pœnitentiæ lachrymis obscœnum cordis discum abluens, salutari confessionis spongia omnem illi abstersit maculam. Quare in posterum, purificato cordis disco, sua Deiparæ obsequia per Dei gratiam reddidit gratissima.

IN FESTO PVRIFICATIONIS Beatæ Mariæ,

Concio secunda.

THEMA: *Postquam impleti sunt dies purificationis Mariæ, secundùm legem Moysi.* Luc. 2.

Lex de sanctificandis primogenitis.

1. INter leges à Deo populo Israëlitico præscriptas duæ sunt quas filius Dei eiusq; beatissima matet

mater hodie præſertim, obſeruare voluerunt. Altera eſt de primogenitorum tam de hominibus quàm de iumẽtis oblatione ac ſanctificatione. [Sanctifica mihi, ait Dominus, ómne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Iſrael, tam de hominibus, quàm de iumentis, mea ſunt enim omnia. Ecce lex altera de offerendis & conſecrandis Deo primogenitis quaſi diceret: conſecrate & offerte mihi omne primogenitum, quod primò naſcitur vterumque matris referat tam hominum quàm iumentorum. Cuius rei ratio ſubditur: [Cùm interrogauerit te filius tuus cras dicens, quid eſt hoc? reſpondebis ei, in manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti; de domo ſeruitutis. Nam cùm indurato animo nollet vos Pharao dimittere, occidi ego omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis, vſque ad primogenitum iumentorum: idcirco in tanti beneficij memoria immolabitis mihi omne quod aperit vuluam maſculini ſexus, meum enim eſt omne primogenitum, ex quo percuſſi primogenitos in terra Ægypti, hinc ſanctificaui mihi quidquid primum naſcitur in Iſraël, ab homine vſque ad pecus, mea ſunt. n. omnia. *Exodi. 13.*

Altera lex de mulierum Purificatione: [Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus iuxta dies ſeparationis menſtruæ.] Et die octauo circumcidetur infantulus. Ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine Purificationis ſuæ.]Ex qua lege conſtat fœminam, quæ maſculum pepererat, quadraginta diebus legali quadam immunditia inquinatam cenſeri. Licet ergo Maria æternum, æterni Dei Patris, ineffabili ſpiritus ſancti virtute, verbum, ſine vllo ſuæ virginitatis detrimento conceperit, ac ſine vlla ſordiũ coinquinatione pepererit, huic tamen Purificationis legi, multis de cauſis obtemperare non detrectauit ſui filij in hoc, qui circumciſionis legi ſeſe ſubiecit humilitatis, ac obedientiæ exemplum ſecuta, vt nos, qui per ſuperbiam ac inobedientiã in æternæ mortis

Numeror. 3. Leuitici 12. Altera lex Purificationis.

Multis de cauſis Maria Purificationis legi obtemperauit.

præcipitium ruimus, perfectæ humilitatis ac obediétiæ exemplis permoti, cùm Dei gratia, per humilitatem ac obedientiam ab eo præcipitio reuocaremur. Deinde huiç legi seſe ſubdidit, vt præbeat, Bernardo teſte, exemplum pœnitẽtibus, vt à vitiis continentes primum per ipſam continentiam circuncidantur, deinde à commiſſis per pœnitẽtiam purificentur. Tertiò, vt huius exemplo ita noſtra diſcamus opera facere, vt non tantùm coram Deo pura ſint & immaculata, ſed etiam coram hominibus, iuxta illud Matthæi: [Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt:] alioquin iuſtam ſæpe murmurandi cauſam aliis præberemus, ſi tantùm bonæ conſcientiæ teſtimonio, in operibus noſtris contenti eſſemus. Hinc Chriſtus, cùm publicani Cæſaris tributum, exigerent, dixit Petro:] Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum à filiis ſuis an ab alienis.] Subdit ſtatim: [Vt autem non ſcandalizemus eos vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem: illum ſumẽs da eis pro me & te.] Sic hodie ne Chriſtus eiuſque mater, Moſaicæ legis tranſgreſſores haberentur, & ipſe voluit præſentari, & illa purificari.

Bernardus in parui ſermone 7.

Matthæi 5.

Matthæi 17.

3. Sicut ergo Purificationis legi obtemperauit Maria, ſic per ipſam Mariæ filius hodie in templo præſentari voluit, vt quemadmodum æternus Pater infinita munificentia, filium ſuum vnigenitum in terra naſci, ac à beata virgine ſibi offerri, pro totius generis humani peccatis feſtinauit, vt hac ratione nos etiam animaret ad noſtrum primogenitum, cor nimirum cum hoc ineffabili dono, virginis primogenito, liberali animo offerẽdum,

Deus à nobis cor tanquam primogeniti exigit.

4. De qua re duo dicam Primum, licèt Maria ſpeculũ fuerit ſine macula, purificari tamẽ voluit, vt nos ad animi purificationẽ in Chriſti ſanguinis balneo faciendam inuitaret. Secundum, omnes animi ſenſus eorum

Concionis partitio.

Digitized by Google

eorumque fontem cor nobis purificanda, vt nos simul cum primogenito suo Maria æterno Patri in holocaustum offerat, inuocata prius spiritus sancti gratia, qui mentis oculos, ac corporis sensus purificat, pura puræ virginis deprecatione interueniente. Aue Maria.

PRIMVM PVNCTVM.

5. Licèt Maria speculum sine macula fuerit, purgationis tamen legem obseruauit, vt nos qui maximè purgatione indigemus suo exemplo ad animi per amorem purgationem excitaret; vt sic conscientia pura, sermone puro, ac operibus, puri coram Deo semper stemus. Nihil enim Deo, Nazianzeno teste, purificata mente gratius: [Neque, inquit, purus Deus tanto in pretio quicquam habet, quàm puritatem & purgationem:] tanti itaque illam fecit, vt ad purgandas peccati sordes, è suo sanguine pretiosissimum parauerit balneum, quod tam efficax fuit, vt eo omnes filiorum Adæ sordes elui possent. Hic est fons ille, de quo propheta Zacharias, quotidie scaturiés, qui infinitis suis flexibus sese diuidens, vnicuique peccatorum salutare lauacrum parat [Erit fons patens domui Dauid & habitantibus Israël in ablutionem peccatoris.] fons omnibus patens suis scatens sanguinis riuis Christus hinc nos ad hunc fontem inuitat: [Si quis sitit veniat ad me, & bibat:] fons itaq; est ex quo sanguinea hauritur aqua, quæ tamen animis cœlestem munditiem diuinumque affert nitorem, quæ omnibus animi morbis medetur, quæ ardentissimam cupiditatum sitim extinguit. Sed ô vtinam nos qui adeo impuri, adeo sordidi sumus, vt Dei oculis Angelorum ac hominum spectaculum facti simus, cordis nostri cataractas aperiamus, quibus stagnanti ac putrida peccati aqua plenis, impetus illius cœlestis aluei impeditur. Cur ergo ad salutarem hunc fontem festini non accurrimus?

Nihil Deo gratius purificata mẽte.

Nazianz. oratione 6.

Zacharia 13.

Ioannis 7.

6. Christi sanguine scelerũ nostrorũ maculas eluéda-

Ps. 50. *Christi sãguine maculas nostras eluẽdas Dauid prauidit.*

iam olim prædixit Dauid: [Incerta (inquiens) & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.] Quænam, obsecro, ô Dauid, incerta hæc & occulta diuinæ sapientiæ tibi manifestata? incarnationísne & passionis mysteria? prorsus. Quare sanguine Christi aspergi te, perpetratíque adulterij sordes elui, statim petis, quem à Messia fundendum, oculo prophetico præuideras: [Asperges, inquis, me Domine hyssopo,] scilicet Christi sanguinis, [& mundabor: lauabis me] eius sanguine, [& super niuem dealbabor.] O Christiani videtis Christi sanguinis balneo scelerum tribui ablutionem, nec ablutionem tantùm, sed etiam singularem ac plusquàm niuium candorem! O cur non ad huiusmodi balneum properamus! abluere quidem potest aqua Æthiopis sordes, sed candorem eius cuti inducere minimè valet: Christi verò sanguinis balneum abluere potest animi sordes, nec abluere tantùm, verùm etiam ex terrimo reddere candidissimum. [Super niuem, inquit, dealbabor.] Non enim tantùm peccatorum sordes Christi sanguinis balneo abluuntur, sed etiam plusquàm niueo gratię virtutúmque candore ipsum animum quodammodo beatificari sentimus: & ad hoc nobis propositum cœleste balneum minimè festinamus, vt purgata mente, speciosi in conspectu Dei appareamus. Cur saltem Mariæ exemplum, quæ nulla tamen purgatione indiguit, nobis ob oculos positum non sequimur. Illa nobis humilitatis ac obedientiæ exemplum præbens, purificari voluit: quæ tamen Sole purior fuit, & cuius partus totius purificationis fons extitit. Hinc Euangelistæ, vbi dixissent postquam impleti sunt dies purgationis eius, statim subdiderunt [secundùm legem Moysi,] in quem locum Theophylactus [bene ait Euangelista, secundùm legem impletos esse dies purificationis eius, nam secundùm veritatẽ nulla necessitate virgo astringebatur expectare dies purificationis.] Quę enim pulchritudine ac puritatẽ omnes penitus creaturas

Quanta abluendi vi in Christi sanguine.

Maria tantũ obedientiæ ac humilitatis gratia purificari voluit.

Theophyl. in Lucam.

turas

turas præcessit,iuxta illud Anſel. [Decens erat vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret:cui Deus filiũ ſuum ita dare diſponebat, vt eſſet vnus idémque Dei Patris & virginis Filius.] Quid purificatione opus habuit, niſi vt nobis, qui purificatione indigemus,purificatæ mentis exemplo præiret.

Anſelm. l. de conceptu virgin. c. 18.

7. Ad huiuſmodi nos Paulus mentis purgationem iuuitat:[Obſecro ego vos deponere ſecundũ priſtinam conuerſationem veterem hominé,qui corrũpitur ſecundùm deſideria erroris: renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ,& induite nouum hominé,qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.]Obſecro itaq; & ego vos cum Paulo,malè viuendi,concupiſcendi,& peccandi conſuetudinẽ eiuere,ac vitia & propenſiones ad malũ,quas quiſque in ſe ſentit,mortificare, & extirpare: ac contrarias Chriſti,& primi nouiq; Adæ virtutes animę ſuę inſerere,innouare:ac per feruorem ac ſtudium proficiendi,ſeſéque perficiendi adaugere :[Mens enim (vt ait Greg.) dum igne amoris excoquitur,ſemper in ſe ſeruat claritatem pulchritudinis quotidiana innouatione feruoris. Neſcit enim veteraſcere, quæ ſemper per deſiderium ſtudet inchoare:] & induite nouum hominem:id eſt, induite vos Ieſum Chriſtũ, vt Hieronymus pulchrè interpretatur:ille quippe eſt nouus homo, quo vniuerſi credẽtes debemus indui, atque veſtiri:quid enim in homine, qui à Saluatore noſtro aſſumptus eſt,non nouum fuit?conceptus,natiuitas,partus,infantia,doctrina,vita,virtutes, & ad extremum crux & paſſio exſpoliantis in ea principatus,& contrarias fortitudines oſtentui habentis, reſurrectio quoque & aſcenſus ad cœlũ.Hic ergo verè creatus eſt in iuſtitia & ſãctitate veritatis:quia Deus verus,Dei veri filius fuit:& tota in illo religio atq; iuſtitia Dei veritate cõpleta eſt. Qui igitur conuerſationem illius imitari poteſt, & vniuerſas in ſe exprimere virtutes,vt ſit mãſuetus ſicut ille fuit man-

Ephes. 4. Paulus nos ad mẽtis purgationẽ hortatur.

Greg. 22. mo. c. 4.

Hier. ad Ro. 13. Quid induere Iesũ Chriſtum.

Digitized by Google

suetus & humilis corde:& ponat animam suam pro amicis,vt ille posuit pro ouibus suis:verberatus nō respondeat,maledictus non maledicat,sed vincat in humilitate superbiam:iste indutus est nouum hominem,& dicere cum Apostolo potest:viuo autem non iam ego,viuit verò in me Christus.]O quàm pulchra huiusmodi omnium affectuum purgatio,qua in imaginem ac similitudinem Christi transferimur![Ecce (inquit Euangelista)impleti sunt dies Purificationis Mariæ secundū legem Moysis] quæ nulla tamen,vt audistis,indigebat purgatione! impleantur,obsecro etiam dies purgationis nostræ secundùm legē Paul, qui maximè indigemus purificatione, exuamus inolitas malorum morum consuetudines, exuamus veterem Adami vestem,vt nouam induamus,exuamus vitia,vt nouum hominem, Christi nouitatem,nouos mores,puritatem,& sanctimoniam induamus, vt ic in vera sanctitate , & non fucata , ac in iustitia Dei conspectui purificati appareamus.

Si fœmina quæ sine peccato peperit, longa indiguit purgatione,quantò magis qui peccati monstrum peperit.

8. Indigebat purificatione fœmina quæ infantem pepererat, & non indigebit vir vel fœmina purificatione , quæ horrendum peccati monstrum peperit ? erat immunda fœmina , quæ pepererat masculum septem diebus ,, iuxta dies separationis menstruæ : & non erit vir , vel fœmina immunda quæ tot masculos , imò maculatos diabolo parit fœtus , quot in sui homines concupiscentiam trahit , neque septem dies sese curabit purgare , vt octaua die , ab omnibus illis monstrosis circumcidatur fœtibus , cùm tamen non septem dies, sed quotidie , & septuagies septies in die fœda libidinis menstrua patiatur ! Si illa triginta tribus diebus manebat in sanguine purificationis , quo tempore nullum illi licebat Sanctum tangere , neque in Sanctuarium ingredi , quamuis ex licito conceperit matrimonio : & nos edito peccati monstro, statim sine vlla lege , sine vllo conscientiæ remorsu impudentius in publicum egressi , omnes Sanctum

ctum tangemus ? & vix impuris meretricis oscu-
lis, impuro ore infecto, vmbratili tantùm confes-
sione, vel, vt verius dicam, impudenti oris ia-
ctantia vsi Sanctum Sanctorum in impuro corde,
tanquam in fœtenti sterquilinio suscipientes, se-
pelimus! O masculum maculosum, vel, vt verius
dicam, horrendum monstrum! O partum execra-
bilem! O maledictum cor, effœminatam tanti mon-
stri matrem! O diabolicam succubam! O incubum
diabolum! Quid ex tam horribili vestro consortio
aliud nasci potest quàm horrore plenum peccati
monstrum! Ecce parturiit iniustitiam, concepit *Ps. 7.*
dolorem, & peperit iniquitatem.] Verè sceleratum cor, quod incubo diabolo dolorem concepit, peccatum nimirum cui æternus dolor debetur, & temporaneus etiam: quippe quia mala voluntas ipsa se torquet, ipsa sui supplicium est: Parturiit quoque iniustitiam, ipsum peccatum ad effectum producere conando, parturire siquidem est niti, parere: parturiit ergo iniustitiam, à iustitiæ regulis decem Dei præceptis in iustitia fundatis, discrepando, iniuriam Deo aut proximo per mortiferum peccatum inferendo, & tandem per operationem, peccatum scilicet opere perficiendo iniquitatem peperit, quam veluti permanentem prolem consuetudine nutrit, quæ tanquam paternam hæreditatem, æternas sibi tandem inferni pœnas vindicat.

9. En parens cor carnale! en partus eius fœdissimi, frequentes peccatorum actus, qui instar viperæ genitricem nascentes interficiunt, æternóque inferni igni consecrant. Væ huiusmodi cordibus, peccatis prægnantibus, eáque nutrientibus in illis diebus! ô quantò satius gratiæ fœtu imprægnari, quæ ad purificationis legem, cùm ipsa animam, quam imprægnat penitus, purificet, imprægnatam non abiget, cùm etiam eò puriorem eam reddat, quò sæpius bonorum operum fœtus ex

Cor carnale peccati parens.

gratia

Aug. ser. 20. de verb. Do. alius ex Deo alius ex diabolo concipit.

gratiæ semine pariat: [Omnis quidem (vt ait Augustinus) homo concipit, nec vllus potest esse sine conceptu: sed alij concipiunt à Christo: alij de diabolo: sicut enim de illis, quæ à diabolo concipiunt, dicitur, concepit dolorem, & peperit iniquitatem: ita & de illis, qui à Spiritu Sancto concipiunt, scriptũ est: à timore tuo in vtero concepimus

Isa. 26.

& peperimus Spiritum salutis tuæ.] O vtinã huiusmodi gratiæ & spiritus salutis partus in lucem edamus, verè hos facilè, Dei gratiâ, adiuti pareremus, si quàm nobis Paulus purgationem præscripsit nostris adhiberemus animis, non illam quadraginta aut octoginta dierum, sed illam quę vno temporis puncto perficitur, quæ vna lachryma, vno ex humili corde gemitu, vno contritionis actu, balneum nobis parat, quo in instanti omnes animæ sordes, praui mores, concupiscentiæ fœditates eluuntur.

Magna Dei misericordia in remittendis peccatis.

10. O infinita Dei misericordia! fœmina quæ peperit ex diuino mandato diu expurgari debuit, & conscientia quæ fœdissimũ peccati monstrũ peperit, vt in puncto expietur prouidisti! licèt enim maneat (peccato remisso) pœna sæpè persoluenda, pro qua Deo deferenda est oblatio: te etiã supplicé ad sacerdotis pedes coniicere debeas, vt peccatũ anteà per verã cordis contritionẽ sublatũ, Ecclesię clauibus, ex Ecclesiæ mandato subiicias, licèt piacularibus insistendum tibi operibus: tamen in puncto cõtritionis horrendũ illud ac informe peccati mõstrũ, ita prorsus execratus es, vt tuus amplius fœtus esse desinat, téq. diuina gratia, quasi cœlestis fœtus semine grauidũ, Altissimi filio gratissimam exhibeas sponsam. Quis, obsecro, qui tã facilem nõ expeteret purificationem, qua in instanti illius peccati monstri abortu facto, cœlestis gratiæ semine fœcundetur? quis non optaret ex vna lachryma salutare sibi balneum fieri? quis non pro salutifera oblatione suspiria, ac gemitus Deo offerre inardesceret? fœmina, quæ olim purificationem instituebat non cardueles aut

aut philomelas, quæ suo tantùm cantu aures demulcent, sed gemebundos turtures, aut luctuosas columbas Deo offerebat: sic qui edito peccati monstro purificari desiderat, gemitibus, ac lachymis non risui, aut iocis illi incumbendum, vt sic pœnitentiæ lachrymis cor Deo mundum multis nobilitatum actionibus cum Maria offerat: primogenium enim nostrum est: Accipitribus solent dari corda auium à se prædatarum; Deus per Christum tanquam per nobilissimum accipitrem expansis in crucis arbore alis cor nostrum prædatus est, ipsi igitur illud offeramus nobisque illud purius, sanctius, quietius, lætius & beatius reddet.

Christi & Mariæ exemplum humilitatis ac obedientiæ ad imitandum propositum.

11. Ecce nobis Christi ac Mariæ humilitatis ac obedientiæ exemplum hodie propositum! ille circumcidi, hæc purificari voluit, vt vtriusque animi submissionem, ac promptitudinem sedulò nobiscum considerantes libentius imitemur. Ille, cùm Deus esset maiestatis, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, circumcisionis tamen notam, tanquam peccatoris characterem sibi inscribi voluit: hæc, quæ cœlos cœlorúmque incolas sanctitate, gratia, animíque pulchritudine longè superauit, hodiernæ diei purgationis, veluti infamiæ notam nostri causâ incurrit, vt suo nos trahat exemplo, ad nostræ conscientiæ, atque adeo omnium sensuum seriam instituendam purgationem, vt sicuti mater Dei viuum Patri æterno filium in templo hodie stitit, obtulítque: sic nos debita peccatorum purgatione expleta, mater nostra Ecclesia, tanquam viuam hostiam, & beneplacentem Deo in odorem suauitatis offerat. Hactenus de primo puncto.

Omnes animi ac corporis sensus, atque adeo omnium fons cor perpurgandum.

SECVNDVM PVNCTVM.

12. Iam verò quod secundo loco dicendum proposui oculi, lingua, aures, os, manus, caro, pedes, & fons horum omnium cor nimirum nobis purificanda, ac imprimis cor, quod peccati cœno sordescens,

Digitized by Google

scens, turbidam per varios illos animi veluti meatus concupiscentiæ aquam reddens, eos omnes etiam cœnosos facit, adeo vt si quispiam ex eo potus genere qui per sordidos illos canales transit, bibat, venenato illius haustu inficiatur necesse est: fons ergo hic turbidus, qui animi, ac corporis sensus inficit, sedulò perpurgandus, ad quod nos propheta
Isaiæ 1. Isaias inuitat, [Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis] vt angelicus vobis Chorus, (vti ait Cyrillus Hierosolymitanus,) acclamare possit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata] verè
Ps. 31. beati, qui postea quam cor suum peccatis coinquinauerunt, non despiciuntur à Deo: sed per gratiam eius excitati, pœnitentiæ lachrymis, omnes animi sordes abstergunt, adeo vt nusquam diuinæ iustitiæ appareant, sed charitatis lampades in eorum accensæ animis, flammas suas per charitatis opera exerentes, aureo quodam colore, hactenus ferrugine peccati obscura corda exornant, luménque illis
ad Titum 2. præferunt, ad paradisi ianuam. Huiusmodi sanè [apparuit gratia Dei & saluatoris nostri eos erudiens] illuxit, inquam, subitò & improuisò, & insperatò quasi sol radians eorum cordibus, qui hactenus in tenebris & vmbra mortis sedentes, hanc salutarem neglexerunt purgationem, cuius rei præmium illis expectandum, vti Apostolus subdit, beata spes & aduentus gloriæ magni Dei.

13. O quàm fœlices qui hac animati spe omnem abnegant impietatem, & sæcularia desideria à
Sobriè, iustè ac piè viuendum, sui cordis cubili abigunt, sobriè erga se, iustè erga proximum, piè erga Deum, viuere proponunt, diuinæ gratiæ aqua fœdis peccatorum sordibus expurgatis: Sanè huiusmodi sese cum Mariæ filio, tanquam hostiam Deo placentem exhibere meritò possunt. O quàm ergo fœlices, qui purissimæ illius virginis exemplo, quæ nulla indiguit purgatione, commoti sic putrem ac putidam suæ conscientiæ ac cordis sentem

sentinam salutari confessionis haustro exantlare studuerunt, vt desinerent esse quod fuerunt, & inciperent esse quod ante non fuerunt, vt qui prius superbi, ebriosi, obscœni, iracundi, furaces fuerunt: iam abnegantes se, incipiant esse humiles, sobrij, casti, mansueti, sua sorte contenti, vt meritò illius adolescentis (vti refert Ambrosius) qui post amores meretricios peregrè profectus, abolito amore, regressus, veteri occurrit dilectæ, quæ se non interpellatam mirata, & se non cognitam rata, rursus occurrens dixerit: Ego sum, responsum vsurpent: sed ego non sum respondit ille. O quàm fœlices eorum forent tum canales, sic ab omni perpurgati vitio, per quos purissima reconciliatæ animæ, ac perpurgatæ gratiarum aqua, tanquam ex limpidissimo Spiritus sancti in ea habitantis fonte erumperet, qua, pleno haustu, aliæ sitientium animæ ebiberent, fœlices, inquam, quorum corda, quæ cæterarum actionum fontes sunt, sic suaui Spiritus sancti balsamo, gratiæ aqua penitus perpurgata, perfusa, vt quicquid ab iis eructaretur, Dei ac proximorum naribus suauissimum infunderet odorem: [Omni itaque custodia custodi cor tuum quia ab ipso vita procedit.] Si vitam diligimus corporis ac animi, vitæ fontem diligenter custodiamus, naturam ipsam imitemur, quæ hunc vitæ thesaurum penitus reclusit, &, vt Plinius ait, veluti quodã muniuit vallo: [cordi, inquit, præcipuus calor, palpitat certè & quasi alterum mouetur animal. Intra præmolli firmóque opertum membranæ inuolucro: munitum costarũ & pectoris muro: vt par erat, præcipuam vitæ causam & originem:] Ecce quanta cura vitæ fons custodiendus. Præterea periti Anatomi asserunt ossa quæ cor custodiunt, effigiem referre gladij, si igitur cor habemus, si, inquam, sapimus, natura ipsa nos docet, vt ad cordis custodiam & murum adhibeamus, & gladium. Ad terrestris paradisi custodiam Deus Angelum flammeo gladio cuibrato delegauit; [collocauit ante paradisum Cherubim,

Ambros. l. 2. de pœnitentia. c. 10.

Prouerb. 4.

Quanta cura cor custodiendum. Plinius l. 11. c. 37.

Digitized by Google

Genesis 3. Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ:] vultis & vos paradisum vestrum, cor, inquam, vestrum,ab omnium malorum incursu tueri , pro foribus statuite Angelorum custodiam,flammeos charitatis educite gladios , quibus irruentes in vos tartareos serpentes profligetis , ac inexpugnabili diuini timoris muro, cor illud circumcingite , ne irrepentes diaboli,suo illud sordidissimo pestiferóque veneno contaminent.Hæc de cordis,vitæ fontis,purgatione.

Oculi purificandi. 14. Oculi etiam , diuinæ gratiæ purissima aqua perpurgandi , ac in suo continendi officio , alioqui ita nos paulatim in extremam trahent perniciem, vt vix emergendi spem vllam sint relicturi. Hinc sanctissimus ille Iob , cum oculis suis inuiolandum icit fœdus , ne per cogitationem quidem illis peccandi occasionem præberet: [pepigi fœdus cum oculis meis,vt ne cogitarem quidem de virgine.]Quid ita? nam vti Glossa in hunc locum:[visum sequitur cogitatio , cogitationem delectatio , delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo,consuetudinem necessitas , necessitatem desperatio, desperationem damnatio.]Ecce quàm periculosam, quàm præcipitem,quàm calamitosam, ex oculorum visu nobis conficimus scalam,cuius basis ipsum tartari imum pertingit:non immeritò ergo illud Threnorum vsurpare possumus, [oculus meus deprædatus est animam meam] huiusmodi enim oculus non tantùm animam gratiarum thesauro expilat , sed ipsam etiam peccati aculeo ita vulnerat,vt nequeat sanari,nisi omnipotentis Dei virtute.Quare ne in direptionem illam oculis exhibeamus , deliberato ac firmato proposito cum oculis nostris fœdus pangamus vt ne vnquam cogitemus ad malum de virgine:[vt enim munda mens, teste Gregorio,in cogitatione seruetur , à lasciuia voluptatis suæ , deprimendi sunt oculi,quasi quidam raptores ad culpam] verè oculi raptores sunt non modò animi, cuiusque charitatis

Iob c.31.

Threnorũ 3.

Greg. initio c.31.Iob.

charitatis ac gratiæ : ſed ita etiam aliorum animas inſperato ictu penetrant, vt eas omni bonorum theſauro ſpoliatas, mactent: lenones etiam quidam ſunt qui blando ſuo aſpectu mentem ad peccatum prouocant, nuncij ſunt, qui promptiſſimè ad voluptatem ſuis nutibus intuentes vocant : feneſtræ ſunt, per quas ſcelerum contagiones ingrediuntur : claues ſunt quæ clam pudicitiæ oſtia lenonibus reſerant, oſtia ſunt, per quæ ad carnis illecebras incautæ animæ intrant : non immeritò ergo vir ſapientiſſimus cum iis fœdus pepigit: animaduertit enim ex aſpectu virginis ita facilè cogitationem accendi perpetrandi ſceleris, vt iam ipſa viſio ſit veluti in ſcelus cogitatio, ex qua ſtatim ſequitur delectatio, ex delectatione conſenſus : In hanc miſerè lapſa eſt mater noſtra in paradiſo Eua quod cum ſuis oculis fœdus minimè icerit, ſed curioſius in roſeum pomũ intuens in ictu oculi eius delectatione capta periit: Serua, ô Eua, ait Bernar. de grad. humilita. commiſſum, expecta promiſſum, caue prohibitum ne perdas conceſſum: quid tuam mortem, tam intentè intueris ? quid aliò tam crebra vagantia lumina iacis? quid ſpectare libet quod manducare non licet? oculos, inquis, tendo, non manum : non eſt interdictum ne videam, ſed ne comedam. Hoc etſi culpa non eſt, culpæ tamen indicium eſt : te enim intentã ad aliud latenter interim in cor tuum ſerpens illabitur, blandè alloquitur : blanditiis rationem, mendaciis amorem compeſcit, nequaquam inquirens, morieris: auget curam, dum incitat gulam : creat curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem, offert tandem prohibitum & aufert conceſſum, porrigit pomum, & ſurripit paradiſum, haurit virus peritura & perituros paritura.

Oculorum aſpectus nobis ad Tartarum ſcalã parat.

15. Quis ergo non omni ope ſeſe tueri, contra hos raptores conabitur, quis non ſemper arma in manu geret, quibus huiuſmodi prædonibus reſiſtat. [Si enim, vt ait Baſilius, miles terrenus quocunque loco

Omni ope oculorum reſiſtẽdum depræda tionem.

loco mittitur, paratus ac promptus eſt, neque ſe vxoris ac liberorum gratia excuſare audebit: multo magis miles Chriſti ſine aliquo impedimento regis ſui imperio debet obedire.] Qui arma in promptu habere contra oculorum depræ dationes iubet [ille in prælio galeam ferream geſtat, ſed tua galea Chriſtus ſit, qui eſt caput tuum. Ille lorica ne vulneretur indutus eſt: ſed tu pro lorica, ſis fide Chriſti circũdatus: Ille contra aduerſarium ſuum mittit lanceas & ſagittas: tu contra aduerſarium diuina eloquia iaculare. Ille donec pugna geritur, arma à ſemetipſo non proiicit, ne ab aduerſario vulneretur: ita & tu nunquam debes eſſe ſecurus; quia tuus hoſtis, hoſte illius aſtutior eſt. Ille ſi ſuperauerit ad domum reuertitur: tu verò hoſte proſtrato in illud cœleſte regnum cum omnibus ſanctis intrabis:] quãta ergo vigilantia nobis opus eſt, maximè cum iis diabolus, tanquam emiſſariis militibus, vtatur, per hos ignea ſua tela in animæ viſcera intorquet. Hinc Apoſtolus nos monet, vt contra hæc ſcutum fidei ſumamus,

Baſilius in admonitione ad filium ſpiritualem.

eóque in nos denſatas diaboli ſagittas, & ſuggeſtiones excipere & retundere conemur. [In omnibus (inquit) ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere:] verè tela ignea, ignei oculorum ictus, quibus diabolus incautas animas ſæpe interficit, tela ſunt inſtar ignis penetrantia, ardentia, & inflammantia mortalium animas, quæ prauas carnis cupiditates excitant, & ad eas appetendas concupiſcentiam, & appetitum impellunt, accendunt, inflammant. Tela ſunt oculorum ictus, nequiſſimi ſcilicet diaboli, qui illis tanquam miſſilibus, ad mortalium animas interimendas vtitur: tela ſunt, ſagittæ ſunt, miſſilia ſunt, quæ veluti in inſtanti ſcopum feriunt, penetrant, inflammant: & ſicuti ignis in locum aliquem iniectus omnem circumquaque materiam corripit, ita hæc ignea libidinis iacula in animũ iniecta, omnes eius vires conſumit, & de vitio in vitium, quaſi flamma de domo in

ad Epheſ. 6.

domum

domum serpit: purgandi ergo sunt huiusmodi oculorum ictus ab omni libidinis fomite, & diuini timoris collyrio inungendi, vt omni libidinosa caligine sublata, veluti genuinæ aquilæ directa acie solem intueantur iustitiæ, vt qui prædones ante animæ extiterunt, modò Deum ipsum adeo in sui rapiant admirationem vt præ nimio veluti gaudio, quod à tanta eorum pulchritudine alliciatur, extra se abreptus, victum ab iis vulneratúmque fateatur: [auerte oculos tuos à me quia ipsi me auolare fecerunt] quasi diceret, prævaluerunt mihi, tanto enim eorum incitatus amore, ita mihi sum quasi sublatus, vt mentis etiam deliquium pati videar, ac veluti mei dominium amittere: [Fulcite] itaque [me floribus, stipate me malis, quia amore langueo:] Ecce deliquium, ex amoris languore consequutum, quo veluti infixa cordi sagitta in terram decidens, fulciri se, ac suaui odorum fragrantia confortari, quàm citissimè efflagitat, ne tanto quasi expiret deliquio, aut saltem dominium sui præ amore amittat. O magna oculorum vis, vt qui anteà diaboli emissarij, proprias deprædati estis animas, iam gratiæ illustrati lumine, & ab omni perpurgati libidine, ita Dei pectus purissimi amoris iaculo penetretis, vt ipsi Deum & Deus vos reciprocis confodiatis sagittis, mutuóque amoris languore vos inuicem quasi extenuetis. Hæc de oculorum purificatione.

Cantic. 6.

Cantic. 2.

16. Lingua insuper purificanda: Lingua enim character, imago, index & nuncius est mentis: voces enim sunt notæ, vt ait Aristoteles, earum affectionum, quæ in anima delitescunt. Hinc Socrates ex voce, mentem & animum cuiusque qualis esset explorabat, loquere, inquit, adolescens, vt te videam. Hoc autem fieri nequit, nisi lingua loquentis, audienti mentis sit index. Magni ergo refert, vt lingua illa purificetur, quæ bonæ mentis sit nuncius. Hinc Psalmista ori suo custodiam, & ostium circumstantiæ labiis suis, apponi efflagitat, vt nimi-

Lingua purificanda. Aristoteles l. 2. Periher.

Lingua index animi.

Ps. 140.

Digitized by Google

rum lingua per disciplinam ita intra limites rationis retineatur, vt nunquam nisi ex necessitate laxetur. [Quatenus, vt ait Gregorius, os discretum & congruo tempore vox aperiat, & rursus congruo taciturnitas claudat:] vt itaque congruè aperiatur illud perpetuò custodiamus rationem ei, vt Chrysostomus nos docet, tanquam clauem adhibentes, vt sic proferamus sermones ad mensuram, vt ait Ambrosius, librá examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, in verbis modus]nihil turpe, nihil inhonestum, nihil indecorum effutiamus.

Greg. l. 7. Moralium c. vl.

Chrysost. in comment. super Ps. 140.

Ambros. l. 1. offi. c. 3.

Aures expurgandæ.

17. Aures insuper perpurgandæ quibus etiam diligens adhibendus custos: nõ enim satis est auriũ ostiis diuini timoris vectes & repagula adhibere, sed præter illa adhibẽda etiã diligens custodia, & excubiæ ad custodienda ostia, ne quis detractionis aut obscœnitatis venenũ, perfractis seris instillet. Hinc quod propheta Dauid ori suo, hoc nos aurib. nostris efflagitare oporteret: [pone Domine custodiam ori meo; sicut enim obsessam vrbẽ non satis est obserata ostia habere, sed opus præterea est ad portarũ custodiã militũ præsidio: sic non sufficit cordis arcẽ, quæ continuò à dæmone obsidetur, clausis sensuũ ostiis seruare, sed præterea adhibẽda est vigilantissima custodia, quam D. Chrysost. vult esse mortis memoriã, quam ipse quasi fœminam præferentẽ manu ignem inferni pingit. [Hunc adhibe, inquit, ianitorẽ & custodem intentantẽ minas cõscientiæ, & hãc portam nunquã intempestiuè aperies; iuxta illud Ecclesiastici: In omnibus operib. tuis memento nouissima tua, & in æternũ non peccabis:] Sic ergo ostia auribus & custodia adhibentur vt nec semper apertæ, nec semper clausæ, sed interdũ aperiendæ, interdũ etiã claudendæ: aperiendæ quidẽ Dei verbo, claudendæ verò lasciuiæ ac detractioni animarum furibus: vnde Ecclesiasticus auribus suadet sepẽ adhibere spinarum, quibus lasciuientiũ pungantur linguæ: [sepi, inquit, aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire:]

Ps. 140.

Simile.

Chrysost. vbi supra.

Ecclesiastici 7.

Eccles. 28.

Sicut

Digitized by Google

Sicut enim spinarũ vallo nobilissima sepiuntur lilia, ne quis illa possit surripere: sic sunt sepiendæ spinarum vallo, timore gehennæ, ac gloriæ cœlestis amittendæ aures nostræ, ne aliquot lasciuum aut detractorium verbum suscipiant. Quis, obsecro, serpentis sibilum & morsum non horret? lasciuiam ergo detractionémque horrere penitus oportebit, quæ serpentis sibilo ac morsu multo sunt periculosiores. *Simile.*

18. Porro os bene perpurgandũ, ab obscœnis, detractoriis ac verbis maledicis quæ Spiritum sanctũ cõtristare dicuntur. Quid enim horribilius quàm os, quod nobis à Deo concessum, vt eum laudemus, in euertendis adhibere sterquiliniis, & quod datum vt fratrem ædifices' illud in eius perniciem vertere, & quod cœlesti mensa fruitur, stercoribus pasci permittas? audi, audi tãtùm & tã indignũ scelus tibi exprobrãtẽ Chrysost. [Os, inquit, habes spiritale, obsignatũ Spiritu sancto: cogita quæ sit oris tui dignitas. Patrẽ vocas Deũ, & fratrẽ mox vituperas? Cogita, qua mensa dignatũ sit os tuũ, quæ cõtingat, quæ deguster, quo libo fruatur? perpẽde cum quibus tẽpore mysteriorũ astes, nempe cum Cherubim, cum Seraphim. Seraphim neminẽ vituperãt, sed vnus & idem vsus ora illorũ adimplet, nẽpe benedicendi & glorificandi Deũ. Quomodo potes ergo cum illis dicere, Sanctus, sanctus, sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris? Dic, quæso, si vasculo regio, quod semper cibos habeat regios, & ad illos ordinatũ sit, ad stercora ministrorũ quisquã abuteretur, an auderet istud cum reliquis ad eadẽ edulia deputatis stercore refertũ denuo reponere? nequaquã. At qui eiusmodi est quod fratrẽ accusas, quod vituperas (quod obscœna loqueris) itaque te ipsum sordidũ reddis & pollutũ. In cœlis consistis, cum Angelis conuersaris, osculo dominico dignatus es, tot ac tantis rebus os tuum adornauit Deus vtpote hymnis angelicis, cibo non tantùm angelico, sed & angelicã dignitatẽ superãte osculo suo, cõplexibus etiã suis & vituperas? & audes turpia maledica detrectoria ore tam sancto, ore *Os purgandum.*

Chrysost. in Mora. homil. 14.

Digitized by Google

Ysaiæ 6. Deo, Deiq; laudibus & cœlesti Eucharistiæ mensæ consecrato loquitò vtinã huiusmodi ora calculo illo charitatis ignito diuinitus attingantur, vt quæ anteà verborũ sordibus polluta, iã, sublato omni iniquitatis inquinamento, ita fiant diuini eloquij instrumenta, vt quos hactenus inquinatæ linguæ licentia inhonorarunt, iam summis efferant laudibus! quàm fœlix hæc cãnalium purgatio, quàm dulcis quæ ex limpido cordis fonte, detersis animæ venis salutari aqua exiliente, perficitur!

Caro purgãda.

19. Quoniã caro est veluti animæ officina, quæ in carne quasi figulus in luto format suarũ concupiscẽtiarũ & turpitudinũ idola, per quã ea peragit & cõsummat: nobis etiã purganda est, quæ nos etiã inquinare solet, lutea enim caro fœdis cõcupiscẽtiq; infecta turpitudinib. animã cõtaminat. Hinc Ambrosius, [inquinat (inquit) nos luteũ corpus, si ergo lutum est corpus oblinit nos vtique, nõ diluit, & inquinat animã intẽperantiæ sordibus: salutari ergo gratiæ aqua perpurgandũ, vt in nouitate vitæ ambulemus:] adeò caro nostra infectioni obnoxia est, vt mulierẽ tãgere nos prohibeat Apostolus, cùm ipse mulieris tactus, quasi contagiosus sit, de qua re pulchrè Hierony. [nõ dicit (inquit Apostolus) bonum est vxorem non habere, sed bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit, quod qui illam tetigerit non euadat: nempe quæ virorum pretiosas animas rapit, & facit adolescentium auolare corda: alligabit quis in sinu ignem & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis & non ardebit: quomodo igitur qui ignẽ tetigerit statim aduritur: ita viri tactus & fœminæ, sentit naturam suam & diuersitatem sexus intelligit. Narrant & gentilium fabulæ Mithram & Erichionium, vel in lapide, vel in terra, de solo æstu libidinis esse generatos: vnde & noster Ioseph, quia tangere eũ volebat Ægyptia, fugit ex manibus eius, & quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat abiecit:] Hinc Ecclesiasticus à luxuriæ peccato tanquam à facie colubri

ad Rom. 6.

Tactus mulieris periculosus. Hierony. l. 1. contra Ioui.

colubri fugere nos monet. [Quasi, inquit, à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa suscipient te:] si suggestiones diaboli, inquit, admiseris, neq; statim compresseris mordebunt te, & instar draconum deuorabũt, & in inferni barathrũ præcipitẽ dabunt. Fugite ergo ab hoc peccati genere, tanquam à facie colubri, vt sic caro ab his purgata fœdis suggestionibus, cum anima in cœlum alata volet. *Ecclesiasti. 21.*

Pedes purgandi.

20. Pedes etiam nobis purgandi, per quos animi affectus significantur. Aaron & filij eius manus suas ac pedes in labro æneo quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerãt in eo Thymiama Domino, ne fortè moriantur, lauabunt, inquit sacra scriptura: Si olim veteris legis sacerdotes ingressuri tabernaculum & altare accessuri, corporeos lauabãt pedes, quãto magis nouæ legis sacerdotes, qui quotidie Ecclesiæ tabernaculũ ingrediuntur, accessuri ad altare, vt in eo tremendũ illud corporis ac Christi sanguinis sacrificium æterno Patri offerant: & fideles laici, qui illi assistãt ac de eo participãt: si nó corporis, at certè animi pedes, affectus nimirũ & cogitationes abluere debẽt, quibus tanquã pedibus animus mouetur. Afferamus ergo omnes ad Ecclesiæ tabernaculũ & ad sacrum Christi corporis ac sanguinis altare mundissimos pedes, affectus scilicet & cogitationes ab omni inordinationis vitio alienas: afferamus & purissimas manus, opera nimirũ ab omni sordiũ inquinamẽto immunia. Terra enim in qua stamus sanctissima est, altare sanctissimũ, sacrificiũ omni stupore dignissimũ: quicquid ergo agere proponimus, cauẽdũ ne in cordib. nostris inordinatus illud disponat affectus, sed recta potius ratio, iubeat lex, & imperet diuina voluntas, quid agendũ, quid aptandũ, & quid cogitandũ sit. Nó nos amor immoderatus demẽtet, nó odiũ infatuet, nó desideriũ distrahat, nõ auersio turbet, non delectatio dissoluat, nó tristitia inquietet, nó nos spes ad alta sustollat, nec desperatio ad ima deprimat, nõ *Exod. 30.*

audacia temerarios, nec timor pusillamines efficiat: non ira succēdat, nec æstibus indignationis inflāmet. Sed hi omnes animi pedes, affectus inquam, quibus in vitiorū abrupta rapitur, sibilo gratiæ consopiātur, & virtutum funibus ligentur, vt sic perfectionis captiui effecti in eius obsequium solummodò moueā-tur, & si aliquando proteruè resistere aut sui iuris esse contendant, statim veluti vilissima mancipia, Domini increpationem, perfectæ scilicet virtutis, & flagellum ac mortificationis virgam suo tergori imminere sentiant, vt sic velint nolint animæ ad perfectionis iter cōsequendum subseruiant.

Isaiæ 1.

Manus denique purificandæ.

21. Manus denique nobis purificandæ ne nobis Dominus illud Isaiæ exprobret, manus vestræ sanguine plenæ sunt, [ac proinde quicquid oratis quicquid facitis, peccati sanguine inficitur, ac in cōspectu meo execrabile. Quis, obsecro, regē adiret veniam deprecaturus digitis sāguinē stillātibus regiæ prolis à se interfectæ? quomodo ergo nos peccati fœditate, tanquā sanguine aspersi corā cœlesti rege cōparere audebimus, stillantibus præsertim nostris manibus vnigeniti Dei filij sanguinē, à nobis per pec-

Gen. 4.

catū interēpti: si sanguis Abel effusus ad Deum vindictam clamabat, quanto magis filij Dei sanguis si tanti nos facinoris non pœniteat. Si Dauid à voce sanguinis Vrię vindictam cōtra se exposcenti exclamauerit: [Libera me de sanguinibus Deus.] id est, libera me à voce multi sāguinis Vrię qui à me iniustè fusus exclamat ad tē, & vindictā contra me exposcit: quomodo nos clamare oporteret, qui filiū Dei peccatis nostris, eiusq; gratiam, redēptionem, mortem & sanguinem quodāmodo conculcauimus, ne subita in nos irruat vindicta. Vt ergo eius sanguis per nos effusus melius clamat, quàm sanguis Abel & Vrię, clamet misericordiā non vindictam, clamet gratiā, non reprobationē: Isaiæ salutare sequamur consiliu: n[lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationū vestrarum ab oculis Dei, quiescite agere peruersè.] O

Psalm. 50.

Isaiæ 1.

quàm

quàm bonum consilium, vtinã deterſis peccati maculis cogitatione, verbo, & opere, mundi in cõſpectu Dei appareamus, ſic puras tollere manus, bonis operibus plenas, auderemus: vtinã nõ fatigemur animis noſtris deficientes, ſed fortes in bello cõtra peccatũ sẽper ſtemus, ne manus eo infectas, à ſe Deus repellat: recõgitemus, obſeero, conſideremus, expẽdamus multorum cõtra peccatum certamina quomodo cõſtantes in fide perſtiterunt, quomodo magno labore, magna præmia ſibi compararũt, quomodo parta victoria animoſiores ad pugnã redibant: ſic Clemens, Ancyranus, Athanaſius, Antoninus & alij frequẽtiũ victoriarũ ſibi conſcij promptiores ad noua ſemper redibant certamina, puras ad Deum manus pro gratiarum actione eleuantes. Quid ni ergo nos quorum vitam laudamus eorum etiam certamina contra peccatum imitemur: [Nõdum, inquit Apoſtolus, vſq; ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatũ repugnantes] recogitemus ergo Chriſti crucem, & mortem, recogitemus eius ſanguinem pro nobis in cruce effuſum, vt ſic corroboratis animis, pro Chriſto paritet non tãtùm bona, ſed & ſanguinem vitámque profundere cupiamus, dicamúſque cum Herminio: malo mori quàm inquinari peccato.] Si ergo hactenus peccato tanquam antagoniſtæ noſtro non reſiſtimus, in poſterum quaſi generoſi Chriſti athletæ ac animoſi milites firmiter proponamus in hoc cum peccato agone fortiter agere, & aut vincere aut mori. Proponamus nobis ob oculos ἀσπονδὸν πόλεμον, irreconciliabile ſanctorum bellum contra peccatum quo opera manuum noſtrarum penitus inficiũtur, & imitemur. Eudoxia Arcadij vxor dira minabatur ſancto Chryſoſtomo, cui à ſuis reſponſum eſt: fruſtra illum terres; Chryſoſtomus nil niſi peccatum timet. Theodoſio imperatori adulabatur Ruffinus, dicebárque ſe curaturum vt Ambroſius vincula ei iniecta ſponte laxaret. Cui Theodoſius: [noui ego conſtantiam Ambroſij. Et quod nullo regiæ maieſtatis terrore legem

Ad Hebr. 12.

Quanto in horrore ſancti peccatũ habuerunt.

Hæc pene apud Cornelĩ noſtrum cap. 12.

Digitized by Google

diuinam transgredietur.] Sanctus Ludouicus Rex edoctus à matre Blanca prorsus fixum gerebat in pectore, malle se mori quàm peccare. S. Edmondus Cantuariensis Archiepiscopus ait : [malo insilire in rogum ardentem, quàm peccatum vllum sciens admittere in Deũ meum.] S. Anselmus: [Si hinc & peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò vni eorũ immergi deberem, prius infernum quàm peccatum appeterem.] Quid ita? [mallem, inquit, purus à peccato gehennã intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere. Eleazarus ait, malle se præmitti in infernum quàm legem Dei transgredi. Et Apostolus, quis, ait, nos separabit à charitate Christi? Certus sum quia neque mors, neque vita, &c. Ethnici etiam solùm naturæ lumine edocti tanquam magnum malum semper peccatum euitarunt. Aristoteles, melius est, inquit, mori, quàm facere aliquid contra bonum virtutis. Papinianus iurisconsultus mori maluit, quàm iubente Antonino Caracalla Imperatore parricidium eius de occiso fratre Geta defendere, respondens ei non tam facilè parricidium excusari posse quàm fieri. Timon ille μισάνθρωπος rogatus cur ita omnes homines odisset [quia, inquit, meritò improbos odi : reliquos autem, quia improbos non oderunt. Sed & Publij Mimi dictum fuit [tolerabilior est qui mori iubet quàm qui malè viuere.] Et denique Seneca: [Licet, inquit, scirem homines ignoraturos, & Deum ignoscituru̇m, tamen peccare nollẽ ob peccati turpitudinem.] Est enim peccatum summum naturæ mũdíque malum, adeo vt nec homo, nec dæmon, nec Deus ipse tantum mali inferre possit homini, quantũ homo sibi ipsi infert dum peccat. Illi enim tantùm inferre possunt malum pœnæ, quod malo culpæ sine peccato longè minus est : meritò ergo Chrysostomus, [Quid est, ait, peccatũ? est voluntarius dæmon & spontanea insania,] à cuius fœditate oculi meritò, lingua, aures, os, caro, pedes, manus, & horum omnium

Anselmus l. de beatitudine.

Eleazarus 2. Machabeor. 6.

Rom. 8.

Aristoteles l. 3. Ethi.

omnium fons,cor nimirum,expurgãda,vt sic purificationis legi subiecti,qui purificatione indiguimus, diuinæ gratiæ aqua , ex septem saluatoris fontibus emanante, ex septem, inquam , sacris Ecclesiæ vasis oculis,lingua,auribus,ore, carne,pedibus,manibus, & corde ablutis , nos hodie cum primogenito suo æterno Patri tanquam perfectissimam,ac purissimam oblationem,purissima virgo offerat.

EXEMPLVM.

Victor Vticensis in persecutione Vandalorum.

Saturus Hunerici Regis procurator, qui ad Arianismum sollicitatus abnuit. Mox vxor timens familiæ euersionem,adductis liberis ad genua mariti aduoluitur,quem per omnia sacra obtestatur , misereatur sui & pendentis à lacte matris filiolæ, aliorúmq; pignorum:Deum condonaturum,quod nimirum ipse fecerit , cùm alij idipsum fecerint voluntarij: Quàm efficax hoc mulieris ad persuadendum illecebra ! sed tanto in horore hoc peccatum, ad quod infœlix fœmina maritum suum attrahere tentauit, sanctus vir habuit vt omnium rerum huiusmodi iacturam facere maluerit,quàm Deum offendere: Quare minaci vultu in vxorem conuersus : Tanquam vna, inquit, ex insipientibus mulieribus loqueris,reformidaremu ista mulier , si tantum huius vitæ dulcedo esset futura amara , in amissione rerum nostrarum : imo si tu verè diligeres maritum , nunquam eum tuis insidiosis blanditiis, in secundæ mortis exitium præcipitare conareris. Age. distrahant liberos , auferant vxorem, diripiant facultates, ego domini promissionum planè securus , verba in mente fixa tenebo : Si quis non reliquerit vxorem , liberos , agrum,aut domum,meus non poterit esse discipulus.] O animi fortitudinem ! ô peccati osorem!maluit omnia perdere,quàm Deum offendere, quare relictis omnibus hostium arbitrio,sese Deo puris sensibus purâ ab

omni peccato animâ in domum conſecrauit. Nam omnibus ſpoliatus, & multis ſuppliciis debilitatus, mendicus demum relinquitur, ſed à Deo aſſumitur in ſuam domum cœleſtibus ditatus diuitiis.

IN FESTO S. MATTHIÆ Apoſtoli,

Concio prima.

THEMA: *Cecidit ſors ſuper Matthiam.* Act. 1.

Sicut duo loca ſunt æternæ manſionis ſic duo hominum genera qui ad illa loca feſtinant. Rom. 8.

1 QVemadmodum duo ſunt æternæ manſionis loca, alter cœlũ, alter infernus: ſic duo ſunt hominum ordines, qui ad loca illa, iuxta merita, ac demerita feſtinant: alter prædeſtinatorum, qui ad cœleſtem properant beatitudinem: [quos enim præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.] Hoc eſt, quos æternus Pater, ab æternitate præcognouit, hos etiam prædeſtinauit, vt fierint conformes, ac ſimiles filio ſuo Chriſto, ſimiles, inquam, filiatione, vt ſicut ille filius Dei eſt natura, ita illi filij Dei eſſent adoptione. Similes etiam gratia, & gloria tum animi tum corporis. Hos itaque prædeſtinauit Pater, prædeſtinauit Spiritus ſanctus, prædeſtinauit etiã filius, vt ſimiles eſſent filio Dei. Inter cæteros verò quos præcognouit, vnus, haud dubiè, fuit Matthias, quẽ ad magnam gratiã, & gloriã prædeſtinauit, conformémque ſibi, & ſimilẽ Dei filiatione, gratia, laborib. officio, gloriáque effecit. Hinc ad æternæ manſionis, ac perpetuæ fœlicitatis locum feſtinãs, inter ſanctos ſortẽ obtinuit. Alter reproborum, quos ab hac Sanctorum ſorte, ſua culpa, vel aliena caſuros nouit, qui propterea à regno Dei excludẽtur, quod in peccato quocũque, ſiue originis, ſiue actuali finaliter ſint morituri, quæ eſt reproborum ſors; licèt enim Deus mortem

Prædeſtinationis ordo & prædeſtinatorum ſors.

Reproborum ſors.

noa

non fecerit, neque lætetur in perditione viuorum, ſed omnes potius ſaluos fieri velit, tamen improbi oblatam ſibi gratiam negligunt, ac proinde ad æternæ manſionis, ac perpetuæ infœlicitatis locum properant.

Similia quibus declaretur Deus peccatoris animum ſuæ gratia radiisque illuſtrare.

2. Quemadmodum enim Sol, quantum ex parte ſua, neminem ſuo lumine priuat; ſed omnibus, ſine exceptione, illud impertit; adeò vtis qui etiã in cubiculo eſt, feneſtris omni ex parte clauſis, ex parte Solis cenſeatur poſſe lumen recipere, licèt ita infirmus ſit, vt è lecto ſurgere, & feneſtras minimè poſſit aperire: ſic quoque Sol iuſtitiæ Chriſtus, vt ait Chryſoſtomus, illuminat omnem hominem, quantum in ipſo eſt. Quod verò huiuſmodi præ ſpiritalium virium debilitate, è peccati cœno ſurgere minimè poſſit, id eius malitiæ adſcribendum. Nam ſi Dei gratiæ pulſanti, ad cordis oſtium peccator aſcenſum præberet, eadem gratia adiuuante, è peccati lecto exurgeret. Quemadmodum enim, qui in cubiculo eſt, feneſtris ex omni parte clauſis, licèt ſeipſum illuminare non poſſet, feneſtram tamen aperire poſſet: quo facto, mox lumen reciperet: ſic, licèt in potentia hominis non ſit, peccati tenebras ex anima expellere, illíque fidei, ac gratiæ lumen infundere: eſt tamen in eius poteſtate, cum gratia præueniente excitatur, feneſtram remouere, quæ lucem intrantem impediebat: poteſt ſiquidem, diuina gratia opitulante, actum ſuum tollere, voluntarium ſcilicet diſſenſum à bono, & ad malum conſenſum, quo facto gratia in ipſum paulatim intrabit, peccatorúmque tenebræ diſpellentur.

Chryſo. ho. in 2. c. 1. epiſt. ad Timoth.

Sua obſtat conuerſioni peccator gratiæ oblatæ reſiſtendo.

Iudas reijcitur, & Matthias aſſumitur.

3. Sic quoniam Iudas, oblatum ſibi gratiæ lumen, penitus reſpuit, ac cordis feneſtras, inexpugnabili repagulo obſtructas, aperire noluit; abiit ipſe in locum ſuum, in tartari nimirum abyſſum, impiorum ſortem conſecutus. E contratio autem Matthias immiſſo cœlitùs lumini feneſtram aperiens Sanctorum, & Apoſtolatus ſortem adeptus eſt. Ecce quàm

inæ

inæqualis vtriusque sors! Matthias hodie vndecim annumeratus Apostolis, ille perfectam perfecti numeri duodecim Apostolorum vnionem violans, Apostolatus sui titulo penitus extincto, Apostata, nomen suum de libro viuentium delens, in mortis libro inscripsit. Matthias hodie locum Apostatæ Apostolus occupat: ille abiit in locum suum, in locum tenebrarum opertum æternæ mortis caligine. Matthias hodie cum Deo, ac Apostolis, nulla violãdum tentatione fœdus percussit: Iudas cum morte, ac inferno fœdus iniit, quod nulla potest reuocari arte. [Percussimus, inquit, fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.]

Isa. 28.

Cõcionis partitio.

4. Quatuor in hac concione de D. Matthia dicã, Primum, sortem aliam esse bonorum, alteram malorum. Secundum, cœlestem Matthiæ in Apostolum electionem. Tertium, ab orationis suffragio sine humano affectu electionis initium esse debere. Quartum, quomodo egregiè Apostolatus munere perfunctus sit. Sed prius Spiritus Sancti gratiam expostulemus, Virgine Maria deprecatrice, illámque solita Angeli salutatione, ad hanc nobis gratiam impetrandam sollicitemus. Aue Maria.

Primvm Pvnctvm.

Primum pũctum. Rom. 9.

5. Duplex hominum sors, altera bonorum, altera malorum. De vtraque Apostolus ait: [Iacob dilexi: Esau autem odio habui.] Sicut enim Esau, ab auita repulsus hæreditate, & Iacob ad illam electus est: sic quos reperit Deus, moribus ac vita Esau referentes, ab æternæ beatitudinis hæreditate excludit; illis, qui electi Iacob, vitæ, morúmque sanctitatem consequuntur, intromissis. Altera ergo peccati ac diaboli mancipiorũm sors est, quæ per spurium illum Esau significatur: altera verò gratiæ ac filiorum Dei, quæ per Deo dilectum Iacob demonstratur. Alterutram verò harum, licèt cuilibet eligendi

Duplex hominum sors, altera bonorum, altera malorum.

Digitized by Google

eligendi facultas detur, vt tamen Sanctorum sortem quisque eligat, Dei non deest auxilium, neque gratia, quibus si vti velit illam sine dubio cõsequetur: [Sortes ergo mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.] Harum verò electionem, in liberi arbitrij manu Deus esse voluit; vt alterutram pro cuiusque libertate possit eligere: ita tamen Dei ipsius manu temperatæ sunt, vt naturæ ipsius, quasi digito gratiâ illuminatæ vtra eligenda sit demonstretur, ac vtriusque sortis commoda, ac incommoda, præmia, ac pœnæ ob oculos nobis ponantur: [Stipendia, inquit, peccati mors.] Ecce præmium sortis impiorum! vbi D. Thomas stipendia mercedem esse militum asserit: Et quoniam peccatores peccato ac dęmoni militant, membra sua arma illis exhibentes, idcircò mortem appellari stipendium peccati, quam videlicet sibi seruientibus retribuit: [Gratia autem vita æterna.] Ecce præmium sortis Sanctorum! Sicuti ergo peccatum, ac diabolus æternam mortem, veluti stipendium peccatoribus, tãquam militibus suis soluunt: sic è contrario Deus iustitiæ seruientibus, æternæ beatitudinis, veluti militibus suis vitam tribuit. Hæc est illa iustitiæ corona, quæ licet nostris præcedentibus meritis reddatur, adeóq; iustitiæ corona dicatur, gratia tamen est, per quam, æternæ vitę stipendia promeremur, quæ quia gratis primũ nobis donatur, absq; vllo nostro merito (sub quod prima gratia (alioqui gratia non esset) minimè cadit) mera gratia est: vnde Aug. [Cũ Deus (inquit) coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm sua: nec enim frustrà Deo cantatur, misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me. Vnde & ipsa vita æterna, quæ meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupantur: Audi Apostolum; [Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in

Sap. 16.

Diuersa stipendia diuersa sorti respondentia.

Rom. 6.

D. Thom. ad Rom. 6. Simpl.

Aug. ep. 105. quæ est ad sixtum presbyt.

Ps. 58.

Ps. 22.

Christo

Digitized by Google

Christo Iesu Domino nostro.] Non dixit, stipendium autem iustitiæ vita æterna, sed gratia Dei vita æterna; Etenim si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est, & ipsa iustitia, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, id est, non solùm gratiam, qua nunc iustè in laboribus vsque in finem viuimus, sed etiam gratiam pro hac gratia, vt in requie posteà sine fine viuamus.] Sic ergo sortes has in sua Deus manu temperat, vt licèt in manu liberi arbitrij tui positum sit, alterutram acceptare, ipsa tamen naturæ lux ratio, gratiâ adiuta, sentit Sanctorum sortem præ altera eligendam esse.

In liberi arbitrij potestate est, alterutram eligere sortem.

6. An non singulare tibi præstaret beneficium, qui his sortibus in vrnam missis, digito tibi illam æternæ miseriæ sortem demonstrans, altero digito æternæ beatitudinis sortem eligendam signaret? Ecce sortes in vrna positæ æterni præmij, vel cruciatus indices! Ecce etiam Dominus, qui te monet, vt manum in vrnam mittas: dicens, tibi præelige quam malueris sortem, sed prius sortem gratiæ, æternæque beatitudinis, sortem etiam peccati, æternæque damnationis tibi demonstro, vt si gratiæ sortem eligere volueris, eam statim tibi porrigam: sin verò peccati, tantùm abest, vt eam tibi porrigam, vt potius à te recedens, permittam quidem illam à te eligi, vt electio non mea, sed tua sit: pœna verò indebitæ electionis æterna, à me, tanquam tanti sceleris vindice, te prosequetur comes: [Perditio enim tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium tuum:] quasi dicàt, ô Israël, tuæ perditionis, ac tuarum omnium calamitatum, tibi causa extitisti, non est ergo cur mihi succenseas: nam quod ad me attinet, ego seruare te volui, & omnibus in rebus tueri. Perditionis ergo nostræ authores nobis sumus, salutis verò Dei solius misericordia. Vnde illud Hieronymi, in eos qui neglecta sua salute, suæ perditionis authores sunt: vsurpare possumus: [Infœlix, & dignus maledictione perpe

Nostra à nobis perditio, salus à Deo, qui veluti digito Sanctorũ nobis sortem ostendit.

Osea 13.

D. *Hier. in illud Osea.*

Digitized by Google

perpetua, qui in tantùm impietatis descendit profundum, vt solius Dei saluetur misericordia, quo significatur nihil meriti esse in huiusmodi, vt saluus fiat, sed vetera merita nouis peccatis deleuisse.] Ergo meritò à sua Deus sorte eos excludit, qui sponte sua, peccata peccatis accumulantes, sese à Dei sorte separarunt, gratiámque sibi oblatam neglexerunt, quam tamen veluti ex vrna eductam sortem, Deus nostræ voluntatis arbitrio porrigere solet. Hinc meritò, ab sacro Apostolorum collegio Apostatæ illi, qui gratiam sibi oblatam contempsit, excluso, cœlestis ille vir Matthias suffectus est.

Secvndvm Pvnctvm.

7. Huius secundo loco cœlestem vobis ordinationem proponam. Sed vt hoc vobis palàm fiat, sciédum est, quandam esse à Deo immediatè in homines potestatem deriuatam, vt illa fuit olim Moysi ac Aaroni contributa, & modò Romano Pontifici: quandã aliam à Deo quidem esse, (à quo scilicet est omnis potestas) non tamen immediatè, sed vel successionis, vel electionis, vel alterius cuiusplam iuris titulo, ac beneficio hominibus obuenire. Apostoli quidem, vt palàm ipsa Scriptura docet, ab ipso Christo immediatè electi sunt, [Vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominauit,] Qui præ cæteris, vt ait Tertullianus, destinarentur magistri nationibus; Sicut ergo ab eo immediatè electi; sic etiam ab eo immediatè authoritatem acceperunt: [Pax, inquit, vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos: hæc cùm dixisset insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur, & quorum retinueritis retenta sunt.] Videtis ergo quòd sicuti Christus immediatè ad Apostolatus dignitatem hos euexit: sic illis etiam summam immediatè authoritatem tanto hoc officio dignam contulit. Nam, vt ait D. Thomas, [vnicuique dat

Quædam potestas à Deo immediatè, quædam mediatè.

Luc. 6.

Tertul. l. de præscr. c. 20.

Ioan. 20.

D. Thom. ad

Digitized by Google

Rom.8.ad illa verba: nos ipsi primitias spiritus habentes.

dat Deus gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur, (sic & etiam authoritatẽ.) Sicut homini Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc est electus, vt eius natura in vnitatem personæ diuinæ assumeretur. Et post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ beata Maria, quæ ad hoc est electa vt esset mater Christi. Inter cæteros autem ad maiorem dignitatem sunt electi Apostoli, vt scilicet immediatè ab ipso Christo accipientes, aliis traderent ea, quæ pertinent ad salutem, & sic in eis Ecclesia quodammodo fundaretur. Et ideò Deus eis abũdantiorem gratiam præ cæteris tribuit.] Licèt ergo Matthias, Christo iam in cœlo regnante, electus fuerit, ab eo tamen, interna quadam designatione, veluti digito designatus fuit: vnde licèt per sortem ad Apostolatum electione designatus fuerit, eadem tamen prærogatiua gratiæ, qua cæteri donati sunt, ornatum fuisse existimandum est.

Matthiæ electio ab oratione incipit.

8. Quomodo iam hæc sors in Matthiam diuinitus ceciderit pauliſper attendamus. Tanta fuit hæc Apostolatus dignitas, vt Apostoli ipsi alterum horum, Ioseph scilicet vel Matthiam, in loco Iudæ sufficere non auderent: sed ipsi Deo hanc electionẽ commiserint: [statuerunt ergo duos Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam, & orantes dixerunt: tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus.] Quàm bene ab oratione electionem incipiunt, magistri sui secuti vestigia, qui [post orationem (vt ait Theophylactus) elegit discipulos, vt doceat etiã nos, quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, præuiis precibus hoc facere, vt reuelet quis idoneus sit, iuxta illud Dei ad Samuelem dictum: Vnges quem monstrauero tibi.] Orauerunt ergo Apostoli, vt Deus demonstraret vter horum in locum ministerij Iudæ, ac Apostolatus adsciſceretur. Quemadmodum enim tenuia fila, licèt per se singula, ingentem trabem trahere nõ pos-

Theophylac. Luc.9.

1.Reg.16.

Simile.

scen

sent, vnita tamen, & in funem contexta, facilè trahent: sic singulorum oratio, licèt seorsim rem aliquã magni momenti impetrare non possit, coniunctis tamen amoris & charitatis vinculis, omnium simul adunata oratio facilè petita impetrabit: sic in vnum coniuncti Apostoli, cum discipulis, quorum cor vnum, & anima vna, cœlestem hunc virum Matthiam in Apostatæ Iudæ locum adsciscì impetrarunt.

Hinc colligitur Petrus Ecclesiæ caput.

9. Exurgens itaque Petrus, tanquam caput Concilij, Christique Vicarius in terris: [Vide, inquit Chrysost. quàm se ostendat principem in Apostolorum choro, vbique primus loquitur, & meritò: ei enim dictum fuit: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: Viri (inquit) fratres, oportet impleri Scripturam.] Ecce quomodo, vt doctor Ecclesiæ, ex authoritate Scripturam explicat, & Psalmũ 108. de Iuda scriptum ostendit, dicens: [Scriptum est in libro Psalmorum: Fiat commoratio eius deserta, & Episcopatũ eius accipiet alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati, vnum testẽ resurrectionis eius nobiscum fieri.] Et statutis duobus Ioseph & Matthia: [Orantes dixerunt, tu Domine, qui corda nosti omniũ] tu, qui stateram iustam manu tenes: tu, qui corda, & renes perspicaci oculo scrutaris: tu, apud quem non est personarum acceptio: tu, cuius est Ecclesiæ tuæ fundamentum stabilire, elige ex his duobus alterum, non quem nostèr fortè affectus eligendum iudicaret, sed quem rectus iustitiæ tuæ oculus huic loco iudicauerit ascribendum. Non enim ignoramus olim à te reiectum, quem tamẽ Samuel regni clauo dignum iudicauit, [ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ apparent, Dominus autem intuetur cor.] Interna itaque designatione Dauidem illi indicauit, ad regni gubernacula eligendum: sic interna etiam designatione

1. Reg. 16.

Digitized by Google

Matthias à Deo Apoſtolus declaratus eſt, ſed ſine vllo Iuſti Ioſeph præiudicio, at potius vt ſingulare nobis documentum relinqueret, non eſſe nimirū in electionibus patentelæ,aut cognationis habendá ratione.Hinc fortè deſtinato Dei cōſilio factum eſt, vt Matthias præ Ioſeph eligeretur,non ob præclaræ vitæ,ſanctitatis,aut morum defectum in Ioſeph,cuius ſanctitas adeò enituit,vt Iuſtus cognominaretur, ſed quia Chriſti erat cognatus : quippe ex Cleopha eius matertera progenitus.

Act 1.p. hiſt. Petrus à Natal. in catalo. Ludol. de vita Chriſti & alij.

10. Huiuſmodi etiam olim exemplum nobis propoſitum fuit.Cùm enim Moyſes terræ promiſſionis ducem eligere inſtitueret, inſtinctu quidem diuino,principatum hunc,nō vni ex filiis ſuis,aut ſanguine ſibi iunctis, ſed Ioſue ex aliena tribu prognato tribuit:[Tolle(inquit)Ioſue filium Nun,virum in quo eſt Spiritus Dei.] Sed nos, proh dolor!tantùm abeſt,vt in electione ad principatum, virum, in quo eſt Dei Spiritus,expetamus,vt etiam ſæpè indignum loco,aut officio, ſi inde aliquid vtilitatis , aut lucri ſpes nobis effulgeat, digno præponamus, quo quid deteſtabilius?Noluit Salomō vel vnam quidem trabem ex ſuis ſyluis in domo Domini poni , ſed ex alterius dominio , è monte nimirum Libano , omnia adduci ligna voluit, quo docemur ex iis potius,qui digniores ſunt , licèt alienigenæ, eligendos,quibus domus Domini tanquam trabibus ſuſtentetur,Eccleſia nimirum, quàm ex cognatis aut familiaribus, qui potius Eccleſiæ domum euerterent quàm ſuſtentarent : Cùm voluiſſet Dominus ſummum inſtituere Sacerdotem, nobis indicauit virtutum potius, morum ac ſanctitatis rationem habendam quàm cognationis, familiaritatis,aut nobilitatis. [Quem, inquit,ex iis elegero germinabit virga eius.] Aaron itaque electus,cuius virga germinauit , turgentibus enim gemmis eruperant flores , qui foliis dilatatis , in amygdalas deformati ſunt. Ecce virgæ germinatio , diuinæ electionis ſignum , ille itaque eligen

In regimine ac promotione bonæ vitæ potius quàm cognationis ratio habenda.
Num. 17.

1.Reg.5.

Num.17.

eligendus, ad Eccleſiæ vel reipublicæ principatum, cuius vita foliis, floribus & fructu abundat: foliis itaque, id eſt, verbis, ſcientia & doctrina plenis: floribus, id eſt, bona exiſtimatione, fructu, hoc eſt, bonis operibus illius vita eniteat, qui ad principatum eligitur. Scientiam verò ac doctrinam in eo, qui Eccleſiæ præeſt, neceſſariam eſſe nemo dubitat. Hinc enim Dominus in ſummi Sacerdotis pectore hoc elogium ſcriptum eſſe voluit: [Doctrina & Veritas.] Sicut enim auis ſine pennis volare non poteſt, & nauis ſine velis ad deſtinatum nequit portum attingere. : Sic Eccleſiæ prælatus ſine doctrina, & veritate ſuo fungi munere nequit. Quare pulchrè animaduertit Cyrillus in Leuitico: ideò nullam, cùm de peccatis Prælati agitur, ignorantiæ mentionem fieri, quia tanquam certum ponitur, nullam in eo ignorantiam eſſe, quandoquidem fuit, vt cæteros erudiret, electus. Vnde Spiritus Sanctus iis præcipuè qui cæteris præſunt: [Erudimini, ait, qui iudicatis terram.]

Exo. 28.

Simile.

Cyril. l. 2. cõment. ſuper Leuit.

Pſ. 53.

11. Qui ergo verum paſtorem eligere optant, ſine acceptione perſonarum eligant: Videmus enim Chriſtum, præ cognatis ſuis Iacobo, & Ioanne, cæteriſque Apoſtolis, Petrum ſub ſe Vicarium conſtituiſſe, ex ratione ergo, non ex affectu omnis electio fieri debet: Hinc D. Thomas, electionem ad homines, non ad bruta pertinere ait: hæc quippe ad vnum tantùm particulare determinata ſunt, cùm ſolo ſenſitiuo appetitu ferantur; hómines verò qui libera voluntate ducuntur, non tantùm bonum particulare, ſed bonum etiam commune ſpectant, quod in electione, præ bono particulari præferendum. Refert Gloſſa ordinaria, quòd cùm Alexander Magnus morti proximus eſſet, ſciſcitantibus quemnam ſibi vellet in imperio ſuccedere, reſpondit: digniorem qui in eo inueniretur, & licèt filium habuerit Herculem, & fratrem Ariden, & vxor eius grauida eſſet: ſcelus tamen magnum eſſe exiſtimauit, eorum

Non ſit acceptio perſonarum in electione.

D. Thom. 12. q. 13. ar. 2. & 2. ſent. d. 25. ar. 1. ad Sextum.

Gloſſa ſuper l. 1. Macha. c. 1. & Iuſtinus li. 12.

Digitized by Google

aliquem in regno ſuccedere, ſi eo eſſet indignus : Si ergo Ethnicus hoc ſenſit, multò magis Chriſtiani. Qui ex gemmis, quibus euanidæ ac falſæ permixtæ ſunt, pretioſiſſimam eligere cupit, non noctu, ſed clara diei luce illas diſpicit : ſic clariſſima adhibenda lux eſt, cùm pretioſiſſimus Eccleſiæ fundamenti lapis eligendus. Hinc Apoſtoli orantes : [Oſtende, inquiunt, Domine, qui corda noſti omnium, quem elegeris, ex his duobus accipere Apoſtolatus locum, de quo præuaricatus eſt Iudas.] Cœleſte itaque lumen expetunt, quo clarè videre poſſint, quę ex duobus Deo placeat eligi, & ſtatim ſors cecidit ſuper Matthiam. Sortem verò hanc Dionyſius, Auguſtinus & Origenes ſplendorem quendam cœlitus emiſſum eſſe exiſtimant: Et quemadmodum, inquit Origenes, ignis ille cœlitus miſſus ſacrificium Abel aſſumpſit; & taurus quem Helias ſacrificauit ſors vocabatur, ſic fulgor ille, qui in Matthiã cecidit ſors etiam vocatur. O fœlix Matthia, ſi vnum ex cœleſti Eccleſiæ cœlo aſtrum cecidit, vt cœlum ſuo decore non priuaretur, in fulgentiſſimum aſſumptus es aſtrum! Quemadmodum enim ex aſtris, cùm aliqua occidunt, alia ſtatim oriuntur : ita vbi ex duodecim fulgentibus Apoſtolorum ſideribus, vnum decidit, & extinctum eſt, aliud ſtatim eius loco ſufficitur. Fœlix ergo es, ô Matthia, qui hodie à Deo vnctus es ſuper hæreditatem ſuam, in principem, vt liberes populum eius de manu inimicorum eius, qui in circuitu ſunt : hoc enim Apoſtolatus tui munus, vt de manu diaboli Dei populum liberes, & ita animarum lucris inhies, vt nihil tibi magis ſit in votis, quàm earum ſaluti ſtrenuè incumbendo, omnes illarum, qui in circuitu ſunt, inimicos debellare : [Ille (inquit Gregorius) officiũ vnctiõnis exequitur, qui ſola quærit lucra animarũ. Super hæreditate quippe Domini in principẽ ſe vnctum meminit, qui hoc ſolũ de terrena dignitate quęrit, quod per ſuũ miniſteriũ Chriſtus quæſiuit, videlicet animas.] Ecce eligẽdi modus.

Simile.

Simile.

1. Reg. c. 10.

Greg. in cõm. l. 1. Reg. c. 10.

TERTIVS

TERTIVM PVNCTVM.

12. Si ab huiusmodi electionis modo, orationis suffragio subnixo, omni humano affectu & cognationis penitus sublato, diuinæ voluntati ac reipublicæ desiderio satisfacere contenderemus, quod tertio loco dicendum mihi proposui: si, inquam, nostræ electiones initium sumerent, non sic sursum ac deorsum omnia in republica ferri videremus, non tot calamitates ex malo regimine inuectas, non tot perturbationes in priuatas etiam domos, atque adeò in cuiusque animum irruere intueremur. Hinc fit, quòd neglecta à nobis Spiritus Sancti electionis ratione, sicuti initium non à Deo, sic etiam progressus & finis non aliò sæpè tendant, quàm ad reipublicæ perniciem, ac priuatarum domorum perturbationem, propriarúmque animarum internecionem: [Prouideat, inquit Moyses, Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudiné hanc.] Quid agis Moyses (ait Origenes) nunquid filij tibi non sunt, Gerson & Eliezer? aut si aliquid de illis dubitas, non sunt filij fratris magni & egregij viri: quomodo non oras Deum pro ipsis, vt eos constituat populo duces? sed discant Ecclesiarum principes successores sibi, non eos qui consanguinitate generis iuncti sunt, neque qui carnis propinquitate sociantur testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum, sed referre ad iudicium Dei, & non eligere illum, quem humanus commendat affectus, sed Dei iudicio totũ de successoris electione permittere.] Ecce quomodo tum ex Matthiæ electione, tum ex Moysis in diuinam voluntatem resignatione, ad aliquem populo idoneum præficiendum, neque carnis, neque sanguinis rationem habere, sed omnia ex Deo & ratione metiri discimus.

Omnia mala in remp. inuecta ob bonæ electionis neglectum.

Num. 27.

Orige. ho. 22. super Num.

13. Ex hoc etiam electionis modo, neminé sese ad electionem ingerere debere demonstratur, iuxta illud Apostoli: [Nemo sumat sibi honorem, nisi qui vocatur tanquam Aaron.] Matthias enim

Nemo se electioni ingerat.

Heb. 5.

Digitized by Google

& Iuſtus Ioſeph, ad hoc grande Apoſtolatus munus, nulla ſeſe ratione adſciſci procurarunt, probè intelligentes, hoc ipſo, quo quis honorem ambit, eo ipſo huiuſmodi honore indignum eſſe. Superiores enim ac Eccleſiæ Prælatos, tribus excellere virtutibus oportet, cùm totius veluti orbis cura ipſis incumbat. Has virtutes Prælatis neceſſarias in baſibus templi Salomonis leones efformati, boues & Cherubim nobis repræſentant, vti beatus Gregorius interpretatur, qui hunc locum de ſacerdotibus moraliter exponit: quippe qui baſes ſunt & Eccleſiæ columnæ, quos proinde leonum habere oportet inſculptam fortitudinem: leo ſiquidem fortitudinis ſymbolum eſt, iuxta illud Iudicum: [Quid fortius leone?] boum patientiam, manſuetudinem & laborem nemo ignorat: ſicuti enim leo fortitudinis eſt ſymbolum, ſic bos laborum: vnde reperto bouis capite in Carthaginis fundatione omen inde laborum acceptum eſt: Cherubinorum proprietatem ſcientiam eſſe conſtat. Cherubim enim ſcientiam ſignificat. Has verò virtutes Cicero imperatorias vocat, quas in Eccleſiæ Prælato reperiri oportet: [Hæ ſunt, inquit, virtutes imperatoriæ: labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo.] Et Gregorius: [Quid aliud (ait) ſignificant baſes niſi ſacerdotes, qui more baſium ſuperimpoſitum onus portant, in baſibus Cherubim exprimunt: quia decet, vt ſacerdotum pectora ſcientiæ plenitudine ſint referta, per leones terror ſeueritatis, per boues patientia manſuetudinis figuratur:] Quis ergo honorem ſibi ſumere audebit, ſi his careat virtutibus. Iis verò carere qui ſeſe ſponte ſua tanto ingerunt oneri comprobantur: vtinam huiuſmodi hodie honoris competitores inueniantur, his fulgere virtutibus! ſanè tantùm abeſt, vt ad tantum honoris faſtigium properarent, vt potius eius mole quaſi oppreſſi, humillima in Eccleſia miniſteria affectarent, ſéque omni indignos honore, ac dignitate exiſtimarent. O quàm ſincera

3. Reg. 7. Tres virtutes ſuperior habere debet fortitudinẽ, patientiam & ſcientiam. Iudic. 14.

Cice. in oratione pro lege Mani.

Greg. homil. 17. in Euang.

Digitized by Google

cera sic ac integra in republica vigeret disciplina! sed heu! tantùm abest, vt his virtutibus, huius temporis competitores sæpe exornentur, vt potius, omni exuti virtute, indocti, incauti, insipidi, omni se honore dignos existiment, non vt rempublicam promoueant, sed vt priuatis suis studentes commodis, Christi oues deglubant: quibus Dominus per Ieremiam prophetam horribile vę interminatur: vę pastoribus, qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ.] *Ieremiæ 23.*

Indignos ad honores euehi lugẽdum. Ierem. 14.

14. Rem stupore plenam, ac sanguineis deplorandam lachrymis Ieremias vidit, onagros nimirum in rupibus stare: [Onagri (inquit) steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones.] O rem admiratione dignam! homines asinis stolidiores, in summo honoris fastigio collocatos videre! ô rem execrabilem! indoctos, rudes, insipientes doctis, eruditis, sapientibus præsidere! heu! onagri stant in rupibus, & veluti alis accincti sese librant, ac insolito volatu honorum pinnacula attingunt! non mirarer viros doctos, probos, liberales, teneræ conscientiæ, libratis honorum alis, ad suprema gloriæ culmina ascendere, ac in dignitatum rupibus consistere: sed onagros in rupibus stare, & ventum trahere, quasi dracones; penitus obstupesco! sed ô quis illam honoris gemmam, quam, draconis assumptis alis, compararunt, ab eorum frontibus mihi euelleret? Aiunt enim de frontibus draconum gemmas erui, hanc asini isti, in horum rupibus stantes, è draconum frontibus auulserunt, vt de serpente cultiores fierent, suisque capitibus ornamenta struerent, quibus asini stoliditatem occultarent. Sed huiusmodi lapidem viuenti draconi abscindi debere Rhenanus asserit, alioqui gemmescere ob inuidiam animalis, mori se sentientis nequaquam potest. Auellenda itaque illis est adhuc viuentibus gemma, vt ea spoliati, onagri natura sub hac gemmę pulchritudine, abscondita, omnibus innotescat, & sic *Tertull. l. de habitu mulierum c. 6.*

à tanti honoris rupe in præcipitem acti ruinam, ſuæ temeritatis, ac arrogantiæ pœnam dantes, in ipſo lapſu, ſuo ſe ruditu prodant. O ſi hæc in Republica de eligendis ſuperioribus cura, ac ſollicitudo vigeret, qua quilibet ad excelſa honoris faſtigia conſcendere prohiberetur, niſi tribus illis virtutum ſplendoribus coruſcaret, vel ſi aliquando ſumptis aſtutè draconis alis, quiſpiam ſenſim irrepens ſcandat, ac emendicata honoris gemma, in ſpeciem, fulgeat, detecta tandem onagri nátura (magiſtratus enim virum arguit) tanto indignus loco inde deturbetur, digniſſimo in ea dignitatis rupe collocato, vti factú in Matthia videmus, qui depulſo impio, auaro, ac indigniſſimo Iuda tribus illis Imperatoriis virtutum ornamentis apprimè inſtructus, ad Apoſtolatus culmen digniſſimus, ſufficitur.

Tres illæ virtutes in Matthia reperiuntur.

15. Sed videamus quomodo hæ virtutes in Matthia, in ſummo veluti gradu reperiantur. Imprimis leo erat animi magnitudine, ac mentis robore, quippe qui generoſo animi impetu incitatus, extrema quælibet, Chriſti gratia, pati nihili duxit. Nam vt auctor eſt Vſuardus, dum in Palæſtina ac vniuerſa Iudæa diuini verbi ſementem, magno cum animarum emolumento, facit, Domino eius cœpta, ſequentibus prodigiis, ac ſignis confirmante: Ecce in eum ſtatim inſurgunt cœleſti rebelles lumini, ac in ſuis pertinaces erroribus, quidam Iudæi, eumque ad ſummum adduxerunt ſacerdotem, de religionis dogmatibus inſtanter accuſantes, quorum criminationibus, ac calumniis Chriſti Apoſtolus occurrens, animosè reſpondit: perperam nimirum ſe accuſari, ob id tantùm, quòd Chriſtiano nomine gloriaretur, illáque dogmata huiuſmodi reſpondentia nomini doceret, quæ adeo ſalutaria eſſent, vt ſine illis æterna ſalus minimè ſit ſpectanda. Quo audito ſummus Sacerdos certum condixit illi tempus, vt diligenter ſecum perpenderet, an in Chriſti fide, ac confeſſione, Moyſis legibus, in quibus, ab ineunte ætate enutritus

fuit,

Digitized by Google

fuit,spretis, perseuerare vellet. Cui Apostolus, forti animo replicat, sibi nulla opus deliberatione, cùm viuere, ac mori in Christi fide,ac professione omnino decreuerit,vitámque ac sanguinem, in illius defensione profundere, paratus sit:quo audito responso, summus Sacerdos, mortis sententiam in ipsum tulit huiusmodi, vt lapidibus obrutus, capite diminueretur,quod & factum est. Quod verò ad instar bouis inuicta mansuetudinis patientia semper laborauerit Dorotheus Tyri Episcopus,qui Constantini Magni tempore vixit,fidem facit. Nam,ait,sanctum Matthiam mirabili studio, ac animi contentione Christi Euangelium inter Barbaros in interiori Æthiopia prædicasse,&,vt ait NicephorusCalixtus, tanto labore in Æthiopia diuini verbi semen iecit, vt non contentus fuerit, Æthiopiæ agrum diuinis eloquij imbribus fœcundare:sed ita,ab vna in aliam regionem per deserta,quæ feris tantùm bestiis habitacula erant, volabat, vt miraculo omnibus esset. Denique Cherubinorum scientiam ita assecutus est, vt,Vsuardo teste,doctrina sua, ac vitæ sanctimonia, ac miraculis,plurimos Christo pepererit. O vtinam huiusmodi sint in Ecclesia semper prælati, qui Matthiæ affectarent imitationé!Vtiná fortes sint,Ecclesiæ aduersariis resistendo! vtinam quæ sursum sunt, quærant, & non quæ sunt super terram! sic sese ad honorum culmen, non humano aliquo affectu, sed diuina designatione euocatos intelligerent.

QVARTVM PVNCTVM.

16. Audistis quænam sors in Matthiam diuina approbatione ceciderit, iam quarto loco,quomodo Apostolatus munere egregiè perfunctus sit, vsque ad extremum vitæ spiritum audiamus.Sicuti cæteri Apostoli sibi delegatá prouinciam animosè curarũt: Sic Matthias sibi etiam oblatam alacriter excoluit, vt sic Ecclesiæ longè latéque per vniuersum orbem diffusæ,

Vt non deesset Ecclesiæ cœlo duodecimum si Matthias electus.

Digitized by Google

diffusæ, Euangelij lumen non deesset. Nam sicuti cœlum duodecim præ cæteris clarissimis illustratur sideribus, quæ in mulieris amictæ sole corona duodecim stellarum redimitæ adumbrantur, sic Ecclesiæ cœlum vndecim fulgentibus coruscum sideribus, duodecim cœlesti amisso lumine, vt nusquam illi lumen deesset, duodecimum Deus præparauit, quod loco noxij illius cometæ, qui ab Ecclesiæ cœlo decidit, constitueretur. Hoc itaque spectabile sidus, Matthiam, in sua collocauit statione, vt Ecclesiæ solis cursus omnimodo perfectus esset. Nam quemadmodum materialis solis cursus perfectus esse non potest, nisi duodecim signa Zodiacum perambulent: sic Deus, vt Ecclesiæ Zodiaco nullum desit signum, hunc Arietem Matthiam, licèt electione vltimum, inter tamen Zodiaci signa primum, collocari voluit, cùm illi illa prouincia Iudæa & concaua Syriæ, quibus dominatur Aries (vt auctor est Gregorius Venetus) obtigerit, qui eleganter duodecim Apostolos cum duodecim signis Zodiaci comparat, docétque idcirco singulos, in illis partibus prædicasse, quæ eiusmodi signis suppositæ sunt. Ait enim constitui ab Astronomis in cœlo quatuor trigonos, siue triangulos, quorum primus, inquit, est trigonus Orientalis subiectus Geminis, Libræ & Aquario: atque hunc trigonum pertinere ad Simonem, Bartholomæum, & Matthæum. Simoni enim obtigit Ægyptus, quæ est assignata Geminis, Bartholomæo Bactriana regio, Lycaonia & Armenia Libræ subiectæ; Matthæo Æthiopia, quæ subiecta est Aquario. In secundo trigono meridionali, qui assignatur Tauro, Virgini, & Capricorno, prædicarunt Andræas, Iudas, Thadæus & Thomas. Etenim Andræas prædicauit in Achaia, & Græcia, quæ supponuntur virgini deinde transiuit ad Thracas, & Byzantios, quibus Saturnus & Capricornus dominantur, Thadæus in Perside, & Mesopotamia, partibusque superiorib. Ponti: at Persis Tauro subiicitur. Thomę obtigit

Gregorius Venet. in sua harmonia mundi cat. 2. tom. 7. à cap. 8. vsque ad 12.

Duodecim Apostoli cum 12. Zodiaci signis conferuntur.

obtigit India superior, Brachmanes quoque & Hircani Capricorno subiecti. In tertio trigono occidentali, cuius imagines sunt Pisces, Cancer, & Scorpius, prædicarunt Iacobus minor, Ioannes & Philippus: etenim Philippo obtigit Syria Scorpioni attributa. Ioannes post Palæstinam, in Asiam minorem commigrauit, peragrauitque Ioniam, & in præcipua eius vrbe Epheso, tanquam in sui Patriarchatus Metropoli morabatur. Itaque totam minorem Asiam lustrauit, in quam dominatur Cancer. Iacobus minor fuit Episcopus Hierosolymitanus, quo conuenerunt illi, qui erant ex Cilicia & Pamphilia, vt refertur in Actibus, quæ regiones à Piscibus aspiciuntur. In quarto denique trigono aquilonari, cuius imagines sunt Aries, Leo, & Sagittarius, concionati fuerunt Matthias, Petrus & Iacobus maior. Nam Matthiæ obtigit Iudæa, & concaua Syriæ, quibus dominatur Aries. Petrus concionatus est in Italia; præcipuè verò Romæ, quæ à Leone regitur; Iacobus maior in Hispania, Celtica & Arabia fœlici, quæ Sagittario subiiciuntur. Ex quibus manifestum efficitur, quanto iure duodecim Apostoli, cum duodecim signis Zodiaci conferantur. Siquidem ipsi quoque fuerunt in Ecclesiæ cœlo duodecim signa, in quatuor trigonos, per Euangelij prædicationem, distributa. Hic ergo ne aliquod Ecclesiæ cœlo signum deesset, vno dilabente, alterum scilicet Matthias substituitur. Vtinam huiusmodi sors nobis etiam obtingat, vt licèt ad Apostolatus dignitatem non assumamur, saltem vnusquisque pro modulo suo suæ inuigilet curæ, vt sic ad sortem filiorum Dei, cum Matthia hodie assumeremur! Vtinam sicuti ille hodie nouus Apostolus vndecim, vt violatam, ab Apostata, vnionem redintegret, ascriptus est: Sic nos mente, ac corpore renouati, vnionem, quæ inter nos, & Deum per gratiam aliquando fuit, recuperemus, ac in Dei seruorum numerum adsciscamur. Ille noua ornatur Apostoli gratia: vtinam & nos, noua etiã hodie discipulorum gratia, *Act. 1.*

gratia, poliamur. Matthias nouo ac cœlesti spiritus sancti igne incensus, tanquam nouum ac fulgentissimum astrum, Ecclesiæ cœli astris, annumeratur, vtinam & nos eodem inflammati igne, inter stellas saltem, hoc est, inter Ecclesiæ viros sanctos, ac pios annumeremur! Matthias Apostatæ Iudæ sublimi constituitur loco, diuina electione, vtinam & nos, diuina etiam electione, per gratiam hodie, inter Dei electos, & postea per gloriam, Apostatarum Angelorum locum occupantes, referamur, vt cum Apostolo dicere possimus: [Gratias agimus Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.] O quàm fœlix huiusmodi sors! O vtinam ex diuina inscrutabilis abyssi vrna, tam fœlix sors, singulis obtingat, vt translati à peccatorum tenebris, Dei tandem regnum consequamur.

Col. 1.

EXEMPLVM.

Cæsarius Arelaten. Episcopus.

17. Stanislaus filius Regis Poloniæ fugiens à suo patruo hæretico, sub cuius cura fuit ne eum in hæresim traheret, Romã venit, & osculatis de more summi Pontificis pedibus collocatus fuit apud quendam nobilem virum Patricium, cui fuit filius Iulius nomine. Hi verò adolescentes adeo sese inuicem adamabant vt simul semper dormirent, simul orarent, simul comederent & luderent. Quodam tempore à leuioribus adolescentibus inuitati, vt aliquid temporis recreationi, musicæ, ac voluptatibus darent: renuente Stanislao Iulius cum illis abiit, & ad insignem adductus est hortum, dumque animum laxaret, pulcherrima sese illi obtulit matrona Hortensia nomine, & coniectis vtrimque in se inuicem oculis, mutuo se vulnere letaliter sauciarunt, & nacti opportunitatem, illicitæ vacarunt libidini. Quare Iulius sui oblitus omni pietati nuncium remittens, nobili suo socio, patre, ac matre derelictis, abiit cum scorto in aliam regionem, vbi ad instar filij prodigi

prodigi luxuriosè vixit, omnibus verò dilapidatis ad ſumminam redactus pauperiem in grauiſſimum incidit morbum, nihil minus quàm de anteactæ vitæ inſolentíſque animi noxis cogitans, pœnitentiam agere. Hortenſia verò, eo perſiſtente pernaciter in lubricæ vitæ propoſito, ſeria pœnitentia impulſa, Romam rediit, ſéque ad Pontificis pedes proiiciens, ſuam agnouit culpam, & accepta trium annorum pœnitentia, ſeſe ad deſertum magna cum doloris ſignificatione, lachrymis obortis contulit. Quare intellecta nobilis ille Patricius Iulij pater, accerſiri iubet filium, qui tandem æger delatus Romam ingraueſcente indies morbo ad pœnitentiam minimè potuit adduci, patre ad illam & ſocio eius Staniſlao inſtigantibus. Quare cùm omnia in caſſum adhibuiſſent, ad extremum Staniſlaus ad Crucifixum, quem ſæpius in die adorabat, recurrens, obnixè rogat pro ſalute ſocij: cui Crucifixus, ſine me, inquit, fili niſi ille velit reſipiſcere, ſtatim graui eum pœna mulctabo. Quare detractis è clauorum loco manibus Crucifixus miraculo ad ægrum acceſſit grauem ac vehementem ad ægrum habuit ſermonem, propoſitis inferni pœnis niſi reſipiſceret: ſed cùm fruſtra verba faceret, commóſtratis illi tandem plagis quas eius gratia ſuſtinuit, cumque ille nihilo ſecius moueretur ad pœnitentiam inſtituendam, lateri adhibita manu pugnum ſanguinis ſui plenum in eius faciem coniecit, in ſignum pertinaciæ ac perfidiæ inclamans, ſanguis meus tecum ſit in perditionem. Quo dicto Iulius miſeram animam in infernum euomuit. Ecce quàm diuerſa hæc ſors Iulij & Hortenſiæ, ſicuti Iuda impœnitente in inferni abyſſum præcipitato, Matthias ad cœleſtem gloriam promouetur: ſic Iulio in ſcelere pertinaciter perſeuerante, in Orcum præcipitato, Hortenſia pœnitentiæ adminiculò ad cœleſtem gloriam tranſuolauit.

DE SACERDOTIO,

Concio.

THEMA: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis.* Matthæi 16.

Magna sacerdotis dignitas & priuilegium.

1. IN Principum, Regum ac Imperatorum palatiis magna dignitas, singularis potestas ac Regium priuilegium est, accessum subinde ad secreta eorum cubicula habere: vnde ex summo fauore ac gratia Principibus viris argentea vel aurea traditur clauis, vt illis aliquando liceat Regale ingredi cubiculum. Sed si hæc potestas cum nouæ legis Sacerdotum potestate conferatur, nullius momenti esse reperiemus. Nam quæ collatio potest esse inter terrenum Regem & Omnipotentem Deum? quæ inter Regium cubiculum & cœleste illud omnium Sanctorum domicilium? quæ inter argenteam aut auream clauem principibus traditam & diuinam illam infinitæ potestatis clauem Sacerdotibus commissam? quæ inter terreni Regis & sanctissimæ Trinitatis cubicularium? cùm qualibet hora, & quouis momento, liber Sacerdoti in infinitæ gloriæ palatium accessus pateat, sibi tradita non argentea aut aurea, sed cœlesti ac veluti omnipotenti potestatis claui, qua non vnius tantùm Regis cubiculum sed tot Regum domicilia, quot in cœlesti illo palatio sancti sunt atque adeo ipsum augustissimæ Trinitatis conclaue possit aperire. Sacerdoti enim dicitur: [Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcun

quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

2. Has Eccleſiæ claues, quas penes ſe Deus in lege naturæ ac veteri ſemper habuit, iam olim cœleſtis pater filio ſuo homini futuro ſe traditurum pollicitus: [Dabo, inquit, clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet & non erit qui claudat, & claudet & non erit qui aperiat] hoc eſt: dabo filio meo carne aliquando circundãdo ſupremam in Eccleſiæ domo poteſtatem vt quęcunque ſtatuerit in terra rata ſint in cœlo. Qua accepta poteſtate ait Dominus: [Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.] Hanc verò poteſtatem quam ante mortem ſuam Petro ſpoſpondit dicens: [Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.] ſtatim à ſua reſurrectione Petro in primis tanquam Vicario ſuo eiuſque ſucceſſoribus pleniſſimam dedit, cæteríſque Apoſtolis: quorum tamen claues, Petri clauibus tanquam ſupremam habentis; vniuerſæ Eccleſiæ poteſtatem alligatas eſſe voluit: [Sicut, inquit, miſit me Pater & ego mitto vos.] Ea auctoritate ac poteſtate, qua me in terram Pater miſit, eadem vos eſſe præditos volo. Tu ergo, Petre, paſce agnos meos, & iterum: paſce agnos meos, ac denique, paſce oues meas! Ecce quomodo ſupremam Petro Eccleſiæ poteſtatem Chriſtus confert: licèt enim hæc verba, [Paſce oues meas] ſuo etiam modo Epiſcopis ac Sacerdotibus conueniant, quatenus ipſi in partem ſollicitudinis cùm Petro vocati Petri formam in paſcendo gregem imitantur; illa tamen voce (paſce) ſupremam Petro Eccleſiæ poteſtatem deſignari, illumque ſummum Eccleſiæ Paſtorem à Chriſto inſtitui Cyprianus, Leo, Gregorius, Bernardus, Beda, Dionyſius, Euſebius, Lactantius, Anſelmus vnanimi aſſerunt ſententia. Indiſtincta ſiquidem illa locutione: [paſce oues meas] omnes Chriſti oues atque adeo vniuerſam Eccleſiam deſignari volunt, ac Petri primatum in omnes etiam Apoſtolos & Epiſcopos inſinuari cenſent.

Iſa. 22.

Claues regni cœlorum ſacerdotibus traduntur.

Ioan. 20.

Ioan. 21.

Per

Per hoc quod Christus bis dixerit: [Pasce agnos meos]& semel:[Pasce oues meas]agni siquidem bis repetiti duos significant populos,Iudaicũ scilicet & gentilem;oues verò semel nominatæ reliquos significant Apostolos,Episcopos,Prçlatos,Doctores,Prçdicatores ac Pastores, qui sunt veluti agnorum matres penes quos ampla illa regendi potestas esse debet.Sicuti autem clauium potestas à Christo tradita Petro immediatè,eiusque in Pontificatu successoribus,sic à Petro eiusque etiam successoribus Episcopis & Sacerdotibus licèt diuersa ratione committitur, vt sic per vniuersum orbem Sacerdotes diffusi fideli populo peccatorum remissionem clauium virtute tribuant, quæ potestas adeo magna est vt in lege naturæ vel scripta nunquam sit,etiam summo Sacerdoti huiusmodi concessa.

Simile.

Concionis diuisio.

3. De hac verò Sacerdotum potestate primo loco dicendum. Deinde,quanto honore ac reuerentia illos prosequi oporteat.Denique plures causas subiiciam reuerentiæ illis exhibendæ,vt nunquam nobis excidat quanti faciendi sint.Inuocata Spiritus sancti gratia per sanctissimæ Virginis Mariæ omnium Sacerdotum Patronæ intercessionem. Aue Maria.

Primum Punctum.

4. Licèt antiquorum Sacerdotum potestas magna fuerit,clauis tamen dici non potuit,quippe qui auctoritate sibi commissa peccata dimittere, gratiam conferre,indulgentias concedere,cœli ianuam aperire nequaquam poterant. At verò in noua lege hanc singularem Christus potestatem à se ipso quia Deus & veluti Dominus omnium primò habuit, & tanquam homo etiam,vt excellentiæ potestate præditus fuit,quippe cui omne iudicium æternus Pater tradidit. Quia verò os ex ossibus nostris, & caro de carne nostra Christus fuit, cùm illas supremæ potestatis claues in suis haberet manibus, nobis illas fratribus

Ioan. 5. Peccatori potestas clauiũ traditur vt aliorum peccatorum misereatur.

Digitized by Google

fratribus ſuis,è mundo diſceſſurus, commiſit: nobis (inquam) peccatoribus, vt aliorum etiam miſeriâ cõmoueremur. Quid enim peccator Sacerdos,cum alio peccatore faciet, niſi quod ipſe ſibi fieri velit, vt nimirum quoties peccat toties etiam clauium beneficium accipiat; quod Chriſtus Petro ſciſcitanti quoties fratrem ſuum in ſe peccantem abſolueret an ſcilicet tantùm ſepties? clarè ſignificauit ſeptuagies(inquiens)ſepties;hoc eſt,quoties peccati ſui ex animo eum pœnituerit,toties abſolutionis beneficio fruatur.Benedictus ergo Deus,qui talem poteſtatem dedit hominibus. *Matth.* 18.

5. Tanta ſanè hæc clauium poteſtas, vt non tantùm veteris legis Sacerdotum poteſtatem, ſed Angelorum etiam ſuperet, cui enim ex Angelis vnquam huiuſmodi remittẽdi peccata auctoritas commiſſa eſt?quem ex illis terræ vniuerſæ,imo & cœlo, omnipotenti tradita poteſtate, Deus præfecit?quid enim aliud eſt dicere:[quodcunque(ô ſacerdos)ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis,& quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis]quam,ego Deus vices meas in terra ac in cœlo tibi committo,tibi(inquã)peccatori,téque meum inſtituo in terris Vicarium,tantáq; te poteſtate prædituin declaro,vt quæcunque ritè pro poteſtate tibi tradita egeris rata me in cœlis habiturum intelligas. Tu ergo in terra,ego in cœlis gubernabo, cum hac tamen limitatione,vt tu à meo foro ad tuũ appellare poſſis,ego verò à tuo minimè.Hinc quoties Sacerdos ex vi poteſtatis ſibi traditæ(licèt ipſe peccator)peccatis onuſtum abſoluit ſarcina illa peccatorum exonerato penitus gratiam donat;ianuas cœli aperit,& perpetuæ damnationis ſententiam à Deo in illum, ſtatim commiſſo peccato,latam omnino irritam facit.Benedictus ergo Deus, qui talem poteſtatem dedit hominibus. *Magna clauiũ poteſtas.*

6. Poteſtas igitur Sacerdoti commiſſa non tantùm vniuerſam complectitur terram ſed ſupra Chriſti

Digitized by Google

ipsius potestatem,quodãmodo extollitur,cuius arbitrio,vt ait Hilarius, claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cœlo,vt quæ in terris ligata sunt aut soluta , statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo.] Ecce quomodo Sacerdotis auctoritas Christi quodammodo auctoritatem præcedit,cui illud Bernardi concinit: [Sententia Petri præcedit sententiam cœli:] dixit enim Christus:[Quodcũque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis,& quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis.] Vbi apertè Sacerdotis sententiam suam præcedere significat. Vt hoc clarè vobis ob oculos ponam:considerate hominem iam mortifero obstrictum peccato, æternæque pœnæ obnoxium, huiusmodi Deus nunquam sine vera cõtritione absoluere decreuit,quem tamen Sacerdos à Christi tribunali ad suum quasi supremum reuocans , cum sola attritione , per sacramentalem absolutionẽ omni exonerat peccato, perpetuæque damnationis sententiam in cœlesti curia in eum,statim peccato perpetrato,fulminatam, irritam reddit.O quàm ampla hæc à Christo Sacerdoti contributa potestas , vt attrito tantùm corde peccatorem à diuino tribunali ad suum reuocans toties adhibita hac omnipotenti cláue,(Absoluo te)diuinæ amicitiæ restitũat,cœlum illi clausum aperiat,hæredem Dei & Christi cohæredem efficiat , denique illum cœli Regem constituat. Benedictus ergo Deus qui talem potestatem dedit hominibus.

Bern.ferm.1. in festo Petri & Pauli.

Sententia Petri præcedit sententiam poli.

Eccl. 46.

Admiranda sacerdotis potestas.

7. Maximum duxit priuilegium Ecclesiasticus quod Samuel duos vngeret Reges Israël. Sed si hodie nostri Samuelis, Sacerdotis , inquam,à Deo positi in summo dignitatis gradu stupenda priuilegia videret non immeritò obstupesceret cui Deus non duos aut tres,sed innumeros Reges, quotidie inungendos,non terrestri sed gratiæ oleo,cõmittit. Hinc quod sibi propriũ Deus à mũdi exordio semper esse voluit,illud singulari priuilegio nouæ legis Sacerdoti

commit

committere placuit, gratiam ſcilicet & gloriam hominibus conferre;iuxta illud Pſalmiſtæ:[Gratiam & gloriam dabit Dominus,]imo hodie gratiam & gloriam dat Sacerdos: gratiam,nã ſtatim per abſolutionẽ,dimiſſis peccatis,diuina gratia peccatoris anima nobilitatur.[Charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt vobis:]gloriam etiã pœnitẽti tribuit,cùm gratiæ menſuræ gloriæ menſura in cœlo reſpõdeat;gratia quippe gloriæ cœleſtis eſt ſemen. Cũ Paulus manus impoſuiſſet ſuper quoſdã ſtatim acceperunt ſpiritũ ſanctum.Sic omnes Apoſtoli per manuũ impoſitionem quibuſlibet pœnitentibus ſpiritũ ſanctum tribuebãt: [Tunc imponebant manus ſuper illos & accipiebant ſpiritum ſanctum.]Nome eandẽ Sacerdotibus poteſtatem dedit vt cuilibet abſolutionis clãui ritè adhibita ſpiritus ſancti gratiam impertirent.Benedictus ergo Deus qui talẽ poteſtatẽ dedit hominibus.

Pſ. 83.

Gratiam & gloriam confert.

Rom. 5.

Act. 19.

8. Quid ſi Samuel vocis tantummodo imperio Reges etiã creare poſſet , illiſq; ampliſſima diſtribuere regna,ſanè admiranda hæc non immeritò cenſeretur auctoritas.Sed quid,obſecro,hoc eſſet quàm hũc vel illum exiguæ huius terræ portiũculæ præficere,quæ nullius,iuxta Prophetę ſentẽtiã,momẽti eſt.[Aſpexi, inquit,terrã,& ecce vacua erat & nihili.]Si ergo vniuerſa hæc terræ cõplexio tanquam nihili reputatur, quid aliqua eius portiuncula erit?nullius ſanè põderis,nullius ęſtimationis,ſi cũ illa cœlorũ poſſeſſione cõferatur,quã Sacerdos pœnitẽti abſolutionis beneficio impertiri ſolet?Eius ſiquidẽ poteſtas vniuerſam ſupergrediẽs terrã omnia cœlorũ regna ſub ſe cõplectitur,ac proinde Reges quosomnipotẽti auctoritate creat,nõ alicui terræ portiũculæ præficit,ſed vniuerſis cœlorũ Regnis.Quare filij Dei,teſtimoniũ Spiritu ſancto reddente eorũ conſcientiæ,cõſtituuntur.Si autem filij , vt ait Apoſtolus , & hæredes:hæredes quidem Dei , cohæredes autem Chriſti. Benedictus ergo Deus qui talem poteſtatem dedit hominibus.

Ierem. 4.

Reges ſolo verbo ſacerdos creat.

Ad Rom. 8.

9. Maxima & infinitæ virtutis illa foret poteſtas,

Digitized by Google

qua ſolum verbo nouus creari poſſit mundus,aut innumeri à morte ad vitam reuocari queãt.Si tibi huiuſmodi à Deo cõferretur poteſtas de nihilo quodlibet creãdi, ac quoſlibet hac mortali perfunctos vita reſuſcitandi:vt illud Pſalmiſtæ de te verè dici poſſit: [Ipſe dixit & facta ſunt,ipſe mãdauit & creata ſunt] adhuc tamen hæc poteſtas cum Sacerdotis potestate collata parua eſſe videretur: peccatoris enim iuſtificatio difficilius opus eſt,quã mũdi vniuerſi opificiũ, & quã innumeros à morte ad vitã reuocare.In peccatoris enim iuſtificatione nõ tantũ infinita Dei potentia requiritur,ſed ipſius etiã peccatoris cõſenſus, eiuſq; voluntatis ad ſui iuſtificationẽ conſpiratio: at verò in alicuius rei creatione, aut in mortui excitatione omnipotentię tantùm diuinæ voluntas requiritur.Argũmento tibi ſit:quod ſtatim'ac dixiſſet Deus: fiat lux: facta eſt lux : &c. filio viduæ defuncto vbi dixit: Adoleſcens tibi dico ſurge ; & reſedit qui erat mortuus : & cœpit loqui. Sed quàm ſæpe ingeminat peccatoribus:conuertimini ad me,pœnitentiã agite,pœnitẽtiæ dignos fructus facite:quã ſæpe obſtinati cordis oſtium peccati peſſulo obditũ diuinis pulſat inſpirationibus ! quoties ſurdas cordis aures acri conſcientiæ ſtimulo vellicat! quoties morbis,infamia,aduerſitatibus,paupertate in eius aures inclamat: [Surge qui dormis,& illuminabit te Chriſtus]& tamen effectus non ſequitur!quantæ ergo molis peccatoris conuerſio.Sed Sacerdos,præueniẽte quidem diuina gratia ac illuminante peccatoris cor tandem vnico verbo (Abſoluo te)hoc admirabile opus peccatoris voluntate concurrente ac peccatũ deteſtante, firmumque in poſterum in peccatum minimè labendi concipiente propoſitum, licèt contritione careat conficit.Benedictus ergo Deus qui talem poteſtatem dedit hominibus.

Ex mortuo peccatis,gratia viuum facit ſacerdos.

Luc. 7.

Fulgere debet virtutibus.

10. Sed ô Sacerdotes,ſi tanta veſtra ſit dignitas ac poteſtas quanto fulgere corã populo exẽplorum lumine debetis,quam ab omni peccati ſorde alieni,qui magiſtri eſtis conſcientiarũ!quantis coruſcare ſplendoribus

doribus qui lux eſtis mũdi? Sicuti ergo ſolis radij in ſordidas emiſſi cloacas ſordiũ nihil contrahunt: ſic vos, licèt ſubinde cũ ſordidiſſimis agatis peccatoribus, nihil tamen veſtræ vitæ aut moribus ſordiũ adhærere debet. Audite quid vobis Hugo Cardinalis dicat: [Data, inquit, eſt lex in igne, qui ſordes conſumit, & nõ recipit. Quod ſignificat illos per quos lex datur ita puros eſſe debere, vt ſordes conſumant non accipiant.] Memineritis vos à Deo conſtitutos terræ quodammodo Deos: ſicuti ergo nihil poteſt Deo adhærere fœcis: ſic hac in re Deo ſimiles eſtote, totóq; peccatore contẽdite vt in medio luti nihil cõtrahatis luti. Sit vita veſtra accenſa in ſublimi Eccleſiæ cãdelabro fax, ideo enim lucerna ſuper aureum Eccleſiæ candelabrũ collocatur, vt luceat, nõ vt moleſtũ præbeat fumũ oculis intuentiũ: pura igitur ab omni vitij fumo ſit lucernæ veſtræ flãma, vt exẽplorũ luce veſtris fulgeatis ouibus. Si quid flãmæ impediat fulgorẽ aureo charitatis emunctorio exſcindatur, vt inſtar ſolis omnibus luceatis. Solis lux fumo caret, careat & vitę veſtrę lucerna omni mali exẽpli fumo, qui lux mundi eſtis; ne de vobis ſicuti olim de quibuſdã Sacerdotibus beatus Bern cõqueratur: [Quẽ mihi oſtẽdas, vel de illorũ numero, qui vidẽtur dati in lucem gentiũ, nõ magis de ſublimi fumantẽ, quã flãmantẽ.] Cùm itaq; veſtro exemplo lucere debeatis, ſi lumen quod in vobis tenebræ ſint, ipſe tenebræ quãtæ erũt? Si ſol obſcuriſſima contegeretur caligine, nõne tenebris ſubiecta terra obuolueretur? Si ſacerdos atris vitiorũ nubibus inuolueretur, nõne etiã iiſdẽ oues illi cõmiſſæ inuoluentur? Eſtote igitur, ô Sacerdotes, ſingulari vitæ exẽplo, pulcherrimis virtutũ ſplẽdoribus, ſanæ doctrinæ documentis ouibus veſtræ curæ commiſſis morũ magiſtri, virtutum norma, viua ſpecula in quæ intuentes ſeſe ad omnem morum honeſtatem componant. Hæc de Sacerdotum eximia poteſtate.

Hugo 2. Corin. 4.

Bern. in præfatione vitæ D. Malachiæ.

Matt. 6.

Magno honore ſacerdos afficiendus.

SECVNDVM PVNCTVM.

11. Iam ſecundo loco quanto honore ac reuerentia

Digitized by Google

Sacerdotem prosequi debeatis declarandum. Si Principes, Reges, Angelos, ac Deum ipsum amare, reuereri, suspicere oportet, Sacerdotem etiam amare, reuereri, suspicere omnino conuenit. Nam imprimis sacerdotes terræ sunt principes: [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij; constitues eos principes super omnem terram.] Quo loco olim propheta vberrimum ac fœliciſſimum nuptiarum sponsi cœlestis, & Ecclesiæ sponsæ fructum prædixit; quasi dicens: Pro patribus quos habuisti, & iam morte sublatis, Patriarchis nimirum & prophetis, & pro patribus quos reliquisti gentilitatis erroribus implicatos, quorum obliuiſci iussa es, [nati sunt tibi filij,] Apostoli scilicet Christi discipuli, illorúmq; successores Episcopi & Sacerdotes, qui tantæ excellentiæ sunt, vt toti orbi leges à Christo acceptas præscribere, peccata tanquam iudices remittere, totámque regere Ecclesiam possint: ideò, [Constitues eos principes super omnem terram.] Verè enim Apostoli primi Ecclesiæ filij, vniuerso terrarum orbi diuinas præscripserunt leges, quod nullus sæcularis Monarcha facere potuit. Nam (vt Chrysostomus notat) Monarchæ Romanorum Persis leges dare minimè potuerunt, neque Persæ Romanis: Apostoli verò & Romanis & Persis, & omnibus aliis gentibus leges dederunt: Et sicuti in prima ætate Ecclesia pro Patribus Patriarchis filios Apostolos habuit: ita etiam in sequenti ætate pro patribus Apostolis filios Episcopos habet, qui si non singuli, omnes tamen principes sunt super omnem terram, & hoc modo per successiones Episcoporum semper Ecclesia pro patribus filios habet, quos in patrum sedibus ac dignitate constituat. Hæc Bellarminus: Pro patribus verò Episcopis, qui in suis diœcesibus singulis, præsentes esse minimè possunt, filios sacerdotes nimirum habet, qui præcipua Episcoporum munia obeunt, populum docent, missas faciunt, peccata remittunt. Quare & ipsi suo etiam modo terræ principes, meritò

Ps. 44.

Card. Bell. in explicatione illius versus.

ritò dici, quibus tanta gratia à Deo contributa, possunt. Benedictus ergo Deus, qui talem potestatem dedit hominibus.

12. Sacerdotes porrò honore digni, quia Reges etiam sunt: [Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei altissimi,] Rex iustitiæ & pacis. Nam quilibet Sacerdos iustitiæ administer est, & pacis auctor. Cùm ergo nihil in humanis iustitia ac pace gratius, nemo etiam magis honorandus quàm iustitiæ & pacis auctor. Sicuti ergo Melchisedech iustitiæ & pacis Rex ab Abrahamo honoratus, quòd Christi figuram gereret: sic quilibet etiam sacerdos Christum potestate ac dignitate quàm proximè referens, omni dignus honore, ac præsertim cùm Deus ipse singulari illum honore venerari iubeat: [Honorifica, inquit, Sacerdotes.] Quanto autem honore Deus ipse sacerdotes sit prosecutus, ipsa Sacra Scriptura docet. Nam imprimis eius sententiã sequi iubet, qui autem superbiens nollet illi obedire mortem subire cogebatur: [Sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille.] Deinde præcipit omnes ambiguas ad eum quæstiones referre, vt ipse de earum veritate diiudicet: [Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, &c. Venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.] Denique Eleazarum sacerdotem ab ipso Iosue, supremo Dei exercitus duce honorari voluit: [Stabit, inquit, coram Eleazaro sacerdote. Pro hoc (scilicet Iosue) si quid agendum erit Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse & omnes filij Israel.] Videtis quomodo Deus voluerit Iosue virum, in quõ erat Spiritus Dei, subdi Eleazaro sacerdoti, illúmque honorare: nec immeritò, Dei enim in terra sacerdotes

Gen. 14. Sacerdos, rex pacis auctor, iustitiæ administer.

Eccl. 7.

Deutero. 17.

Ibid.

Num. 27.

Digitized by Google

vicem gerunt,illiſque præ cæteris ſibi propria munia committit ob ſingularem etiàm cum ipſis præ reliquis communicationem. Benedictus ergo Deus qui talem poteſtatem dedit hominibus.

Rom. 10. *Sacerdotes Dei pedes.*

13. Sacerdotes ob huiuſmodi ſingularem communicationē per Dei pedes iure ſignificantur:[quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem,euangelizātium bona.] Sicuti enim pedes cum capite maiorem quàm manus cognationem vindicant:ſic ſacerdotes qui Dei pedes cenſentur maiorem cum Deo coniunctionem, quàm quilibet in ſupremo etiam honoris gradu ſæculares conſtituti, qui per Dei manus deſignantur,obtinent. Et quemadmodum ſi quid ebrietatis aut alterius perturbationis caput afficiat:id ſtatim pedes ſentientes vacillare ſolent, ob intimam inter pedes & caput connexionem. Quare ſi caput etiam calore inardeſcat frigida pedibus adhibentur, è contrario ſi frigeſcat,pedibus calida:ob neruorum enim capitis (qui,vt aiunt medici, cæteris maiores ſunt) cum pedibus coniunctionem mutuis afficiuntur doloribus, & capitis affectiones facilè in pedes deſcendunt:ſic Chriſtus Eccleſiæ caput maioré cum ſacerdotibus connexionem habet,quàm cum cęteris corporis ſui myſtici membris, ac maiori gratiæ influxu,ſua illis ordinariè dona impertit:quippe quod à capite in pedes gratiarum venę maiores ſint,illóſque tanquam totius corporis, atque adeò ipſius capitis baſes ac fundamenta firma ſemper, ac ſolida conſeruare oporteat.Et ſicuti pedes capitis affectiones,ſic etiam caput pedum ſuorum infirmitates ſentire debet;vt ſic mutuis affecti infirmitatibus,mutuis etiam ſeſe vicibus iuuent. Sicut ergo per pedes poteſtas iſta ſacerdotis à Chriſto deriuata intelligitur: ſic per manus Chriſti potētia etiam politica ſignificatur.An neſcis longas Regibus eſſe manus? & non ſine cauſa gladium geſtare. Benedictus ergo Deus qui talem poteſtatem dedit hominibus.

14. Licèt ſuo etiam modo veteris legis ſacerdotes

dotes Dei fuerint pedes, quippe qui auctoritate in populo, præ cæteris omnibus eminerent, vti suprà ostendimus, non adeò tamen erant firmi, cùm nõdum influxus ille cœlestis gratiæ in illos, sicut hodie in nouæ legis sacerdotes, à Christo capite deriuaretur, neque illa præeminẽti fulgerent potestate, qua Christi corpus, ac sanguinem conficere, & peccata remittere possent, non adeò proinde erãt firmi quin à manibus, id est, à potestate politica iuuari debuerant. Hinc regnũ sacerdotale olim dicebatur: [Eritis mihi in regnum sacerdotale.] Vt per sacerdotale adiectiuum significetur per se sacerdotiũ non ita stare cõmodè potuisse, nisi substantiuo regno inniteretur. In noua verò lege ordo hic & potestas inuertitur: Regale enim dicitur sacerdotium, vnde fit vt sacerdotalis dignitas, quæ regno tanquam firmissima olim fulciebatur columna, in noua lege valentissima columna ac substantiuum factum, cui omnis sæcularis potestas innititur; ac proinde non amplius dicitur regnum sacerdotale, sed vice versa regale sacerdotium: Sacerdotes verò Christi pedes.

Exod. 19.

1. *Pet.* 2.

15. Quanti verò Deus veteris legis sacerdotes fecerit, quòd eius saltem pedum typi & figuræ essent hæc subiecta declarant exempla: Prius itaque oportuit sacerdotes olim aquas Iordanis pedibus pertingere quàm populus posset trãiicere, quorum contactu statim aquæ, quæ inferiores erant decurrerunt atque defecerunt: quæ autem desuper veniebant, facto veluti muro, in vna mole accrescentes semper constiterunt. Ne verò illa aquarum moles in transeuntium capita descenderet, sacerdotes qui portabant Arcam fœderis, stabant super siccam humum populo transeunte. Ecce quanta vis in sacerdotalium pedum attactu, vt statim aquis ab vna parte defluentibus, ab altera in firmissimum murum coalescentibus transitus populo fieret! Nónne hæc stupenda vis à capite in pedes à Deo in sacerdotes deriuata est? nec hoc satis; sed vt singularem in eo-

Veteres sacerdotes Dei pedum typus.

Iosue 3. & 4.

Digitized by Google

rum pedum attactu virtutem ostenderet latuisse, populo iam traiecto iussit Dominus eligere duodecim lapides, non quoslibet, sed qui erant sub pedibus sacerdotum, in memoriam tanti miraculi. Ecce quanto in honore sacerdotum etiam pedum tactus, qui nouæ legis sacerdotum seu pedum eorum typi tantummodò & figuræ extiterunt. Benedictus ergo Deus, qui talem potestatem dedit hominibus.

Sacerdos Angelus. Malach. 2.

19. Si Angelis honor ac reuerentia exhibenda, iisdem etiam nobilitatis signis Dei sacerdos condecorandus: [Angelus enim Domini exercituum est.] Quia, vt ait Hieronymus, Dei & hominum sequester est, eiúsque ad populum nunciat voluntatem, & idcircò in sacerdotis pectore rationale est, & in rationali Doctrina & Veritas ponitur: vt discamus sacerdotem doctum esse debere & præconem Dominicæ veritatis. [Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.] O sacerdos vide quid à te exigitur, vt Angelus in corpore degens, virtutum splendoribus illucescas, doctrina refertum geras pectus; alioqui si in conuersatione dæmon, si in doctrina rudis sis, Angelus quidem es, sed Sathanæ. Quis, obsecro, huiusmodi Angelum sibi præesse non perhorresceret. Vis ô sacerdos scire quib. instructus virtutibus esse debeas vt Dei viuentis in terra Angelus esse censearis? Memineris in basibus templi leones, boues & Cherubim efformatos fuisse, Scriptura teste, quod Gregorius de sacerdotibus moraliter exponit, qui bases sunt Ecclesiæ, quos oportet leonũ insculptam habere fortitudinem: vt Reges, ac terræ principes sese esse ostendant, boum patientiam, mãsuetudinem ac laborem, quibus virtutũ ornamentis veros se Ecclesiæ magistros declarent, Cherubinorũ scientiã ac charitatis ardorẽ, vt doctrina, & amore in carne viuentes sese omnibus Angelos exhibeant. His virtutũ splendoribus sacerdotem instructum volo: [Quid (inquit Gregorius) aliud significãt bases nisi sacerdotes, qui

Hiere. in illũ locum Malachiæ.

3. *Reg.* 7.

Quibus sacerdos virtutibus instructus esse debet.

Greg. Lo. 17. in Euang.

more

more baſium ſuperimpoſitum onus portant. In baſibus Cherubim exprimunt, quia decet, vt ſacerdotum pectora ſcientiæ plenitudine(ac charitatis feruore)ſint referta. Per leones terror ſeueritatis, per boues patientia manſuetudinis figuratur :] Huiuſmodi ſacerdotibus meritò poteſtas tribuitur, qui virtute ſua Angelos ſeſe oſtendunt. Benedictus ergo Deus qui talem poteſtatem dedit hominibus.

17. Dij etiam quodammodo ſacerdotes ſunt per auctoritatis participationem: licèt quidem ſolus Deus propria auctoritate peccata remittat, ſacerdotes tamen poteſtate à Deo accepta peccata etiam remittunt, ac proinde Dij quidam meritò appellandi ſunt. [Conſtitui, inquit Deus Moyſi, te Deum Pharaonis:] Ecce quomodo Dominus Moyſen, ſua ipſi tradita miraculorum virtute Deum quodammodo conſtituerit. Quemadmodum ergo Moyſes veluti Deus Pharaonis conſtituitur quia propriã ſuam illi Deus miracula perpetrandi virtutem communicauit: quid ni ſimili ratione mundi veluti quidam Dij ſacerdotes à Deo ordinati dici poſſint, quibus longè maiorem illa miraculorum patrandorum virtute tradit, peculiarem nimirum veluti omnipotentis clauis poteſtatem ad peccata omnium remittenda, quæ adeo Dei propria eſt, vt Phariſæi, ſoli Deo illam aſcribant: [Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?] Sacerdotes itaque veluti Dij quidam terreſtres à Deo ordinantur vt diuino fungi munere in hominum peccatis remittendis poſſint. Hinc infero nullam eſſe in terris poteſtatem quæ cum Sacerdotis poteſtate conferri valeat. Vnde Chryſoſtomus eius poteſtatem Regiæ anteponit: [Regi, inquit, corpora commiſſa ſunt, Sacerdoti animæ, Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum. Major hic eſt Principatus:] Benedictus ergo Deus qui talem poteſtatem dedit hominibus.

Dij ſacerdotes.

Exod. 7.

Marc. 2.

Chryſ. hom. 4. de verbis Iſaiæ.

18. Quare Sacerdotis iuſſa, iudicia & concilia tanquam

Luc. 10.

Digitized by Google

Deus sacerdotum iussa tanquam sua facere vult.

tanquam sua expleri vult.] Qui vos, inquit, audit me audit,& qui vos spernit me spernit:] Quis ergo huiusmodi Deos non honorabit? Contempsit Core, Datan, & Abiron, eorúmque sceleris socij Moysen & Aaronem, & statim disrupta est terra sub pedibus eorum descenderúntque viui in infernum: quos ergo tanti Deus facit, cur nos etiam eorum iussa & consilia capessentes omni honore non prosequeremur? Insuper iniuriam Sacerdotibus illatam suam esse censet: [Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei]iniuria fratrem suum Moysen Maria affecit, sed veluti eadem affectus iniuria Deus illam statim lepra percussit, & quia diuini oculi pupillam tetigit, nubes, quæ illi lumen exhibebat recessit, vt diuinæ gratiæ lumen in se extinctum intelligeret.O quanta Dei in Sacerdotes dignatio, vt delicatam, ac maximè sensibilem sui corporis partem tangi sentiat, si illi aliqua tangantur iniuria. Hanc de se curam Propheta Dauid Deum habere efflagitat, vt ab impiis hominibus qui dextræ Dei resistebant, veluti pupilla oculi sui conseruaretur. [A resistentibus dextræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi.] Sicuti pupilla res est in capite pretiosissima & infirmissima, & ideo ab ipsa natura variis tunicellis, palpebris, & pilorum vallo munita diligentissimè custoditur: sic Sacerdotes in Ecclesiæ veluti capite pretiosissimi à Deo ab omni malorum incursu defendi solent, quos tot virtutum præsidiis munitos cupit, vt irrumpentes antiqui serpentis suggestiones retundant. Quemadmodum ergo pupillæ (vt ait Ambrosius) ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, pilis hinc inde consertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur, vnde tutum auxilium postulans Propheta ait: Custodi me Domine vt pupillam oculi, vt protectionis diuinæ fieret tam secura custodia quam pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire

Num.16. Zacha.2.

Ps.16.

Amb.l.6. Hexa.

nire dignatus est:] Sic Sacerdotes, quorum sæpe innocentia & vitæ integritas leui aspersa sorde ita violatur, vt gratiæ suæ munus amittat, identidem à Deo variis gratiæ præsidiis sese custodiri deprecentur, cùm ipsi inter cæteros virtute, auctoritate, actionibus maximè Deum referre debeant. Porro Deus tanti illos facit, vt seuerè omnibus prohibeat illos tangere: [Nolite, inquit, tangere Christos meos:] nolite mihi consecratos vexare, nolite illis nocere, ego enim iniquitatum vindex sum. Non meministis qui eos contemnunt Deum contemnere? Contempsit populus Samuelem, Regem efflagitans, & tamen Deus se ab illis contemni asserit. [Non enim te abiecerunt, ait, sed me, ne regnem super eos.] Si ergo Dei indignationem incurrere nolimus Dei Sacerdotes veluti terrestres Deos honoremus, præsertim cùm eorum honor in ipsum Deum referatur. [An nescitis (inquit Chrysostomus) quod honor ad ipsum Deum pertinet, neque enim debes propter illum, quod tuum est facere, sed propter eum, cuius Sacerdos est vt ab illo retributiones vbertim accipias, quod fecerit vni horum & mihi fecit:] Contempsit Anania & Saphira Spiritui sancto mentientes Petri examen de agri pretio, & statim Spiritus sanctus in Petro sic contemptus mortis clauem illi tradidit ac subitò vtrumque vocis tantùm imperio interfecit. Benedictus ergo Deus qui talem potestatem dedit hominibus.

Psal.104.

1. Reg. 8.

Chrysost. homil. 16. in Genes.

Matth. 25.

19. Præter dictas honoris ac reuerentiæ Sacerdotibus exhibendæ causas tertio loco plures alias breuiter subiiciam, vt nunquam ex mente nostra excidat quanti sit Dei sacerdos faciendus. Imprimis, vt ait beatus Prosper: [Pro peccatis omnibus velut pro suis infatigabiliter supplicant Deo: infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum.] Secundò: auertunt iram futuræ animaduersionis à populo: [quiescat

Prosper l. 2. de vita contempt. c. 2. Iacob. 5.

Digitized by Google

*Exod.*22. ira tua & esto placabilis super nequítia populi tui. Placatúsque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum.] Tertiò: per Dei gratiam sunt diuinæ voluntatis interpretes

*Num.*27. & iudices:[Iosue stabit coram Eleazaro Sacerdote: pro hoc si quid agendum erit Eleazar sacerdos consulet Dominum, ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse & omnes filij Israël cum eo.] Quarto: Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores. [Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei,quam acquisiuit sanguine suo.]Quintò : fideles

1.*Mach.*13. *Deute.*17. populi duces:[posuit eum ducem virtutum.]Sextò: Veritatis assertores:[quæréque ab eis qui indicabunt iudicij veritatem.] Septimò: prauæ doctrinæ

*Ezech.*44. hostes:[populum meum docebunt quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum.]Octauò:omnibus bonis amabiles,& malè sibi conscíis etiam ipso visu terribiles: [Omni cura(vt ait Gregorius) vigilandum est vt rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, præ cunctis contemplatione suspensus, singulis compassione proximus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delin-

*Ps.*9. quentium vitia per zelum iustitiæ erectus.] Nonò: vindices oppressorũ: [tibi derelictus est pauper:orphano tu eris adiutor:] quod licèt de Deo intelligatur, meritò tamen sacerdoti accommodari potest qui pauperum curam maximè suscipit & orphano-

*Ps.*44. rum.Decimò : patres in fide Catholica regeneratorum:[Pro patribus tuis nati sunt tibi filij(sacrdotes scilicet) constitues eos Principes super omnem terram.]Vndecimò:prædicatores cœlestium donorum: [clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.]

*Isa.*58. Duodecimò : primi præliatores inuisibilium præliorum:[quoniam nõ est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem;sed aduersus principes & po-

*Et Lc.*6. testates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum,

Digitized by Google

rum,contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus:] licèt hæc pugna omnibus cum dæmone ſit communis maximè tamen Sacerdotibus incumbit prælij pondus qui in perpetua vigilia ſtare debent vt ſua victoria contra dæmonem parta cæteros animent fideles.Quare illos beatus Baſilius monet vt ex omni hominum genere militare diſcant. [Miles (inquit) es ? Collabora Euangelio : milita bonam militiam, contra ſpiritus nequitiæ , aduerſum vitioſas carnis affectiones , indaitor omnem armaturam Dei , vt probes te ei , ſiſque gratioſus duci tuo , qui huic te militiæ adlegit : prouide vt nullis impliceris vitæ iſtius negotiis & perplexis curis. Attende tibi ipſi ne quam ex legibus athletico agoni præſcriptis inueniare tranſgreſſus , nam nemo coronatur niſi qui legitimè certauerit , inuitare Paulum & curſu contendentem & in palæſtra colluctantem, & in agone pugillari decertantem: vt ſtrenuus pugil ipſe habeto animæ oculum nuſquam euariantem , ſed attentum & peruigilem.Præmuni ac tuere paſſis manibus partes quarum plaga lethalis ſit. In aduerſarium immotum oculum intendito fixius. In ſtadiario curſu qui tibi præcurrunt, in eo te extendens , fac aſſequaris:ſic currito vt præuertas. In luctamine repugna inuiſibilibus aduerſarij.Per vitę iſtius curriculũ talis vt perſeueres, hæc ſancit ſententia,nimirũ animo vt ſis non ſupino aut cõcidenti,ſed arrecto: non dormiturienti ſed peruigili ac ſobrio,quique multa cum vigilãtia præſens ſit, & norit ſibi præeſſe.]Decimotertiò;exempla bonorum operum:tanta,inquit Hieronymus,eſſe debet ſcientia & eruditio Pontificis Dei, vt & greſſus eius & motus & vniuerſa vocalia ſint : veritatem mente concipiat , & toto eam habitu reſonet, vt quicquid agit,quicquid loquitur, ſit doctrina populorum; abſque tintinnabulis enim & diuerſis coloribus, & gemmis,floribúſque virtutum,nec ſancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſſidere.] Decimoquartò:documẽta virtutum:]ſuperhu

Baſil. in illa verba Deut. 15: Attende tibi ipſi.

D. Hiero. ad Fabianũ . de veſte Sacerdotali.

Greg. in paſto. pra. 2. c. 2.

Digitized by Google

perhumerale rectè ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo retorta fieri præcipitur:] vt quanta Sacerdos clareſcere virtutum diuerſitate debeat, demonſtretur. In ſacerdotis habitu aurum fulget: vt in eo intellectus ſapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus adiungitur: vt per omne quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, ſed ad amorem cœleſtium ſurgat: purpura permiſcetur vt Sacerdotale cor in ſemetipſo ſuggeſtiones vitiorum reprimat, eiſque veluti ex regia poteſtate contradicat. Bis tinctus coccus adiungitur: vt omnia virtutum bona ex charitate decorentur: quæ quia Deum & proximum diligit, quaſi ex duplici tinctura fulgeſcit. Quid verò per byſſum niſi candens decore munditiæ caſtitas deſignatur? quæ byſſus torta pulchritudini ſuperhumeralis innectitur: quia tunc caſtimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cùm per abſtinentiam caro

1. *Pet.* 3. fatigatur.] Decimoquintò: forma fidelium: [forma facti gregis.] Decimoſextò: ipſi ſunt Eccleſiæ decus in quibus amplius fulget Eccleſia: quia nihil vile (vt ait Beda) ac ſordidum in Sacerdotis opere aut

Beda *l.* 3. *de tabern. c.* 3. ore debet apparere: ſed cuncta quæ agit, vniuerſa quæ loquitur, omnia quæ cogitat, & coram hominibus præclara, & in conſpectu æterni arbitri oportet eſſe glorioſa.] Decimoſeptimò: ipſi columnæ firmiſſimæ quibus in Chriſto fundatis, innititur omnis multitudo credentium. [Ego confirmaui columnas eius:] Apoſtolos nimirum Eccleſiæ columnas, qui in paſſione nutarunt, per reſurrectionem confirmauit. Decimooctauò: ipſi etiam ianuæ ciuitatis æternæ per quos omnes qui credunt in Chriſtum ingre-

Ioan. 10. diuntur ad Chriſtum: pro Chriſto enim legatione fungimur qui de ſe dicit: [Ego ſum oſtium ouium: per me ſi quis introierit ſaluabitur.] Decimononò: ipſi ianitores quibus claues datę ſunt regni cœlorũ: [tibi dabo claues regni cœlorum.] Vigeſimò: ipſi etiam diſpenſatores Regiæ domus, quorum arbitrio

in

in aula Regis æterni diuiduntur gradus & officia singulorum: dispensatores mysteriorum Dei.] Benedictus ergo Deus qui talem potestatem dedit hominibus. 1. *Cor.* 4.

20. Quanto ergo honore, quanta reuerentia, quanto amore huiusmodi Dei sacerdotes qui tanta pollent auctoritate omnes prosequi debent! Quali verò pœna mulctandi, qui horum potestatem ac auctoritatem contemnere auderent! [Bestia quæ montem tetigerit lapidabitur.] Bestia, inquit Gregorius, montem tangit, cùm mens irrationabilibus desideriis subdita ad contemplationis alta se erigit, sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur:] Sicut ergo per montem hîc Sacerdotem, qui in excelso Ecclesiæ munere collocatus cœlestium rerum contemplationi intentus, gregi suæ curæ commisso cœlestium donorum affluentiam efflagitat: sic per bestiam quemlibet, qui huius montis verticem temerario ausu ascendere contendit, illúmque ignominiis, calumniis, opprobriis, proscindendo terræ æquare studet, intelligere possumus. Aaron Sacerdos mons est Hebræis, vt sciamus, omnes Sacerdotes montes esse, & montes sæculares colliculos, imo bestias esse rationis expertes, si montes illos mordaci linguæ detractione tangere attentent illosque terrenorum hóminum censuræ, quos Deus omnium sæcularium iudices esse voluit, subiicere. Benedictus ergo Deus qui talem potestatem dedit hominibus.

Hebr. 12. *Greg. l.* 6. *Moral. c.* 27.

Grauiplectũtur pœna qui sacerdotes contemnunt.

21. Coniicite, obsecro, oculos in Principes, Reges ac Imperatores, qui tanto semper honore Dei sacerdotes eorúmque auctoritatem venerati sunt. Constantinus Imperator in Concilio Niceno noluit accipere libellos contra Episcopos: [Vos, inquiens, Dij estis à vero Deo constituti, ite & inter vos causam disponite: quia dignum non est vt nos iudicemus Deos] & Basilius Imperator: [De vobis autem laicis tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè

Quanto in honore habiti sacerdotes.

23. *quæst.* 8. *cap. tributa & cap.* 2. *in fine Concilij octaui.*

Digitized by Googl

lutè conuerſamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quod nullo modo nobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ,& vniuerſali ſynodo aduerſari. Hæc enim inueſtigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt: qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi,& ligandi poteſtatem habent: qui Eccleſiaſticas & cœleſtes adepti ſunt claues: Non noſtrum qui paſci debemus,qui ſanctificari,qui ligari,vel à ligamento ſolui egemus. Et infra:Oportet nos ergo cum timore & fide ſincera hos audire,& facies eorum vereri, cùm ſint miniſtri Dei omnipotentis, & huius formam poſſideant,& nihil amplius quàm ea, quæ noſtri ordinis ſunt requirere.] Attila Gothorum Rex, licèt ſæuiſſimus, eum tamen ſanctiſſimo Pontifici Leoni honorem exhibuit vt eo audito ſtatim in Pannoniam ſit reuerſus,& vaſtitatem Italiæ,quam mente deſignauerat,omiſerit.Non ſatis fuit Conſtantino Magno Sacerdotum immunitatem ac priuilegia tueri, non ſatis ſanctas domos, quæ magnitudinem videbantur habere inſufficientè, corrigere, non ſatis alias incremento altitudinis & latitudinis augere: non ſatis etiam alibi cùm non eſſent à fundamentis ædificatæ ſuis impenſis Baſilicas erigere, pecuniam enim ex Regiis theſauris Imperator affluentius impendebat, ſcribens per ſingulas ciuitates Epiſcopis atque præſidibus populorum, vt ſacerdotes ſicuti vellent iuberent, illi autem iubentibus obedirent. Non ſatis,inquam, niſi depoſito etiam diademate & humi iacens vim lachrymarum profunderet, moxque ſumpto ligone ac bidente, terram erueret indeque duodecim terræ cophinis honoris cauſa duodecim Apoſtolis oblatis ac loco Baſilicæ principis Apoſtolorum deſignato Eccleſiam ædificaret. Nonne Theodoſij ſenioris hortatu, eiuſque largitionibus Eccleſiæ pluribus in locis ornatæ ſatis magnificéque conſtructæ. Gratianus legem ſcripſit præcipiens

Hiſtor. tripar. l.1.c.10.

Euſebius l. 11.c.19.

Digitized by Google

præcipiens vt expulsi pastores ad sua redirent ouilia, sacræque Basilicæ eis redderentur : qui communionem Damasi sequerentur: Longũ foret recensere quæ alij Imperatores Iouinianus , Valentinianus, Theodosius iunior, Arcadius, Honorius in ordinis Sacerdotalis homines beneficia & ornamenta contulerunt, quantóque illos semper honore prosequuti sunt.

Deus sacerdotes honorat.

22. Neque tantùm principes veri sed Deus ipse singulari honore sacerdotes prosequutus est. Sanctus enim Hilarius ad Concilium accedens vbi omnes Episcopi Ariani aderant, cùm deesset ipsi locus & ab illis negligeretur: Domini, ait, est terra, & plenitudo eius : & statim terra assurgens in cumulum, sedile se ei præbuit. Noluit Valentinianus Imperator Arianus admittere sanctum Martinum ad suum colloquium: Martinus vrget, pulsat portas, ipse sibi Deo iuuante aperuit , venit ante conspectum Imperatoris qui indignans nullum illi honorem defert: sed statim cogit illum Deus Christi Sacerdotem honorare: nam subitò de subsede ignis posteriora eius inuasit, compulitque vt seruo Dei assurgeret, excepitque volens nolens Dei Sacerdotem. Noster patronus ac præsul Patricius diu nauigium quærens nec inueniens, orauit ad Dominum, qui quondam in mari viam fecit & in profundo semitam posuit, moxque in medio fluminis terra diuino nutu eleuata Sacerdoti Dei eiusque sociis liberum fecit transitum. Benedictus ergo Deus qui talem potestatem dedit hominibus.

Iocelinus vitæ eius c. 104.

EXEMPLVM.

23. Nunquam potuit dimoueri loco vrna, in qua repositum fuit corpus D. Chrysost in exilio positi, donec Imperator Theodosius iunior literas misit, quibus veniam fastui ac superbiæ parentum suorum , & præcipuè matris suæ Eudoxiæ , quæ causa Ioanni fuit exilij, deprecatus est , quibus super eius pectus positis facilè vrna cum corpore mota sunt, &

Nicepho. l. 14. Historiæ Eccle. c. 43.

Digitized by Google

delata curru imperiali in SS. Apostolorũ templum: ibi Imperator sacro tumulo chlamyde tecto & frõte atque oculis vrnæ impositis communem supplex precationem pro parentibus fecit, vt tumuli eius motus ac strepitus consisteret, 35. enim annos iam is quatiebatur, ipsaque tum Ecclesia mouebatur continuò antequam ad hunc locum deferretur, precibúsque pij Imperatoris conquieuit vrna hîc à sua motione.

DE MORTE,

Concio.

THĒMA: *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis solis, &c.* Sap. 2.

Iustus sapiès est quia prouidus. Prou. 14.

QVo, putatis, nomine Spiritum sanctum, auditores, iustum appellare? vt omnia iusti bona, merita, omnésque eius virtutes, vitæ exordiũ, progressum, ac finem vno concludat verbo, eum Sapientem vocat: [Sapiens enim timet, & declinat à malo.] Quare meritò iustus Sapiens vocari debet, timet enim Deum & declinat à malo. Quamobrem vti in genere sentit & intelligit virtutem sectãdam, vitium fugiẽdum, beatitudinem quærendam, æterna tartari fugienda penitus tormenta, ita etiam eorum timore in particulari percellitur, vt in vitæ suæ exordio, progressu, exitu omnes suas dirigat actiones, vt virtutem consequatur, vitiũ fugiat, beatitudinem adipiscatur, æterna verò inferni tormenta declinet, secum reputans exiguum ac cum tædio esse tempus vitæ suæ. Quare non iniuria quilibet iustus Sapiens esse dicitur: [Sapientis enim oculi in capite eius, cuius mentis oculi in fidem redemptionis (vt ait Gregorius)

Eccles. 2.

Digitized by Google

Gregorius)intentis,eius vitá contéplatur, ne ſi vias lucis aſpicere neglexerit,in tenebras cadat erroris.]

2. Quo verò nomine,idē Spiritus Sanctus peccatorem vocet, audiamus. Sicuti enim vnico declarauit verbo iuſti omnes cōditiones,ſic etiam vnico, peccatoris inſinuat peruerſitates , eum ſtultum appellans : [Stulte hac nocte animam tuam repetent à te:]Stultus enim licèt in genere idem,cum Sapiente ſentiat , in particulari tamen, in vitæ ſuæ exordio, progreſſu , exitu omnibus Sapientis actionibus cōtrarium facit.Nam quamuis bonum amplectendum, beatitudinē proſequendam,malum fugiendū,æterna barathri torméta penitus declinanda,in genere,ſentiat,in particulari tamen vita , moribus , conuerſatione,exemplo,operibus contrarium prorſus docet. Nam ſicuti Sapientis oculi in capite eius,ſic ſtultus in tenebris ambulat : ergo,iure optimo, ſicut iuſtus Sapiens appellatur,ob ſingularem rerum prouidentiam ac ſingulares vitæ actiones , ſic peccator , qui ſine vlla eſt prouidentia , cuius omnes actiones virtuti repugnant,meritò ſtultus appellatur.

Peccator ſtul tus quia improuidus.

Luca 12.

3. Vultis ſubiectis hoc declarem exemplis? Audite quid ſentiat in genere iuſtus ! [Tempus breue eſt:]nonne idem etiam ſentit peccator:[Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ:] imò omnes experientia diſcimus,tempus breue eſſe : [quia omnes morimur & ſicut aqua dilabimur.] Iuſtus quidem fuit Paulus,tempus breue eſſe indicat:[Tempus(inquit)breue eſt.]Iuſtus etiam Iacobus,tempus breue eſſe aſſerit. [Quæ eſt (ait) vita noſtra ? vapor eſt ad modicum parens.] Iuſtus inſuper Iob, nonne etiam tempus breue eſſe affirmat?[Homo natus de muliere breui viuens tépore:]videtis ergo iuſtorum opinione tempus breue eſſe, quam igitur inde ducunt vitæ exemplo , moribus ac conuerſatione concluſionem? huiuſmodi ſanè: [Dum ergo tempus habemus operemur bonum.Vltimum ſemētis hoc tempus eſt,(ait alius iuſtus) feſtinemus ergo campos omnes ſerere,

1.Cor.7.

2.Reg.14.

Iacob.4.

Galat 6.

Hiero.

ſed magis eos, qui ſunt vberrimi, repleamus, ne incipiamus tempore meſſis aliis abundantibus eſurire.

4. Audiamus etiam Sapientũ Ethnicorum de huius vitæ breuitate cenſurã. Nonne Plato ſapiens fuit, qui tamẽ vitam noſtram ſcintillæ, quæ à flamma ſtupę exiliens, minimo venti flatu, in ictu oculi, perit, perſimilem eſſe aſſeruit! Ariſtoteles etiam verè Sapiens cenſendus, qui vitam humanam cuidam comparauit animali, quod iuxta Nilum oritur, vnica tãtũ viuens die: manè naſcitur, veſperi ſeneſcit, & nocte moritur. Seneca denique; Sapiens fuit, cuius hæc de humanæ vitæ breuitate ſentẽtia eſt: [Quotidie demitur aliqua pars vitæ noſtræ, & tum quoq; cũ creſcimus, vita decreſcit: hunc quem agimus diem cum morte diuidimus; mox vt in vitam ingredimur, ſtatim alia porta exire incipimus.] Denique omnes impij velint nolint cum Sanctis & Sapiẽtibus, vno coguntur ore fateri breuiſſimum ſuæ vitæ tranſactæ tempus fuiſſe: [Nati continuò deſiuimus eſſe.] Videtis ergo ab omnibus tam iuſtis, & ſapiẽtibus, quàm iniuſtis, tempus vitæ noſtræ breue concedi, quamuis ex vna eademq; in genere, poſita propoſitione, penitus diuerſa ac è diametro ſibi contraria inferant. Iuſtus enim & Sapiẽs, ex illo principio iuſtè ac ſapiẽter multa colligit, & ideo iuſtus rectè Sapiens eſſe dicitur: impius verò & peccator ex eodẽ ſtultè ac malè multa in ſui perniciẽcõcludit. [Comedam' ergo, inquit, & bibam': cras. n. moriemur] atq; ideo meritò ſtult' vocari debet.

Ariſt. l. 5. de animal.

Senec. epiſt. 99.

Sap. 5. Omne tempus eſſe breue fatentur.

1. Cor. 15.

Concionis diuiſio.

5. Quę dicturus ſum de Morte in tria diuidã pũcta: In primo luctuoſas impiotũ cõcluſiones ex illo principio: [Exiguũ & cũ tædio eſt tẽpus vitę noſtrę] pertractabo. In ſecũdo, tres piorũ ex eodẽ ſalutari principio deductas, vobis imitãdas proponam: primã, ſui exordij vilitatẽ: ſecũdã, nihil in hoc mũdo ſtabile, ſed vmbras & figuras eſſe. Tertiã, paulatim mori ediſcẽdũ. In tertio verò pũcto, nobis vigilãdũ, cũ mors certa, incerta tamẽ ei' hora. Inuocem' prius Spirit' S. gratiã per B. Deiparæ virginis interçeſſionẽ. Aue Maria.

Pri

PRIMVM PVNCTVM.

Quàm malè impij concludunt ex bono principio.

6. Prodeat imprimis peccator, séq; suo cõdẽnet ore, qui perspicuè profitetur vitę suæ tépus breue esse, ex quo tamen infert fræna suæ licẽtiæ laxanda esse. Sed audiamus bestiam ipsam, sua verba proteruius personantem, & quid ex illo salutari alioqui principio: [Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ] concludat, diligentius attendamus: [Dixerunt impij cogitantes apud se non rectè.] Ecce quomodo Spiritus sanctus proloquitur, quo stupenda nobis significatur impiorum malitia ac impudentia, qui ex bono principio infaustã sibi deducunt conclusionem. Quare non alio præcone Deus vti voluit, quàm ipso spiritu suo, vt nobis tantæ malitiæ ac impudentiæ odiũ ingeneraret. Quid ergo ô Spiritus sancte dixerunt impij cogitantes apud se non rectè? an quod exiguum & cum tædio tempus vitæ nostræ asserunt, & transituram tãquam vestigium nubis, & sicuti nebulam, quæ fugata à Solis radiis dissoluitur, dissipandam? minimè, cùm hoc impiorum argumentũ & principium admodũ salutare & verum sit, idemq; prorsus, cum iustis, qui omnes, cum tædio tépus vitę suæ ad instar nebulæ transire norunt. Quid igitur quod ex salutari ac verissima propositione perniciosam inferunt conclusionẽ. Vbi enim vitæ suæ tempus breue admodum ac cum tædio esse assererent, breuíque transiturum, impiam tamen & calamitosam inferunt cõclusionẽ, mutua siquidem exhortatione, sibi parantes æternæ miseriæ laqueos, [venite ergo (ingeminant) & fruamur bonis, quæ sunt, vtamur creatura tanquã in iuuẽtute celeriter: vino pretioso & vnguẽtis nos impleamus, & nó prætereat nos flos tẽporis, coronemus nos rosis, antequã marcescant, nullũ pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.] Ecce idem principium, idem antecedens assumunt, quod Paulus: [Tempus breue est inquiens,] & illi: [Exiguũ & cũ tædio est tempus vitæ nostræ.] Sed videtis quid inde colligunt: [fruamur ergo bonis quæ sunt,] quod *Sap. 2.*

Spiritus ſanctus perperam ab iis concludendum præuidens,[cogitantes(ait)apud ſe non rectè:] malè illos colligere ac argumentari euidenter ſignificat. Cùm enim ex vitæ breuitate, vitam ſanctè ſibi inſtituendam concludere debuiſſent: [venite(inquiũt) & fruamur bonis quæ ſunt.] fruamur carnis voluptatibus, epulemur quotidie ſplendidè, & mortis memoriam à cogitationibus noſtris penitus pellamus;[& neſciunt quod tempus præterit,& mors appropinquat,& relinquent omnia aliis & moriẽtur.]

Eccl. 11.

2. Videtis quid ex vitæ breuitate colligũt,voluptatibus indulgendũ,carnis deſideria implenda,ventris ſeruituti ſeſe conſecrandos, pœnitentiam deteſtandam; ſeſe fluxis mundi diuitiis mancipandos, fragrantiſſimis odoribus, ebrietati ac luxuriæ ſeſe immolandos,ſecurè & ſine Dei timore in mediis voluptatibus viuẽdũ,nihil non tẽtandũ vt per fas aut nefas ſibi lucra acquirãt,quo voluptuosè viuãt,& pace ſine pace impunè fruantur:[Currũt(inquit Innocentius Papa)& diſcurrũt per ſepes & ſemitas,aſcẽdunt montes,traſcendũt colles,tranſuolãt rupes,peruolãt Alpes,tranſgrediũtur foueas,ingrediuntur cauernas, rimãtur viſcera terræ,profunda maris,incerta fluminis,opaca nemoris,inuia ſolitudinis,exponũt ſe vẽtis & ruinis & præcipitiis,imbribus,tonitruis,fulminibus,fluctibus,fluminibus & procellis;metalla cudũt & conflant;lapides ſculpunt & poliunt;ligna ſuccidunt & dolant;telas ordiuntur & texunt; veſtes inciduṇt & conſuunt:ædificant domos,plãtant hortos, excolunt agros,paſtinant vineas,ſuccẽdũt clibanos, exſtruunt molendina,piſcantur,venantur,& aucupãtur;meditantur & cogitant, conſiliantur & ordinãt, querelantur & litigant,diripiunt & furantur, decipiunt & mercantur,contendunt & præliantur,& innumera talia, vt opes congerant, vt quæſtus multiplicent,vt lucra ſectentur,vt honores acquirant,vt dignitates extollant,vt poteſtates extendant: & hæc quoque labor & mentis afflictio eſt.] Ecce quid ex

Innocent. de contem. mũdi. 12.

ſalutari

ſalutari principio? [exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ] concludunt, caducis inhiare rebus, quibus ſultè diu frui errore opinionis decepti putant, & neſciunt quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquent omnia aliis & morientur. Heu miſeri quid vos fruſtra fatigatis & laboribus excruciatis breuem voluptatem, vana mundi crepundia, inanes nominis ac familiæ fumos tantis doloribus emitis? quid longa ſperatis? breue eſt etiã, veſtro iudicio, quicquid hîc videtis, quicquid amatis, quicquid ambitis, arcta eſt præſens vita. Ex ſæculorũ & temporũ decurſu pauci vitæ veſtræ anni aſſignati ſúnt. Cur itaque ex breui temporis momento rebus hærendum terrenis infertis, cũ potius ex eo principio illas deſpectui habendas concludere debueratis, præſertim cùm vobis ſingulis momentis mors immineat: ad eã pernici curſu properetis, cũ inſtet vobis iudiciũ in quo ratio expẽſi & accepti reddẽda, inſtet æternitas, longa, inquã, & nunquã finienda æternitas: arctet vos Deus, cogátq; vt ad eã vos cõparetis & feſtinetis. Sed proh dolor quaſi in perpetuum hîc victuri, ita breuem vitæ curſum amatis, vt nunquam de æternitate præmij vel ſupplicij cogitetis. Et neſciunt quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquent omnia aliis, & morientur.

8. Licet exiguum tempus vitæ ſuæ & cũ tædio eſſe fateãtur, & hæc omnia quæ tãto cũ labore cõpararũt breui diſſipanda in genere ſentiant, malè tamen ac ſtultè in particulari inde inferũt: [fruamur ergo bonis quæ ſunt,] illíſq; cum pace ac tranquillitate vtamur: cum ſciant ſcriptũ eſſe: [Cum dixerint pax, pax, & ſecuritas, repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Ecce quid euenit mali ex mala ab hoc principio deducta concluſione: exiguum, inquiunt, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & tamen mali æſtimatores rerum rectæ logicæ imperiti imperitè admodũ ex eo antecedente peſſimam deducunt concluſionẽ:

1. *Theſſal.* 5. *Impius cum putat ſe in pace viuere, illi ſuperuenit repentinus interitus.*

ergo fruamur bonis quæ ſunt ſecuri & cũ pace genio indulgeamus & cùm ſibi ſecuritaté fruentibus huiuſmodi bonis ac pacem in multos annos vitę breuis pollicentur, improuiſo mors aduentu, in ipſo ſæpe voluptatis exordio ſuis eos ſagittis conficit, & parturientis exagitat doloribus: nec effugiét: quoniam obſcœni voluptatis partus, quos cum delectatione breuiſſima cóceperũt, animã efflare derepétè cogent, his, quæ tãto labore congregarũt, & quæ primoribus tãtũ labris guſtarũt, hoſtibus fortaſſe relictis, nimirũ ingratis filiis, quorũ gratia ſudarũt, laborarũt, corpus morti, animam inferno oppignorârunt, [bibentibus vinum in phialis, & optimè vnguento deliburis: & nihil patientibus ſuper cótritione Ioſeph, nullo dolore enim huiuſmodi filij & ſangulſugæ hæredes, nulla miſericordia tangũtur diuitiis & delitiis abũdantes, licèt parentes ſuos, vel in igne purgante, vel in inferni flammis vri ac cruciari intelligant. Quin igitur miſeremini animæ veſtræ, quam Deus veſtræ curæ ſaluandam commiſit? cur non hoc breue vobis tempus conceſſum in continua mortis cómentatione ſumitis, cùm ad hoc nati ſitis, vt in huius vitæ quaſi ſtadio ad metã & brauiũ virtutũ decurrétes, æternæ beatitudinis præmium conſequamini? cur non in illam oculis, animo, mente intenditis & contenditis? cur non hunc vobis, omnibuſque actionibus veſtris ſcopum præfigitis? ſed, heu! ſic viuitis, quaſi Deus præſentem hanc vitam vobis conceſſerit, vt in coniugio voluptuaremini, vt familiam ſtabiliatis, vt præſentibus fruamini, vt filiis diuitias, poſſeſſiones & delitias relinquatis, vt ſtabilem ſedem figatis quaſi hîc diu vel in æternum manſuri. [Sed neſciunt quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquant omnia aliis, & morientur.]

Simile. 9. Quemadmodum parturientem derepentè acerbiſſimi partus doloris corripiunt & ad extremum illam vitæ diſcrimen adducunt: ita dolor & angor mortis, extremi iudicij, huiuſmodi impios ſtatus ſui negli

negligentes corripit,percellit,angit,vt effugij locus illis minimè sit. Nam, vt ait Scriptura, μὴ ἐκφύγωσιν non effugient. Vultis cum summo dolore parturientis impij Antiochi audire gemitus & angores: [In quantam (inquit) tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ,in qua nunc sum qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea:ecce pereo tristitiâ magnâ in terra aliena.] En quomodo ex concepto dolore pariat iniquitatem,nec effugit, sed cum iniquitatis partu, in ipso enixu fœdam efflauit animam. Sequitur enim:[Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, & vt ipse alios tractauerat, peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est.]Satius illi foret pœnitentiæ lachrymis diuinum placare numen,cuius templum profanare voluit, & mortem sibi ingruentem ob tantum scelus opportunis precibus euitare, quàm insolentius iactitare sese Hierosolymam congeriem sepulchri Iudęorum facturum, vt sic sese de Deo vindicaret. O quàm malè ex illo salutari principio,exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ: concluſit sese nimirum de Deo vindicandum,cùm potius scelus in Deum commissum lachrymis expiare debuisset!Quare cùm licentius fręna suis desiderationibus impiis laxasset,angoribus ac doloribus mortis circunseptus, præter expectationem miserrimè periit: [Et nescium quod tempus prærereat,& mors appropinquet,& relinquent omnia aliis,& morientur.

1. *Macha.* 6.

2. *Macha.* 9.

10. Vultis etiam aliquem parturientium in ipso partu interitum audire! [Euntes quinque viri venerunt Lais: viderúntque populum habitantem in ea, absque vllo timore securum & quietum,magnarum opum,ducentem in bonis dies suos.]Ecce quomodo ex deliciarum abundantia & opum potentia licentius insolescendum concludunt!quomodo optimum illud principium:[Exiguum & cum tędio est tempus vitæ nostræ]negligunt, & ex eo inferunt huiusmodi luctuosam conclusionem:Fruamur ergo cum summa

Iudic. 18.

pace

pace & trãquillitate opibus magnis. Quis enim prohibet, quominus ſine vllo hoſtium timore noſtris indulgeamus voluptatibus. Sed ſtatim in vtero conceptus voluptatis & ſecuritatis fœtus, in ipſa parturitione geſtãtes interfecit: [Venerunt enim in Lais ad populum quiescentem atq; ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij: vrbémque incendio tradiderũt] O quã lachrymoſa ex tã ſalutari principio illis fuit hęc ſequela: magnis ergo fruamur opibus, & noſtris indulgeamus voluptatibus. Vix enim deliciis frui inceperunt, cùm repentinus ingruiſſet interitus: [Et neſciunt quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquent aliis bona ſua, & morientur.]

11. Vultis denique Holofernem concepto peccati fœtu infœliciter parturientẽ etiã audire? cùm Iudith intraſſet ante faciẽ eius, ſtatim captus eſt in ſuis oculis. Ecce quàm ſubitò concepit peccati fœtũ! ſed attendite & videbitis in ipſa parturitione calamitoſum eius interitum: [Exſoluit pugionem & euaginauit, & cõprehenſa capitis eius coma, percuſſit bis in ceruicem eius, & abſcidit caput eius:] Ecce quomodo ex neglectu illius boni principij: [exiguum & cũ tædio eſt tempus vitæ noſtræ;] Sibi indulgendum perniciosæ voluptati ſenſerit! nónne ſatius foret illi ex illo principio inferre: Domini populum diuexare deſinam, ciuitatem eius, quam ſtricta premo obſidione liberam penitus dimittam: tua ô Iudith modeſtia ac pietate permotus, in gratiam cũ Deo Iſraël redibo, ſi fortè mihi populóque meo parcere velit. Nónne, inquam, huiuſmodi ſalutarem ſatius foret ex illo principio concluſionem inferre, quã illicita velle frui voluptate, & antequam concupitũ conſequeretur amplexũ, capite diminui, atq; ad tartarũ deſcẽdere. [Et neſciunt quod tẽpus prętereat, & mors appropinquet, & relinquét aliis bona ſua & moriẽtur.]

Iudith 10.

Iudith 13.

12. Quid, obſecro, & vos iudicatis auditores, recténe illi concluſerunt? [Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ: ergo fruamur bonis quæ ſunt, hodie

hodie comedamus & bibamus, cras enim moriemur.] Fræna iniquitatis licentiæ laxemus, pœnitentiam in extremũ vitæ punctum differamus, nihil simus solliciti de æternis calamitatibus, quæ certò certius voluptuariis & vitæ suæ statũ negligentibus superuenient: gaudeamus ergo, epulemur, luxuriemur. Nóne vestro omnium iudicio eiusmodi malè ac perniciosè sibi, ex tã bono principio infaustam deducunt conclusionem? Sanè hoc ipsum velint nolint, fateri cogẽtur, vbi suas cõclusiones ad sua rursus principia referre illis nõ licebit, vt cognita cõclusionis pernicie se in assumpto falsos esse doleant, corrigántq; malè concluſa: vbi, inquã, ad principia recurrere nõ licebit, vt inde rectè in posterũ discãt colligere, sed cogentur palã fateri se pessimè ex vero antecedẽte, errore opinionis deceptos, falsa, infausta & erronea cõclusisse: [Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen nõ luxit nobis, & sol intelligẽtiæ nõ est ortus nobis: lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarũ iactãtia quid cõtulit nobis? Trãsierũt omnia illa tãquã vmbra.] Sed vbi hæ impiorũ calamitosæ cõclusiones exaudiũtur? vbi hæ quotidie ingratæ cãtilenæ ingeminãtur? vbi luctuosum illud, ergo, singulis momẽtis redintegratur, vbi falsa & erronea cõclusisse sine vtilitate confitentur? audite ex ipso Sp. S. ore: [Talia dixerũt in inferno hi qui peccauerũt.] O quã serò agnoscitis ex bono principio vos malè cõclusisse! ò quã calamitosum vobis est, ex malè in vita conclusis: vera tamen, infausta ac necessaria in inferno quotidie inferre: [Ergo errauimus.] O quã satius vobis cũ Paulo, cæterísq; iustis & bonis bona cõcludere, quã ex bono mala, & ex malo mala, quibus in æternùm tartari cruciatibus subiecti cumulamini. [Et nescíunt quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquent aliis bona sua, & morientur.]

Sap 5.
Ex bono principio si malè cõclusisse secùs impij intelligent.

13. Siccine gratis dæmoni vos ob breuissimã vendidistis

didiſtis voluptatem? ſiccine veſtris vos affectibus dæmoni colligandos tradidiſtis? ſiccine malis imbuti moribus, & in cœno voluptatum demerſi ſtulti facti, ex bono principio mala potiùs inferre elegiſtis, quibus modò oppreſſi in inferno iacetis, quàm bona, licèt carni ac ſanguini tædioſa, quæ tamen æternum gloriæ vobis pondus hodie comparaſſent! O quàm multi ſunt, proh dolor! qui horum ſequuntur nihilominus veſtigia! quàm multi ex hoc ſalutari principio: [Tempus breue eſt,] etiamnum malè colligunt! quàm multi proinde inter nos, proh dolor! ſunt, qui cum his impiis lachrymoſas has cantilenas, lugubre illud: [Ergo] perpetuò geminabunt, niſi eorum perterriti exemplo, dum tempus modò habent, à mala deductione, à tam ſalutari principio deriuata, ad præmiſſas perpendendas feſtinent, vt malam inter illas ac concluſionem, connexionem deprehendentes ex bono illo principio, diſcant in poſterum bene concludere! O vtinam nemo ſit inter nos, qui ita malè viuat, qui ita diuitiis inhiet, qui illicitis operam voluptatibus applicet, qui luxuriæ ſeſe mancipet, qui aliena rapiat, qui odio ſuum poſſequatur proximum, vt ex illo bono principio peſſimè concludere meritò deprehendatur! Vtinam ſalubre illud principium: [Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ:] in ſuum aliquando exitium, inter nos multi non vertant! vtinam ex eo huiuſmodi aliquando non inferant concluſiones: [Fruamur ergo bonis quæ ſunt, vtamur creaturis,] ad noſtram perniciem, & corporis ac animæ interitum, modò ad breue vitæ tempus deliciosè & luxuriosè viuamus: [Et neſciunt quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquent aliis bona ſua, & morientur.]

Impiorum æmuli.

14. Aliam inferunt non minus perniciosam ex illo ſalutari principio concluſionem: ergo vino pretioſo nos impleamus, in quos horrendum væ propheta Iſaias fulminat: [Væ qui potentes eſtis ad bibendum

Iſa. 5.

Digitized by Google

bendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.]Heu!quàm luctuoſa hæc ex tam diuino principio : [exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ.]Impij inferant concluſionem : [pretioſo(ergo) vino nos impleamus.] Scientes tamen à Sapiente ſcriptum eſſe : [Amaritudo animæ vinum multum potatum.] Tantam enim in bibacibus vinum copioſè epotatum amaritudinem procurat,vt nulla maior reperiri poſſit;ex vino enim in intimis animę paſſionibus ingens naſcitur amaritudo,totam etiam familiam amaritudine miſcet,amaritudinem in omnibus potatoris actionibus ob innumeras foueas,& infinita,quibus ſe ſubiicit,pericula , procreat amaritudiné in corpore, ob vulnera & dolores quibus ebrioſi ſubiecti ſunt:amaritudinem in honoribus, quos præ reliquis magni ducimus ob erubeſcentiam,ſuffuſionémque oculorum. Quare Salomon, [Cui væ? (inquit)cuius patri væ?cui rixæ?cui foueæ?cui ſine cauſa vulnera?cui ſuffuſio oculorum? nóne his qui commorantur in vino , & ſtudent calicibus epotandis?] *Eccl.31.* *Prou.23.*

Ecce quàm pernicioſam huiuſmodi ex tam proficuo antecedente concluſionem inferunt : [Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ.] Ergo bibamus, cras enim moriemur. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum,quod rationis iudicium offuſcat,cõtentiones & bella procurat,robur & natiuam virtutem eneruat,infirmitates generat,mortem accelerat, rebus temporalibus ſpoliat;& quod deterius eſt,diuinam maledictionem inducit. [Quid,obſecro,turpius (vt ait Innocentius)ebrioſo,cui fœtor in ore, tremor in corpore?qui promit ſtulta : prodit occulta:cui mens alienatur, facies transformatur?]ádiice his ignorantiam ſui ,dubia & parum explanata eius verba,incertos oculos , gradum errantem , vertiginem capitis,tecta ipſa mobilia,velut aliquo turbine circumagente totam domum,ſtomachi tormina cùm efferueſcit merum,viſcera torquens.O ſi tanta mala ex infaulta illa concluſione procreari animaduerterent, *Innoc.de vilit.cond. humana.*

Digitized by Google

terent, nunquam ex tam vtili principio huiuſmodi calamitoſam inferrent concluſionem: ergo bibamus, cras enim moriemur. [Et neſciunt quod tempus prætereat,& mors appropinquet,& relinquent aliis bona ſua,& morientur.]

15. Muſca & alia nonnulla inſecta ſuctu viuunt, ideóque eis pro lingua eſt fiſtula: ita quoſdam videas bibones, qui potu viuant, & ita à cibo abhorreant, vt eorum lingua in fiſtulam verſa eſſe videatur, qua potum ſemper hauriunt,& in ſtomachi cloacam traiiciunt. Quare meritò ebrioſos Auguſtinus paludibus cõparat: [Omnes(inquit)ebrioſi tales ſunt quales paludes,in quibus ſerpentes,ſanguiſugæ,ranæ,& diuerſa genera vermium naſcuntur,quæ magis horrorem poſſunt generare, quàm aliquid quod ad victum proficiat exhibere: ita & in hoc ſtagno corporis vino redundante,vermes potius & vitiorum ſerpentes generantur, quàm bonorum operum fructus. Et ſicuti herbæ, quæ in ipſis paludibus vel circa ripas earum naſci ſolent,nihil vtilitatis habent:quare & annis ſingulis incendio cremantur: ſic vitiorum lolia, quæ in cœnoſa animi palude creſcunt, nihil penitus vtilitatis, ſed multum nocumenti habent: quare quicquid de ebrietate naſcitur æterno præparatur igni. Hinc Iſaias ſubdidit: [propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis,& calor flammæ exurit:ſic radix eorum quaſi tauilla erit, & germen eorum vt puluis aſcendit.] Quanta hæc in ebrioſum comminatio! væ ergo illis qui potentes ſunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Væ qui ſe ſuóſque conuiuas inebriare ſtudent, & magni ducunt æqualibus hauſtibus ſuos conuiuas ſuperare: [Quæ gloria (inquit Seneca) eſt capere multum? cùm enim penes te palma fuerit, & ſuperſtes toti conuiuio fueris, cùm omnes viceris virtute magnifica, & nemo vini tam capax fuerit, vinceris dolio.] Væ ergo illis qui exiſtimant, niſi è conuiuio ebrios, ſuíque ac mentis impotes dimittant, nec

Aug. 231. de vitãda ebrietate. Similia.

Iſa. 5.

Senec. ep 85.

conui

conuiuas bene excepiſſe,nec ſuo honori ſatisfeciſſe? vę conuiuis qui bene ſeſe exceptos minimè arbitrãtur,niſi à conuiuio ebrij,& impotentes recedãt.Huiuſmodi aſinis & canibus turpiores eſſe Chryſoſt. aſſerit: [Quantò melior (inquit)aſinus,ebrioſo eſt? quantò canis præſtantior? omnes certè animãtes rationis expertes cũ bibunt aut comedunt,vltra quàm ſatis eſt,etiamſi mille homines cogerent , nunquam elabuntur:peiores igitur irrationabilibus vos eſtis, qui inebriamini.]Nec cõtẽti ſunt tot ſibi mala ebrietate adſciſcere,ſed ſuã etiam poſteritatem omnibus nudãt bonis:[vno enim die(vt ait Amb.)bibũt multorum dierũ labores ex argenteo puteo. Quid,obſecro, aliud magnũ argenteum ſiue vitreum poculum quod hominẽ inebriat & ratione priuat,quã profundus vini puteus,in quẽ ſi cadit ebrius,animum & rationem ſuffocat,laboréſq; ſuos demergit.Ecce quàm luctuoſa hæc cõcluſio ex bono principio deducta,in argẽteo vel aureo puteo vino exũdante nos ſuffocemus:[ebrioſus.n.(Aug.teſt.)cũ abſorbet vinũ abſorbetur à vino:]& neſcit quod tẽpus prętereat,& mors appropinquet,& relinquet aliis bona ſua& morietur.]

Chryſoſt. ho. 58.in Matt.

Ambr. lib.de Helia & ieiunio. c.12. Ebry ſe in argenteus aut aureis puteis ſuffocant.

Aug.l.de pœniten.

16. Neſcitis,ô miſeri,ſcriptũ eſſe:[Nolite inebriari vino,in quo eſt luxuria.]Et tamen ex illo fœlici Sãctorum ac Sapientũ antecedente,infœlicẽ hãc infertis cõcluſionẽ:[pretioſo ergo vino impleamus nos.] & neſcitis vos hac ratione iacturã ſimul vitę & fortunarũ facere:ecce quid dicat Eccl.[Propter crapulã multi obierunt,qui autẽ abſtinens eſt, adiiciet vitã.]Nónne Sampſon repletus vino per Dalilã hoſtibus traditur? Nóne Holofernes ebrius à fœmina capite diminutus?nónne filij Iob,dũ vinũ biberent improuiſa domus ruina oppreſſi ſunt ? nónne Herodes inter pocula caput Ioan.Baptiſtę pręcidi imperauit? nónne diues epulo ob exceſſum in potu & ſplẽdidis conuiuiis derepẽtè vita excedẽs,& tartaro mancipatus ne guttulã quidem aquæ poſt hanc vitã habere meruit?nónne Alexãder ebrius Clytum chariſſimum

Eph.5

Eccl.37.

ſuũ,& ſeipſum Herculaneo ſcypho interemit?nónne Balſaſar Monarcha vltimus Babyloniorũ, temulẽtus vidit manũ in pariete ſcribẽtẽ, Mane,Tekel,Phares: & eadem nocte à Cyro regno & vita ſpoliatus eſt. Quot verò fortunarũ,& famę iacturã fecerũt,nemo eſt qui non videt:[Operarius enim ebrioſus non locupletabitur.]vę ergo qui ſurgitis mane ad ebrietatem ſectandã!Nã prętерquã quòd Deum grauiter offenditis,vosmetipſos tãquã idola gentiũ iuxta illud Baſil.conſtituitis: [Quid,quæſo,ſunt ebrij aliud quã Gentiũ idola:oculos habẽt & nõ vident:aures habẽt & nõ audiunt:nares habent & nõ odorãt:pedes habent & nõ ambulãt.]Ad tantã etiam ſæpè ſui cultores ebrietas egeſtatem adigit,vt violẽtas ſibi inferre manus eligãt,quã illi bibẽdi conſuetudine priuẽtur. Hinc Imp. Bonoſus boni verè oſor,vir extrema gula & ebrietate inſignis,Imperij ſui theſauris per ebrietatẽ & ventris ingluuiẽ deuoratis, cũ ſeſe ſuſpendio ſuffocaſſet, interrogatus quidã qui eius mores & violentiã nouerat,quiſnã eſſet ſuſpenſus?reſpõdit nõ hominem eſſe,ſed vini amphorã. Ecce quã ſibi funeſtam ex malè deductis è ſalutari tamen principio, concluſionem tandem intulit,qui toties aliàs aureis poculis mentẽ ſuffocauit,vt ad extremũ laqueo ſeſe ſuffocaret: Quid volo alios rẹcẽſere,qui ex illo perutili antecedente:[exiguũ & cum tædio eſt tẽpus vitæ noſtræ,] omnes ſuas opes ſibi deuorandas tã perditè cõcluſerũt! Quare Platõ generoſum cõſpicatus adoleſcentẽ, patrimonio per ebrietatẽ cõſumpto ad fores Pãdochij panes edentẽ & aquã bibentẽ : ſi(inquit)moderatè prãdiſſes,numquam ſic cœnares.Imo adeò ſeſe aliquando patrimoniorũ ſuorũ dilapidatores ebrietati ac ingluuiei mancipãt, vt in ea omnem ſuam conſtituãt fœlicitatẽ:quare ex illis vẽtris mãcipiis vnus Philoxenus, cũ in caupona ollã vidiſſet, in qua deliciæ coquebantur,odore captus iuſſit filiũ ollam emere, quo ſaltẽ deliciarum odore ſeſe oblectaret;quinetiam collum ſibi longius quàm gruibus

Eccl 19.
Iſa. 5.

Baſil.hom.in ebrieta.
Pſ.113.

Vopiſcus.

Maxi.ſer.61.

Ælia.de varia.hiſt.l.10.

exo

exoptabat,vt in gustu magis oblectaretur. Reuocet obsecro,in memoriam quilibet ebriosus,qui ex illo salutifero antecedéte : [Exiguum & cũ tædio est tẽpus vitæ nostræ,]hanc insaustã infert conclusionem: [Vino igitur pretioso nos impleamus :] reuocet,inquam,in memoriã inexpectatam illã diuinę vindictę sententiam in Balsasar fulminatam, in se fortassis,in ipso vini haustu fulminandã:] Mane, i. numerati & succisi sunt dies vitæ tuæ. Quare breui & fortè hac die,hac hora,hoc momento morieris:Tekel,i. appẽsus es in diuinę iustitiæ statera,& inuentus es minus habens , imò nihil habens sobrietatis , virtutis aut meriti:quia grauis es vino & vitiis:Phares,i.diuisus es , corpus tuum quod ita saginasti in epulum vermibus iamiam consecrabitur, anima dæmonibus æternis crucianda tormentis deuota. [Et nescis quod tempus prætereat , & mors appropinquet, & relinques aliis bona tua,& morieris.]

Arist.in Ethic. & Brus. li.3.c.1.

17. Sic diuiti illi,cuius Christus mentionem facit apud Lucam,ex improuiso contigit; Cùm enim neglecto perutili illo principio: [Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ.] Collectis in sua horrea terræ frugibus,animæ suæ quasi diu victurus adblãdiretur,cùm tamen vitã suam breui finiendã potius iudicare deberet: [Anima(inquit)habes multa bona posita in annos plurimos,requiesce,comede,bibe,epulare:]Sed statim audiit,[Stulte hac nocte animam tuam à te repetẽt,quæ autẽ parasti,cuius erũt?]Nõne malè conclusisse se reperit,cùm subitò infernalibus traderetur cruciandus tortoribus.O quoties cũ cæteris impiis veram hãc & sibi infestissimam ex illo salutari principio,malè à se deductam sequelam, [ergo errauimus]etiamnũ ingeminat[à via veritatis &c.] Et ne fortè illi soli hoc contigisse putaremus, subdit Deus:[Sic est qui sibi thesaurizat,& nõ est in Deum diues:]hoc est,quilibet alius,qui tantùm suis studet commodis , séque carnis illecebris deuouet, Deíque gratiæ incrementa , quibus verè diues esse

Luc.12. Dives ille qui putabat se diu victurum, suisque bonis frui, statim à dæmonibus rapitur.

Digitized by Google

potiit,negligit, verè ſtultus eſt & pauper, cuius anima quãdo minus cogitat,à dæmonibus, etiã in ipſo voluptatis ſæpè medio raptatur. [Et neſcit quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquet aliis bona ſua,& morietur.]

18. Sic etiam obtigit diuiti epuloni, qui neglecta tam frugiferi antecedẽtis conſideratione: [exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ,]malè concluſit. Ex vitæ enim breuitate fræna iniquitati ſuæ ac voluptatibus laxare ſtatuit, ſed ex improuiſo dum ſeſe epulis ac voluptatibus daret,ad inferni abyſſum raptus,pœnas luit etiamnum ſempiternas:[Mortuus eſt diues & ſepultus eſt in inferno.] Poſt delitias, æternis traditur flammis, & ita malè ſe concluſiſſe ex illo ſalutifero antecedente tandem, licèt ſerius, intellexit,nam ne guttam quidem aquæ, vt linguam inter flammas æſtuantem, paulùm refrigeraret, ab Abrahamo impetrare potuit, neque vt è mortuis quiſpiam ad fratres in mundo peccatis ſepultos mitteretur, qui tantarum pœnarum acerbitatem illis ſignificaret. Nam qui ſemel ſeſe vitiis penitus mancipant, genióque quotidie indulgent, tantùm abeſt,vt mortuis ac inferni tormenta experientibus, infauſta ſibi nunciantibus crederent, vt potius tanquam inania ſomnia quæcunque ab illis narrarẽtur, eſſe exiſtimarent,neque minus ſeſe ſuis in poſterum voluptatibus conſecrarent. [Et neſciunt quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquent aliis bona ſua & morientur.]

Luc. 16. Diues epulo mortuus, in inferno ſepultus eſt.

19. Denique aliam inferunt ex hoc principio, [Exiguum & cum tædio eſt tempus vitę noſtræ,]ſibi infauſtiſſimam concluſionem. Ergo [nullus locus ſit per quem non tranſeat luxuria noſtra.] Quare horrendam huiuſmodi concluſionẽ inferentibus,ex tali principio væ, intonat idem prophęta Iſaias:[væ(inquit)qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum clauſtri peccatum, væ illis qui trahunt peccata ſua ſicut reſtim longam: [Luxuriæ

Iſa. 5.

Luxuriaſtes

ac

ac turpitudini deditus in funiculis vanitatis iniquitatem trahit, iniquitatem quasi funiculos contexit, quibus animam suam meretrici ligatam tradit. Heu! quot obscœna verba, furtiua oscula, tactus inhonestos, veluti multiplicata fila contexit vt turpi fruatur voluptate, quibus tanquam fortibus semel colligata vinculis anima, nequit se sine miraculo expedire; sicut enim ex filis paruo labore funes etiam nautici paulatim nectuntur, quibus si semel ligatus fueris, vix aut nę vix quidem te extricare poteris: sic hoc luxuriæ peccatum, licèt suaui vt putas labore, ex multis conficias actibus, ita tamen excrescit, vt tandem adamantinis liget animam vinculis, quibus semel alligata multò difficilius dissoluitur, quàm plaustri fortissimum vinculum. His itaque vanitatis filis luxuriæ nimirum frequentibus actibus vinculum semel contextum, nisi Deus ipse magno miraculo dissoluat, in nullius potestate est dissoluere, in hoc Gordium superans nodum, quod hic ex cornipapyro plicabili, & in omnem partem flexili connexus, licèt nexuum capita occultarentur, obliquisque inuolucris variè inter se abdita, ferro saltem discindi poterat: ille verò peccatorum nodus inextricabilibus connexus luxuriæ actibus, diabolica arte, non ex filis sed ex adamantinis confectus voluntatis desiderijs, nec ferro, neque alicuius hominis industria, sed solius Dei omnipotentia dissolui possit. Ecce quàm pernicioſè huiusmodi, ex tam bono antecedente inferunt sibi ex luxuriæ variis actibus vinculum ac nodum contexere, quæ hunquam nisi seria pœnitentia per Dei omnipotentiam dissipari possunt. [Et nescium quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquent aliis bona sua & morientur.]

sibi & alijs longam contexit vestim qua ligati dæmoni traduntur.

Nodus Gordianus.

20. Verè huiusmodi non tantùm sibi funem ex eo principio contexendum fortissimum ducunt, sed adeò etiã longum, vt plurimis subseruiat colligandis

mortalium animis. Væ ergo non tantùm illis qui trahunt iniquitatem in funiculis, ſed iis etiam qui ita trahunt eam in longum, vt reſtim inde longiſſimam conficiant, qua multorum animæ illaqueentur. Attendite, attendite quibus conſtringantur viſcoſis, nimirum luxuriæ, vinculis, à quibus ſeſe expedire nequeant. [Sunt (enim vt ait Gregorius) deſideria viſcoſa, quia ex ſuggeſtione oritur cogitatio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex defenſione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Ecce quomodo ex longa hac luxuriæ reſte luxurioſus colligetur, donec victima fiat tartaro iuxta illud Sapientis: [ſequitur eam (mulierem nimirum) quaſi bos ductus ad victimam.] O inſenſatum libidinoſum, ô ſtolidum bouem, qui ad oblectationem huius vitæ ſe duci putat, cùm ducatur ad inferni macellum, tanquam victima dæmonibus dedicata: ſic infœlix ille Herodes, qui ſicuti ſtultus bos Herodiadem ſequutus eſt, & ſicut ferox taurus œſtro exagitatus ſanctiſſimum virum Ioannem inuaſit, quòd libidinoſos prohiberet cum fratris vxore complexus, atque occidit, ad victimam tartarique macellum cum nominis facinoríſque ſocia Herodiade ductus acerbiſſimas iam ſui incæſtus pœnas luunt: [& neſciunt quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquent aliis bona ſua & morientur.]

Gregor. in Morali.

Prou. 7.

Victima tartari libidinoſi.

21. Væ ergo qui peccatis peccata cumulant, actus actibus, oſcula oſculis, mendacia mendaciis, tactus tactibus, donec longiſſimam ſibi & aliis æternæ damnationis reſtim contexant, in quos illud ſapientis quadrat: [Iniquitates ſuæ capient impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringetur.] His vinculis iuſtitiæ Dei obſtrictus peccator diuino ſiſtitur tribunali, vt extremam æternæ damnationis ſententiam in ſe ferri audiat. O ſi huiuſmodi ſecum diligenter

Prou. 5.

diligenter conſideraſſet, qualem concluſionem ex breui & tædioſo vitæ tempore debuiſſet colligere, tantùm abeſt, vt ex illicitis luxuriæ actibus ſibi longiſſimam conficiendam reſtim duceret, vt potius ex ſerio pœnitentiæ labore cœleſtem ſibi ſcalam ex variis virtutum actibus conflaſſet, qua cœlum ſine vllo labore à morte ſtatim aſcenderit, cuius rei neglectu infœlix vdo ſacrilegæ indulgens voluptati temporis momento ex vdo detractus ludo ſeſe malè ex illo principio collegiſſe didicit. Nam ſtatim per angelum euocatus, è ſacrilego lecto, coram cœleſti curia Chriſto ac Beatiſſima Virgine, in templo capite plexus, ad æterna tartari incendia præcipitatus eſt. [Breuis nimirum voluptas, (vt ait Beda) fornicationis, ſed perpetua pœna fornicantis, & neſcit quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquet aliis bona ſua, & morietur.] *Beda de templo Salo.*

22. Diſcamus igitur alieno malo hanc belluam implacabilem luxuriæ fugere, diſcamus fœminarum conſortium euitare, arbores enim ſunt noxiæ, quarum fructus boni & mali ſcientiam comedenti ingerunt, fructus ij vetiti nobis ſunt, alieni enim ſunt, ac proinde carpenti nocent, [deprauatum eſt cor Salomonis per mulieres vt ſequeretur Deos alienos:] videtis quos fructus tuæ arbores proferant, vetitos nimirum, nolite igitur eos decerpere, fœminarum ſocietatem ac familiaritatem extimeſcite, harum enim eſt proprium hominum corda deprauare, iuxta illud Danielis ad impium Iudicem: [ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.] Ecce quomodo mulieris ſpecies cor hominis deprauet! ſi itaque velimus cor noſtrum mortis hora Deo, diuiſque conſecratum, velis remiſque fœminarum ſpecies fugiamus: fugit viator foueam profundam, fugit puteum in via occurrentem ne incautus in illam illabatur, & ſubmergatur. Quæ profundior fouea, & quis altior & periculoſior puteus effrænata libidine? plures hæc quotidie

3. *Reg.* 11.

Dan. 13.

Digitized by Google

absorbet animas quàm omnes foueæ & putei, imò quàm ipse oceanus corpora. Si igitur, ne vitæ huius iacturam faciamus, foueas fugimus, puteos euitamus, cautè nos oceano committimus! Nonne multò diligentius voraginem hanc animarum euitare nos oportet? Audite Sapientem: [fouea profunda est meretrix, & puteus angustus, aliena,] & in hanc foueam, in hunc puteum concupiscentiæ flammis exæstuantem nos sponte præcipitabimus vt in æternas incidamus flammas. [O ignis infernalis (exclamat Hierony.) luxuriæ! cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna:] & nescimus, quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquemus aliis bona nostra, & moriemur.

Prou. 23.

Hieron. epi. matri & fi-ŏa.

23. O vtinam nobis ante oculos has calamitosas impiorum conclusiones ex bono principio malè deductas semper habeamus, vt quid illis inde euenit, nobis idem obtingere vereamur, si eorum vestigiis insistere velimus. Meminerimus, obsecro, omnia à nobis malè concluſa ex optimo illo principio, in vltima vitæ periodo, nobis à dæmone palam proponenda: [In fine enim hominis denudatio operum] (vt nos in desperationis præcipitium impellat.) Meminerimus etiam malè concludentibus æterna inferni tormenta proposita. Insuper meminerimus huiusmodi malos diaiecticos eandem cum impiis cantilenam inter tartari æternos cruciatus ingeminaturos: [Ergo errauimus à via veritatis:] quid tum facient, quid solatij quærent inter ardentes inferni flammas? ô quoties vnusquisque exclamabit: O si, ô si, ô si semel à pœnis liberatus gratiæ restitui possem exhausta totius maris aqua guttatim vnica absumpta extremo digito gutta quibuslibet ducentenis millibus annorum reuolutis, & rursus mari repleto, meis lachrymis, vna tantum singulis millenis annis emissa, si, inquam, tum à pœnis liberarer, quantum

Ecclesiast. 11.

Æternitas pœna.

Digitized by Google

quantum mihi hoc eſſet ſolatium! O ſi poſtquam rupes adeo magna vt cœlum terrámque ſua compleat valtitate, auiculæ roſtro ſemel milleſimo quoque anno percuſſa, ita penitus attereretur, vt nihil omnino remaneret, ſi tum, inquam, à pœnis ad gratiam reſtitueret, quanta mihi lætitia foret! ô ſi poſtquam mons ex arenis tantæ magnitudinis, vt mundum vniuerſum implere poſſit tantæ altitudinis, vt ſuo vertice cœlos attingat, ſi, inquam, poſtquam huiuſmodi mons penitus abſumeretur, ſublata milleſimo quoque anno vna tantummodo arenula, à pœnis liberandus eſſem, dici non poteſt quanta perfrùerer voluptate. Nunc autem cùm certiſſimò mihi conſtet, poſt omnes hos infinitos penè millenarios in pœnis abſumptos, alios & alios millenarios in infinitum, in æternum & vltra pœnarum ſupereſſe, tanquam infinito hoc æternitatis pondere oppreſſus deſperatus omninò ſingulis momentis luctuoſam infero hanc concluſionem: [Ergo errauimus à via veritatis:] & cùm non liceat mihi concluſionem huiuſmodi ad præmiſſas referre, neque corrigere malè à me concluſa, per totam æternitatem, per vnum perpetuum hodie, quod non tranſit in præteritum aut futurum, mihi horrendum in modum vociferandum: ô æternitas ergo! ô æternitas! quàm longa es æternitas, quàm rarò verſaris in mentibus hominum ô æternitas! ſed peccator, heu! neſcit quod tempus prætereat, & mors approquinquet, & relinquet aliis bona ſua & morietur.

24. Quàm facilè, ô peccator, hodie illud tormentorum mare quod nunquam poſt hanc vitam exhauriri poteſt, aut exhauſtum implerilquàm facilè inquam vnica modò pœnitentiæ lachrymula illud exhaurire & exhauſtum gratiæ plénitudine replere poſſis! quàm facilè immenſam illam peccati rupem tui cordis oſtio admotam modò atterere vna contriti pectoris tunſione, quæ tamen adeo dura ac imperuia eſt, vt acutiſſima ferramenta illam pene-

Facilè per pœnitentiam pœna æternitatem vitare poſſumus.

trare & atterere libratis ictibus non possint: quàm facilè, inquam, acuminato pœnitentiæ stylo illam atterere posses, modò Spiritus sancti ictibus illam subiternas, supercœlesti enim statim emollescet igne,& sic vnica pectoris tunsione,in nihilum redigetur,quæ tamè post hanc vitam immota, imperuia, inexhausta, perseueratura sit. Quàm facilè montem illum arenarum,tibi modò exhaurire,quem præ sua magnitudine ac arenarum multitudine finiri vix posse, sublata millesimo quoque anno vna arenula humana mens cupit,cùm minima inflammatę charitatis eximo cordis cogitatio eum penitus hic in se absorberet: sed peccator nescit quod tempus prætereat, & mors appropinquet,& relinquet aliis bona sua,& morietur.

Sicuti hoc æternitatis pondus damnatos omninò opprimit: sic è contrario sanctos cœlesti perfruentes beatitudine, mirum in modum recreat, eorúmque corda dilatat. Certò enim sciunt regnaturos se in æternum & vltra cum Deo,cum Christo, cum B.Virgine, in societate angelorum omni gloria ac voluptate in perpetuum redundantes.Quare meritò exclamare identidem possunt: ô fœlix æternitas, ô æterna fœlicitas, momentaneum enim & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum hoc gloriæ pondus operatum est in nobis.

Exemplvm.

Specul. Exẽp. exemp. 13. de inferno.

25. Miles quidam virgini, quam viuus deflorauit,mortuus apparuit,rauca voce lóquens:quæ cùm quæreret raucitatis causam, quia, inquit, in vocis dulcedine gloriabar, cantilenas luxuriosas & sæculares decantabam: Cuius cum crura nigerrima & scabiosa,& vulneribus plena apparerent, quærenti causam respondit, quia multum gloriabar in cruribus meis, nunc inter spinas gradior,crucior,vulnerórque:addit mulier,quis est reliquus status tui corporis?

zed by Google

poris? ait ille: Aperi oculos tuos & vide, & proiecit pallium à pectore quo amictus videbatur & vidit maximum bufonem & teterrimum pectori eius inhærentem, ita vt brachiis collum eius ſtringeret, & os ſuum ori eius iungeret, cuius etiam venter per ventrem eius dependebat, pedibus eius genitalia quaſi quibuſdam loris ſtringere & ligare videbatur; Interrogatus quare hæc pateretur, reſpondit: pro oſculis lubricis, quibus te & alias mulieres oſculatus ſum; hæc patior, & pro opere libidinis in genitalibus crucior. Cumque quæreret vtrumne ab illis pœnis eſſet liberandus? reſpondit: non ores pro me: quia nihil mihi prodeſt, cùm in æternum ſim damnatus, atque ideo quod medicinam pœnitentiæ neglexerim; quo dicto diſparuit; fœmina autem recluſorium intrans per totum vitæ ſuæ curriculum ſua peccata graui pœnitentiæ cenſura caſtigauit.

SECVNDVM PVNCTVM.

26. Videamus in hac ſecunda concionis parte quomodo ex eodem impiorum principio: [Exiguum ac cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ,] iuſtus ſapienter ſalutarem deducit concluſionem. In primis ex eo ſapienter colligit ſui exordij vilitatem, & naturæ breui interitum, ac proinde in ſui cognitionē penetrans, quæ altiſſima philoſophia eſt, & de cœlo aduocata, neque ſe, neque vitam ſuam magni ducit: vt hanc naturæ vilitatē eiuſque ſubitum occaſum Hieremiæ Dominus oſtenderet, miſit eum ad domum figuli, vt ſuam matricem & originem cōtemplaretur, lutum ſcilicet, quo ſub potenti manu Dei, & ex vitæ ſuę humili exordio ac breuitate humiliaretur, vtque diſceret & doceret omnes homines eſſe in manu Dei, ſicut lutum in manu figuli, quod in vas efformare vel frangere pro ſuo arbitratu poſſit. Hinc Sapientes experientia & Scriptura docti ex ſuæ originis vilitate ac ſui interitus celeritate, exiguū & cum tædio eſſe tempus

Iuſtus ex hoc principio, exiguum, &c. ſapienter concludit.

Hier. 18.

tempus vitæ ſuæ colligunt. Quare ſe ipſos mente cõcipientes malorum quẽdam penũ, & miſeriarũ quendam mundum eſſe intelligunt, quod etiã ab ipſis Ethnicis diſcere potuerũt: [Si te ipsũ (inquit Plutarch.) intus aperueris, variũ quoddã, ac multis refertũ malis penũ reperies, ac mundũ quendã miſeriarum reconditum, vt ait Democritus, non quidẽ foris incidentiũ, ſed ipſo in ſolo, ipſãq; in terra ſuos habentiũ fontes vnde ſcaturiãt.] Hanc ſibi hominis imaginem omnibus plenam ærũnis in ſe depinxit Abrahã cum puluerem ſe & cinerẽ eſſe diceret: [Loquor (inquit) ad Dominum cũ ſim puluis & cinis. Et B. Paulus humilem hanc humanæ conditionis effigiẽ in ſe expreſſam videns, abortiuũ ſe & minimũ Apoſtolorum appellat, qui nõ ſit dignus vocari Apoſtolus. Dauid etiã, licèt ſpiritu ſancto teſte, vir eſſet probatiſſimus, naturæ tamen ſuæ conditionẽ, mortemq; ſibi imminentem præuidens, canem ſe vocat mortuum & pulicem. Quàm præclaram & fructuoſam Sapiẽtes hi ex illo principio, [exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ] concluſionem inferunt, ſe viles eſſe & abiectos, mortique obnoxios: & nos neſcimus quod tempus præterеat, & mors appropinquet, & relinquemus aliis bona noſtra & moriemur.

Plutar. in lib. cui ſitus. vtrum ſint grauiores animi morbi quàm corporis.

Gen. 18.

1. Reg. 14.

Ex vitæ breuitate vilitas noſtra colligenda.

27. Audiamus quid iuſtus & ſap. Iob ex hoc principio colligat, humanæ nimirũ naturę conditionẽ ipſis inſenſibilibus inferiorem eſſe. Cũ enim homo veluti malorũ omniũ & ærumnarũ ſumma & cumulus ſit, quippe ex muliere cui aſtutus ſerpens peccati venenum propinauit, natus, ſtatim [miſeriis (vt ait Bernardus) corporis, miſeriis cordis, miſeris cũ dormit, miſeriis cũ vigilat, miſeriis quaquà verſum ſe vertat repleatur.] Quid boni haberi poteſt ex omnis iniquitatis ſeminario, & mẽdaciorũ fraudũq; officina prodiens, atq; inter ipſas ſordes quarũ vel mẽtionẽ honeſtæ aures abhorrent, procreatus. [Hominẽ natura nudũ (vt ait Plinius) & in nuda humo natali die abiicit ad vagitus ſtatim & ploratũ, ab hoc lucis rudimento

Bern. ſer. ſer. 4. hebdomad. pœnoſa.

Plin. in proœm. l. 7.

mento vinculaexcipiunt,& omniũ membrorũ nexus: heu dementiã ab his initiis exiſtimantiũ ad ſuperbiã ſe genitos,]cùm tamen ab huiuſmodi initiis ad mortem ſeſe natos exiſtimare deberẽt. Et neſciunt quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquent aliis bona ſua, & morientur.

28. [Lignum habet ſpem, ait Iob, ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant. Homo verò cum mortuus fuerit & nudatus atque conſumptus, vbi quæſo eſt?] Ecce quàm humiliter vir ſanctiſſimus de ſuę naturę conditione loquitur: quaſi diceret: Arbor quæ abſciſſa & conuulſa & vetuſtate confecta pullulare iterum & vireſcere poteſt, & licet amputentur illi rami omnes, ſolæ tamẽ radices & truncus relicta: licèt longa vetuſtate quodãmodo corroſa (vt in lauro proſpicitur) humore vel leuiter deſcendẽte lætiora paulatim proferunt germina. Cui lõgè diſſimilis hominis natura & cõditio, nam ſemel exciſus & ex vita cõuulſus, ramis omnibus foliiſque decuſſis, membris nimirũ & ſentibus per mortẽ priuatus, nullas relinquit radices, neque aliquã corpori virtutẽ inſitã habet, vt rurſus in eandẽ vitæ rationẽ, quam ſemel amiſit ſęri, plantari, creſcere, virere poſſit, ac proinde in hoc ipſis arboribus vilior: ecce quomodo iuſtus Iob ex illo principio, naturę ſuæ vilitatem colligens, homini res inſenſiles præferat, & tamen mortalis homo, vt miſeriis circumdatus in hac ærumnoſa vita, & breui in ſua principia, vnde compoſitus eſt, reſoluendus adeo ſeſe effert, vt veluti quidam Deus in terra haberi & honorari velit. Et neſcit quod tẽpus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat aliis bona ſua & moriatur. *Iob.14.* *Iſai. 44.*

29. [Artifex lignarius ſuccidit Cedros, plãtauit pinũ, quã pluuia nutriuit, & facta eſt hominibus in focũ, ſũpſit ex eis & calefactus eſt, & ſuccẽdit, excoxit panes: de reliquo autẽ operatus eſt Deũ, mediũ autẽ cõbuſſit igni.]O quã ſimiles nos ſumus huic ligno licèt altiſſimos geramus Spíritꝰ, quod faber lignarius

in

in duas diuidens medietates,altera ſibi coxit panes, ſeſéque calefecit; ex altera verò idolum fabricauit, quod veluti Deum adorauit; Nam omnes ſiue nobiles ſiue ignobiles,ſiue diuites ſiue pauperes,ſiue Reges ſiue ruſtici , ex eadem radice ac primi parentis trunco peccato originis infecto,prodiuimus ; ex eadem etiam Adami & Euæ progenie & prædicamẽtali humanæ naturę arbore exciſi ſumus.Ergo lignũ illud primos noſtros parentes deſignat,quos artifex lignarius Deus plãtauit in paradiſo, & quos per generationis ſecurim ſuccidit , quorum medietas iam iam olim igni tradita, & in cinerem verſa:nam nati continuò deſiuimus eſſe,& in cineres,vnde originem traximus,ſtatim reſoluimur, quod quotidie fieri videmus.Sed quoniam multi inter nos ſuo iudicio potentes,diuites ac magna auctoritate præ cæteris,fulgent, licèt ex eodem ligno compoſitos ſeſe,ſi velint ad ſuam originem mentis oculos reflectere , probè intelligant,terræ tamen Deos ſeſe eſſe quodammodo exiſtimant,ac proindeſeſe inſolentius efferunt,iuxta illud Pſalmiſtæ : [Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.] At ſi huiuſmodi altorum ſuperciliorum homines conſiderare velint eadem ſeſe facilitate in ignem coniectum ac in cineres redactum iri,quippe qui ex eodem ſunt ligno exciſi,inſolentes animi ſpiritus nonnihil mitigarunt : præſertim cùm ſubdat propheta:[pars eius cinis,] quo illis ob oculos ponit,alteram huius ligni partem in cineres iam verſam eſſe , ſéque eodem modo in eoſdem verſum iri,licèt tanquam Dij fortes à ſtultis in hoc mundo augurentur.Hinc propheta:[& cor inſipiẽs adorauit illud.] O mortalium ſtoliditas ! ô intolerabilis inſipientia!ô inauditaac inſolens adoratio!ô inania mũdi idola!cur huiuſmodi adorationem vobisfieri permittitis?Satius foret mentis oculos cũ verè Sapientibus adoriginẽ & finem veſtrum retorquere,vt inde diſcatis breue vitæ veſtræ tẽpus & cum tædio eſſe. Nonne videtis coram oculis alterã huius ligni par-

Pſal. 46.

tem

tem in cineres redactam, & tamen alteram eiusdem ligni vos ipsos tanquam idola insipientissimè multitudine proposita adoranda exhibetis, cùm tamen omnes huius sæculi Imperatores, Reges, Principes, Dynastas, qui vos præcesserunt, morbis, igne, gladio ac mortis falce ita recisos esse constet, vt in cineres, vermes, ac arida ossa resoluti sint; & tu insipiens homo, qui in terra adoraris, cùm eiusdem ligni pars sis securitatem tibi vanius promittis, te Deum fingis, & ideo vehementer eleuatus vehementius insolescis; quippe qui ab omnibus coli & honorari affectas. Reuoca, reuoca, obsecro, teipsum ad tuæ originis ac finis vilitatem, & dic cum Sapiente, ex stulto factus tandem sapiens: [Et ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere illius terreni, qui primus formatus est, & in vētre matris figuratus sum caro, decem mensium temporis coagulatus sum, in sanguine ex semine hominis. Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans, & in inuolumentis nutritus sum & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.] Sed heu! quã rarò miser homo sibi ob oculos hanc communē omnibus originis ac finis sui vilitatem ponit, sed veluti in æternum victurus, Deus in terra haberi vult, & nescit quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquet aliis bona sua & morietur.

Sapient. 7. Pulchra humana miseriadescripto.

30. Sed quid iustus sapiens ex hoc principio infert? Se nimirū ex hoc ligno tāquam aridum ramū breui præcidendū, ac in cineres redigendū reputat, mortē semper ac suæ naturæ fragilitatem præ oculis habēs, animæ suæ vultū quem adeo perspicuè considerare nescit, suspectum habet, ac proinde sibi speculū obiicit hominem mortuū, ex cuius contemptione ad suæ animæ vultum sedulò considerandum reuocatus, ex eo qualis ipse sit futurus, & quàm vilis in præsenti

si

sit vita, licèt rex sit aut imperator, secum perpẽdens, sepulchrali sibi puluere proposito, in quem breui resoluendus est, pœnitentiæ lachrymis animæ nævos abluit, seque nihil ducit, qui breui, morte interceptus, vilissimo cuilibet sit æquandus. Hinc Ferdinandus Castellæ & Legionis Rex Catholicus morti proximus fixis genibus ad altare in hæc verè pœnitentis verba erupit: [Tua (inquit) est potestas Domine, tuum est Regnum. Regnum quod te dominante accepi, & quamdiu tuæ voluntati placuit rexi, ecce reddo tibi. Tantùm animam de voragine ipsius mundi ereptam, vt ipsam ad te suscipias deprecor:] & hæc dicens exuit Regalem chlamydẽ, deposuit & gemmatam coronam, qua caput ambiebatur, atque cum lachrymis solo prostratus, pro delictorum venia Dominum attentius exorabat. Tunc ab Episcopis accepta pœnitentia extremæ vnctionis Sacramento perunctus induitur cilicio pro ornamẽto regali, & aspergitur cinere pro aureo diademate, cui vitali in pœnitentia permanenti, coram prædicto altari duobus diebus à Deo viuere datum est. Sequenti autem, quæ erat S. Ioannis Euangelistæ inter manus Pontificum, cœlo tradidit Spiritum. Ecce quàm fœlicem iustus sapiens conclusionem ex salutari illo principio, [Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ,] deduxerit.

P. Cornel. Cornel. Cõm. in Num. cap. 23. ex Baronio, & Luca Tudensi. Fœlix mors Ferdinandi anno 1065.

Eodem loco.

31. Non minus fœlicem ex eodem antecedente Carolus Quintus Imperator cõclusionem deduxit. Memor enim cõditionis humanæ, vtĩ idẽ P. Cornelius ex Iusto Lipsio, diu ante mortem administratione reipublicæ se sponte submouit, & cũ in filiũ iam validum æui & animi, curas contulisset, successit in Hispaniã, & in S. Iusti monasterio, septem à Placentia milliaribus se abdidit, cum duodecim duntaxat familiaribus, Deo & quieti vacaturus: Interdixit autem aliter se quàm Carolum appellari, Cæsaris atque Augusti nomina cum rebus animo exuens & totũ hoc honorari contemnens. Imo hoc amplius ferunt, diu

ange

ante imperiũ à ſe abdicatũ ſarcophagũ ſibi conſtrui iuſſiſſe,cũ funebri ſupellectile deportandũ,clanculũ tamen,quocunq;iret,quẽ paratũ habuit apud ſe quinque annis,vbicumq;locorũ eſſet. Arbitrabátur autem quidam,qui circa eum erant,theſaurũ aliquem illic detineri & conſeruari:alij aliquid librorũ,quibus hiſtoriæ vteres continẽtur:alij aliud quidpiam magni. Cęſar verò ſibi cõſcius in quẽ vsũ ſecũ deferret ſubticendo, in rei cuiuſdã ſibi omnium chariſſimę vſum id ſecum deferri dicebat: ſic aſſiduè mortem ante oculos ſibi propoſuit, & ſibi ſemper capulum funebrem adeſſe voluit,vt perpetua mortis cogitatio eximeret à corde vanũ huius mundi faſtũ; ſanctas autẽ actiones agendas,dum viueret,admoneret. Quã pręclara hæc ex præclaro illo antecedente concluſio ab Imperatore deducta ſui in hoc aui Maximiliani primi Imperatoris exemplum ſequutus, qui teſtamento cauit vt exanimum corpus ſuum rudi linteo inuolutum,ſine vlla exenteratione ſarcophago, quẽ quadriennio ante mortem parari curarat, imponeretur,naribus,ore,auribúſq; viua calce oppletis. Cur hoc? voluit monumentum illud aſſiduè in oculis habere,quod diceret: Maximiliane cogita mori. Quid te dilatas & extendis? quem tot regna non capiunt, loculus iſte capiet. Sed cur non aromatibus, ſed calce condiri vis? vt citius redeam in terram ex qua ſumptus ſum. Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Hæc verè Sapientum concluſio vltima. Nam cũ ſeſe ex illo principio: [Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ] ad ſuæ originis ac finis vilitatem cõtemplandã referunt,breui in cineres, vermes, ac oſſa arida ſeſe reſoluendos intelligũt,mortis memoriã ſemper prę oculis habere ſtudent, vt ſuæ mortalitatis quotidie moneãtur. Quare de ſapiẽtibus olim Æthiopiæ Chriſtianis Sabellicus ſcribit anteire crucis ſimulachrũ principes Antiſtites ſolitũ,nec crucẽ modò ſed vas etiã aureũ terra refertũ,vt hac inſpecta euntẽ ſuę admoneat mortalitatis,

Lipſius lib. 2. monit. cap. 14.

P. Cor. ex Lip. ibidem.

Sabell. tõ. 2. Ennead. 10. l. 8.

Digitized by Google

illa Dominicæ passionis.O vtinam & nos huiusmodi iusti Sapiẽtes simus:qui speculum hoc nobis quotidie obiiciamus,vt qui hactenus nostrę mortalitatis & Dominicæ passionis obliti sumus, huiusmodi nobis proposito speculo,in posterũ eorum recordemur & quæ in nobis insulsa esse ignorauim⁹,ex huiusmodi speculo nobis obiecta corrigamus, & pœnitentiæ lachrymis scelera nostra indolẽtes,quã citissimè abluamus,ac supercilioſum animi fastũ nostri exordij ac finis indignitate nobis exhibita supprimamus,vt sic speciosos animarum vultus Deo præsentantes iusti habeamur & simus , qui ex præclaro Sapientum antecedente præclaram conclusionem deducamus.

Simile.

32.Secundò iustus ex eo principio colligit,nihil in hoc mundo stabile esse,omniáq;quæ offerũtur oculis figuras tãtùm esse,& vanas rerũ vmbras.Quẽadmodum enim vnda,modò perflãte vẽto exaltatur,modò illo subsidẽte deprimitur;sic voluũtur & sursũ deorsum in huius vitæ volubili rota ferũtur omnia. Quã

Zonar. tom. 3.annal. sub Impera. Basil.

sapiẽter hãc rerũ instabilitatẽ barbarus homo Sultan⁹ à Ludouico quodã Frãciæ Rege olim captus animaduertit; cũ.n.toto biẽnio nũquã ridere videretur,Rex miratus præmiũ se daturũ ei pollicitus, qui Sultanũ risisse nunciaret:illo itaque semel ridente accersito, risus causam ab eo Rex scisscitatur: rotas cursus, inquit ille,vidi,quarũ cùm altera pars terræ incumberet, altera sursum tolleretur , mox ea quæ sublimis fuerat depressa,quæ humilis in altum elata est:vnde reshumanas eodẽ modo cieri coniiciẽs risi,posse fieri cogitans, vt sicuti è sublimi sum humi depressus: sic ex humili loco in altũ sublatũ sublimẽ fore. Rex de suo quoq;statu cogitans Sultanum Sapientẽ iudicauit,& eius vt viri prudẽtis consiliis vsus est.Quis ergo Sapiẽtis illius cõsilio nõ vtetur qui nõ tantùm ex illo principio:[Exiguũ & cũ tædio est tẽpus vitæ nostræ,instabilẽ hãc rerũ vicissitudinẽ nõ verbis,sed factis etiã inferret. Paulus ergo Christianæ virtutis & perfectionis magister peritissimus eiusmodi conclusio

cluſionē ex illo antecedēte nobis inferendam magis vita & geſtis,quā ſermone docuit & expreſſit:verbis quidē in primis docet: [Tēpus(inquit)breue eſt.]& infert:[Qui vtūtur hoc mundo tāquā nō vtātur,prę-terit.n.figura huius mūdi.] Vt verò nō tā verbis quā factis hāc cōcluſionē ex illo antecedēte deductā videatis,audite quid de ſe dicat : [propter quē omnia detrimētū feci,& arbitror vt ſtercora, vt Chriſtū lucrifaciā.]Ecce quod mūdus hic amet& miratur propter Chriſtū detrimēta,dāna,imò ſtercora eſſe Apoſtolus reputat,vt ſimul affectu & effectu rerū mūdanarū contēptū & inſtabilitatē oſtēderet.Huius itaq; mūdi rebus iuxta earū naturā,quæ fluxa & inſtabilis eſt,vti nos vult Apoſtolus:mundo igitur fluxo fluxè & quaſi obiter vtamur pro naturę noſtræ neceſſitate, vt eo vtentes,vti nō cenſeamur,præterit enim figura huius mūdi,quæ fugit ſeſe inſequētes,cumq; putant illū cōprehēdiſſe,inſtar vmbrę ſtatim euaneſcit.Ecce Apoſtoli cōcluſio ſalutaris ex ſalutari illo principio: [Tēpus breue eſt;]mūdovti obiter,ne eo abutētes ille nos decipiat,& ad ſempiternū deducat interitum.

1.Cor. 7.

Philipp. 3.

33. [Nolite igitur(vt monet Anſelmus)conſtanter mundū diligere quādo ipſe quē diligitis non poteſt cōſtare. Incaſſum cor quaſi manēter figitis,dū fugit ipſe quē amatis.Quid,obſecro,ſibi in vita dulcius ac iucūdius ipſa vita,tamē ad inſtar vmbrę illa citiſſimè trāſit.Prima.n.(vt ait Seneca)quæ vitam dedit hora, carpſit.Quid fugacius pueritia,adoleſcentia & virili ætate,quæ citius ipſa fugiūt vmbra, tanquam.n.dies heſterna quæ præteriit, auolant. Quo heſterna dies abiit?quis eam vt intueamur,reuocabit? [Mane ſicut herba trāſit,mane floret,& trāſit,veſpere decidit,indurat & areſcit.]Sicut(ait Hieronymus) manè virēs herba,& ſuis floribus vernās delectat oculos cōtemplantiū,paulatimq; marceſcens amittit pulchritudinem,& in fœnum,quod conterendū eſt,vertitur;ita omnis ſpecies hominum vernat in paruulis,floret in iuuenibus,viget in perfectæ ætatis viris, & repente

Anſel. in illū locum Pauli, Tempus, &c.

Pſ.89. Vita caduca ſimilitudo. Hierō. in ep. ad Oſpri. explanās pſ.89.

Digitized by Google

dũ neſcit,incaneſcit caput,rugatur facies,cutis prius extenta cõtrahitur,& extremo fine quod hic dicitur veſpere,id eſt,ſenectute,vix moueri poteſt,ita vt non cognoſcatur quis prior fuerit,ſed penè in aliũ cõmutetur, ac denique,vt Symmachus vertit, ſuccidimus repentè & auolamus. Annon vmbræ cõmeſſationes, deliciæ,carniſq; voluptates fallaciſſimæ? & licet modò eas tãquã res magni momẽti magna cũ ſollicitudine conſectemur: breui tamẽ meras eſſe vmbras in die mortis iudicabimus. Viri enim diuitiarũ dormierunt ſomnũ ſuũ,& nihil inuenerũt in manibus ſuis.] Ergo diuitiæ vmbræ. Verè vmbræ quę conſciẽtiæ frigus conciliant,quæ ſuos decipiunt poſſeſſores, quæ hominum animis laqueos iniiciunt,quæ falſa iucunditate certum pariunt doloré,quæ vincula nectunt, quibus omnes animæ potentiæ intricantur : vincula quidem in ſpeciem dulcia,ſed reuera amara,quibus inſipiẽs homo manus & pedes implicans ſeſe ad tartari cruciatus præcipitat. [Vincula huius mundi (ait Auguſt.) aſperitatẽ habent veram,iucũditatẽ falſam, certum dolorem,incertã voluptatẽ,durum timorem, timidámq; quietem, rem plenam miſeriæ,ſpem beatitudinis inanem : his tu inſeras manus & pedes: & neſcis quòd tempus prætereat, & mors appropinquet,& relinques aliis bona tua,& morieris.]

Omnia huius mundi vmbra. Pſ. 73.

Falſa mundi delectatiõ.

Aug. ep. 39. ad Licen.

34. Nõne cætera etiã omnia,quæ mũdani ſuſpiciũt & magnificant,ſpiritu ſancto teſte,vanæ ſunt vmbrę? [Sicut qui apprehendit vẽtum & ſequitur vmbram; ſic qui attendit ad viſa mendacia.] Ventũ ſi apprehẽdere velis,cedit; vmbrã ſi ſequaris,fugit,[noli ergo, vt monet Bernardus, amare præſentia quæ poſſeſſa onerant,amata inquinãt,amiſſa cruciant,]quęque fugiũt velut vmbra. Reliquum ergo eſt vt ex illo principio,hanc indũcamus concluſionem: [vtamur ergo hoc mundo,tanquã non vtentes,]nõ adhęreamus rebus fluxis ; ſed firma, ſolida & ſtabilia æternæ vitæ bona cõſectemur. Refert Iulius Solin⁹, Ægyptios canes,licèt magnã patiãtur ſitim ob terræ illius aridi-

Eccl. 34. Parcè rebus huius mũdi vtendum.

tatem,

taté,non audere tamẽ ex Nilo bibere, nisi raptim & transcursim,ob magnã crocodilorũ multitudinẽ,qui in eo abundãt flumine;cur,obsecro,nos saltẽ his canibus hac in re nõ pares simus? cur nõ huius sæculi voluptates,in quib⁹ infiniti penè veneno pleni mortifero crocodili delitescũt,saltẽ raptim & trãscursim delibamus?]Cor nõ venenũ in iis illecebris abscõditum perhorrescimus.[Mors in olla,mors in olla]clamãnt viro Dei Elisæo filij prophetarũ gustato pulmẽto,in amaritudinẽ verso, ex colocynthidis in ollã iectis;sic quicũq; illã fœdã ac mortiferã mũdi gustat voluptatẽ,haud dubiè si saperet,mortẽ in ea latere persentisceret,atque adeo clamaret,[mors in olla, mors in olla.] Quisquis.n.sese illecebris mũdi mancipet,æternas gustare delicias vix poterit,cũ in mũdi voluptatib⁹ mortis aculeo eius anima infigatur,quo cœlestes delicias fastidiat.Difficile.n.imo impossibile est, vt ait Hieronymus,vt præsentibus quis & futuris fruatur bonis,vt hicventrẽ & ibi mẽtẽ expleat, vt de delicitiistrãseat ad delicias,vt in vtroq;sęculo prim⁹ sit,vt in cœlo & in terra appareat glorioſus.] Quare ex illo salutari principio,[Tẽp⁹ breue est,]cũ Paulo sapienter inferamus: [Ergo qui vtuntur hoc mundo tanquã non vtantur:præterit.n. figura eius.]

Hierem.

Hieron. ep. 14. ad Lulid.

34. Tertiò iustus ex hoc principio:[Exiguũ & cũ tædio est tẽpus vitę nostræ,]sapiẽter colligit sibi mortẽ præueniendã,& paulatim mori edisceñ. Si.n.grãde aliquod onus nobis ferẽdũ,quod vires superat,succũbẽdũ potius quã rẽ fecerim⁹;si tamẽ per partes illud pedetẽtim ferre velim⁹ facilè opus perficiem⁹. Vultis itaq; grãdi mortis oneri minimè succũbere?illud per partes suauiter portate.Sẽsim vos vita vestra priuate, vti monet Apost.[mortificate mẽbra vestra,quæ sunt super terrã;vobis ipse Paul⁹ exẽplo præiuit:[Castigo (inquit)corp⁹ meũ,& in seruitutũ redigo.]ego Apostol⁹ Christi si corp⁹ meũ inedi,labore, fatigatione subigo & exerceo,acerbè à me omnia pugilũ officia exigẽs,quasi diuini certaminis athleta,q arcana Dei

Iustus 3. infert moridiscendum.

Coloss. 3.

raptus in Paradiſum audiui ne corpus meum continentiæ,& ſeuerioris vitæ lacertos in delicias mutet, & in imbelliam licentioris vitæ vaneſcat,ſed potius vt luctaturus cum dæmone,carne,& mundo athleticis decertem viribus,vincam atq; coroner;quid par vobis agere, qui neque ad ſublimẽ illum Apoſtolatus apicem attigiſtis,neque ad ſecreta Dei audienda in cœlum aſcendiſtis:nónne corpus veſtrum ſeueræ mortificationis cenſuræ ſubiicere debetis, vt penitus mortificatum rationis ſeſe ſubmittat imperio: Agite igitur,ô Chriſtiani,in ſtadio hoc mecum decurrite,& nõ tantùm à grandioribus peccatis,ſed à deliciis etiam,vino & Venere abſtinete: appetitus mortificate,vt tanquam ſtrenui athletæ cũ dæmone ſub mortis horam luctaturi, victoriam gloriosè & brauiũ reportetis,quod vt facilè fiat,omnia in Chriſti obſequio,dum vegeto ſitis corpore,membra expendite,quæ vobis ad hoc conceſſa ſunt:[Oculũ tibi fecit,inquit Chryſoſt.oculum illi vtendũ exhibe,nõ diabolo. Quomodo verò illi exhibebis?ſi creaturis eius viſis,ipſum glorificaueris, viſúmq; à mulierum conſpectu abduxeris.Fecit tibi manus,illas ipſi poſſideto,nõ diabolo:nõ ad rapinã & auaritiam,ſed ad ipſius mandata & beneficia,& ad continuas preces, & ad ſuccurrendũ deficientibus eas porrigẽs & extendens.Fecit tibi aures:illas ipſi exhibeto,nõ laſcitiis concentibus,obſcœni s fabulis: ſed omnis meditatio tua ſit in lege excelſi. Os tibi fecit:iſtud nihil agat eorum,quæ illi non probantur,ſed pſalmodias, hymnos,& ſpirituales odas concinito.Fecit tibi pedes,non vt ad malitiam curras, ſed ad ea quæ bona ſunt.Fecit tibi ventré:non vt eum cibis rumpas, ſed vt philoſopheris. Dedit in dumenta,vt tegamus,non ad oſtentationé,non vt illa quidé multũ habeant auri,Chriſtus verò nudus pereat. Caſam,pecunias,& fruges dedit,non vt ſolus habeas,ſed vt & aliis præſertim egenis impertias.]Ecce quomodo ſapientiſſimus doctor aureo ore doceat ex eo principio membra

Chryſoſt. ho. 10. & 11. in Matali.

Quomodo ſin gulis mẽbris & creaturis ad Dei creatoris obſequiũ vtendum.

Digitized by Google

bra noſtra mortificanda ad obſequium Dei viuẽtis.

36. Finge,obſecro,tibi arborem ſenem vigere,quę per centũ annos altas egiſſet radices. Nónne ſi huiuſmodi vno temporis momento euelléda eſſet ſummo afficeretur dolore , cuius ſi radices paulatim euellerentur,tolerabilius ipſi foret?Et tu,ô homo,arbor iſta ſenſu præditus es, qui longè latéq; tuas radices ſparſiſti,quot affectiones ex corde prodeũt,quę cũ infinitę penè ſint,infinitas etiam quodãmodo altè poſuiſti radices in honoribus, in dignitatib. in poſſeſſionibus,in diuitiis,in deliciis, in vxore , liberis, cognatis,amicis,quas niſi modò ſenſim per mortificationis ſecurim reſcindas,bone Deus!quãto cũ dolore ſimul omnes in mortis pũcto euellédæ!quomodo exclamabis, [ſiccine ſeparas amara mors?]quid ĩgitur ô homo breui moriturus in tot partes animũ diuidis,vt per diem vix ſemel de Deo, de cœlo, & horrendis inferni cruciatibus cogites , quin totũ te colligis in illud vnũ quod eſt neceſſariũ!cur nõ cum Maria optimã partẽ eligis?Quid lucro,quid opibus, quid honoribus,quid iũgendis agris agros, affinitatibus affinitates inhias?ô curas hominũ!ô quantũ eſt in rebus inane! [ſtulte hac nocte animã tuam repetent à te,quæ autem paraſti, cuius erunt?]ſuccedent tui miſerabilis ſtatus penitùs immemores fortè ingrati filij, quorum gratia toto vitæ decurſu ſudaſti & alſiſti,corpus animámque inferni crueiatibus oppignoraſti.[Et nondum tamen ſapis, & neſcis quod tempus prętereat, & mors appropinquet , & relinques aliis bona tua,& morieris.]

1.Reg.15.

Luce 12.

37.Beati igitur qui ex hoc bono principio: [Exiguum & cũ tædio eſt tempus vitæ noſtræ:] ĩferũt, ita vitam ſuam ſanctè inſtituendã, huius mundi crepundia contẽnenda, corpus mortificandũ, vt morte appropinquante ſeſe ab omni peccati onere expeditos ſentiant:Nã cæteris ſeueri iudicis ac tremẽdi iudicij expectatione exareſcentibus,timẽtibus & tremẽtibus,non modò ſine metu,in tam cõmuni omniũ

Fœlices qui ſeſe peccat onere mersũ

Digitized by Google

hora appropinquãte expeditos sentiunt.

animarum periculo,sed cum gaudio etiam,hilaríque ac fidenti animo,ad morté properabunt, periucúdã illam audientes vocẽ,qua tanquã operarij ad denariũ accipiendũ inuitentur, qui ſtrenuè in vinea Domini laborarunt,vel tanquã boni ac fideles ſerui, vt intrent in gaudiũ Domini ſui:vel vt ſponſæ ad æternos ſpõſi amplexus ita aduocentur:[Surge,propera amica mea,veni de Libano,coronaberis.]Sic,inquã, de Libano,i.perfectionis monte,in quo vitã piè ſanctéq.gerũt,ad coronã,quętãtę perfectioni reſpõdeat, euocãtur ſecuri:[Moritur.n.iuſtus(vt ait Ber.)ſed ſecurè:quippe cuius mors,vt pręſentis eſt exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors ſi peccato moriaris,vt iuſtitiæ viuas.Hæc mors neceſſe eſt vt pręcurrat,vt ſequatur illa ſecura.[Dũ viuis in carne,morere mũdo,vt poſt morté carnis Deo viuere incipias.]

Cant.4.

Bern.ep.105.

EXEMPLVM.

P.Platus.

38. Reginaldus vnus ex B.Dominici diſcipulis,cũ moneretur vt ſe extrema vnctione, vt moris eſt, ad luctã cũ dæmone prępararet:Ego,inquit,hãc luctam minimè reformido, quin potius lætus expecto. Iã.n. dudũ mater miſèricordię me imũxit in qua plurimũ confido,& ad quã cupidè proficiſcor. Quod autem ſe prius ab ea inunctũ dicebat, id ita habuerat.Cùm ante annos multos grauiſſimè ægrotaret,vigilanti de nocte , apparuit Regina cœli cum aliis duabus virginibus, ipſáque ad eum accedens, iacentis oculos, aures,os,& manus,quæ in Dei obſequio ſemper adhibuit, vnguento quod attulerat, propriis manibus liniuit,denique & pedes in præparationem Euangelij,vt ipſamet quaſi ex formula orans adiunxit.

TERTIVM PVNCTVM.

Nobis vigilandum. Matth.24.

39.Tertio deniq; loco ex hoc ſalutari antecedente: [Exiguũ & cum tædio eſt tępus vitæ nøſtræ,]quilibet noſtrũ huiuſmodi bonam inferre concluſionem debet,maximè cùm nihil morte certius,nihílq; eius hora incertius nobis ſit:huiuſmodi, inquã, nobis inferenda concluſio eſt:vigilemus ergo,quia neſcimus qua

qua hora Dominus noſter venturus ſit. Ad hanc nos continuam Chriſtus vigilantiam toties adhortatur, ne in mortis hora imparati inueniamur. Tela enim præuiſa minus feriunt. Militari obſeruatum eſt præcepto, vt vigiliarum vices tubæ in caſtris per interualla ſignificarent. Et ſi quando hoſtes in conſpectu eſſent, pro caſtrorum portis, ſingulæ ſtationes & expeditæ cohortes, diſpoſitis excubiis, inſtratis equis, frænatíſque pro valio excubarent, vt omnia militari cuſtodia, vigiliíſque tuta, firmáque eſſent, ne paratis inſidiis, & omni aditu præſepto nudata cuſtodiis, ſtationibúſque caſtra, hoſtes adorirentur, & nec opinantes inuaderent, cædibúſque omnia & rapinis paterent. Si milites vt hanc caducam vitam ad breue tempus ſeruarent, in perpetua vigilia ſic & ſtatione ſtabant, quantò magis nos, vt animas ab omni peccati morte indemnes ſeruemus, omnia adhibere oporteat, eóque diligentius, quod extremi iudicij tubæ in noſtras quotidie inſonent aures, hoſtes præ foribus adeſſe conclamantes, vt in animæ arcem impreſſionem faciant, eam gratiæ donis omnibus expilent, omnibúſque nudum ornamentis mactent, ac in tartari præcipitium agant. Nonne ergo par eſt vt in continua vigilia & ſtatione cœleſti orationis, ieiunij ac eleemoſynæ armatura inſtructi ſtemus, & præcluſo cordis aditu hoſtium impetum, diuina fulti gratia opportunè reprimamus. Quis, obſecro, leone circundatus dormire auderet? at B. Petrus diabolum tanquam rugientem leonem nos circuire, vt deuoret, aſſerit. Meminerimus cæteris vigilantibus in media tempeſtate Ionam dormiiſſe, & excitatum in ventrem ceti præcipitatum; caueamus & nos ne ſimiliter, cæteris vigilantibus dormiamus, æternámque ſalutem minimè curemus, & in ventrem proinde dæmonis præcipitemur, ac à dæmone deuoremur. Vigilemus itaque ne pereamus.

Alex. ab Alexand. li. 1. Gen. dierum. cap. 12.

40. Vigilant infernales hoſtes, nóſq; oppugnãt, vt tẽpore mortis graui ſopitos lethargo internecẽt,

Digitized by Google

& in tanto periculo non expergiſcemur: [Nos (inquit Bern.)miſeri vicinis tot ſerpentibus, & igneis telis vndiq; volantibus,inimicis inſurgentibus,pernicioſa ſecuritate & negligétia dormitamus:ac ſi nõ ſit militia vita hominis ſuper terrã.]Sed ſecuros nos fortaſſe eſſe putamus,ſed audiamus Hiero.[Tũc maximè(inquit)oppugnaris,ſi te oppugnari neſcis. Aduerſarius noſter tanquam leo rugiens, aliqué deuorare quærens, circuit:& tu pacé putas? inſidiatur in occulto,ſicut leo in ſpelũca ſua, inſidiatur vt rapiat pauperem: & tu frondoſæ arboris tectus vmbraculo molles ſomnos futurus præda capis?Perſequitur me hoſtis,cui nomina mille,mille nocendi artes:& ego infœlix victorem me putabo,dum capior?&c. Vigilate ergo & orate.] Veteres finxere aurea poma in horto Heſperidum à vigilante dracone fuiſſe cuſtodita,& Argum cuſtodem filiæ Inachi Iüs fuiſſe centoculum.Sed cuſtos non filiæ Inachi, ſed animæ noſtræ aurea cuſtodiens gratiæ poma, ſit vigilans ratio oculis retrò ac ante conſiderationis plena,quo vigilantem illum ac ſollicitum de gratiæ aceruo à noſtra anima diripiendo repellamus, & Spiritus Sancti inſpirationes tanquam gratiæ prænuncias plenis velis intromittat: Beatus enim huiuſmodi animæ cuſtos, quem Dominus vigilantem curæ ſibi commiſſæ inuenerit: nam dico vobis quoniam ſuper omnia quæ poſſidet conſtituet illum:è contrario verò infœlices qui deliciis huius mundi ſoporati patentem cordis ianuam hoſtibus relinquunt, quos in prædam diabolo iuſto Dei iudicio dari certum eſt. Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.

Bern.ſerm.2. de S.Andreã.

Hier.ep.1.ad Heliodorum.

41. In quatuor partes militari arte diſtributam fuiſſe noctem,quæ quatuor vigiliæ vocatæ,quòd vigiles quater mutarentur, nemo neſcit, & in ſcripturis etiam id ſæpè indicatur: ad quem morem Chriſtus alludit: [Et ſi, inquit, venerit in ſecunda vigilia: & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inue

inuenerit,(ſcilicet vigilantes,) beati ſunt ſerui illi.] *Luc.12.* Quo loco ſignificat quolibet temporis momento paratos nos eſſe ad mortem & iudicium oportere, ac more militari ſemper nobis vigilandum, quia ignoramus horam qua mors, iudiciúmque aduenerit. Quare nobis diligenter vigilandum, ne ſaluti noſtræ indormientes, improuiſa mortis falce præſcindamur, & ad iudicium rapiamur. Iphicrates dux Athenienſium cum præſidio Corinthum teneret, & ſub aduentum hoſtium ipſe vigilias circuiret, vigilem quem dormientem videbat, transfixit cuſpide, quod factum quibuſdam tanquam ſæuum increpantibus, qualem inueni, inquit, talem reliqui, mortuum ſomno reperi, mortuum omnino reliqui. Sic Deus ſuas obiens vigilias, quos ſomno peccatorum ſopitos reperit, ſuámque penitus negligentes ſalutem, ex improuiſo æterna ſæpe morte (multis diuina iudicia perperam interpretantibus) mulctat. Vigilate ergo quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.

Nobis vigilandum.

Iul. Front. ſtrata. l.3.c. 12.

42. Hanc vigilandi curam ipſa etiam bruta animantia nobis habendam ſuadent. Nam grues (teſte Æliano) poſt longum volatum, tandem ad terram alicubi delatæ noctu reliquæ omnes ſomnum capiunt, tribus aut quatuor ad reliquarum cuſtodiam aduigilantibus: & ne ſomno opprimantur cum operoſo labore ac moleſto vnico cruri innituntur, tum & lapillum, ſumma cautione ſublimi pede altero continent, vt ſiquando ſomnus obrepſerit, edito ſtrepitu ex lapilli caſu, expergiſcantur, & nos qui in terra continuo fatigati labore ſerpimus, hoſtibus vndique cincti non vigilabimus! maximè cum certò nobis conſtet, mortem præ foribus nos expectare, & diabolum ſemper noſtris inhiare animis. Nonne igitur ſic nobis quieſcendum vt altero animæ pede intellectu in ſublimem contemplationis locum erecto mortis appropinquantis, rationíſque expenſi & accepti reddendæ, tanquam grande pondus continente,

Ælian. l.3. de animal. c.13. Vigilandum grues docēt.

niente,cuius perpetuo ſtrepitu excitati, animæ ærarium tartareis hoſtibus expoſitũ,diuina virtute ſubtrahamus:[ſi enim ſciret paterfamilias qua hora fur veniret,vigilaret vtique & non ſineret perfodi domũ ſuam.]Et nos ſecuri erimus hoſtibus circũquaq; cincti,& quotidie ab illis oppugnati? Vigilate ergo.

Luc.12.

43. Salomonis lectum ſexaginta fortes ambiebant,ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.] Anima cuiuſque boni Chriſtiani Chriſti lectus eſt. Suos ergo vigiles habeat ne improuiſo aduentu in eum carnis, mundi, ac diaboli periculoſæ irruant tentationes, illumque contaminent: habeat igitur vigiles intellectum,voluntatem,memoriã,orationem & conſiderationem.Nihil patiatur vigil voluntas in conſcientiam ingredi, quod commaculare illam poſſit:nihil vigil intellectus ad illam introire permittat, quod falſum ſub veritatis imagine,illi ingerat: nihil vigil memoria illi commemoret, quod à Deo illam abſtrahat: nihil vigil oratio illi efflagitet, quod cœleſtia non ſapiat:nihil vigil conſideratio illi ſuggerat, præter iudicis aduentum, mortis horam, iudicij horrorem,cœleſtia gaudia, ſempiternos tartari cruciatus.Hi tanquam cuſtodes ſemper ambiant lectum hunc magni Salomonis, & tanquam viri fortiſſimi diuini verbi gladio accincti ab ipſis dæmonum faucibus animam extrahant, à laqueis mundi inextricabilibus eripiant, & ab importunis carnis inſultibus,eiuſque ferociſſimo impetu defendant:hoc gladio tentationes iugulent,mundi fallacias trucident, iram, ſuperbiam, luxum, & alia vitiorum monſtra proſcindant;& quia ſunt ex fortiſſimis Iſraël,perfectam eius pacem tueantur, ac proinde neceſſe eſt illos vigilare, ſtare in fide, viriliter agere,confortari, & diuina ſe dignos viſione reddere, præſertim morte quolibet horæ momento appropinquante. Vigilate ergo.

Cantic.3.

Cùm anima Chriſti ſit lectus ſuos vigiles habeat vt à dæmone, mundo, carne conſeruetur.

44. Nihil

44. Nihil in rebus humanis, Augustino teste, morte certius : [De ista, inquit, pœna sola certi sumus in rebus humanis. Cætera nostra & bona & mala incerta sunt : sola mors certa est : Conceptus est puer, fortè nascitur, fortè abortsum facit : ita incertum est, fortè crescit, fortè non crescit, fortè senescit, fortè non senescit, fortè diues erit, fortè pauper, fortè honoratus, forte humiliatus, forte habebit filios, forte non habebit, forte vxorem ducet, forte non ducet. Respice & ad mala : forte ægrotat, fortè non ægrotat, forte à bestia deuoratur, forte non deuoratur. Non potest dicere, forte moritur, fortè non moritur. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.] Quare meritò idem sanctissimus Pater ait : [Crastinum diem quis tibi promisit ? vbi mihi legis indulgentiam receptorum si te correxeris, ibi mihi lege, quantum victurus sis. Nescis ergo quantum sis victurus : esto correctus, & semper paratus. Quid differs in crastinum.] Cur obsecro domus Patrisfamilias perfossa? cur omnibus spoliata bonis ? ideo sanè quia horam ignorauit furis, excubias non egit, sed sese somno tradidit securus, & nos securi erimus, quorum ianuis mors semper inuigilat, vt improuiso nos vincat prælio, non enim magis nouit homo tempus mortis suæ, quàm piscis priusquam hamo capiatur, vel auis priusquam laqueo irretietur : Sicut enim capiuntur illi, sic mors ex improuiso homines illaqueabit. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

Aug. ser. 21. de verb. Domini.
Nihil in bonis malisque humanis certius morte.

Aug. ser. 16. de verb. Domini.

Mortis horã nobis Deus voluit esse incertam vt vigilemus. Greg. l 6. epi. ad Gregoriã Augustæ cubicularium epist. 22. Greg. hom. 13. & l. 12. Mor. cap.

45. Voluit Deus mortis ac iudicij horam nobis esse ignotam, vt semper pauidi simus & ad migrandum hinc, reddendámque seuero Iudici omnium rationem sedulò incumbamus : Quare Gregorius : [Quousque vltima dies venerit, semper suspectus, semper trepidus metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare, horam verò vltimam, ait idem Sanctissimus Doctor, Dominus noster idcirco

circo voluit nobis esse incognitam, vt semper possit esse suspecta, vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur, & tanto quisque sit feruentior in operatione, quando & incertus est de vocatione: vt dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

46. Animalia quæ Ioanni apparuerunt plena oculis ante & retro, non quidem dormientibus, sed vigilantibus erant. His similes nos esse oportet oculis sed vigilantibus plenos, vt non tantùm hostes aduentantes videamus, sed illorum etiam insidias caueamus, alioqui nos insperato oppriment telo.

2. Reg. 4. Isboseth dormiebat super stratum suum meridie, & percusserunt eum in inguine & mortuus est. Si nomen Isboseth interpretari velis, virum significat confusionis, omni igitur confusione dignus, quem mors dormientem ferit, & in tartarum præcipitat.

Iudic. 4. Sic Sisera confusionis vir exceptus à Iahele fœmi-

Iudith. 13. na lactis potu sopitus interfectus est: sic Holofernes etiam confusionis vir vino ac somno sepultus à

Iudic. 16. Iudith fœmina interemptus est. Sopore oppressus Sampson à Dalila fortitudine priuatus est. Sauli

1. Reg. 26. dormienti hastam & scyphum aquæ Dauid abstulit. Vigilate ergo ne vobis dormientibus hastam, id est, cœlestem armaturam, orationem, ieiunium, eleemosynam dæmon rapiat, quibus veluti hastis eius insultibus occurrimus. Vigilate ne gratiæ scyphum ac pœnitentiæ lachrymas auferat, vigilate ne carnis illecebris veluti sopore oppressi, ab infida Dalila, carne nimirum, fortitudine spolieminí, vigilate ergo, quia [vigiliæ (vt ait Chrysologus) ad omnia sunt salutares. [Quę, inquit, ars? quod opus? quod officium non vitæ lucra vigilando perquirit? Rex peruigil hostis præcauet insidias, miles nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Nauta vigilando incertas vias intrat. Pastor adiungit noctes diebus, ne

Chrysol. ser. 23 Vigilando omnes profitemur.

qua-

Digitized by Google

qua lupis graſſandi in gregem præbeatur occaſio. Viator ſolers per auras noctis, æſtus ſolis præuenit. Vigilate ergo quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.]

47. Cùm neque diem, neque mortis horam ſcimus, vigilemus, & pœnitentiæ lachrymis, (vt monet Chryſoſtomus) commiſſa deleamus: [Luge (inquit) peccatum, ne pœnam defleas.] Nam vel peccatum lugendum eſt, vel ſupplicium cum lachrymis ſubeundum. Satius eſt ergo illud in hac vita deflere, quàm ſupplicium in futura perpetuò cum lachrymis ſuſtinere, etenim ſupplicij luctus ſupplicium minimè tollit in inferno, peccati autem luctus in vita, peccatum penitus delet, imo paucis lachrymis, (teſte Chryſoſtomo) ingentem peccatorum rogum extinguimus: [Rogum, inquit, peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, ſed paruis cum lachrymis: multus enim peccati ignis, & modica lachryma illum extinguit.] Ardes ergò fortè conſcientia delicti, lachrymis extingue flammam peccati. In hoc ſtudij genere tua certet induſtria, vt ſub mortis horam te vigilaſſe, te abluiſſe peccati maculas gaudeas. O beatas vigilias! ô fœlices excubias quæ mentem à fluxis rebus abſtrahunt, & æternitati affigunt! ô fœlices oculos qui deflenda deflent, & præſentibus caducíſque mundi rebus contemptis, futura æternáque vigilando contemplantur! Huiuſmodi ſunt Sanctorum oculorum lachrymæ, ſanctarum animarum excubiæ & vigiliæ fœliciſſimæ. [Ego (inquit) dormio & cor meum vigilat:] dormit anima ſecurè, quæ ſe ad mortem, & ad rationem expenſi & accepti reddendam præparauit, dormit, inquam, rebus terrenis, mundi crepundiis, carnis illecebris, ac proinde ſecurè dormit, vigilat autem animæ ſuæ ſaluti, rebuſque æternis. Vigilate ergo quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.

48. Docet nos Regius propheta quanta cum diligentia nobis ſit vigilandum. [Deus, Deus meus (inquit)

Chryſ. hom. 5. de pœnitent.

Chryſoſt. vbi ſupra. Lachrymæ extinguunt peccati flammam.

Cantic. 5.

Pſ. 62. Mane cum ſole vigilandum.

Digitized by Google

(inquit) ad te de luce vigilo:] Cùm primùm òculis corporeis lucem aſpicio, parſter mentis oculos ad te ſpiritalem & increatam lucem aperio, atque ita ad te quærendum manè cum Sole vigilare incipio, ſciens quàm malum & amarum ſit te perdidiſſe, & quàm periculoſum in extrema vitæ periodo tua carere protectione, ad te ergo de luce vigilo, quia anima mea ſalutari exſtimulata ſiti profundæ noctis tenebris diſſipatis, te præ omni potu deſiderat, & ideo confidenter ad te confugit, vt ſatietur ab vbertate gratiæ tuæ, quam peccando amiſit, neque tantùm anima, ſed etiam caro mea peccati aliquando inſtrumentum, iam peccati illecebras deteſtans, ad te omnium bonorum fontem ſiti ardens incredibili anhelat, vt multiplici, qua adhuc premitur, miſeriæ ſuccurras, eamque ita adtemperes, vt nihil in hac mortali vita, animæ ad te anhelanti noceat, ſed potius illã ad deſideratos creatoris ſui amplexus miſeriis exercitatam & purgatam propellat, vt in mortis hora hactenus miſeriis ſe circumſeptam gaudeat, ſeque minimè fruſtra vigilaſſe, inſperato mortis die geſtiat. Vigilemus ergo nos quia neſcimus qua hora Dominus noſter venturus ſit.

1. *Theſſ.* 5. 49. Ad hanc etiam nos vigiliam Apoſtolus adhortatur: [Igitur (inquit) non dormiamus ſicut & cæteri:] non dormiamus, inquam, ſomno peccatorum deſidiæ, Dei ignorantiæ & ſalutis ſopiti: quia iam nox infidelitatis pertranſiit, & in clara fidei die, ac gratiæ Chriſti ambulamus, ipſe enim radios & fidei lumen per orbem ſpargere incepit, tenebris errorum expulſis. Non dormiamus ergo ſicuti cæteri infidelitatis tenebris obuoluti; ſed vigilemus perinde vt qui furem & prædonem expectat, venit enim dies Domini quaſi fur: excubiæ igitur nobis agendæ ſunt, vt vigiles & paratos nos inueniat. [Paratos (inquit Chryſoſtomus) nos eſſe & expeditos ad hinc nauigandum, & dicere oportet: paratum cor meum Deus, in bello enim ſumus in mundo: in circuitu

Cohortatio ad ſpiritalẽ vigilãtiam.

Chryſ. hom. 62. ad popu-

cultu impij ambulant, peccatores intendunt arcum: recordemur fratres quod tempus breue est,& iudicium præ foribus est, nox præcessit, expergiscamur iam à somniis: etiam iucunda sunt præsentia sed somniis nihilominus fallaciora. Nemo debet dormire solem cernens,] alioqui cùm nobis pacem & securitatem pollicebimur, tunc repentinus nobis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugiemus. Quemadmodum enim repentè nesciam partus dolor corripit, cruciátque:ita dolor & angor mortis, iudicij, ac æternæ damnationis subitò corripiet securos, & percellet, vt effugere minimè possint. [Mulier(inquit Anselmus)prægnans, quod in vtero diu portauit cum pondere, tandem eiicit cum dolore, ita & reprobi malum, quod diu latuit,intra conscientiam ipsorum, & grauauit eam in conspectu iudicis, cum graui tormento cunctis manifestabunt. Mulier cum voluptate pondus illud concipit,sed vt dictum est,cum dolore eiicit:quia & reprobi culpam cum voluptate libenter cõmiserunt: sed ante districtum iudicem hanc inuiti,multa cum amaritudine manifestabunt.Mulier dum non sperat subitis doloribus incipit vrgere vt pariat, quia & reprobi dum non præuident, incipiunt repentinis cruciatibus compelli vt latentia mala quæ intus habent, ante tribunal æterni iudicis, ad publicum proferant. Ita ergo subitis doloribus incipient torqueri intrinsecus instar prægnantis, & non effugiẽt. Mulier namque euadit, sed illi non effugient. Vigilemus ergo quia nescimus qua hora Dominus noster venturus sit.]

Anſel.locum Apoſtoli moraliter tractans : ſicut dolor in vtero,&c. Similia. Dolor prægnantiũ erit in die iudicij.

50. Denique vt cæteros taceam, ad diligentissimam nos Chrysostomus vigiliam inuitat:[opus(inquit)est vigilantia dilecti:nam & miles dormit non in lecto, sed humi : piscator non dormiens piscatur, sed stans aliquando peragit noctem:agricola vigilat, ne Domini vinea lædatur,& pastor sub dio stans noctem consummat gregem custodiens sicut Iacob dicebat:

Chryſ. hom. 22. ad populum. Exempla vigilantiæ.

cebat: æſtu vrgebar & gelu, & ſomnus fugiebat ab oculis meis,& quæ ipſius vigiliæ ratio? ne vlla ouis à fera voraretur. Si verò tanta de irrationali pecude cura, qualem eſſe decet de rationali anima ſollicitudinem gerentis? Propter hanc Iacob operarius lapidem ad caput ſibi poſuit dormiens, vt facilius euigilaret, vnde ſcalam vidit ad cœlos vſque pertingentem. Nos eſſe vult Dominus paratos, proptereáque poſuit incertum exitum noſtrum, vt continuè euigilemus & pugnemus. Ad hanc verò nos vigiliam propoſito excubitorum exemplo excitat:

Chryſ. hom. 9. ad populũ.

[Obſecro (inquit) omnia faciamus, ne vnquam obdormiamus: non vidiſtis cuſtodes, quomodo ſeipſos ſæpe vel parum ſomno permittentes, omnem magnę cuſtodiæ fructum amittant, per modicum enim illum ſomnum totum perdunt, dum furari volenti, copiam & poteſtatem faciunt. Quemadmodum enim nos fures non ita videmus, & ipſi nos vident: ita & diabolus omnibus imminet, inuidet, & dentibus frendet:] Et nos furem minimè videmus, at ipſe nos

Simile.

videt. Deinde ad eandem nos vigiliam exemplo funambulorum prouocat: [Componamus nos ipſos vndique, & quemadmodum ſuper funem extenſum ambulantibus non licet, vel parum negligentes eſſe: nam parum illud, magnum illis malum generaret; mox enim ſubuerſi deciderent ac perirent: ita neque nobis pigreſcere licèt; viam enim incedimus anguſtam, & vtrinque præcipitiis obnoxiam, pedúmque ſimul duorum non capacem. Vides qua nobis opus ſit diligentia.] Denique eodem nos exſtimulat exemplo eorum qui ambulant per cacumina & præcipitia: [Non vides illos qui tam periculoſa illa itinera conficiunt, quomodo non ſolùm pedes, ſed & oculos communiunt? quando enim putauerunt vtrinque attendendum, & ſi pes firmus ſteterit, oculi tamen ex ſubiecta profunditate vertiginem paſſi fuerint, toti dilabuntur, ſed oportet vt & ſibi ipſis, & inceſſui ſimul attendant: quapropter dicit: neque

ad

igitized by Google

ad dexteram neque ad finiſtram: multa eſt malitiæ profunditas, magna ſunt præcipitia, denſæ ſubiectæ tenebræ, anguſtiam obſeruemus, cum timore & tremore ambulemus.] Remoras verò huius cautæ vigiliæ & ambulationis explicat, & ſimul ſummouet, inquiens. [Nemo talem viam ingrediens riſu diffunditur, aut ebrietate grauatur, ſed ſobrius & ieiunus huiuſmodi viam ambulat: nemo talem viã ingrediẽs ſuperfluum quicquam ſecum defert; mauult enim expeditus eſſe, quo commodè illum percurrere queat: nemo pedes ſuos obligat, ſed liberos eſſe ſinit. **Nos verò innumeris curis nos ipſos quaſi quibuſdã vinculis cõſtringentes,** & mille temporalium rerum onera deferentes, more ſtultorũ hiantes & diſſoluti, quomodo anguſtã hanc viam ambulaturos nos ſperamus? Nõ ſimpliciter illam anguſtam eſſe dixit, ſed cum admiratione: Quàm (inquit) anguſta eſt via! hoc eſt, vehementer anguſta eſt. Vigilemus ergo quia neſcimus qua hora Dominus noſter venturus ſit.]

51. Quàm ſalutaris hæc concluſio à ſanctis ex illo ſalutari antecedente: [Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ,] infertur, cuilibet nimirum vigilandum. Hinc ipſi in perpetua vigilia & ſtatione conſtituti, ad mortis horam ſummo cum deſiderio anhelarũt. Si enim Epaminondas Ethnicus Thebanorum dux fortiſſimè in bello dimicans, læſus ad morté, moriens rogauit, an ſuus clypeus eſſet ſaluus, & an hoſtes eſſent cæſi, cùm & illum ſaluum, & hos cæſos audiſſet: nunc finis (ait) vitæ meæ. Sed melius & altius initium aduertit: nunc Epaminondas naſcitur quia ſic moritur. Si, inquam, ille pro temporaria victoria, pro laude & gloria corruptibili ita certauit, vt cum magnã animi lætitia gloriosè moriturum ſe exiſtimaret, ſaluo clypeo, hoſtibúſque cæſis, quanto cum gaudio milites Chriſti ad mortem properare debent, gratiæ clypeo ab aduerſarij ictibus integro, illóque profligato, qui tot pro corona incorruptibili, pro gloria ſempiter-

Valer. Max. Epaminondæ glorioſum certamen & mors.

Digitized by Google

na, pro æterna Dei fruitione victoriis potiti sunt. Audite Paulũ confidentia, & bonæ cõscientiæ securitate in morte fisum, tot victoriis de hoste partis fidei clypeo illæso: [Reposita, inquit, est mihi corona iustitię: bonum enim certamen certaui, strenuum me Christi militem exhibui, pro Christi Euangelio ac fide labores, ærumnas, persecutiones & afflictiones generosè superans, spe plenus instans mihi martyrium aggredior, quod tandem aliquando quasi coronidem tot certaminibus imponam, ac proinde ad mortem properans obiecta mihi tot victoriarum corona lætanter exclamandum: [Cupio dissolui & esse cum Christo. Vigilemus ergo quia nescimus qua hora Dominus noster venturus sit.]

EXEMPLVM.

Ex lib. Doct. Patrum, lib. de exempl. & doct. vitæ spiritualis. n. 11.

52. Abbas Sisoys tanta cum vigilantia vitæ suæ curriculum peregit, vt sedens in cella semper clauderet ostium suum: quare morte appetente, cùm sederent circa eum patres, resplenduit tãquam sol facies eius, eisque dicit: ecce Abbas Antonius venit: & post pusillum, rursus dicit eis: ecce chorus prophetarum venit, & iterum amplius facies eius resplenduit, & dicit: & chorus Apostolorum venit. Dupliciter adhuc refulsit facies eius, & ecce ipse cum aliquibus loquebatur. Deprecati sunt autẽ illum senes dicẽtes: Cum quo loqueris Pater? qui dixit eis: ecce Angeli venerunt accipere me, & rogo vt dimittar pœnitere modicum: Dicunt ei Seniores: non indiges pœnitentia pater: dixit autem illis: verè nescio me, vel initium pœnitentiæ feciſſe, & cognouerunt omnes quoniam perfectus est. Et rursum facta est subitò facies illius sicut sol, & timuerunt omnes. Dixit autem eis: videte ecce Dominus venit, dicẽs: Afferte mihi vas electionis eremi. Et continuò reddidit spiritum, & factum est fulgur, & repletus est totus ille locus odore suauitatis.

FINIS.

Laus Deo, B. V. eius matri.

BIBLIOTECA VAZ ROMA VITTORIO EMANUELE
398.421

INDEX

INDEX LOCORVM PRÆCIPVORVM S. SCRIPTVRÆ, QVÆ IN hoc Concionum volumine allegantur & explicantur.

QVORVM PRIMVS NVMERVS paginam, alter numerum Concionis denotat.

GENESIS.

Cap. 2. FAciamvs homini adiutorium simile sibi pag. 854. n. 19
2 Ne forte moriamur 616. n. 3
3 Vidit lignum bonum 614. n. 16
3 Adam vbi es? 116. n. 15
3 Puluis es, & in puluerem reuerteris 744. n. 10
3 Ecce Adam quasi vnus è nocis factus est 357. n. 11
4 Respexit Dominus ad Abel 430. n. 3
6 Nō remanebit spiritus meus in homine 471. n. 9
6 Tactus dolore cordis 544. n. 14
8 Odoratus est Dominus odorem 374. n. 10
8 Arcum meum ponam in nubibus 396. n. 15
9 Incedentes retrorsum 742. n. 7
14 Melchisedech Rex Salem sacerdos Dei altissimi 1015. n. 12
15 Ego ero merces tua 453. n. 26
19 Vxor Loth in statuam salis 691. n. 10
25 Collidebantur in vtero eius 590. n. 14
27 Ecce odor filij mei 372. n. 7
38 In ipsa effusione infantum, vnus protulit manum 693. n. 14
39 Per singulos dies mulier erat molesta adolescenti 148. n. 31
45 Ego sum frater vester Ioseph 9. n. 8
Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu

Digitized by Google

manu Amorrhæi 287.n.19

EXODVS.

Cap.13. Sanctifica mihi omne primogenitum 963 n.1
16 Apparuit in solitudine minutum 173.n.21
Nónne melius fuisset illi seruire? quàm in manus eius nunc incidere & moti 10. n.8.
19 Eritis mihi in regnum sacerdotale 1017.n.14
19 Nónne melius fuisset illi inseruire 110.n.8
24 Species gloriæ quasi ignis ardens 350 n.5
25 Fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est 869. nu. 11. & 859.n.24
25 Duos cherubinos aureos & productiles facies 269.nu. 16
Respiciant se mutuis versis vultibus 368.n.2
28 Doctrina & Veritas 995. n.10
Zona & tunica sacerdotis 819.n.10
32 Cur, Domine, nascitur furor tuus 246.n.6
32 Sine me, vt irascatur furor meus 541.n.13
33 Ostendam tibi omne bonum 493 n.25
34 Omne primogenitum adaperiens vuluam 949.n.4

LEVITICVS.

9 Hircus pro peccatoribus immolari iubetur 890.n.8
12 Mulier si suscepto semine 947.n.1
13 Omni tempore quo leprosus est 530 n.4
19 Agrum tuum non seres diuerso semine 735.n.22

NVMERI.

10 Fac tibi duas tubas argenteas 773.n.10
12 Quare non timuisti detrahere seruo tuo Moysi 38.n. 16
17 Quem ex iis elegero, germinabit virga eius 994.n. 10
27 Tolle Iosue filium Nun 994 n.10
27 Prouideat Moyses spirituũ omnis carnis hominẽ 997. n.12

DEVTERON.

13 Si audieris in vna vrbium tuarum, dicẽtes egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuæ, &c. 603.n.24
17 Sequeris sententiam sacerdotum 1015.nu.12
28 Locustæ deuorant omnia 729.n.18
32 Sagittas meas complebo in eis 885.n 4
32 Circumduxit eum & docuit 297.n.1
32 Vua eorum, vua fellis & botrus amarissimus, vinum eorum fel draconum, & venenum insanabile 508 n 13

Digitized by Google

32 Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam, viuo ego in æternum 17.n.15
33 Habitaculum eius sursum 150.n.32

IOSVE.

20 Equos eorum subneruabis 555.n.4

IVDICVM.

4 Sisara à Iahele interfectus 1070.n.46
13 Obsecro, Domine, vt vir Dei, quem misisti, veniat iterum, vt doceat nos, quid debeamus facere de puero qui nasciturus est 170.n.18
13 Oculos Sampsonis eruerũt 625.n.13
14 Ecce examen apum in ore leonis 330.n.9
18 Deos meos tulistis, quos ego feci, & sacerdotem, &c. 489.n.12
18 Euntes quinque viri venerunt Lais 1035.n.10

I. REGVM.

1 Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cor meum in Deo meo 130.n.5
14 Ascendit Ionathas manibus, & pedibus reptans, subsequitur magno labore armiger 284.n.16
14 Gustans gustaui in summitate baculi 330.n.9
14 Ionathas ex fauo mellis mortis periculum hausit 929.n.1
15 Nónne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es 84.n.10
16 Pacificúsne ingressus tuus 188.n.13
24 Scidit oram chlamydis eius silenter 119.n.17
26 Quare non custodistis Dominum vestrum 120.n.18

II. REGVM.

1 Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum, neque gladius Saul inanis est reuersus 887.n.5
6 Benedixit Dominus domum Obededom 291.n.23
12 Vocate regem Dauid, ne meo ascribatur nomini victoria 765.n.3
20 Tenuit Ioab manu mẽtum Amasæ, eúmque interfecit 421.n.22
23 O si quis mihi daret potum aquæ è cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam 175.n.22.& 353.n.8
24 Et mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum 451.n.5

III. REGVM.

10 Rex Salomon fecit sibi thronum 1.n.1
11 Deprauatum est cor Salomonis.
18 Vsquequò claudicatis in duas partes: si Dominus est

Digitized by Google

Deus, sequimini eũ: si autẽ Baal, sequimini eum 55.n.13
18 Nubecula parua quasi vestigium hominis ascẽdebat de mari 265.n.8

IV. REGVM.

2 Eliæ pallio flumen diuisum 902.n.17
4 Animaduerto, quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter 140.n. 15
4 Stetit oleum 504.n.10
4 Incubuit Eliseus super puerum, posuitque os super os eius 212.n.15
4 Mors in olla, mors in illa 167.n.15
5 Putabam quod egrederetur ad me, & stãs inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locũ lepræ & curaret me 545.n.15
5 Lepra Naaman adhærebit tibi 476.n.13
15 Rex Sedecias fugit 535.n.9
22 Iosias audita Dei lege fleuit 731.n.30

TOBIAS.

1 Solus fugiebat consortium &c. 171.n.19
3 Tradita fuerat Sara septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occidit eos, vt ingressi fuissent ad eam 524.n.24
6 His qui coniugium ita suscipiunt, &c. ibid.

HESTER.

8. Rex Assuerus exaltauit Aman, & posuit solium eius super omnes principes, quos habebat 515.n.17
15 Duæ ancillæ Esther comitari solebant 876.n.22

IOB.

4 Ecce, qui seruiunt ei, non sunt stabiles 863.n.3
6 Quis ergo det vt veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus, &c. 124. n.21
9 Qui graditur super fluctus maris, qui fecit Arcturum & Oriona 581.n6
18 Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, tenebitur planta eius laqueo, & exardescet contra eam sitis 355.n.15
18 Primogenita mors deuorauit pulchritudinem cutis illius, & consumpsit brachia eius 535.n.9
19 Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me, dereliquerunt me propinqui mei 530.n.4
20 Cùm dulce fuerit in ore eius malum abscondet illud sub lingua sua 511.n.14
21 Tenent tympanum & organum, & gaudent ad sonitum organi 214.n.9
24 Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent 501.n.6
30 Penna struthionis similis est pennis hèrodij & accipitris, quando dereliquit ouasua in terra 638.n.24
31 Librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circundem illum,

Digitized by Google

illum, quasi coronam mihi 449.n.22
31 Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine 974.n.14
37 Lustrant enim per circuitum quocunque eas voluntas gubernantis duxerit 573. n.19
38 Circumdedi illum terminis meis 577.n.1
39 Ad præceptum Dei eleuatur, & in arduis ponit nidum suum; in petra manet, & in prætuptis silicibus commoratur 299.n.6
41 Coccius indurabitur quasi lapis & quasi malleatoris incus stringetur 891.n.9
41 Lignum habet spem, si præcisum fuerit 1053.nu.28
41 De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ, atque feruentis 624.n.11

PSALMI.

6 Deduxisti me, quia factus es spes mea 381.n.18
7 Gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum 900.nu.16
7 Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem 969 nu.8
9 Inclinabit se & cadet cùm dominatus fuerit pauperum 629.n.15
9 Dum superbit impius 605. n.25
9 Insidiatur rapere pauperem in abscondito, quasi leo in spelunca sua 628.n.15
9 Dixi, confitebor 549.n 19
11 Ego autem sum vermis, & non homo 741.n.5
11 Eloquia Domini eloquia casta 670.n.20
13 Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam 310.n. 20
17 Inclina cœlos tuos, & descende 220.n.13
17 Ascendens super Cherubim volauit, & super pennas ventorum volauit 301.n. 8
17 Ignis à facie eius exarsit 758.n 16
17 Præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantastis insurgentes in me 722.n.12
18 A summo cœlo egressio eius 745.n.12
21 Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me 751. numero 19
21 Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis 741. n.5
24 Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt 738.n.2. & 204.n.8
26 Exquisiuit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram 315.n.29
27 Refloruit caro mea 342.n. 23
30 In te, Domine, speraui, non confundar in æternum 548. n.18

30 Odisti obseruantes iniquitatem superuacuè : ego autem in te,Domine, speraui 659 n 12
31 Intellectum tibi dabo, & instruam te via hac,qua gradieris 548.n.18
35 Domine in cœlo misericordia tua 541.n.12
35 Nolunt intelligere,vt bene agerent 723.n.13
36 A Domino gressus hominis dirigentur, &: viam eius volet 568. n.15.& 551.n.1.
38 Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis 757.n.25
39 Aures autem perfeciſti mihi 479 n.16.& 571.n.17
40 Verbum iniquitatis constituisti aduersum me 710.nu. 24
41 Fuerunt mihi lachrymæ meę panes: die ac nocte 354. n. 9
43 Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me 546.n.16
44 Misericordia & veritas obuiauerunt sibi,iustitia & pax osculatæ sunt 542.n.13
44 Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis 458.n.29
44 Omnis gloria eius ab intus 960.n.17
44 Pro patribus tuis nati sunt tibi filij 1014.n.11
44 In fimbriis aureis circumamicta varietatibus 736.n. 22
44 Intende, prosperè procede & regna 405.n.3
44 Adducentur regi virgines post eam 920.n.8
44 Eructauit cor eum verbum bonum,dico ego opera mea regi 921.n.11
45 Fluminis impetus lætificauit ciuitatem Dei 876.num. 18
46 Quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt 1054.n.29
48 Homo cùm in honore esset,non intellexit,comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis 47.n.5
49 Inuoca me in die tribulationis 579.n.4
59 In Idumæam extendam calceamentum meum 133. n.8
61 Mendaces filij hominum in stateris 49.n.7.& 492.n. 24
61 Veruntamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea 131. n.7
62 Mei autem penè moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei 231 n.18
62 Veruntamen propter dolos posuisti eis ibidem n.18
62 Deiecisti eos, cùm alleuarentur ibidem
64 Tibi silentium laus Deus, in Sion 368.n.2
64 Flumen Dei repletum est aquis 629.n.18
67 Mons Dei, mons pinguis 875.n.17
68 Infixus sum in limo profundi,

Digitized by Google

fundi, & non est substantia 756.n.24
70 Tanquam prodigium factus sum multis 747.n.15
72 Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Deo meò spem meam 290.n.22
72 Ad nihilum redactus sum, & nesciui 744.n.10
74 Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo 15.n.15
74 Ego confirmaui columnas eius 895.n.11
75 Terribilis es, & quis resistet tibi 6.n.7
77 Excitatus est tanquam dormiens 751.n.20
79 Potum dabis nobis in mensura 586.n.10
79 Qui sedes super cherubim 873.n.15
82 Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine 448.n.21
84 Iustitia & pax osculatæ sunt 1.n.1
88 Disposui testamentum electis meis 286 n 18
88 Tu dominaris potestati maris 577 n.1
89 Manè sicut herba transit 1059 n.34
90 Cum ipso sum in tribulatione 579 n.4
90 Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis 448 n 21
93 Dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob 6.n.6
93 Qui fingit laborem in præcepto 270.n.17
95 Quoniam terribile & sanctum est 393.n.11
96 Alluxerunt fulgura eius orbi, vidit & commota est terra 771.n.10
98 Confiteantur nomini tuo magno 391.n.9
100 Detrahentem secretò proximo suo, hunc prosequebar 41.n.20
102 Ipse nouit figmentum nostrum 864n.3
103 Quomodo miseretur Pater filiorum; misertus est Dominus timentibus se ibidem
106 Turbati sunt & moti sicut ebrius 578.n.3
106 Ascenderunt vsque ad cœlos, & descenderunt vsque ad abyssos ibidem
109 Tu es sacerdos in æternum 3.n.3
112 Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem 748.n.6
118 Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo 654.n.6
118 Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud 893. num. 10.& 665.n.17
118 Misericordia tua plena est terra 541.n.12
119 Sagitta potentis acuta 886.n.5
123 Posuit nubem ascensum suum 1.n.1
134 Fulgura in pluuiam fecit 772.n.1
136 Filia Babylonis misera 472.n.10

Digitized by Google

136 Beatus, qui allidit paruulos tuos ad petram 366.n.13
137 Excelsus Dominus, & humilia respicit,& alta à longè cognoscit 363.n 17
138 In libro tuo omnes scribentur 754.num 22.&346. num.1
139 Vir linguosus non dirigitur in terra 39.n.16
140 Pone Domine custodiam ori meo 978.n.17
140 Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo 455.n.27
147 Lauda Hierusalem Dominum 149 n.31

PROVERBIA.

Cap. 1. Comedent fructus vitæ suæ,suisque consiliis saturabuntur 446.n.19
1 Cùm irruerit repentina calamitas ibidem
4 Omni custodia custodi cor tuum,quia ab ipso,vita procedit 973.n.13
4 Oculi tui recta videant
5 Iniquitates suæ capiunt impium 1046.n.21
5 Ne des annos tuos crudeli 447.n.20
5 Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius 511 n.14
7 Sequuntur eam quasi bos ductus ad victimam 104.n.20
8 Delitiæ meæ esse cum filiis hominum 164.n.12
8 Nunquid non sapientia clamitat 681.n.2
12 Doctrina bona dabit gratiam
13 Per misericordiam & fidem purgantur peccata
14 Vita carnium, sanitas cordium, putredo ossium inuidia 342.n.13.& 468.n 7
16 Spirituum ponderator est Dominus 11.n.9
19 Fœneratur Domino , qui miseretur pauperis & vicissitudinem suam redder ei 635. n.21
20 Suauis est homini panis mendacij 673.n.24
21 Vir obediens loquetur victorias 571.n.18
21 Cui væ? cuius patri væ ? cui rixæ?cui foueæ 1039.n.14
23 Quando sederis,vt comedas cum principe, attende,quæ tibi sunt apposita ante faciem tuam 516.n.17
23 Fouea profunda est meretrix , & puteus angustus, aliena 1048.n.22
24 Qui diligit munditiem cordis,habebit Regem amicum 277.n.7
24 Per agrum pigri transiui, & per vineam viri stulti 627.n. 14
26 Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum sic imprudēs, qui iterat stultitiam 30.n.7.
27 Laudent te labia proximi tui 27.n.4
28 Qui festinat ditari, non erit innocens 733.n.21
30 Tria sunt difficilia mihi 248 n.5
30 Affer,affer 537.n.10

ECCLE

ECCLESIASTES.
4 Funiculus triplex difficilè rumpitur 406.n.3
7 Honorifica sacerdotes 1015. n.12

CANTICA.
1 Osculetur me osculo oris sui 739.n.2.& 205.n.9
1 Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia, vnguentis optimis 480.n.16
1 Oleum effusum nomẽ tuum 371.n.5.& 6
1 Nigra sum, quia decolorauit me sol 844.n.10
1 Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum 837.nu.4
2 Fulcite me floribus, stipate me malis, quia langueo amore 977.n.15
2 Lilium inter spinas 841.nu.7
2 Ne euigilare faciatis dilectam 846.n.12
2 Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem 752.n.19
2 Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem 252 n.13
2 Vulnerata charitate ego sum 600.n 22
2 Sexaginta fortes ambiebant lectum Salomonis
3 Facit sibi Rex Salomon ferculum, cuius ascensus purpureis 573.n.20
3 Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea 486 n.20
3 Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris 874.n.13
4 Capilli tui sicut greges caprarum 843.n.10
4 Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis 853.n.18
4 Quam pulchra es amica mea, quam pulchra 862.num.1
4 Vulnerasti cor meum soror mea spõsa 183.n.7.&476 n.14
5 Adiuro vos filiæ Hierusalem 476.n.14.& 314.n.28
5 Digiti mei pleni sunt myrrha probatissima 457.n.29
5 Manus illius tornatiles aureæ, plenis hyacinthis 481. n.16
5 Crura illius columnæ marmoreæ ibidem
5 Ego dormio & cor meum vigilat. 921.n.10
6 Descendit sponsus in hortum nucum, vt videret poma conuallium 282.n.18
6 Electa vt Sol 847.n.13
6 Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgẽs, pulchra vt Luna 866 num.7
6 Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt 977.n.15
7 Statura tua assimilata est palmæ & vbera tua botris 482. n.16.& 852.n.18.& 249.n 16
7 Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis 425.n.28
7 Nasus eius sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascũ 479.n.16.& 877.n.19

7 Venter

Digitized by Google

7 Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis ibid. & 842.n.8
7 Comæ capilli tui sicut purpura Regis, vincta canalibus 846.n.12
8 Quis det te fratrem meum 169.n.17
8 Pone me signaculum in corde tuo 377.n.14
8 Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum 935.n.7

SAPIENTIA.

1 In cogitationibus impij interrogatio eius 11.n.9
2 In malevolam animam non introibit sapientia 308. n. 18
2 Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt 1031.numer. 6
2 Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ 1029. n.3
5 Ergo errauimus à via veritatis 1037.n.12
5 Lassati sumus in via iniquitatis.
5 Nati continuò desiuimus esse 1030.n.4
6 Incorruptio facit esse proximum Deo 317.n.31
7 Ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram 91. n 1
11 Quoniam ante te orbis terrarum, tanquam inomẽtum stateræ, & tanquam gutta roris antelucani, qui cadit in terram 50.n.7
15 Existimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum 732.n.21
16 Sortes mittuntur in sinum 1009.n.5

ECCLESIASTICVS.

3 Quantò maior es humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus 82.n.8
5 Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem 17.n 16
10 Nihil iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet 540.n.11
11 Exultant in malis, & consenescunt in malo 223.nu. 8
19 Sagitta infixa femori canis 888.n.6
19 Operarius ebriosus non locu, letabitur 1042.n.16
21 Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit 730.nu.19. & 66.n 7
24 Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas 861.num. 25
24 Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris 951.nu. 6
31 Amaritudo animæ vinum multum potatũ 1039.n.14

35 Ora

Digitized by Google

35 Oratio humiliantis se cœlos penetrabit 241.n.1
43 Lignum offensionis est aurum sacrificantium 330.n. 11.12.
43 Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum 182.nu.6.& 396.n.15
48 Retro rediit Sol, & addidit Regi vitam 199.n.2
37 Propter crapulam multi obierunt 1041.n.16

ISAIAS.

1 Cùm multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam 518.n.11.& 455 n.17
1 Manus vestræ plenæ sunt sanguine. 587.n.12
1 Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis 544.n.14
2 Ingredere in petra, abscondere in fossa humo à facie timoris Domini 7.n.7
2 Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis 1044. n.19
5 Leuabit signum in nationibus, & sibilabit ad eum de finibus terræ 380.n.17.
6 Vidi Dominum sedentẽ super solium excelsum & eleuatum 185.num.10.& 280. n.9.
9 Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis 211. n.15
9 Sceptrum exactoris eius superasti 405.n.3
11 Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascender 836.n.2
12 Haurietis aquas de fontibus saluatoris in gaudio 508.n.13
14 Detracta est superbia eius ad inferos 465 n.4
19 Immiscuit Dominus spiritum vertiginis
24 Luxit vindemia, infirmata est vitis 134.n.9
25 Dominus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo 205.n.8
25 Confitebor nomini tuo magno, quia feciſti mirabilia 360.n.14
26 A timore tuo in vtero concepimus 970.n.9
26 Concepimus à facie tua Domine, & quasi parturiuimus 715.n.5
28 Coangustatum est stratum 465.n.5 & 145.n.27
28 Percussimus fœdus cum morte 988 n.3
28 Vt faciat opus suum, alienum opus eius, peregrinum est opus eius ab eo 543. n. 14
29 Sicut somniat esuriens, & comedit 500.n.5
30 Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur 678.num.30
30 Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius 395.n.15
35 Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate 45.num.2
40 Librat in pondere montes, &

Digitized by

& colles in statera 199.n.1
41 Triturabis montes, & colles quasi pulverem pones 7.n.7
43 Narra si quid habes, vt iustificeris 85.n.12
44 Artifex lignarius succidit cedros 1653.n.29
44 In circino tornauit illud 904.n.19
46 Ego feci, ego feram, ego portabo & sanabo 209.nu. 12
46 Portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua 289.n.21
49 Consolatur Dominus populum suum 289.n.21
49 Dereliquit me Dominus ibidem
49 In manibus meis descripsi te 346.n.1 & 754.n.22
51 Attendite ad petram vnde excisi estis 631.n.17
52 Parauit Dominus brachiũ sanctum suum 438.n 11
53 Generationem eius quis enarrabit 305.n.15
53 Et nos putabamus eum quasi leprosum 748.n 15
53 Oblatus est, quia ipse voluit 949.n 5
54 Ad punctum in modico dereliqui te 896.num.13.& 594.n.17
54 Ecce ego creaui fabrum, sufflantem in igne prunas 605.n.25
57 Et auferet opprobrium populi 115.n.9
58 Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam 106. n.1.& 773.n.13
60 Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te 637.n.12
61 Spiritus Domini super me, eò quod vnxit me 72.n.12
61 Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo 127 n.1
62 Vocabitur tibi nomen nouum 387.n.5
66 Nunquid ego qui alios parere facio, sterilis ero 651 num.4
66 Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum 139.n.14
66 Ad vbera portabimini 289 n.21

IEREMIAS.

1 Quid vides Ieremia? 229. n.15
2 Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer 462.n.1
4 Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas 712. num.1
6 Væ nobis, quia declinauit dies, quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi 484 nu. 25
8 A maiori vsque ad minorem omnes auaritiam sectantur 533 n.7
9 Ascendet mors per fenestras, ingressa est domos nostras 728.n.16
9 Super montes assumam planctum, & fletũ 648.n.29

Digitized by Google

12 Iustus quidem tu es Domine 220.n.15
12 Congrega eos quasi gregē ad victimā & sanctifica eos in die occisionis 239.n.26
13 Si potest Æthiops mutare pellem, & pardus varietates suas 334.n.16.& 588.n.12
14 Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones 999.n.14
15 Inuenti sunt sermones tui, & comedi eos 654.n.6
22 Viuo ſi fuerit Ieconias filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu 644.n.28
23 Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram 336.n.17
23 Malleus conterens petram 891.n.9
23 Væ pastoribus, qui dispergunt gregem pascuæ meæ 999. nu.13
29 Ego sum iudex & testis tuus 17.n.15
31 Nouum creauit Deus super terram, mulier circumdabit virum 306.n.16

THRENI.

3 Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio 513.n.15
3 Non ex corde suo humiliauit, & abiecit filios hominum 543.n.14
Oculus meus deprædatus est animam meam 974.n.14
4 Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus 630.n 17
4 Sapientes sanctuarij dispersi sunt 633.n.19
4 Filij Sion, filij superne Ierusalem 634.n.20
4 Lamiæ nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos 635.n.21
4 Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto 638.n.24
4 Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora 641.n.26

BARVCH.

4 Nemo gaudeat super me viduam & desolatam 137.n.12

EZECHIEL.

1 Ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis 634.n.20
1 In medio eius quasi species electri 4.n.5
1 Fili hominis sta super pedes tuos 9.n.8
3 Comede librum 655.num.7
16 Radix tua & generatio tua de terra Chanaan 92.nu.4
16 Vestiri te discoloribus 934.n.6
16 Cinxi te byſſo 819.n.9
16 Indui te subtilibus 823.n.14

Digitized by Google

16 Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit 807.n.19
16. Peruenisti ad mundū muliebrem 805 n.18
17 Aquilam magnarum alarum 301.n.9
21 Mucro, mucro euagina te ad occidendum 610.n.29
22 Quæsiui de ipsis virum, qui interponeret sepem 544. n.14
24 Ego quasi fluuius Dorix 810.n.23
33 Dicunt vnus ad alterum loquentes 424.n.26
37 Ossa arida audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus ossibus his 720.num. 10
47 Traduxit prophetam per aquam vsque ad talos 237. n.24

DANIEL.

2 In quibus nulla esset macula 547.n.18
7 Vox sermonum grandium 8.n.8
7 Ecce quatuor venti pugnabant in mari magno 563. n.11
8 Vidi arietem ventilantem cornibus contra Orientem 10.n.9
8 Deiecit de fortitudine 631. n.18
10 Renibus cinctus 4. num. 4
7 Thronus eius flammæ ignis 2.n.1

HOSEAS.

2 Cum iis percutiam fœdus, & arcum & gladium conteram de terra 901.n.16
2 Sponsabo te mihi in fide 933.n.6
4 Non est veritas, & non est misericordia in terra 629. n.16
4 Ne ascendatis in Beth-auen 167.n.15
7 Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor 490.n.23
9 Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt 365. n.19
9 Quasi vuas in deserto inueni Israël 643. numero 27
10 Seminate vobis in iustitia 713.n.2
11 Ego quasi nutritius Ephraim 536.n.17
11 In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis 408. n.7
18 Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis 511.num. 14
13 Perditio tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium tuum 327.n.7 & 990. n.6
14 Germinauit quasi lilium, & erumpet radix eius vt Libani 828.n.19
14 Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem excitauit Deum suum 511.n. 14

AMOS

AMOS.

3 Leo rugiet, quis non timebit 7.n.7
4 Oliueta vestra & vineta vestra comedit eruca 467.n.7
8 Occidet Sol meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis 709.n.22

IONAS.

1 Ionas in mare proiectus 611 n.31
4 Et lætatus est Ionas super hedera lætitiâ magna 502. n.7

MICHÆAS.

7 Væ mihi, quia factus sum veluti, qui colligit in autumno racemos vindemiæ 642.n.27

NAHVM.

3 Reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam 11. nu 9

HABACVC.

2 Electus enim cibus eius 625.n.13
1 In medio duorum. animalium cognosceris 214.n.16
1 Vsquequò Domine clamabo, & non exaudies 227.n.14
2 Væ ei qui multiplicat non sua 538.n.11
2 Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius 635.nu. 21
3 In fremitu conculcabis terram 228.n.15
3 Ingrediatur putredo in ossibus meis 230.n.16

ZACHARIAS.

2 Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei 1020.n.18
3 Erat Iesus indutus vestibus sordidis 752.n.20
6 In quadriga prima equi rufi 554.n.4
12 Lapis oneris 596.n.18. & 589.n.13
13 In die illa erit fons patens domui Danid 509. num. 13

MALACHIAS.

1 Dixistis, in quo dilexisti nos 754.n.22
3 Ecce venit; & quis poterit cogitare aduẽtus eius diem? 5.n.6

IVDITH.

13 Exsoluit pugionem, & euaginauit, & comprehensa capitis eius coma 1036.nu. 11

MATTHÆVS.

2 Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi

Digitized by Google

mihi feciſtis 525. numer. 25
3 Genimina viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere a ventura ira 29. num. 6
4 Non in ſolo pane viuit homo 671.n.13
5 Diligite inimicos veſtros 260.n.6
5 Sic luceat lux veſtra coram hominibus 914.n.3
6 Si non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra 271 n.18
6 Si lumen quod in vobis tenebræ 101 .n.10
7 Lata eſt via quæ ducit ad perditionem 701.n.17
8 Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos 309. n.20
12 Reuertar in domum meam vnde exiui 864 n.4
13 Incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus grauiter audierunt 336.n.17
13 Inuenta vna pretiola margarita, abit & vendit omnia 312 n.7
16 Tibi dabo claues regni cœlorum 1007 n 2
17 Quid tibi videtur Simon 964 n.3
19 Centuplum accipient 526. n 25
19 Sedebitis & vos ſuper duodecim ſedes 168 n.16
24 Vigilemus, quia neſcimus qua hora Dominus venturus ſit 1065 nn 39
25 Ite maledicti in ignem æternum 3.n.1.& 8.n.7
25 Ite maledicti in ignem æternum 230.n.16
25 Venite benedicti patris mei 18.n.17

MARCVS.

8 Apprehenſa manu expuit in eius oculos 45.n.4
11 Maledixit Dominus ficulneæ 726.n.16

LVCAS.

1 Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi 920.n.9
1 Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco 920 n.9
2 Beata, quæ credidiſti 838. n 4
2 Inuenietis infantem pannis inuolutum 181. nu.4. 152. n.15
2 Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo 839. n.6
2 Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius 956. nu. 12.
6 Væ vobis diuitibus 734.n. 22
6 Virtus ex illo exibat 906. n 20
9 Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei 691.n. 10
11 Beatus venter qui te portauit 836.n 6

Digitized by Google

12 Anima habes multa bona 1043.n.17
12 Et ſi venerit in ſecunda vigilia 1066.n.1
13 ſuccidite ergo illam 726.n.16
15 Surgam & ibo 426.n.28
16 Epulabatur quotidiè ſplendidè 515.n.17
16 Redde rationem villicationis tuæ 6.n.7
16 Mortuus eſt diues 1044.n.18
22 Pater dimitte illis 235.n.2.& 253. num.14.& 255.nu.1
23 In manus tuas commendo ſpiritum meum 286.n.18
24 Nónne cor noſtrum ardẽs erat in nobis dum loqueretur nobis in via 152.nu.34

IOANNES.

1 De plenitudine eius omnes accepimus 175.n.23
1 Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes 497.n.2
1 In principio erat verbum 303.n.12 & 194.n.15
1 In propria venit, & ſui eum non receperunt 433.num.6
1 Dedit poteſtatem filios Dei fieri 622.n.10
1 Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit 193.n.15
1 Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis 277.nu.6.& 309.nu.20
3 Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem 25.n.1
4 Qui biberit ex aqua quam ego dabo 509.n.13
5 Hæc ſunt quæ dedit mihi pater, vt perficiam ea 44.n.1
5 Lucerna lucens 25.n.1
5 Quoniam pater omne iudicium dedit filio 3.num.3
6 Hunc pater ſignauit Deus 25.n.1
7 Qui ſitit veniat & bibat 175.n.22
8 Ego quod vidi apud patrẽ meum loquor 35.nume.12
8 Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum 129.n.4
8 Qui ex Deo eſt verba Dei audit 425.n.25
9 Præteriens Ieſus vidit hominem cœcum 45.n.4
11 Infremuit ſpiritu 69.n.10
12 Cùm exaltatus fuero à terra, traham omnia ad meipſum 285.n.17
14 Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis 408.n.7
15 Ego ſum vitis vera 508.n.13
17 Manifeſtaui nomen meum hominibus 393.n.11
19 Mulier ecce filius tuus 274.n.2.& 309.n.20
20 Pax vobis 408.n.7
21 Paſce oues meas 1007.n.2

15 Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis 670.n.21

ACT. APOSTOL.

4 Notum ſit vobis omnibus 765.n.3
4 Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum 386.n.2.& 370. num.5
4 Multitudinis crédentium erat cor vnum,& anima vna 408.n.7
7 Domine Ieſu accipe ſpiritum meum 235.n.21
9 Saule Saule quid me perſequeris? 111.n 10
10 Quod Deus purificauit,tu commune ne dixeris 58.nu. 16
19 Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes 389.n.7
27 Ne timeas Paule 594. nu. 17

AD ROMANOS.

4 Contra ſpem in ſpem credidit 835.n.4
5 Commendat Deus charitatem ſuam in nobis 364. nu. 19.& 750.n 19
6 Stipendium peccati mors 989.n 5
7 Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ 687.n.7
7 Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius 95.n 7
8 Quos prædeſtinauit, hos & vocauit 766.n.5
8 Qui nos ſeparabit à charitate Chriſti 401.n.20
9 Iacob dilexi, Eſau autem odio habui 988.n.5
10 Fides ex auditu 656.num. 10
10 Diues in omnes,qui inuocant eum 949.n.4
13 Quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere 73.nu.13.& 127.n.1
13. Non in comeſſationibus, & ebrietatibus 340.n.21
13 Non in cubilibus & impudicitiis 487. n.20
14 Infirmum autem in fide ſuſcipite 670.n.20

I. EPIST.AD CORINT.

1 Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes 764 n.2
4 Quæritur inter diſpenſatores 810.n.22
4 Mihi autem pro minimo eſt vt iudicer à vobis ibid.
4 Spectaculum facti ſumus mundo, angelis & hominibus 607.n.27
6 Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus ſit cum eo 203.nu.7.& 933.n.5.& 410.n.8
9 Sic currite, vt comprehendatis 692.n. 11
10 Fidelis Deus, vt non patiatur nos tentari ſupra id 236.n.23
10 In Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui 673. num.13

II. EPIST.

Digitized by Google

II. EPIST. AD COR.

1 Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ 26.n.4
2 Nos in Chriſto Ieſu,& odorem iuſtitiæ manifeſtat per nos in omni loco 328.n.8
2 Chriſti bonus odor ſumus 411.n.9
4 Quod in præſenti eſt 238. num.25
6 Quæ participatio lucis ad tenebras? quæ conuentio Chriſti ad Belial? 467.n.6
8 Qui cùm diues eſſet, propter vos egenus factus eſt 743.n.7.& 950.n.6
9 Qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus metet 717.n.7
11 Ille probatus eſt, quem Deus commendat 27.n.4
12 Sufficit tibi gratia mea 238.n.25
13 An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus 218.n.25

EPIST. AD GALAT.

2 Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus 365.n.20.& 921.n.10
3 O inſenſati Galatæ,quis vos faſcinauit non obedire veritati 759.n.27

EPIST. AD EPHES.

2 Deus qui diues eſt in miſericordia 332.n.15.& 749.n.47
2 Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longè 409.n.7
3 Supereminentem ſcientiam 558.n.12
6 In omnibus ſumentes ſcutum fidei 976.n.15

EPIST. AD PHILIP.

1 Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto 202.n.15
1 Viuere mihi Chriſtus eſt,& mori lucrum 484.n.18
2 Humiliauit ſemetipſum 569.n.16
2 Exaltauit illum,& dedit illi nomen 375.n.1
2 Idem ſapientes, nihil per contentionem 414.n.12
3 Gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt 104.n.16
3 Propter quem omnia detrimentum fieri 1059.n.32
3 Obſeruate eos, qui ita ambulant 859.n.23
4 Omnia in eo poſſum, qui me confortat 761.n.28

EPIST. AD COLOS.

1 In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare 357.n.11
1 Gratias agimus Deo patri, qui dignos nos fecit 1004. num.16
3 Exſpoliate vos veterem hominem 32.n.9
3 Vita veſtra abſcondita eſt in Chriſto 383.n.18
3 Super omnia hæc charitatem habete 451.n.24

Digitized by Google

INDEX LOCORVM

EPIST. AD THES.

5 Sicut dolor in vtero habentis 1073.n.49

I. EPIST. AD TIMOT.

2 Non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis 31.n.8
2 Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire 681. num.1
6 Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem 732. n.21
6 Lucem habitat inaccessibilem 301.n.7
6 Ex radice sancta sancti rami 533.n.7
6 Diuitibus huius sæculi præcipio non sublime sapere 534.n.8
6 Radix omnium malorum est cupiditas 732.n.21

EPIST. AD TITVM.

3 Apparuit hodie benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei 206.n.9

EPIST. AD HEBRÆOS.

1 Portans omnia verbo virtutis suæ 305.n.14
1 Viuus est Dei sermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti 714.n.5
5 Exauditus est pro reuerentia sua 249.n.9
5 Cùm esset filius Dei, didicit ex iis 955.n.10
6 Proferens spinas maledicto proxima 726.n.15
6 Fugiamus ad tenendam propositam spem 658.n.11. & 593.n.17
12 Nondum vsque ad sanguinem restitistis 938.n.21

EPIST. IACOBI APOS.

1 Si quis auditor est verbi 671.n.21
1 Suscipite verbum insitum 738.n.21
4 Deus superbis resistit 464. num 4
4 Quæ est vita nostra? vapor est ad modicum parens 1029.n.2
5 Agite nunc diuites, plorate in miseriis vestris 338.n.18

I. EPIST. B. PET. APOS.

3 Non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri 960.n.17
5 Pascite, qui in vobis est gregem 413.n.12

II. B. PETRI APOST.

2 Sus lota in volutabro luti 30.n.7
3 In quibus sunt quædam difficilia intellectu 588.n.13

I. EPIST. B. IOAN.

1 Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis

Digitized by Google

oculis noſtris 306.n.16

APOCALYP. B. IOAN.

1 Scio vbi habitas, vbi eſt ſedes Sathanæ 32.n.9
1 Fui in ſpiritu die Dominica, & audiui poſt me vocem magnam 3.n.3
1 Præcinctus ad mamillas zona aurea 4.num.4.& 317. num.31
1 Noli timere:ego primus, & nouiſſimus 8.n.8
2 Scio tribulationem tuam 815.n.4
2 Memor eſto vnde exciderís 494.n.25
3 Scio opera tua,quia nomen habes quod viuas, & mortuus es 790.n.2
3 Dilexit nos & lauit nos 157. num.15
3 Scio opera tua,quia neque frigidus es, neque calidus 292.n.24
3 Suadeo tibi à me emere aurum,argentum 451.n.14
3 Ego ſto ad oſtium & pulſo 150.n.32
4 Animalia nunquam requiem habebant 696.n.14
7 Iſti ſunt, qui lauarunt ſtolas ſuas,& dealbauerunt eas in ſanguine 374.n.15
9 Aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis, & obſcuratus eſt ſol, & aër de fumo putei 47. num.5.& 623.nu. 11
10 Accipe librum & deuora illum 655.n.7
10 Erat in ore meo tanquam mel 347.n.2
10 Pedes eius tanquam columnæ ignis 481.n.16
12 Væ terræ & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam 563.nu. 10
12 Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret.trahi à flumine 564.nu. 12
12 Poſuit Dominus dextrum pedẽ ſuum ſuper mare 584. num.8
14 Ecce agnus ſtabat ſuper montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia 912.n.2
16 Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet 538. num. 10
20 Vidi thronum magnum, candidum, & ſedentem ſupereum 5.n.6
21 Tabernaculum Dei cum hominibus 869.n.11
21 Suſtulit eum in ſpiritu ad montem 30?.n.7
22 Oſtẽdit mihi flumen aquæ viuæ, ſplendidum tanquam chryſtallum 648.n.1

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM
ET VERBORVM

LOCVPLETISSIMVS, QVÆ
in hoc Concionum volumine
continentur.

QVORVM PRIOR NVMERVS paginam, alter numerum paginæ denotat,

A.

ABRAHÆ humilitas pagina 83. numero 10

Abraham gaudio affectus ob natiuitatis, & passionis diem 129.n.4

Abortum multi Christo causant 292.num.14

Acerræ Iesu nominis odore pleni nos esse debemus 374. n.9

Actio mala fugit lucem 628. n.15

Actio orationi iuncta efficax 242.n.1

Actione & oratione pugnandum. 244.n 3

Accipitrem Isaias agit 279. n 9

Acceptio personarum in electione euitanda 1014.n 11

Adam latro 85.n.12

Adulterium spiritale detestandum 629.n.16

Aduentus sui nos Dominus præmonet 105.n.1

Aduentum Messiæ desiderat Isaias 134.n.9

Aduentus Messiæ spes 137.n.11

Affectatio deitatis primus hominis descensus 743.num.8

Affligi magna consolatio 225. n.11

Afflictio iusto grata 229.nu.16

Affectus hominum diuersi 555. n.5

Ægeæ durum pectus 776.n.15.

Ægeæ tribunali sistitur Andreas 779.n.18

Ægeas Andream ad crucis supplicium damnat 781.n.20

Agnus ex leone factus est Deus 393.n 12.& 8.n.8

Amoris veri emblema 156. n.2

Amor

Amoris veri signa 257.n 3
Amoris vis 273.nu.1
Amor naturalis cum morte euanescit 273.nu.1
Amor spititalis etiam in patria perseuerat 274. numero 1
Amor Christi in Iohannē ibid. n.1
Amor vestis nuptialis 274.nu. 2
Amorem spirat Ioannes Euan. ibid.
Amor Dei in Moysem 275. numero 4
Amor Christi in Iohannē Euan. 275.n.4.& 276.n.5.& 284.n. 16.& 286.n.18
Amor verus nunquam quærit opportunitatem 276. n.5
Amoris præcipuum pignus Ioann. Euan. Christus reliquit 286.n.18
Amor Dei in nos æternus 288. n.20
Amor in nos Christi ibidem n 21
Amor noster in Christum 290. n.22
Amoris nostri signum in Christum Mariam fouere ibidem n.23
Amoris in Mariam & Iohannē exemplum 294.n.26
Amor ingeniosus fur 297. numero 2
Amor Dei ad diuinā iuuat cognitionem 306. num. 17
Amoris alis Iohannes ascendit 308.n.19
Amor Dei ingens beneficium 310.n.22
Amor Dei & proximi nos in cœlum euehit 312. nu. 25. & 313.n.26.27
Amor Iohannis Euan.in Christum 314.n.28 & 315. n.29
Amor nostri Christū inebriat 361.n.19
Amor à Christo ediscendus 364.nu:19
Amor transformat amantem in amatum 347.n.2
Amoris Iesu exēplum 366. n.11
Amor & maiestas sunt simul 395.nu.15
Amoris natura describitur 477.n.15
Amor viri & vxoris res præstantissima 516.n.18
Amor Dei in nos 737. numero 1.4.6.12. 13. 14.15. 16.17.18. 19. 20.21. 23.24. 26.28
Amor noster in Deū exiguus 753 n.25.26.27
Amoris Christi exemplum 762.n.29
Amor Brigidæ in Deū 935.n.8
Amor sponsæ in sponsum 936. n.9
Amor Nicolai magna operatus 831.nu.21.& 832.num. 23
Amor Dei 763.num.1
Amicitiam Dei mundities conciliat 277.n.7
Amor Christi in Ioannē Bapt. 81.num.8
Amor Dei prodigus 153.nu.1
Amor noster in Deum debet esse ardens 169.nu.17
Amoris sagittis Iesus patris cor ferit 183.num.7

Amore nos Deus trahit 208. n.12
Amoré noſtrum Deus expetit 211.n.14
Amor cuiuſdam puellæ in Ieſum 217.n.18
Anima iuſti ſedes ſapientiæ 31. n.9
Anima impij ſedes Sathanæ ibid.
Animas mactat detractor 37.n. 14
Animæ oculus difficile reſtituitur 48.num.6
Animæ curatio difficilior corporis 53.n.11
Animæ vitã reſtituere grandius eſt miraculum, quam corpori 70.n.12
Anima peccati cathenis in corpore ſtringitur 75.n.14
Animæ miſeria peccato infectę 102.n.16
Anima per peccatum ad nihil redigitur ibid.
Anima terræ affixa, terrea eſt 104.n.18.& 19
Animæ obſtinatio 106.n.2
Anima iuſti area eſt Chriſti ſanguine empta 141 n.17
Animæ ſitis 175.n.22
Anima paſſionibus agitatur 514 n.4
Anima ſuos vigiles habeat 1068.n.43.
Animam Deus virtutibus pulchrè ornat 791.n.4
Animæ inflicta ſunt quatuor vulnera 687. num.7. & 688. n.8
Animæ periculum ingens ingruit dæmone illam impugnante 562.num.10
Anima virtutibus inſtructa tutò nauigat ibid.
Animalia immunda peccatores, loti Chriſti ſanguine fiunt munda 58 num.16
Animantia nos docent obedientiam 572.n.18
Angeli in cœlo ſtant, homines ſedent 168.n.16
Angelus cuſtos teſtis 15. num. 15.
Anna ſterilitate ſublata gaudet 130.n.15
Annus nouus noua omnia exigit 183.n.19
Annuli in manu Dei ſumus, cauendum ne ab eo abiiciamur 633 n.19
Anaxarchi animi robur 227. num.12
Andreas ad crucem lætus pergit 681.n.10
Andreæ excelſi animi robur 784 n.23
Andreæ ingens deſiderium pro Chriſto patiendi ibid.
Andreæ miſſio doctrinis & miraculis comprobatur 768. n.7
Andreæ orationis efficacitas 769.n.9
Andreæ miracula 771. n. 10. & 773.n.13
Andream imitari oportet 786. n.24
Andreæ verba ignita iacula 772.n 12
Andreas tribulationibus ad crucem paratur 775.n.14
Andreæ fortitudo 783.numero 22

Andreæ prædicationis vis ibid.
Andreæ mira libertas 779. n.18
Andreæ amoris acceſſus ibidem
Andreas flagellis cæditur 780. n.19
Andreas Chriſti notitiæ odorẽ ſparſit 782.n.21
Apoſtoli ſuam miſſionem miraculis comprobant 62.numero 3
Apoſtoli duodecim Leuneuli conſcriptũ iudicium perficient 1.n.1
Apoſtolos Chriſtus ſua reſurrectione nutantes confirmauit 895.n.12
Apoſtoli duodecim cum 12. Zodiaci ſignis conferuntur 1002 n.16
Apoſtoli Chriſti imaginem in ſe expreſſam aliis impreſſerunt 767.n.6
Appetitus noſter lucẽ fidei ſequi debet 872.n.14
Appetitus noſter ſit menſura cœleſtibus plena ferculis ibid.
Appetitus ſit altare Thymiamatis ibidem
Aquilæ natura 266.n.12
Aquila Ezechielis Iohannem Euan.ſignificat 195.n.1
Aquila Iohannes Euan. cuius via in cœlo difficilè reperitur 199.n.6.
Arbores ſimus frugiferæ 726. n.16.
Aram crucis per ſex gradus Chriſtus aſcendit 201 nu.5
Armenij animalis puritas 138 num.13
Arundini inconſtantia comparatur 29.n.6
Ariſtoteles animæ immortalitatem aſſerit 239. num. 26
Aranea ex floribus venenum haurit 310.n.10
Areuna primitiæ gentium 432. n.6
Aſperitas vitæ 30.nu.8
Aſpera Deo ; regi terreno mollia placent ibidem
Aſcenſus Iohannis altus 307 n.17
Attributa ſua Deus ſponſæ ſuæ communicat 932. numero 5
Auarus horribiliter punitur 105.n.20
Auari damnati exemplũ 344. n.25
Auaro omnes lepræ conditiones conueniunt 532.nu.7
Auari Dei verbũ non ſuſcipiunt 731.nu.21
Auaritiæ vena 337.n.18
Auaritia Deus amiſſus vix inuenitur 474.num.12
Auaritia multorum grauiter caſtigata 475.nu.13
Auaritia lepra eſt 532.n.6
Auaritiæ lepra ſuum non agnoſcit ſtatum 534.n.8
Auaritiæ ſitis inexplebilis 556. num. 10
Auguſtinus Manichæus & luxurioſus 48.n.6
Auguſtini anceps pugna ibid. num. 6.& 558. n.8
Auguſtinus vtroque pede animi claudicans curatur 54. num.

Digitized by Google

num.11.
Auguſtinus caſtitatem facilé experitur. 114.n.13.
Auguſtinus docet quomodo emergendum ex carnis cœno 340.n.21
Auguſtini conuerſio 669.n.20. & 21
Aures purificandæ 978.nu.17
Aures animæ noſtræ ſurdas multis modis conatur Deus aperire 65.n.6
Aures cordis geminæ ibid.
Aures hominum natura erexit 66.n.7
Aures ſpinis ſepiendæ 978. n. 17
Auxilium Dei eſt præſto tribulatis 258.n.24
Auxilium Dei impenſius inuocandum ante peccati conſenſum 588.nu.13
Auxilia peculiaria ſæpe Deus peccatori negat 711.n.27

B.

Beatitudinis æternæ ſuauitas 689.n 9
Beatitudinis pulchritudo 690. n.10
Beneficiis Dei abuti perniciosum 791.n.3
Beſtia homo moribus 99.n.13
Bethlehem fugimus, & Bethauem quærimus 166.n.15
Benignitas Chriſti 224.n.10
Beneficia Iohanni Euangeliſtæ collata 311.n.23.&24
Bibacibus væ 99.num.12.
Bona infinita ſanctis reſeruantur 224.n.10
Bona quæ ex inimicorum dilectione proueniant. 262.nu. 7
Bonum ex malo elicit Deus 329. n. 9
Bonum in venenum mali vertunt 330. n.10
Boni Dei ſunt triticum 618. num.6
Breues dies hominis 94. nu. 7
Brigidæ ſibi extingui oculum impetrauit 915.n.5
Brigidæ cum Maria ſimilitudo 919. nu. 8.& 920. num.11.& 921.n.10.11.922.num.12.& 924.n.13
Brigida à teneris Deo deſponſata 920.n.9
Brigidæ liberalitas 921. nu. 11
Brigidæ fama excitati multi illam inuiſebant 921.n.12
Brigidæ viſio obiecta iucunda Epiſcopo 924.nu.13
Brigida impudicitiæ incendium in aliis extinguebat ibid.n.13
Brigida ex adulterino complexu naſcitur 930.n.2
Brigida Chriſto per virginitatem & amorem maritatur ibid.
Brigida fax ardens 931.num.3
Brigida cum Chriſto quandam contraxit cognationem 932.n.5
Brigidæ in Deum amor 935 n.8
Brigidæ capiti inſedit columna ignea ibid.n.8
Brigida triplicem ſponſi imaginem in ſe expreſſit 938. n.11

Brigidæ

Brigidæ mira pulchritudo 939. n.12
Brigidæ miracula 940. nu 13
Brigidæ vitæ ſpeculum 943.n. 15
Brigida deuicta carne glorioſe cantat 945.num.16
Brigidæ inſignemiraculum 946 n. 17
Brutanos docentobedientiam. 572.n.18

C.

Calceamentum Chriſti humanitas 133.n.8
Caloris diuini vis 108.n.6
Cani peccator aſſimilatur 29. n 7
Capillorum candor æternitatem & diuinitatem indicat 4.n.5
Caro purganda 980. num.19
Carnis noſtræ equi ſubneruandi 556.num.6
Carnis cœno ſeſe ſurripere docet Aug. 340.n.21
Carnalis animi inconſtantia 28.n.6
Caſtitas ad diuinam cognitionem iuuat 307.n.18
Caſtitatis & amoris alis Io. aſcendit 308 n.19
Caſtitas facilis per Chriſti gratiam 114 n.13
Caſtitatem ſeruare difficile 911 n.12
Caſtitas à cœlo acceſſitur ibidem
Caſtitatis præmia 917 num.7
Caſtitatis conſeruandæ adhortatio 926.nu.14
Caſtitas B. Nicolai 821. n. 11. 12
Caſtitatis zonæ contexendæ operam dedit Nico. 823. n. 13
Caſtitas Nico. 801.nu 14
Caſtitas interior, at exterior muſti domus ſapientiæ 841. n.7
Cæci vident 45.n.4
Cæcos efficit peccatum 49. n.7
Cæcus Dei ſeruus 50.n.8
Cæcitas magna ſuam cæcitatem non agnoſcere ibidem
Cœnaculi lapides virtutes 142. n.18
Cœnaculi ſeptem columnæ 143. n.19
Cœlebs ſcientiam facilè acquirit 806 n.19
Cœlum ſanctorum, infernus impiorum 986.nu.1
Cœlum apertum Stephanus vidit 230.nu.17
Cœleſtia ex terrenis metemus 717.n.7
Centrum ſuum quodlibet petit 276.n.5
Charitatis munus 156.n.5
Charitatis diuina ſententia 163 num.11
Charitas in nos Chriſti 165. n 13
Charitas in inimicos 219. n.3
Charitas Stephani magna 252. n.13
Charitatis aurum primum munus Deo dandum 450 n.24
Charitatis vis ibidem

Digitized by Google

Charitas inconsutilis Christi vestis ibid.
Charitas tribulatione probatur 452.n.25
Charitas ex terrenis cœlestia facit 453.n.26
Charitas B.Nico. 830.n.21
Charitatis Nico. egregium exemplum 833.n 24
Charitas diuini verbi fructus 660.n.13
Charitas vilia aurea efficit 661.n.14
Charitas ipsum Deum comprehendit 662.n.15
Charitatis fructus 664.n.16
Christus cur circumcidi voluerit 959.n.16
Christi humilitas & obedientia 971.n.11
Christi exemplo suspiciones prauas supprimere docemur 26 nu. 2
Christus pretiosa animæ vestis 31.n.9.& 33.n.10
Christum amatorem habet proba mulier, improba Diabolum 33.n.10
Christus suauiter errantes corrigit 43.n.21
Christi missionis veritas ostenditur 44.num.1
Christi missionis literis patentibus, miracula tanquam sigilla apponuntur ibidem
Christi sanguinis balneum efficacissimum 58.n.17
Christi diuinitatis signum surdos curare, sed maius surdas aures animæ aperire 64. numero 5
Christi miracula ratione omnipotentiæ æqualia, ratione verò modi efficiendi alia aliis excellentiora 67.n.9
Christus restituit sensum perditum ibid.
Christi iudicantis throni descriptio 1.n.1
Christus in iudicio Leo 6.n.7
Christi iudicis vox ac vultus peccatori horribilis ibid.
Christus sanguinis diluuio peccata obruens, peccatori pepercit 8.n.8
Christus omnes ad rationem reddendam vocat 9.n.9
Christus manu stellas pœnitentibus tanquam præmium porrigit 17.n.16.& 18.num. 17
Christus similis Io.Bap.79.n.5. & 80.n.6
Christus nos voce sua à peccati lethargo excitat 110.n.9
Christi voci magna inest vis 112.n.11
Christus sæpe nobiscum panē cupit comedere 141.n.31
Christus negligitur ab hominibus 152.num.34
Christi passio infiniti valoris 154.n.2
Christi summa liberalitas & iustitia in nostra redemptione 155.n.3
Christus natus est vt iustitiæ satisfaceret 163.n.11
Christus exequitur charitatis & pacis sententiam 164.numero 12
Christi in nos charitas 165.n 13
Christus nobis iumentis

Digitized by Google

factus est fœnum 173.nu.20
Christus nos tanquam ad epulum vocat 173.n.21
Christi cor fons ex quo salutem haurimus 175.num 23
Christum natum vix gaudemus 179.nu.2
Christus ditissimus nobis thesaurus proponitur 181. n.6
Christi ad nos ingressus pacificus 188 n 13
Christus se suáque omnia peccatoribus abscondit 195 n. 18
Christusquare tributum pro se soluerit 964.n.2
Christus ne nos terreat maiestas gloriæ illam humilitatis velo abscondit 196.n.19
Christo nato aquæ fons in oleum mutatus 198.nu.20
Christi natiuitas ex matre similis fuit æternæ eius natiuitati 200.n.3
Christus Trinitati similis ibid.
Christus per crucem nos liberauit 201.n.5
Christus per sex gradus crucem ascendit ibid.
Christi benignitas 206.n.10
Christi humanitas 207.nu.11
Christus mirabiliter peccatorem resuscitauit 212. nu.15
Christus coruscat miraculis 213.n.16
Christus horologium bene sonans 233.n 20
Christi in crucis pulpito lectio pro inimicis orare 251. n.1
Christi in pectore nidificans fœlix 181.n.14
Christus ad se Ioannem Euan. traxit 285.nu.17
Christi in nos amor 288.n. 10. 21.& 290 n 22.23
Christo multiabortum causant 291.n.24
Christus in triplici sinu requieuit patris, matris, & Iohan.Euan. 309.n.20
Christi doctrina petra offensionis improbis 329.num.9
Christus ex proposito in resurrectionem positus 332.n.13. 14
Christo minimè ascribēda nostræ malitiæ causa 333. n.15
Christus diuersis modis nos trahit 346.n.17
Christi humanitas est liber in quo omnes virtutes inscriptæ sunt 346.n.1
Christi humilitas ineffabilis 355.n 10
Christi charitas ineffabilis 356. n.11.12.13
Christum inebriauit amor nostri 361.num.15
Christus nostri gratia sese dimisit 362.n 17
Christus sibi corporis gloriam & Iesu nomen meruit 385. n.21
Christus natus non ad regna auferenda, sed ad danda cœlestia 441.nu. 14
Christum amissum sollicitè quærit Maria 476.nu.14
Christus si clauum teneat tutò ibit nauis 578.num.2
Christo passo nos oportet conformari 583. n.3
Christus eques albi equi 590. num.

Digitized by Google

num.15
Christus dormiens nauem dirigit 592.nu.16
Christus aliis dormit quibus vix vnquam opem fert ibid.
Christus dormit vt in spem naui gantes erigantur 593.n.17
Christus dormit vt nobis coronas fabricet 602.n.24
Christus è somno excitandus 610.n.30.31
Christianus exterius amaritudinem, interius suauitatem in laboribus sentit 381.n.18
Clamoribus Dei obsurdescimus 151.n 33
Claudi ambulant 52.nu.10
Claudorum curatio 52.nu.10
Claudicationis animi curatio difficilior membris 53.n.11
Claudicandum nõ est invtramque partem 55.n.13
Clamandum ad Deũ 612.n.32
Claritas generis 793.n.6
Clament omnia ad Deum 588. n.13
Clementia Dei in peccatores 161.nu.9
Columnæ cœnaculi 143.n. 19. 20.21.22.23.24.25
Cometas sequimur non stellas 446.n.19
Communicatio bonorum 934. n.7
Constantia Io. Bapt. 28 num.6
Conceptio Christi tria admiranda habuit 836.n.2
Concionator caueat ne culpa sua non conuertantur peccatores 909 n.23
Conceptus ex Deo, & conceptus ex Diabolo 969.num.9
Concordia 414.nu.13
Conscientia sine dolo sponsi mensa 146.nu.18
Cogitatio digna principe 429. n.3
Cogitationum ratio reddenda 10.n.9
Colloquia praua corrumpunt bonos mores 65 nu 1
Cogitationẽ Diabolus subornat vt post se consensum & cætera trahat 141.nu.31
Conscientia peccati testis.5.n.15
Conscientiã aperit vox diuina 113 n.12
Conscientiæ candor via ad Christum 574.nu.21
Consensus noster peccatum consumat 567.nu.14
Constantia Martyrum 580.n.6
Constantia Tiburtij 600.n.22
Constantinus quatuor Tyrannos compescuit 585.n.9
Consolatio est à Deo puniri 225.n.11
Consuetudo peccati difficulter exuitur 335 num.16
Consuetudo peccandi pœnitentiam penè excludit 112. n.11
Consuetudo relabi post confessionem facit 478.nu 16
Consuetudo mulierum vitanda 803.n.13. & 803. nu.17.& 805.n. 8
Connubij disparitas non impedit Dei nobiscum coniunctionem 916 num.5
Conditiones diuini lactis trãseunt in sugentem 108.n.12
Concupiscentiæ vena 339.n 20
Concupiscentiæ motibus resistendo

Digitized by Google

ſtendo meremur 561 n.9
Conuerſio B.Pauli 601 n.25
Conuerſio Proceſſi & Martiniani 606.n.26
Conuerſio ſubita B.Pauli 111 n. 10
Conuerſio peccatoris difficilis 115.n.14
Conuerſio admiranda 1004. n.7
Conuerſio peccatoris per Mariam facta 861.n 26
Cor Chriſti lectus, vel Diaboli 145.n.28
Corde peccatoris nihil durius 195.n 18
Corvnum Chriſto, Mariæ, Ioanni Euangeliſtæ 316. n .30
Cordis humani duricies declaratur 334.n.15
Cor induratum ruinæ cauſa 366.n 17
Corde ficto Deo ſeruiunt claudicantes 54.n.12
Cor peccatoris adamante durius 65 nu.6
Cordis aures geminæ 65.n.6
Cor fatui quaſi vas fractum 66.n.7
Cor mœrore contractum, lætitia dilatatur 887.nu.6
Cordis mundities 961.nu.19
Cor à nobis Deus tanquam primogenitum exigit 964.n.3
Cor carnale peccati parens 969.n.9
Cor magna cura cuſtodiendum 972.n.13
Corda dura Dei verbum non ſuſcipiunt 728. numero 18. & 19
Coronæ in cœlo variæ 775. num.14
Colore triplici Ieſus coruſcat 184.n.9
Corpus animæ carcer. 100. n.15
Corporis iumentum ornare anima neglecta ſtultum 31. n.9
Corporis carere oculis ſatius quam mentis 45. numero 4
Corporis donorum ratio reddenda 14.n.12
Contritione, confeſſione, ſatisfactione Deus quærendus 488.n.21
Cruce miracula Brigida patrauit 482.n.17
Crucifixum intueri nihil efficacius 473.n.11
Crocodilus detractor 40. nu. 20
Coruus detractor ibid.
Creaturæ teſtes noſtrorum ſcelerum 25.n.15
Creatio hominis 835.n.1
Crucis gloria 775.n.14
Cubicula tria trino Deo in corde extruenda 144.n.26
Crucis mirus amor 778 n.17
Cubile virtutibus exornandum Chriſto 170.n.18
Cuſtodes adhibendi ne Dæmon ærarium animæ expiler 147.n 30
Cura noſtra in corpore exornando neglecta anima 31. n.9
Curatio inualeſcentis lepræ miraculoſa 56.n.14
Columba ſeducta peccator 490.n.23

Colum

Digitized by Google

Columna ignea Brigidæ rapiti insedit 935.n.8
Columna domus sapientiæ 848.n.15.16 17.18

D.

Dæmon mali autor 616. numero 2
Damnati hominis horribile exemplum 49. n.26
Dauid anhelat vt fiat Christi natiuitatis præco 131.nu.6
Dauidis spes erigitur 133. numero 8
Dauid visa impiorum prosperitate indignatur 231 n.18
Dauid deflet amissum Deum 354.n.9
Deceptio est expectare horam vndecimam vt ad Deum conuertamur 703 n.19
Delitiæ & diuitiæ periculum creant 515.nu.17
Detractor sterilis arundo 35.n.12
Detractor sui similis 36 n.13
Detractor foris apparet iustus, cùm tamen iniustissimus sit ibid.
Detractor gratia vacuus ibid.
Detractor locusta, & Leo ibid.
Detractor crudelitate bestias superat 37.n.14
Detractor animas mactat. ibidem
Detractoris anima Diaboli cubile 37.n.14
Detractoris lingua sagitta vulnerans ibid.
Detractor Dypsæ assimilatur ibid.
Detractoris pœnæ ibidem & 38.n.16
Detract. rem gratiâ fugit 38.n.16
Detractores viui ad Tartara descendunt 40.nu.17
Detractor fugiendus ibidem
Detractor putredine delectatur 40 num 18
Detractor tres simul vno sibilo interimit ibidem
Detractor vipera ibidem
Detractor vt virtutes eleuet vitia detegit ibidem
Detractor & serpens æquales 42 n.19
Detractor parum sæpe aliis, sibi plurimum officit ibidem
Detractor musca, corvus, crocodilus, scabiosus, scorpio, Diabolus 42.nu.20
Detractores minimè audiendi ibid.
Detrahens vix vnquam infamiæ a se illatæ satisfacit 38. nu.16.
Detractio reprobationis signum illi qui detrahit ibidem
Detractoris exemplum 43. n.21
Desiderium patrum Messiam exoptantium 127.n.1.& 178. n.12
Deus multis animæ nostræ aures aperire conatur 65. n.6
Deo viniuersus mundus comparatus nihil est 49.nu.7.
Deus occultissima videt peccata 10.n.9

Digitized by Google

Deus peccata occulta punit ibid.
Deus testis & iudex 15. num. 15
Deus insequitur peccatorem 115.n.14
Deo peccatum peccatorem abscondit ibid. & 117.n.16
Deus omnia videt, vbique est, & nostrarum actionum est conscius 119.n.17
Deus peccatorem externarum rerum ablatione ad se conatur conuertere 119. n.17
Deus clam ante nos vbique est ibid.
Deus in peccati pœnam suam subtrahit gratiam 121.n. 19
Deo digna habitatio non est inter nos 139.n.14
Dei clamoribus obsurdescimus 138.n.13
Dei amor prodigus 153. nu. 1
Dei clementia in peccatores 161.n.9
Deus homo factus vt nos sibi conscriberet 165.n.14
Deus se nostris miseriis obnoxium reddidit 168.n.16
Deus magnus factus est paruus 173.n.21
Deus olim seuerus nunc amabilis 181.n.5
Dei exinanitio 185.n.10
Deus olim terribilis hodie infans manuetissimus 186.n. 11
Deus olim vindictam spirans hodie misericordiam ibidem.
Deus olim leo, hodie agnus 194.n 17
Deus in terram descendit vt haberemus quem imitaremur 198.n 1
Dei descensu homo vitam inuenit 199.n.2
Deus factus homo vt ex bruto hominē, & ex homine Deum faceret 208.n.12
Deus nos amore trahit ibidem.
Deus descendit vt peccator ascenderet 210.n.13
Deus nihil irremuneratum relinquit 220.n.6
Deus suos castigat ibid.
Deus fecit cū tentatione proüentum 227.n.13.14
Deus auxiliatur tribulatis 238. n.25
Dei filiorum nota inimicos diligere 260 nu.6
Deus nos castigat, non autem inimicus 267.n.14.15
Deus viros suggerit, vt inimicos diligamus 270.n.17
Dei amor in Moysem 275.n. 4
Deus ab æterno nos in mente habuit 280.n.20
Deus ex malo elicit bonum 329.n.9
Dei filium parui facimus 351. n.7
Dei filius quanti faciendus 352.n.8
Dei nomina duo præcipua 392.n.10
Deus ex virginis vtero egressus, ex leone agnus 393.n. 12

Deus

Deus vult ſemper ſuas creaturas amplificare 498. num. 3
Deum ſe amiſiſſe pauci dolent 461.n.1
Deum amittere malũ magnum ibidem.
Deus per inuidiam amiſſus vix inuenitur 467.n 7
Deus per luxuriam amiſſus inuenitur difficulter 471.n. 9
Deus per auaritiam amiſſus vix reperitur 474.n.12
Deum habens omnia habet 493.n.25.
Deus ſi ſit nobiſcum, quis contra nos 577.n.1
Deus omnia in pondere, & menſura permittit 585. n. 10
Deus mali auctor non eſt ſed boni 615.n 2
Deus bonum ſemen in paradiſo iecit 616.n.3
Deus olim vltionis, modò miſericordiæ 900.n.16
Deus ex malo elicit bonum 928.n.1
Deo adhærens cum illo fit vnus 932.nu.5
Deus mundum conciliare voluit 763.n 1
Deus vult omnes ſaluos fieri 681.n.1
Dei regreſſio 745 n.12.13.14. 15. 16
Deus retrorſum incedit vt nos attolleret ſurſum 742. nu. 7
Dei deſcenſus fuit admirabilis in paſſione 743.n.9
Deus operibus iuſtitię inuenitur 713.n.3
Diaboli aſtutia 148.u.31
Diabolum pellit Ieſu nomen 395.n.14
Diabolo iuuentutem, Deo ſenectutem conſecramus 447. n. 20
Diabolus primum quod delectabile, poſterius quod amarum offert 510.nu. 14. & 514.n.16.& 515.n.17
Diabolus vinum veneno infectum ſuis propinat conuiuis 513.n.15
Diabolus primò extinguit rationis lumen, deinde homini omnia rapit 534.n.9
Diabolus Mariam abſorbere voluit 564.n.12
Diabolus mali auctor 615.n.2
Diabolus ſemine ſuo diabolos procreat 622.nu.11
Diabolus rapit Dei verbum ab animæ ſenſu 749.n.17
Diaboli deceptio 709.n.24
Diabolus impedit ne vocantem Chriſtum ſequamur 697.n.15
Diabolus nos iniquo loco aggreditur 699.nu.16
Diabolus procraſtinare Dei ſequelam ſuadet 703.num.18
Diabolus acculator fratrum 35.n.12.& 15 n.15
Dies hominis breues 94. nu. 7.8
Dilectio fraterna inuidiam ſæpè cauſat 341.n.23
Dilectio inimicorum 258.nu. 4.5.6.7.8.9.10
Dilecto lectus parandus 145 nu.

num.27
Differentia inter Christi & Iohannis baptismum 78.n.3
Discordia res magnę dilabuntur 414.n.13
Discordia hydra 416.numero 16
Dispositiones sex ad iustificationem 146.n.28
Dissidio funiculus triplex frãgitur 412.nu.11
Diuinitatis sigillum claudos ambulare 52 n 10
Diuinitas humanitati coniuncta suum attemperans fulgorem humanitatis auget claritatem 4.nu.5
Diues cùm putasset se diu victurum à dæmonibus rapitur 1043.nu.17
Diues epulo in inferno sepultus 1044.n.18
Dolor prægnantium erit in die iuditij 1073.n.49.50
Doctrina Christi petra offensionis multis 329.n.9
Domum vanitatis, relicta domo patris petimus 166. nu. 15
Domus sapientiæ muri castitas 841.n.7
Domus sapientiæ, fundamenta, humilitas & fides 837. n.4
Domus hæc aureis contegenda laminis 843.n.9
Domus sapientiæ pulchra 857. n.22
Domus hominis ex terra 863. n.3
Domus dæmonis scopis mundata 864.nu.4
Dominus magnus 198.n.2
Dona Iesu deferenda 404.numer.1
Donum quodnam illi dãdum, cùm seipsum illi dedimus ibid.
Donum illi pacis sceptrum offerendum 405.nu.3
Donum Iesu dandum funiculus triplex 406.n.4
Donorum à nobis exigenda ratio 789.n.1
Durities humani cordis 334. n.15

E.

Æneę in suos Deos pietas magna 492.n.24
Æternitas pœnæ 1048. num. 23
Æternitati opera nostra consecranda 718.nu.8
Ebrij sese in aureis ac argenteis puteis, suffocant 1041. n.15
Ecclesia ex Christi latere formata est 503.n.8
Ecclesia ad gaudium de Messię aduentu nos inuitat 137.n. 12
Ecclesię Romanę professio facienda 166.n.15
Ecclesiæ status tres 913.num. 4
Ecclesiæ nauis tutò nauigat, si Christus clauum teneat 578 n.2
Ecclesiæ nauis licèt tundatur fluctibus, non tamen obruitur ibid.n.3
Ecclesiæ nota persecutio 580. n.6
Ecclesia quati potest, mergi non

Digitized by Google

non poteſt ibidem
Eccleſia perſecutione creſcit 583.n.7
Eccleſiæ quatuor perſecutores compeſcuit Conſtantinus 585.n.9
Eccleſiæ perſecutores per diuerſos equos ſignificantur 587.n.12
Eccleſiæ nauis à Chriſto licèt dormiente dirigitur 592.n. 16
Eccleſia perſecutione fit illuſtrior 595.n.18
Eccleſiæ perſecutor ſibi nocet ibid.
Eccleſia in perſecutione ſemper ſentit diuinam opem 608.n.28
Eccleſia fluctuat 609.num. 29
Eccleſia illuſtrior Petri, & Pauli martyrio reddita 606.nu. 27
Eccleſia bonos & malos continet 614.nu 1
Eccleſia fugit regum mamillas 637.nu.23
Eccleſiaſtici aliqui malæ vitæ 634.n.20
Edmundus Cantuarienſis pius & modeſtus ſocium habere meruit Ieſum 384. num. 20
Effectus mali propriæ voluntatis 695 n.13
Effectus tres peccatoris conuertendi 107.n.5
Effectus diuini verbi 108 numero 6. & 109. numero 7. & 8
Efficacitas gratiæ 48. numero 106
Efficacitas orationis 242.n.1. & 243.n.2.3.4. & 244.n.5.& 245.n 6
Electioni nemo ſeſe ingerat 997.nu.13
Eliſæus vbi non vidit ſibi paratum tabernaculum non hæſit 140 n.15
Elohim Dei nomen 391. num. 10
Emblema veri amoris 256.n. 2
Epaminondæ glorioſum certamen & mors 1075. num. 51
Epulum Chriſtus 173. num. 21
Equi carnis ſubneruandi 580. n.6
Equus rufus ſanguinarium tyrannum ſignificat 587.nu. 12
Equus niger hæreticum notat 588.n.13
Eques albus Chriſtus eſt 590. n 15
Ethnicorum de diuitibus cenſura 735 n.22
Ethnici docent nos quomodo diligenter quærendus ſit Deus 480.n.22
Eua ex Adami latere, & Eccleſia Chriſti formata eſt 503. n.8
Eua cur ex Adami coſta facta 932.n.5
Euangeliſtæ Matthæus, Marcus, Lucas, tanquam falcones immiſſi in Dei verbi prædam 280. numer. 10

Digitized by Google

Euangeliſtæ præter Ioannem per diuerticula ad Dei verbi cognitionem aſcenderũt 300.n.7
Exaltatio noſtra Chriſti incarnatio 210.n.13
Examen ſtrictè omnium à nobis exigendi 13.n.11
Examen bonorum operum à nobis exigendum 15.nu.15
Exemplum de paupere euangelizante 75.nu.14
Exemplum admirandæ conuerſionis duorum obſtinatorum 60.n.18
Exemplum horribile de iudicio 23 n.20
Exemplum de detractore 43. n.21
Exemplum miſeriæ humanæ 88.n.16
Exemplum cuiuſdam Ethnici noſtrum faſtum deprimentis 90.n.1
Exemplum auari 105 nu.20
Exemplum impœnitentis horribile 116.n.22
Exemplum quo oſtenditur nos Chriſtũ negligere 152. n.35
Exemplum monachi à diabolo alapa percuſſi ob irreuerentiam 177.n.24
Exemplum puellæ Ieſum videre deſiderantis 217. num. 18
Exemplum fortitudinis fœminæ pro Chriſto patientis in Anglia 240.n.17
Exemplum remittendi iniuriã 254.n.15
Exemplum patientiæ 272.nu. 19
Exemplum Colatæ amoris in B. Virginem & Ioannem Euang. 294.n.26
Exemplum charitatis Io. Euã. 320.n.34
Exemplum auari damnati 344. n.25
Exemplum amoris Ieſu 366. n. 21
Exemplum modeſtiæ & pietatis 384.nu.20
Exemplum violati iuramenti terribile 403.nu.21
Exemplum terrificum violati voti 425.n.29
Exempli magna vis 460.num. 15
Exemplum relabentis in peccata,& damnati 495. num. 26
Exemplum quo oſtenditur quanta latent pericula inter delicias 526. numero 27
Exemplum auaritiæ 550.num. 20
Exemplum humilitatis 576.n. 23
Exemplum inobedientiæ 614. n.34
Exemplum Iuliani Apoſtatæ perſecutoris 647. num. 30
Exemplum quo verbum Dei auditum , & non retentum purificet 762. numer. 20
Exemplum miſericordiæ Mariæ 861.nu.26
Exemplum miſericordiæ Mariæ 910.nu.24

Exem

Digitized by Google

Exemplum illuſtre virginitatis 927.n.15.
Exemplum mortis cuiuſdam horribilis 1050.n.25
Exempla vigilantiæ 1074.n.50
Exemplum eximiæ charitatis 833.n.24
Exemplum obedientiæ Nicolai 811.n.24
Exempli boni vis 784.n.23
Exemplum Andrææ ſepulchri ex quo manna profluit 788. n.25
Exemplum verbi Dei virtutis 680.n.33
Exemplum paucorum ſaluandorum 711.n.25

F

Fama proximi ſeruanda 24. num.1
Fama proximi lædere maxima iniuſtitia 37.n.15
Fama læſa vix reparatur vnquam 41.n.18
Fames verbi Dei 189.n.14
Fatui cor quaſi vas fractum 68.n.8
Fælix qui in Ieſu pectore nidificat 282.n.14
Fælix qui mortis hora ſe peccatis exoneratum ſentit 1603.num.37
Fælicitatis æternæ deſcriptio 775.n.14
Fides Dei verbi fructus 655.n. 8.&.657.n.10
Fides ſtella 169.n.17
Fides ſpeculum 418 n.18
Fides cum charitate non ducit nos ad gloriam 419.n.19
Fides ſine operibus mortua 644.n.28
Figuræ res mundanæ 1058.nu. 32
Figuræ
filiorum Noe retrorſum incedentiũ ad tegenda virilia Patris ſui, & Dei ad tegenda peccata noſtra 741.num.7
Zaræ qui manum ſuam coccino ab obſtetrice ligatam retraxit, & multorum, qui manus ſuas ad aratrum extendunt, ſed frigoris aſperitate moti retrahunt. 693. n.12
Chriſti & Samuelis Dauidem in regem volentis vngere 188.n.15
Filij Dei in nos miſericordia 157.n.6
Filij Dei natura eſt miſericordia ibidem
Filiorum Dei nota inimicos diligere 160. num.6.& 262. num.8
Filiorum Dei dignitas & nobilitas 433.nu 7
Finis impellit ad media 229. num.9
Fontes à Pauli pectore quales manent 336.n.2
Fontes ex Ignatij & Tiburtij pectore ibidem
Fluctus maris dextero pede Chriſtus compeſcuit 584. num.8
Fortunæ & corporis donorum ratio reddenda 14.n.12
Fortitudinis pro Chriſto patiendi exemplum 240.num. 27

Formicæ

INDEX RERVM

Formicæ natura 266.n.11
Fraus hæredis 443 n.16
Fructus humilitatis 829 n.20
Fructus charitatis 662.n.15.& 663.n 16
Fructus Dei verbi animæ calefactio 665.n.17
Fructus Dei verbi animi liquefactio 667.n. 18.& 668. n.19
Fructus verbi Dei animi illuminatio 668.n.20
Fructus Dei verbi mundities animæ 670.n.21
Fructus verbi mundities cordis 671. num.22
Fructus Dei verbi animæ sustentatio 672.n.23
Fructus verbi Dei gladius quo inimicos sternimus 674. n. 26
Fructus ex iustitiæ operibus 711.n.2
Fructus ex terrenis bene impensis omnino cœlestis 717. num.7
Funiculus triplex donum Iesu dandum 406.n.4
Funiculus triplex difficile rumpitur 407. nu. 6 & 415. n 15
Funiculo triplici nos sibi Deus copulat 408.n.7
Funiculus triplex dissidio rumpitur 412 n.11
Funiculus triplex maior, Scabini, populus 413.n.13
Functiones oculorum 45. n.4. & 50.n.8
Fur in primo furto deprensus vapulat: in secundo aures amittit, in tertio suspenditur 656.n.9
Fur ingenioſus amor 297.n.2

G.

Gaudium de Messiæ aduentu 137.n.12
Gaudium impij sequitur luctus 214.n.9
Gemmam Dei filium parui ducimus 351.n.7
Gemma hæc quanti æstimanda docent patres 352.n.8
Gladius Dei verbum 674.n.26
Gloria Io. Bapt. obscuratur Christo præsente 496.n.1
Gloriæ maiestas ne nos terreret à Christo absconditur 196.n.19
Gradus sex requirit Cõcilium Tri.vt quis iustificetur 146. n.28
Gratia Spiritus sancti detractorem fugit 38.n.16
Gratiæ efficacitas 48.n.6
Gratiam sapientibus negat, humilibus tribuit 67 n.8
Gratia Christi castigatio reddit facilem 114 n.13
Gratia omni peccatum hominem nudat 116.n.15
Gratiam Deus subtrahit peccatori in peccati pœna 121. n.19
Gratia imprægnati gaudio summo afficiuntur 130 n.5
Gratia præuenientis pulsus 149.n.32
Gratiarum fons nunquam minuitur 175.n.23
Gratiæ fames 189.n.14
Gratiarum infinitus thesaurus

Digitized by Google

rus 192.n.15
Gratiarum thesaurus vna pœnitentis lachryma emitur 193.n.16
Gratiarum thesaurus facilè pueri Iesu rapitur 194.n.17
Gratia nos Christo donauit 220.n.6
Gratiarum vis ibidem & 222. num.7
Gratia radix meriti 310.num. 21.
Gratia præueniens præcedit charitatis solem 420 nu.20
Gratiæ stella apparente, aliqui ad sequelam Christi excitãtur, sed statim deficiunt 422.n.23
Gratia surgimus, sed per gratiam pergere oportet 426. n.28
Gratia labiorum pro armis vsus est Christus 185.n.10.
Gratia præueniens stellæ 445. n.18
Gratiæ vinum Maria nobis impetrat 504.n.10.& 506.n. 12.& 507.n.13
Gratiæ aquæductus Maria 505. n.11
Gratiam dabit qui minus dedit 525.n.25
Gratiæ radiis Deus peccatoris animam illuminat 1007 n.2
Gratia Dei efficax 767 n.6
Gratia est semen gloriæ 716. num.6
Gruum natura quæ docent nos vigilare 1067.n.42

H.

Habitatio Deo digna non est inter vos 139.n.14
Hæretici miracula nunquam pro sua fide stabilienda fecerunt nisi miraculum sit hominem viuum mortuum reddere 63.n.3
Hærodis fraus 443.n 16
Hieremiæ spes de Messiæ aduentu 137.n.11
Hominum aures natura erexit 66.n.7
Homo affectus est multis plagis per peccatum originis 70.n.11
Homo latronis filius 85.n.12
Hominis patria nihil ibid.
Hominis misera & abiecta origo 86.n.13
Hominis miseria in vtero matris 87.n.14.
Homo nascens tyrannus ibid.
Homo ipsis insensilibus inferior 88.n.15
Hominis miseriæ exemplum ibid.n.16
Hominis origo ad mulierem refertur 90.n.1
Homo subest variis mutationibus 91.n.2
Homo ciuis Chanaan in se mortis summam ferre audit 93.n.6
Hominis dies breues 94.n.7
Hominis vita scintilla 96.n.9
Hominis vita vana & fugax 97.n.10
Homo quis post baptismum 98.n 11
Hominem vestes arguunt ibid.n.12
Hominé in verba arguanti ibid.
Homo bestia moribus 99. num.13.

Homo

Homo maculoſum monſtrum 100.num.14
Homo perfecta iuſtitia à Chriſto potuit redimi 154. num.2
Homines angelis præferendi 168.n.16
Homines in cœlo ſedent, Angeli ſtant ibidem
Homo ita altè in Chriſto aſcendit vt altius aſcendere non poſſet 168.n.16
Homo vitam pro Chriſti deſcenſu inuenit 199.n.2
Homo ex bruto,& ex homine Deus factus 208.n.12
Homo ex bonis maſa elicit 928.n.1
Homo non vult intelligere vt bene agat 723.n.13
Honore indignos affici lugendum 999.n.14
Honoribus & voluptatibus nihil vanius 499.n.5
Horologium bene ſonans Chriſtus 233.n.20
Horologium cœleſte Stephanus ibid.n.21
Humanitas Chriſti 207.num. 11
Humanitas per calceamẽtum ſignificatur 142.n.18
Humilitas & fides fundamentum domus ſapientiæ 837. num.4
Humilitas moralium, fides Theologicarum virtutum baſis 835.n.1
Humilitas B.Nico. 827.n.16
Humilitatis & obedientiæ præmium ibid n.18
Humilitatis fructus 829.n.20
Humilitas Io.Bapt. 77 n.2
Humilitas Io. Bapt. 81.n.8
Humilitatis præmium 82.n.9
Humilitas Io. Bapt. 83.n.10.& 84.n.11
Humilitas Deo placet, ſuperbia diſplicet ibidem
Humilitatis exemplum 90. num.1
Humilitas Chriſti ineffabilis 555.n.10
Humilitas in Chriſti ſchola docetur 563.n.18
Humilitas prima Chriſti via 569.n.16
Humilitatis viam ſancti percurrunt 570.n.17
Humilitatis exemplum 567. num.23
Humilibus Deus dat gratiam 67.n.8
Hydra diſcordia 416.n.16
Hypocrita nomen habet quod viuat, ſed mortuus eſt 790. num.2

I.

Iehoua nomen Dei 392. num. 11
Ieiunium B.Nico. 798.n.11.parum prodeſt ſi à vitiis non abſtineamus ibid.num.12.& 800.n.13
Ieſu nomen oleũ effuſum 372. n.7.8.& 374.num.10.& 375. num.11
Ieſu nominis acerrę eſſe debemus 373.nu.9
Ieſus cibus eſt 376.n.12
Ieſus medicina ibid.n.13
Ieſus nomen magnas continet diuitias

Digitized by Google

diuitias 377 n.14
Iesus magnum præsidium 378. n.15.& 1⁶.& 395.n.14
Iesu virtus in cruce 380. n.17
Iesus turris fortitudinis 381. num.18
Iesu nomen maiori veneratione cæteris nominibus dignius 386.num.2
Iesu saluator corporis & animæ 386.n.3.& 388.n.6
Iesu nomen æternum 387.n.5
Iesu nominis affectus in nobis reperiri debet 389 n.7
Iesu nomen per tres viros significantior 388.n.6
Iesu nomen oleum infundit in vasa animarum 390.n.8
Iesu nomen venerabile 391. num.9
Iesu nomen terribilia Dei nomina mitigat 392.n.11
Iesu nomine abuti maius peccatum quàm nomine Deus 394.num.13
Iesu nomen Dæmones abigit 395 n.14
Iesu nomen irreuerentia afficimus 397.n.16
Iesu nomen ore perpurgato efferendum 900.n.19
Iesu amissi descriptio 478.n.16
Iesum amissum diligenter Maria quærit 476.n.14.15.16. 17
Iesu non inuento inter mulieres aut viros sese Maria ad cœlestem patrem conuertit 483.n.18
Iesus amissus cum Maria & sponsa quærendus 486.nu. 20
Iesus amissus contritione, confessione, & satisfactione quærendus 488.n.21
Iesus diligenter quærendus exemplo Ethnici 489.n.22
Iesum non quærens similis est columbæ seductæ 490.n.23
Iesum quærere Æneas docet 492.n.24
Iesus infans amoris sagittas condensat in patrem 183. n.7.8
Iesus quomodo in ruinam positus 322.n.2.3
Iesu liber in strenam nobis datus 348.n.4 & 349.n.5
Iesu nominis quinque literæ, quinque præmiorum genera continent 346.n.1
Iesu nomen sancti legendo linguam lambebant 347.n.2
Iesus circumcisus fasciculus myrrhæ 351.n.7
Iesu nomine mira continentur 367.n.1
Iesu nomine audito cordis genua flectenda 369.n.3
Iesu nomen purgato ignito calculo ore pronunciandum ibidem
Iesu nominis præstantia 370. num.5
Iesu nomine attributa diuina continentur ibid.n.5
Iesu nomine omnia Dei nostra continentur 371.n.6
Iesum Christum induere 967. num.7
Ictus diuinæ vindictæ timendus 15.n.15
Impœnitentis luctuosa mors 126.n.12

Immo

Immortalitatem animæ Aristoteles asserit 239.n.26
Imitatio Christi in inimicis condonandis 255.n.1
Imitationem sui Iesus proponit 215.n.17
Imitatio malorum procliuis 98.n.11
Impij iustorum perditionem optant 20.n.18
Impij mortem optabunt ibid. n.18
Impiis cœli ianua clausa, piis aperta 222.n.7
Impij gaudium luctus occupat 224.n.9
Impij prosperantur quia aliquid boni moralis præstiterunt 220.n.6
Impij prosperantur vt bonorum datorem agnoscant 224.n.10
Impiorum prosperitatem Dauid indignatur 231.n.18
Impij ob malè parta damnãtur 231 n 18
Impij prosperantur vt cadant 231.n.18
Impij tanquam saginantur ad victimam 239.n.26
Impij malè cõcludunt ex temporis breuitate 1031. n.6.7. 8.9.10.11 12.13.14.15.16.17. 18.19.20 21
Impij cùm putant se pace frui tum illis superuenit repentinus interitus 1043.n.17.18
Impij ex bono principio se malè concluſisse serò intelligunt 1037.n.12
Impiorum æmuli 1036.n.13
Impius ex improuiso perit 1038.n.13
Impij sua scelera Deum latere putant 5.n.6
Incarnatio Christi opus Domini 171.n.18
Incarnatione effectum est vt Deus ex leone fieret agnus 194.n.17
Incarnationis causa electorum prædestinatio 204.n.8
Incarnatione exaltati sumus 210.n.13
Incarnationis causæ 213.n 16
Inconstantia carnalis animi 28.n.6
Inconstantia peccatoris in bono proposito 29.n.7
Indignos ad honores euehi lugendum 999.n.14
Indignatio Dei momentanea 553.n.2
Inductio qua probetur Deus vocare quemlibet qualibet hora 704.n.10
Infamiæ vix vnquam satisfit 38 n.16
Inferni tormenta 229.n.16
Ingratitudo nostra Christo querelæ ansam dat 360.nu. 14
Ingratitudo hominis magna 154.n.2
Inimicorum salutem exorare præclara nobis lectio in crucis pulpito à Christo proponitur 255.n.1
Inimici salutem exorans in Deum quodammodo transfertur 258.n.4
Inimici causa Christi oratio magis miranda quàm eius in tormẽtis patiẽtia 259.n 5

Inimicos

Inimicos diligere Dei filiorum nota 260.n.6
Inimicos facile est amare considerato ex eorum amore sequuturo 262.n 7
Inimicum odio prosequendo nos ipsos interficimus 264. n.9
Inimicus minimè diligendus sed eius natura diligenda 264.n.10
Inimicus nos non castigat sed Deus per inimicũ 267.n.14
Inimicus non percutit nos sed Deus 268.n.15
Inimicos vt diligamus Deus vires suggerit 270.n.17
Inimicos diligere non est impossibile 271.n.18
Institutio prolis 497.n.20
Interna mentis purificatio Christo placet 960.n.17
Ingens animæ sitis,vt de saluatoris aquis bibat 175.num. 22
Initiis resistendum 472.n.10
Iniuriæ remissæ exemplum 254.n.15
Iniurias concoquere certa filij Dei nota 262.n.8
Iniurias perferendo Stephani agnoscitur soliditas 267. n.13
Iniuriam faciunt Deo qui suum vultum pigmentis mutant 960.n 28
Iniustitia maxima famam proximi lædere 37.n.15
Inobedientiæ exemplum 614. n.34
Inuidia æmula virtutis 218. num.1
Inuidiæ vena 340.n.22
Inuidiæ morbum curat fraterna dilectio 341.n.23
Inuidiæ mala 342.n.24
Inuidia Deus amissus vix recuperatur 467.n.7
Inuidia semel occupatus vix sanari potest 469.n.8
Inuidus in seipsum sæuit 342. n.24
Ioab per osculum pacis Amasam decepit 421.n.22
Ioannes Baptista lucerna lucens 24.n.1
Ioannes conscientiæ bono testimonio nititur 26.n.4
Ioannes fælix quia à Deo ipso laudatur ibid.n.4
Ioannis vita perpetuum miraculum 27.n.5
Ioannes angelus ibidem numero 5
Ioannis constantia ibid.n.5
Ioannes arundini dissimilis 28.n 6
Ioannes vita aspera 30. numero 8
Ioannes propheta & plus quàm propheta 34.n.11
Ioannes iustitiæ semper vacauit 37.n.14
Ioannes anhelat vt fiat præco aduentus Christi 73. numero 13
Ioanni cur potius quàm alicui alteri Iudæi legatos miserint 77.n.1
Ioannis magna humilitas ibidem num.2
Ioannes similis Christo ibidem & 79.num. 5.& 80.numero 6

Digitized by Google

Ioannes nomen gratiæ 80.n. 6
Ioannes à Christo amatur 81. n.8
Ioannis humilitas ibid.n.8.& 83.n.10.& 84.n.11
Ioannis gloria obscuratur apparente Christo 495.n.1
Ioannes non fuit lux per testimonium perhibitum de lumine 497.n.2
Ioannes à Christo amatur 173. n.1.& n.4 5.16.& 18
Ioannes fuit indutus veste nuptiali 274.n.2
Ioannes fuit vestitus Maria ibid.n.1
Ioannes amorem spirabat ibidem n.2
Ioannes cæteris Euangelistis altius ascendit 277.n.6
Ioannes plura penetrauit prophetis & Euang. 278.n.8
Ioannes regia aquila verbi Dei prædam insequitur 281. n.11
Ioannes verbi Dei prædam assequutus in terram detulit 281.n.12
Ioannes verbi Dei prædam in terram delatam pullis diuisit 282.n.13
Ioannes Christi pectus ingressus est 283.n.15
Ioannes Christum viuum & mortuũ est sequutus 284.n 16
Ioannes à Christo velut à magnete trahitur 285.n.17
Ioanni princeps amoris signũ Christus reliquit 286 n.18
Ioanni virgini virgo Maria cõmendata est 287. n.18.19
Ioannes per Ezechielis aquilã significatur 295.n.1
Ioannes cæteris Euang. altius penetrauit ibid.n.1
Ioannes iam ad diuinitatem ascendit, iam ad humanitatem descendit 297.n.3
Ioannes aquila cuius via in cœlo difficilè deprehenditur 259.n.6
Ioannes instar aquilæ rectà sursum fertur 300.n 7
Ioannes eo penetrauit quo nullus fere vnquam 301.n.8
Ioánis volatus arduus 301.n.9
Ioannes aquila, columbæ tamen pẽnas assumit 302.n.10
Ioannes columbæ pennis ornatus diuini verbi prædam rapere vult 303 n.11
Ioannes viam colubri scitè indagat 303.n.12
Ioannis vocis virtus 304.n.13
Ioannes viam nauis subtiliter inuenit 305.n.14
Ioannes viam viri in adolescẽtia nobis mõstrauit 305.n.15
Ioannes omnes viri vias docet 306.n.16
Ioannes altè ascendit 306.n.17
Ioannes verbi solium amoris & castitatis alis instructus attigit 308 n.19
Ioanni cum aliis varia sunt beneficia communia 311. n. 23.& 24
Ioannis amor in Christum 314.n.28.n.29
Ioannis charitas 320.n.34
Iob gloriatur in suis tribulationibus 489.n.22
Iob indignatur ob impij prosperitatem

Digitized by Google

ſperitatem 232.n.8
Ionas proiectus in mare 611. n.31
Ioſephi caſtitatis exemplum 4.n.3
Ioſiæ pietas 731.n 20
Ioſuæ in Ieſu nomine magnũ ſenſit præſidium 380.n 16
Ira Dei momentanea, noſtra æterna 896.n.13.& 897.n.14
Ira diaboli magna 858.n 15
Iudæorum pertinaciã perſtringit Tertullianus 436.n 9
Iudæorum repudiatio 438. n.11
Iudas reiicitur & Matthias aſſumitur 587.n.3
Iris miſericordiæ ſymbolum 183.n.7
Iuliani Apoſtatæ perſecutio 597.n.19
Iſaias deſiderat Meſſiæ aduentum 134. n.9
Iſaias æterni patris verbum non aſſequitur 279.n.9
Iuranti per conſuetudinem marito nõ creditur 398.n.17
Iuramenti conſuetudo multos damnat ibidem
Iuramento Ieſu nomẽ violare magna ingratitudo ibid.n.18
Iurantis lingua refrænãda ibi.
Iurandi conſuetudo relinquenda ibidem
Iuramenti violatores puniti 402.n.21
Iuſtus affligi optat 229.n.16
Iuſti probatio 232 n.19
Iuſtus ſapiens eſt 1028 n.1
Iuſtus tempus breue eſſe cenſet 1019.n.3
Iuſtus ex vitæ breuitate ſapienter concludit 1057.n.25.26. 27.28 29.30.31 32.35
Iuſtus ex vitæ breuitate ſuam colligit vilitatem 1052.n.27
Iuſtitiæ deſcriptio 156.n.5
Iuſtitia in nos patris iram excitat 157.n.6
Iuſtitiæ ſeuera cenſura 160.n 8
Iuſtitiæ & miſericordiæ diſceptatio 162.n.10
Iuſtitiæ examinandæ 15.n 15
Iudicis Chriſti Throni deſcriptio 1.n.1
Iudicis Chriſti throni ſex gradus ibidem
Iudicis maieſtas, poteſtas, & ſeueritas 3.n.3
Iudicis Chriſti capilli æternitatem,& diuinitatem ſignificant 4.n.5
Iudicis oculi terribiles 5.n.6
Iudicis oculorum vis ibid.
Iudicis vox formidoloſa 6.n.7
Iudex inſtar leonis ibid.
Iudicis vocem & vultum peccatores ita horrebunt vt petras ingredi præ timore optent ibid.
Iudici cogitationum ratio reddenda 10.n.9
Iudex occultiſſima peccata videt & iudicat ibid.
Iudici reddenda ratio verborum, operum, fortunæ & corporis donorum 12.num, 10.& 13 num.11.& 14.num. 12
Iudex inſtituet ſtrictè omnium examen 13.n.11
Iudici temporis ratio reddenda 15.n.15
Iudici peccati alieni ratio redden

Digitized by Google

denda 15.n.14
Iudicis terribilis in Impios ſententia 20 n.18
Iudicium conſcriptum 12. Apoſtoli perficient 1.n.1
Iudicis timor exemplis augetur 8.n.8
Iudicij tempus Iuſtitiæ; præſens miſericordiæ 10.n.9
Iudicij extremi exemplum 23. num.20

L

Labore paruo æterna præmia ſcomparantur 18.n.17
Labor noſter ad nos redit 98. n.22
Lachryma vna pretium gratiarum theſauri 193.n.16
Lachryma vna pœnitẽtis puer Ieſus inebriatur ibidem
Lachrymę & preces nunc proſunt 23 n.19
Lachrymis deflet Dauid amiſſum Deum 354 n 2
Lachrymæ pœnitentis proficuæ ibid.
Lachrymæ conuerſionis Indices 894 n.11
Lachrymæ extinguũt peccati flammam 1071.n 47
Lactis diuini conditiones trãſeunt in ſugentem 186.n.12
Lamiæ multos eſſe ſimiles 655. n.21
Laminis charitatis aureæ domus ſapientiæ tegitur 843. num.9
Lapides cœnaculi virtutes 141. num.18
Lapides viui perſecutione contuſi inter cherubinos collocantur 269.n.16
Lapis Lydius aurum probat 452.n.25
Lampades bona opera 147.n. 29
Laurentius fit Dei epulum 619.n.7
Latus Chriſti nobis apertum ingrediendum 283.n.15
Latronum anteſygnani filij ſumus 85 n.12
Laudis humanæ contemptor Nicolaus 809.n.22
Laus Dei ſilentium 179. numero 2
Laus vera à Deo 4.n 4
Laus operis motori aſcribenda non inſtrumento 764.n 3
Lazarus peccatoris typus 115. n.14
Lætitia Martyrum ad mortem properantium 781. n. 20.& 782.n.21.22
Lectio præclara in crucis pulpito pro inimicis orare 255. num. 1
Lectus dilecto parandus 145. n.27
Lectus Chriſti vel Diaboli cor ibidem
Leproſi mundantur 56.n.14
Leproſus agnoſcit Chriſti omnipotentiã & diuinitatẽ ibi.
Lepræ curatio ſi inualeſcat miraculoſa ibidem
Lepræ animi curam expreſſius omnipotentiæ ſigillum quã corporis 57.n.15
Lepræ corporis miſeria 529.n.4
Lepra auaritia eſt 532.n.6
Lepræ conditiones ibid.n 7
Lepram noſtram feſtinat curare Chriſtus 545.n.15

Leproſus

Leprosus monstrum 531.n 5
Leprosi vestis ibid.
Leprosi fidem accedentes ad Deum imitari debent 546. n.16.& 547.n.18
Leprosus feruenter Deum inuocat 546.n.17
Lex purificationis 947. n. 1. & 963.n 2
Lex de sanctificandis primogenitis 962.n.1
Liberalitatis præmium 338. n.19
Liber Christi humanitas in quo omnes virtutes inscriptæ 346.n.1
Liber Iesu rationi suauis, sensualitati amarus 347.n.2
Lignum vitæ Dei verbum 650. num.3
Lilium Nico. 828.n.19
Linguæ purificatio 977. num. 16
Lingua detractoris sagitta vulnerans 37.n.15
Lucta Augustini 48 n.6
Lumen rationis pauci sequuntur 219.n.2
Luxuriæ pœna 1044. num. 19. 20
Luxuria Deus deperditus vix recuperatur 471.n.9
Lucem odit qui malè agit 628.n. 15

M

Magnates & potentes Lamiæ similes sunt 636.n.22
Magna cœcitas suam cæcitatem non agnoscere 50. numero 8
Magnes ad se ferrum trahit 285.n.17
Magnus ille solus qui coram Deo magnus 27.n.5
Magna hominis ingratitudo 154.n.2
Maiestas gloriæ ne terreat, à Christo absconditur 196.n. 19
Maiestas & amor simul esse possunt 395.n 15
Maiorum virtutes obscurare turpe 795 n.8
Malus omnia sibi in ruinam vertit 330.n.11
Mala inuidiæ 342.n.24
Mali Dæmonis semen 626.nu. 14
Mala omnia in rem publicam inuecta ob bonæ neglectum electionis 997. num. 12
Malitiæ nostræ ruina nostra tribuenda 334.n.15
Manus purificandæ 982. numero 21
Mare tempestatibus obnoxium 558.n.8
Maria cur purificari voluerit 959.n.16
Maria cœleste prodigium 835. num.1
Maria dissentanea continet quæ consentanea reddantur 836.n 2
Maria felicius mente, quàm ventre Christum concepit 839.n.6
Mariæ venter aceruus tritici 842.n.8
Mariæ cogitationum pulchritudo 843 n 10

Digitized by Google

Mariæ affectus & cogitationes aureæ 844. n.11
Maria omnium creaturarum perfectiones continet 846.n. 13.14
Maria vsa est ratione in vtero materno 849.n.16
Mariæ tutelæ turris refugij 852.n.18
Mariæ Ecclesiæ duces victorias suas referunt ibid.
Maria spes nostra ibid.
Maria semper nostri memor 854.n.19
Maria ab omni peccato immunis ibid.
Maria misericordiam & pietatem spirat 855.n.20
Maria sacrarium spiritus sancti pulcherrimum 858 num.23. 859.n.24
Maria platanus ibid. 61.n.25
Mariæ misericordiæexemplum ibidem n. 6
Mariæ pulchritudo 862.n.1.& 863.n.2
Maria caruit peccato originis 863 n.2
Maria in sua conceptione sancta 865.n.6.& 866.n 7
Maria aurora 866.n.7
Maria accepit donum perseuerantiæ 867.n.8
Maria mirè virtutibus ornata 867.n.9
Maria tabernaculum 869. n.11
Mariæ appetitus sanctus 871. num. 13
Mariæ odor suauissimus ibidem
Mariæ superior animæ pars sancta sanctorum 873.n.15
Mariæ intellectus & memoria sunt duo cherubim ibidem
Mariæ voluntas arca testamenti 874.n.16
Mariæ actus externos flores Aaronicæ virgæ adumbrarunt ibid.
Maria diues fuit 875.n.17
Maria ab omni peccato. præseruata fuit 876.n.18
Mariæ puritas 877.n.20
Maria nostræ salutis instrumentum ibidem numero 20
Mariam Deus amat ibid.
Maria placuit Dei oculis 878. n.21
Maria coadiutrix fuit nostræ redemptionis ibid.
Maria omnium sanctorum gratiam habuit 879.nu.22
Maria quasi Dei mensura ibidem
Mariæ famulãtur omnes Angeli & homines ibid.
Mariæ Deus magna fecit & nobis per Mariam 880 n.23
Mariæ misericordiæ exẽplum 881.n.24
Maria à purificationis lege exempta 947.num.2
Maria licet purissima purificari tamen voluit 650.n 6
Mariæ plurima Deus fecit 952. n.7
Mariæ puritas 953.nu.8
Maria voluit purificari vt filium imitaretur 954. n. 9.
Maria naturæ donis similis filio suo ibidem n.10
Maria naturæ donis omnes superat

Digitized by Google

ſuperat creaturas ibid.
Maria in donis ſupernaturalibus omnes ſuperauit creaturas 955.n.11
Maria plura poteſt quàm omnes ſancti 956.n.12
Maria filij obedientiæ æmula ibid.
Maria obediens Deo fuit ibid. n.13
Maria perfectè Dei ſimilitudinem aſſequuta eſt 957. num. 14
Mariæ imaginem ab æterno Deus in mente geſſit 958. n. 15
Maria filij ſui omnes imitata eſt virtutes 959.n.16
Maria voluit purificari quia Chriſtus circumcidi voluit ibid.
Mariæ interna mentis purificatio 960.n.17
Maria multis de cauſis purificari voluit 963.nu 2
Maria obedientiæ & humilitatis cauſa voluit purificari 966.n.6
Mariæ & Chriſti humilitatis & obedientiæ exemplum 971. n.11
Maria ſollicitè Chriſtum quærit 476.n. 14.& 482. numero 17
Maria non inuento filio ad æternum patrem ſeſe dirigit 483.n.18
Maria à patre minimè exaudita ad Gabrielem ſeſe conuertit 485.n.19
Maria ad filium ſuum denique ſe conuerit ibid.
Maria filij ſui imitatur pietatem 534.nu.9
Maria vinum gratiæ nobis impetrat 536.n.10.& 540.n.12
Mariæ gratiæ aquæductus 538. n.11
Maria nobis ſpes & gratia 540. n.12
Mariæ interuentu gratiæ vinum impetramus 541. num. 13
Mariam abſorbere voluit Diabolus 564.n.12
Mariæ puritas 138.n.13
Maria nobilis fuit ex parentibus & filio 868.num.10
Maritandis præclarum documentum 523.n.24
Martyrū tertia Chriſti via 573. n.20
Martyrum inuicta conſtantia 580.n.6
Martyres de tyrannis triumphant 598 num.21
Martyres ardentiores ſæuiente perſecutione fiunt 605.num. 25
Martyrium Petri & Pauli 606. n. 27
Martyres viam cœli demonſtrant 609 n.28
Matris titulus origo omnis gratiæ Mariæ 868. numero 10
Matrimonium bonorum ſeminarium 517.num.19
Mathias aſſumitur, Iudas reprobatur 987.num 3.
Mathiæ electio ab oratione incœpit ibid.
Mathias tribus virtutibus ſuperiori debitis ornatus ibid.

Digitized by Google

Matthias tanquam 12. ſidus electus ibid.n.16
Matrimonium multorum bonorum ſeminarium 517.nu. 19
Medicus corporum & animarum quærendus 529.n.2
Medici ſubinde vitium corrigunt ſenſuum ſed Chriſtus ipſum ſenſum reſtituit 68. num.9
Medicina verbum Dei 676.n. 27
Mendaces filij hominum 49. n.7
Mentis oculis carere grauius quam corporis 46.n.4
Mentis oculis carere quantum malum 47.n.5
Mergi auis admiranda natura 586.n.11
Meſſiæ tertia victoria 134. num.9
Meſſiæ aduentum deſiderat Iſaias ibid.
Meſſiæ aduentus ſpes 137. nu. 11
Meſſiæ aduentus gaudium in nobis excitat Eccleſia ibid.
Miracula doctrinam confirmãt 498.n.4
Miraculis coruſcat puer Ieſus 213 n.16
Miracula diuina ſigilla quibus Chriſti miſſio comprobata eſt 25. n. 1.& 44.n.2
Miracula hæreticorum de viuo mortuum efficere 63. num. 3
Miracula Chriſti ratione omnipotentiæ æqualia ratione tum modi efficiendi alia aliis excellentiora 68.n.9
Miraculum grandius animæ vitam gratiæ quàm corporis animum reſtituere 70.n. 11
Miracula Brigidæ 940.num. 13
Miracula Chriſti virtute fiunt 769.n.8.9.& 771.n.10
Mirus crucis amor 778. num. 17
Mira Brigidæ pulchritudo 940.n.12
Miſſionis Chriſti veritas oſtẽditur 44.n.1
Miſſio Apoſtolorum miraculis comprobatur 63.n.3
Miſericordiæ vt recordetur Deus Dauidem admonetur 738.n.2
Miſericordia Dei in remittendis peccatis 970.n.10
Miſericordia Dei in animam influit 648.n.1
Miſericordiæ ſymbolum Iris 183 n.7
Miſericordia Dei magna 188. n.13
Miſericordiæ diuinæ immenſitas 191.n.14
Miſericordia magna quòdnos Deus ex ore non euomat 293.n.25
Miſericordia Dei nobis ſuccurrit 540.n. 12
Miſericordia olim à Deo difficulter impetrabatur 541. n. 13.& 542.n.14
Miſericordia Dei velox 549.n. 19
Miſericordia Dei 587.n.12 & 600.n.22

Miſe

Miſericordia Dei 617.n.4
Miſericordiæ præſens tempus, iudicij, iuſtitiæ futurum 10. n.9
Miſericordiæ deſcriptio 156. n.5
Miſericordia filij Dei in nos 157.n.6
Miſericordia eſt filij Dei natura ibid.
Miſericordiæ ac iuſtitiæ diſceptatio 162. n.10
Miſericornia & iuſtitia ſibi reconciliantur 163. n.11
Miſericordia Dei nos à lapſu ſeruat 551.n.1
Miſeria hominis in vtero matris 87.n.14
Miſeria hominis nati 88.n.15.
Miſeriæ hominis exemplum ibid.
Miſeria animæ peccato infectæ 102. n.16
Miſeria peccatoris extrema 121. n. 19
Miſeria magna Deum amittere 461.n.1.2
Miſeriæ domo relicta ad domum æternitatis properandum 171. n.19
Miſeriarum fons Adam 176. n.23.
Miſerijs noſtris Deus ſe obnoxium fecit 168.n.16
Mora longa Meſſiæ aduentus viſa ſanctis 137. numero 7
Moribus homo beſtia 99. n.13
Mores, an Dei, an Diaboli ſis filius, indicant 35.n. 12
Mores bonos corrumpũt colloquia praua 615.n.1
Mores Nicolai caſti 818.numero 2
Morbis corporis & animæ Chriſtus medetur 528.n.1.
Mortui reſurgunt 67. numero 2
Mortem optabunt impij 20. n.18.
Morte nihil certius 1068. numero 44.
Mortis hora incerta ibidem. n/45.
Mors Epaminondæ 1075. n. 51
Mortem formidant & appetunt Sancti ibid.
Morte inſtante quàm fœlix ille qui à peccatis eſt immunis 1063. n.37.
Mortis ſignum cibum eijcere 839.n.6.
Mortis ſpiritalis ſignum Dei verbi eiectio ibidem.
Mortificatio 457. n. 29
Moyſis miſſio miraculorum authoritate confirmatur 61. num.1
Mulier hominis origo 90. numero 1
Mulierum veſtes è virtutibus contextæ eſſe debent 24. num. 10
Mulier virtutibus ornata Chriſtum amatorem habet, & virtutibus deſtituta diabolum 52. n. 10
Mulieris fortitudo pro Chriſto paſſæ 240.num.17
Mulieris tactus periculoſus 980. n.19.
Mulierum conſuetudo vitanda 803.num.16.17.18

Multi vocantur ſed pauci ſequuntur 766.nu.5
Mundities Dei amicitiam conciliat, & aciem ingenij exacuit 277.n.7
Mundities cordis 961. num. 19
Mundus vniuerſus Deo compoſitus nihil 94.n.7
Mundi incolæ cœci 50 n.8
Mundus crudelis patria ſuos incolas deuorat 92.n 4
Mundi falſa permiſſio 93. numero 5
Munus Deo gratum nos per charitatem cõnectit 410.numero 8
Munus trium regum ibidem n.9
Munus qualia à nobis Ieſus exigit 412.n.10
Munus magnum bona voluntas 429.num.3
Munus primum Deo dandum charitatis aurum 430. num. 24
Munus ſecundum orationis thus 454.n.27
Munus tertium mortificationis myrrha 457.n.29
Munera hæc tria, aurum, thus & Myrrha ſibi ſunt connexa 459.n.31
Muri domus ſapientiç interior & exterior caſtitas 841. numero 7
Muſca detractor 42.n.20
Myrrha 458.n.30

N.

Natiuitas Chriſti gaudio affecit Abrahamum 130.n.4
Natiuitas Chriſti ex matre, ſimilis fuit natiuitati ex patre æterno 200 n.3
Naturam humanam in Chriſto omnes adorant creaturæ 169.n.17
Naturæ diuinæ conſortes ſumus 102.nu.6
Natura in inimico diligenda 164.n.10
Nauis dirigitur à Chriſto dormiente 592.n.16
Negligentia noſtra in paranda Meſſiæ via 106.n.2
Negligentia noſtra magna qui Chriſtum natum minimè gaudemus 179.n.2
Neronis perſecutio 602. numero 24
Nicolaus largus in pauperes 818.n.8
Nicolaus caſti mores 819. numero 9
Nicolai tunica duplex & zona ibid.n.10
Nicolai caſtitas 821.n. 11.12. & 801.n.14
Nicolaus zonam texuit caſtitatis 823.n.13
Nicolai obedientia 823. n. 14. & 825.n.16
Nicolai humilitas 827. n.17
Nicolaus germinauit vt lilium 828 n.19
Nicolai charitas 830.n.21
Nicolai amor magna operatur 831.n.22
Nicolai amor in proximos 832.n.23
Nicolai claritas generis 793 n.6

Nico

Digitized by Google

Nicolai anima virtutis luce clara 794.n.7
Nicolai ieiunandi ſtudium 798.n 11
Nicolaus aſpectus mulierum fugiebat 805.nu.18
Nicolai ſcientia 806.n.19
Nicolaus labores ſtrenuè tolerabat 808.n.21
Nicolaus humanę laudis contemptor 809.nu.22
Nicolai obedientia 811.num. 24
Nicolaus rationem talentorum reddidit 813.n.2
Nicolai amor paupertatis 814. n.4
Nicolaus diues virtutibus 815. n.5
Nihil melius quàm viri & mulieris coniunctio in Dei amore fundata 516 numer. 18
Nihil turpius quàm à maiorum virtute degenerare 795. n 8
Nili inundatio portendit annonæ abundantiam 189.n. 14
Nobilitatem virtus & gratia facit 795.n.9
Nobilitas minimè ducenda, quæ virtute caret 766.num. 10
Nobilitas & virtus in vno mirificè clarescunt 796. num. 2
Nomen Dei Elohim 391.nu. 10. & Iehoua ibidem. nu. 11
Nomen Iesu terribilia nomina Dei mitigat 393 n.11
Nomina Dei duo præcipua 391.n. 10
Noua sint omnia cum nouo anno 383.n.19
Nudat peccatum hominem omni gratia 117.n.15
Nuptias cum Diabolo inire quid infelicius 521. numer. 23
Nuptiæ huiusmodi gratia carent 523.n.24
Nutritius Iesus factus est nobis 209.n.12

O.

Obedientia Christi via Christi secunda 571. n.18
Obedientiam nos docent bruta 572 nu. 18
Obedientiam nos docent res inanimæ ibid. n. 19
Obedientia B. Nicolai 823. n. 14.15.16
Obedientiæ exemplum 833.n. 24
Obstinatio animæ 106.num. 2
Oculorum aspectus ad Tartarum scalam parat 975. nu. 14
Oculi purificandi 974. num. 14
Oculorum deprædationi omni ope resistendum 975.n. 15
Oculi mortificandi 975.num. 14
Oculis corporis carere satius quàm mentis 46.n.4
Oculis mẽtis carere quantum malum 47.nu.5

Oculo

Oculorum corporis functiones 46.n.4
in Oculis animi restituendis quanta difficultas 48.n.6
Oculi iudicis terribiles 5.nu. 6
Oculorum Christi vis ibid.
Oculis rationis nos diabolus priuat 534.n.9
Oculis animæ extinctis homo ducitur, quo diabolus velit 625.n.13
Odor áliis bonus,aliis sua culpa in mortem 328. numer. 8
Oleum effusum Iesu nomen 372.nu.7.8. & 374.num.10. 11
Omnia in pondere & mensura Deus promittit 585. nu. 10
Omnia huius mundi vmbræ 1050.n.33
Omnia malus sibi in ruinam vertit 330.n.11
Opalus mysterium Trinitatis exprimit 350.num.5
Opem suis fert Deus 594. nu. 17
Opus nostrę redemptionis difficile 439 n.11
Operum reddenda ratio 13.n. 11
Operum bonorum lampades in manibus præferuntur 147.n.29
Optus Dei Incarnatio & Redemptio 171.n.18
Opus a charitate perfectum optimum 318.nu.32
Operis laus motori ascribēda non instrumento 764.n.3
Operum iustitiæ fructus 713. n.2
Operibus iustitiæ Deus inuenitur 713.n.3
Opera nostra æternitati consecranda 718.nu.8
Orationis efficacia 770.num. 9
Oratio efficax 242.n.1.& 253. n.14
Oratione & actione pugnandum 244.n.3. & 5
Oratio pro hoste fusa orātem in Deum quodammodo transfert 258.n.4
Oratio Christi in cruce pro inimicis fusa magis miranda, quàm eius in tormentis patientia 259.nu.5
Orationis thus 454. numero 27
Oratio quæ fit in peccato mortali,mortua 456.n.28
Origo hominis misera & abiecta 86.n.13
Ordo mediorum prædestinationis 766.n.5
Ornamenta sponsæ 934.num. 6
Ornantes se similes sunt infimo terræ cœmento 31.nu. 9
Os purgandum 979.n.18
Osculo pacis signo alios decipimus 421.n.22

P.

PacificusChristi ad nos ingressus 188.n.13
Palmæ Stephanus comparatur 249.n.10

Digitized by Google

Palma præ reliquis Stephano debetur 251.n.11
Palmæ proprietates Stephano accommodantur ibidem.n. 12
Papilioni inuidus comparatur 25.n.1
Parentum pœna, qui curam filiorum negligunt 539 nu. 25
Passio Christi infiniti valoris 155.n.2
Passo Christo conformari oportet 583.n.7
Passiones animi sunt procellæ 514.n.4.& 559.n.8
Passiones qui vicit aptus ad regimen 807.n.20
Passiones remoræ vocationis 685.n.5.& 6
Patrum desiderium Messiam expectantium 127.nu.1.& 178.n.1
Patientia Stephani 227.n.13. & 14
Patientiæ exemplum 272.nu. 19
Patria hominis nihil 86.num. 12
Patria crudelis mundus 92.n. 4
Patricij querela 642. numero 27
Patricius Hiberniæ verbum Dei prædicauit 642.n.26.& 27
Pauci saluantur 711. numero 24
Paulus falconem agit 280.n. 10
Pauli conuersio 601.nu.23.& 111 n.10
Pauli & Petri martyrium 606. n. 17
Pauperes euangelizantur 71. n.12
Pauperes ad epulas inuitandi 525.n.25. nã quod illis præstatur, Deo præstatur ibid.
Paupertatis amor 815. num. 4
Paupertas calcei hyacinthini 817.n.8
Paupertas pulchra vestis ibid.
Pauper fuit diuitiis Nicolaus, sed diues virtutibus 815. n.5
Pax vobis, sagitta potentissima 886.n.5
Pœna detractoris 37.nu.15.& 16
Pœna grauis ob peccatum nõ puniri 123.n 20
Pœna parentum & magistrorum, qui curam filiorum & discipulorum negligũt 639. n.25
Pœnæ æternitas 1048. per pœnitentiã euaditur 1030.n.4
Pœnam à Deo infligi consolatio est 124.n.21
Pœnitẽtia nõ differẽda 17.n.16
Pœnitentis lachrymæ vtiles 354.n.9
Peccatoris in bono proposito inconstantia 29.n.7
Peccatum cœcos facit 49 n.7
Peccator canibus & suibus cõparatur 30.num.7
Peccatores immunda animalia à Christi sanguine lota fiunt munda 58.nu.16
Peccatoris cor adamante durius 65.n.6.& 195.n.18

Pecca

Peccatoris typus 185. numer. 10
Peccator est improuidus 10. n.8
Peccatores conuertendi tres effectus 108.n.5
Peccatorem Christus excitat voce sua à peccati lethargo 110.n.9
Peccatore nihil à Deo longius 111.n.15
Peccator, qui longè à Deo abest, difficulter reuertitur 112.n.13.& 115.n.14
Peccatorem Deus insequitur 115 n.14
Peccatoris typus Lazarus ibidem
Peccator se in peccatis abscõdere putat 118.n.16
Peccatorem peccatum à Deo abscondit 116.n.15
Peccatorem Deus ad se conuertere conatur bonorum ablatione 119.n.17
Peccatoris relapsus 120. nu. 18 & 19
Peccatoris extrema miseria 123.n.19
à Peccatore Deus tandem gratiam suam in pœna peccati subtrahit 122 nu.19
Peccatoribus se Deus abscondit 196.n.18
Peccator gratię restituitur 212. n.15
Peccator, qui Deum non quærit, est instar columbæ seductæ, & sine corde 490. num. 23
Peccatores pereunt, fideles euadunt 608.n.28
Peccatoris duritia 891. nume. 9
Peccatorem & gladio & sagittis Deus ferit 885. num. 4
Peccator obicem ponit gratiæ Dei resistendo 987 n.2
Peccatori clauium potestas datur 1008 n.4
Peccator stultus, quia improuidus 1029.nu.2
Peccatoris inane refugium 696.n.14
Peccatum originis multis hominem plagis affecit 71 n. 11
Peccata Deus obruit & peccatori parcit 10.n 8
Peccata occultissima Deus videt 11.n.9
Peccata occulta grauiter puniuntur 12.n.9
ob Peccata parentum proles pœna temporanea plectitur 520.n.22
Peccati alieni ratio exigenda 15.n.14
Peccatum infecit animam, & ad nihil redigit 103.n.16
Peccatum moles magna conscientiæ 116.n.15
Peccatoris conuersio magnæ molis 116.nu.14
Peccatum peccatores à Deo abscondit 116.n.15
Peccatum nudat hominẽ omni gratia 117.nu.15
Peccati pondus 224.n.9
Peccatoris gaudium luctus sequitur ibidem
Peccati consuetudo difficulter exuitur 335.n.16

Peccatum

Peccatum grauius nomine Iesu, quàm Dei nomine abuti, 394 n. 13
Peccati infectio ex corporis lepra discitur 529. n. 4
Peccatum per consensum cõmittitur 566. nu. 13. & 567. n. 14
Peccatum detestandum 983. n. 21
Peccatum efficit cœcos 49. n. 7
Pectori Iesu nidificans fœlix 282. n. 14
Pectus durum Ægeæ 776. nu. 15. 16
Perditio à nobis, à Deo salus 990 n. 6
Periculum à diabolo animæ creatur 562. n. 10
Periculo obortò inuocandus Deus 579 nu. 4
Periculosè ambulat, qui viam Christi non ambulat 513. n. 15. & 520. n. 22
Periclitãtibus opem fert Deus 594. n. 17
Persecutione an Christi genuini simus filij dignoscitur 266. n. 12
Persecutione lapides viui fimus 269. nu. 16
Persecutione Ecclesia crescit 584. n. 7
Persecutiones Christus dextro pede sedauit 584. n. 8
Persecutione Ecclesia Dei fit illustrior 595. n. 18
Persecutio Iuliani 597. num. 19
Persecutor Ecclesiæ sua persecutione læditur 596. num. 18
Persecutionis tempore Deus suis opem fert 598. numer. 20.
Persecutio Neronis 602. nu. 24
de Persecutionibus Martyres Christi triumphant 599. nu. 21
Persecutione sæuiente martyres ardentiores fiunt 605. n. 25
Persecutores Ecclesiæ per diuersos equos significantur 587. n. 12
Persecutorem sanguinarium equus rufus designat 587. n. 12
Persecutorem hæreticum niger equus designat 588. n. 13
Persecutor Ecclesiæ sibi nocet 596. n. 18
Persequuntur probos improbi 589. n. 14
Perseuerantia in bonis operibus 146. n. 28
Perseuerantia paucorum 690. n. 10. 11. 12. 14
Personarum Trinitatis concilium 175. n. 5
Petra offensionis multis Christi doctrina 329. nu. 9
Petri & Pauli martyrium 606. n 27
Petrus Ecclesiæ caput 993. n. 9
Phosphorus Sole illucescente obscuratur 496 n. 1
Pietas Mariæ 504. n. 9
Pietas Christi 173. nu. 20
Pignus amoris Ioanni Christus

Digitized by Google

ſtus præcipuum reliquit 286.n.18
Portam miſericordiæ Deus ingreditur 188.nu.13
Potentes lamiæ ſimiles ſunt 636.n.22
Poteſtas Petri præcedit Pauli poteſtatem 4.nu.3. & 1010. n.6
Poteſtas clauium magna 1009. n.5.6.7
Prædeſtinationis media & ordo 766.n.5
Prædicatione Apoſtolorum corruit idololatria 773.nu. 13
Preces & lachrymæ nunc proſunt 23.n.19
Præmium liberalitatis 338.n. 19
Præmia Deus ſtatuit prolium bonis inſtructoribus 519.n. 21
Præſagium ſanctitatis inſigne 938.n.10
Præmia caſtitatis 918 numero 7
Præſules Eccleſię ſtellę magnę 632.n.18
Præſidium nomen Ieſu in omnibus aduerſitatibus 395.n. 14.& 378.n.15.& 16
Præſepe Ieſu aureum reclinatorium 211.n.14
Primogenitum hominis cor, quod Deus à nobis exigit 964.n.3
Princeps authoritate fulget 62.n.2
Probatio iuſti 232.n.19
Proles virtutum ex connubio cum iuſto naſcitur 915. n. 5
Proles ſanctè inſtituenda & piè 518.n.20
Proles ob peccata parentum plectuntur 520.n.22
Promiſſio mundi falſa 93.nu. 5
Propoſiti boni tenaces eſſe debemus 810.n.23
Proſperitatem impiorum Sancti mirantur 120.n.5.& 222. n.8
Proſperitatis impiorum cauſa 221.n.6
Proſperitas rerum officit 226. n.11
Proſperitatem impiorum Dauid videns ſcandalizatur 231.n.18
Proſperitatem impij Iob indignatur 212.n.8
Proſperitas impiorum ruinæ cauſa 232. n.18.233. n.20. & 235.n.22
Puella Chriſtum videre deſiderat 217.n.18
Puer Ieſus patris cor amore vulnerat 183.n 7
Puer Ieſus triplici coruſcat colore 184.n.9
Puer Ieſus vna pœnitentis lachryma mitigatur 193.nu. 16
Puer Ieſus vbera diuino lacte plena electis porrigit 206. n.9
Puer Ieſus nos ad ſua vbera fugenda inuitat 208.num. 11
Puer Ieſus nobis factus nutritius 209.n.12
Puer Ieſus noſtrum amorem ſibi

Digitized by Google

sibi expostulat 212. n. 14
Puer Iesus coruscat miraculis 213. num. 16
Puer Iesus nos vocat ad sui imitationem 215. n. 17
Pueri Iesu amissi descriptio 478. n. 16
Pugna contrariorum ventorum 557. nu. 7
Pulsus animi indicat quid simus 337 n. 18
Puluis origo nostra 1051. numero 26
Punitio diuina 17. numero 16
Punitio extincti spiritus 519. num 20
Punitio mali instructoris prolis ibid. num. 21
Pupillam Dei tangit, qui tangit ministros eius 1020. numero 18
Purificationis lex 947. numero 1
Purificationis legem expleuit Maria 852. num 6
Purificatione mentis Deo nihil gratius 965. nu. 5
Purificationem mentis nobis Paulus commendat 967. numero 7
Purificatione indiget fœmina, quæ sine peccato peperit, quanto magis, quæ peccati monstrum peperit 968. numero 8
Purificatio oculorum 974. numero 14
Purificatio linguæ 977. nu. 16
Purificatio aurium 978. nu. 17
Purificatio oris 979. num. 18
Purificatio carnis 980. num. 19
Purificatio manus 982. numero 21
Purificatio pedum 981. numero 20
à Purificationis lege Virgo exempta fuit 947 numero 2
Purificationi Virgo Maria obtemperauit multas ob causas 963. n. 2
Puritas Beatæ Virginis 954. numero 8
Puritas externa ab interna proficisci debet 317. numero 31
Puritas Armenij animalis 138. num. 11.
Putredine detractor delectatur 41. nu. 18

Q.

Quęstiones aliquot Beatę Virgini Mariæ propositæ 948. num. 4
Quęstionibus hisce responsum 949. n. 5
Querela Christi & Patritij 642. n. 27

R.

Rationis lumen pauci sequuntur 682. num. 2
Ratio reddenda talentorum 812. n. 1. & 10
Ratio reddenda villicationis nostræ 6. n. 5
Ratio stella, qua ad Deum vocamur 416 n. 17
Radix meriti gratia Deique amor 310. nu. 21
Radix omnium malorum, Auaritia 337. n. 13

Digitized by Google

Redemptio hominis 155. numero 2
Redemptio noſtra indicat ſummam liberalitatem & iuſtitiam ibid. n.3
Redimi non potuit homo, niſi à homine Deo facto ibidem n. 2
Redemptio noſtra opus manuum Dei 171. n. 18
Regula actionum noſtrarum ſit Dei voluntas 718.num.8. & 9
Regnum Dei vænale 239. numero 25
Relapſus peccatoris 120.numero 18
Religioſi malæ vitæ 633. numero 19.
Res inanimæ obedientiam nos docent 572. n.19
Res terrenæ figuræ 1058.num. 32
Res humanæ vmbræ 1060. numero 34
Res terrenæ contẽnendæ 816. numero 6
Reprobus quis? 121. numero 19
Reprobationis ſignum detractio 39. num.16. & 422. nu. 24
Reprobatio 645. n. 29
Requies æterna paruo labore comparatur 20. n.17
Reſignationis exemplum 75. num. 14
Reſurrectio nobis Chriſtus 332. n.13.& 14.
Reſurrectione Chriſtus, Apoſtolos confirmauit 895. numero 12
Reuerentiæ ſignum exhibendum eſt, cùm canitur in Eccleſia, Incarnatus eſt de Spiritu ſancto 177.num. 24
Reges nouos honore & donis viſitant principes 428. numero 1.
Reges terreni exigua in ſe collata beneficia interdum magni æſtimant 429. n.2
Reges tres in illo Ethnico Arenua præfigurati 432.numero 6
Reges tres per ſpolia Damaſci & Samarię ſignificantur 434. n.8.& 9
Robur animi Stephani 227. n. 12
Ruinæ occaſio quomodo dicitur Ieſus 323. n. 2. & 3
Ruina duplex, alia Reparabilis, alia Irreparabilis 325. n.6.& 7.
Ruinæ cauſam omnia ſibi reprobus facit 330. numero 11
Ruina nobis vel reſurrectio res indifferens, iuxta bonum vel malum eius vſum 333.n. 12
Ruina noſtra malitiæ noſtræ adſcribenda 334. numero 15
Ruina an reſurrectio nobis Chriſtus ex animæ pulſu colligi poteſt 337.n.18

S.

Sacerdotis magna dignitas, poteſtas & priuilegiũ 1006. n.1.& 2
Sacerdoti poteſtas clauium eſt 1008.n 4. & 5

Digitized by Google

Sacerdotis potestas totam cõplectitur terram 1009.n.6
Sacerdotis admiranda potestas 1010.n.7
Sacerdos gratiam & gloriam dat 1011.n.7
Sacerdos, solo verbo Reges creat ibid.n.8
Sacerdos de mortuo viuum facit 1012.n.9
Sacerdos debet fulgere virtutibus ibid. n. 10
Sacerdos magno honore afficiendus est 1013.n.11.&12
Sacerdos Rex & pacis auctor 1015. n. 12
Sacerdoti obediendum ibid.& 1010.n. 18
Sacerdotes Dei pedes 1016. n. 13. & 14
Sacerdotes veteres typús pedũ Dei 1017. n.15
Sacerdos Angelus 1018. num. 16
Sacerdos, quibus virtutibus instructus esse debeat 1018. n. 16
Sacerdotes dij 1019. n.17
Sacerdos pupilla Dei 1020.nu. 18
Sacerdotes Deus non vult contemni ibid.
Sacerdotes multas ob causas honorandi 1021. n.19
Sacerdotum contẽptores graui mulctantur pœna 1025. n. 20
Sacerdotem Reges & Imperatores honorant 1025.numero 21
Sacerdotes quanto in primitiua Ecclesia in honore habiti 1025.n.21
Sacerdotes Deus honorat 1027. n. 22
Sacerdotis iniuriam vlciscitur Deus 1027. n. 23
Sacerdotis potestati non obtemperare, magnum malum est 3.n.3
Sacramenta Ecclesiæ, tanquam septem vasa suo sanguine plena nobis reliquit Christus 505. n. 15
Sacrarium Beatæ Virginis quã iuuat contemplari 858. nu. 23. & 24
Sagittæ amoris 183. nu.7.8.9
Sagitta potentissima, Pax vobis 886.n.5
Sagitta secunda, Infer digitum huc 891. n.10
Sagitta tertia, Affer manum tuam 902. n 18
Sagittis nos etiam petimur, sed non penetramur 907.n.21
Sagittã pacis confixus Thomas nũquam quieuit, donec pacem pluribus regionibus attulerit 888. nu.6
Sagitta pacis Thomæ infixa 892.n.10
Salutem nostrã omnibus modis Christus exoptat 498. n. 4
Salus à Deo, à nobis perditio 990. n.6
Sancti tanquam nubes contemnuntur 771.n.11
Sanctis Tyrãni materiã triumphi suppeditant 778. n.17
Sanctis amarum à Deo separari ibid.
Sancti mirantur, cur impij

Digitized by Google

prosperantur 220.n.5.6.8. & 14
Sanctis cœli ianua aperta, impijs clausa 221. n. 7
Sanctis infinita bona reseruantur 224. n. 10
Sanctitatis præsagium 938.n. 10
Sanguine Christi peccata eluēda Dauid præuidit 966. numero 6
Sanguinis Christi vis ibid. numero 6
Sanguinis diluuio peccata Christus obruit,& peccatori pepercit 9. n.8
Sanguinis effusio in cruce præsagium fuit passionis Domini 362. n.16
Sanitatis signum cibum retinere 725 n.15
Sapientes etiam viri tempus esse breue iudicant 1030. numero 4
Satisfactio fit infamiæ illatæ 40 n.16
Saulis Regis relapsus 120. numero 18
Scabiosus & scorpio detractor 42.n.20
Scelera sua impij latere Deum putant 6. n. 6
Scientiam cœlibes facilè acquirunt 806. n. 19
Scripturæ vis 113 nu. 11
Semen est verbum Dei 620. n.9 diuinos efficit homines ibidem num. 10
Semen Dæmonis, Dæmones procreat 622 n.11
Semina gratiæ peccata suffocant 629. n.16
Semina bona in zizania mutata 63. num.17
Semen verbum Dei, vt crescat purgandus animus est 712. num.1.
Semen quale, talis fructus 717. num 6
Semen difficulter suscipit, qui odit proximum 724. numero 14
Semen Dei retinere, signum salutis 725. nu 15
Sententia iudicis in impios 21. n.18. eius terror obstupefacit ipsos etiam cœlites 721. num. 18.
Sententiam mortis statim in se ferri homo sentit 93. numero 6
Sententia charitatis 163. numero 11
Sermo Dei viuus 714. numero 5
Serpens & detractor æquales 42. n. 19.
Seruus Dei cœcus 50. numero 8
Sibilo vno tres simul interficit detractor 41. numero 18
Signa veri amoris in Stephano 217. n. 3
Signum reprobationis detrahere 42.n. 16
Silentium laus Dei maxima 368. n.2
Simeonis de Iesu prædictio 322. n.1 & 324.n.5
Similitudo Ioannis Baptistæ cum Christo 79 n.5. & 8
Similia Cherubinorum,& quos Deus in præcipua cœli parte collocare statuit 269. numero

Digitized by Google

mero 16
Similia Aquilæ & Christi 266. num. 12
Volucrum & Ioannis Euangelistæ 281. numero 11
Ignis flabellis accensi, & Stephani persecutionis fornace exerciti 267. numero 12
Iacobi singulis filiorum portionem suam testamento diuidentis & Christi 287. numero 19
Stomachi perturbati & peccatoris 512. numero 914
Famelici & peccatoris cui Diabolus peccati poculum propinat 512. numero 14
Maris & Christi 176. numero 23
Bouium œstro agitatarum & hominis, hæresi, auaritia, &c. infecti 167. numero 15.
Sampsonis ex fœtentis leonis ore fauum extrahentis, & Dei ex fœtenti peccatorũ nostrorum sentina mel depromentis 330. numero 9
Matris ad currendum prouocantis prolem suam, & Dei nos docere volentis in via mandatorum suorum 551. n. 1
Inimici in insidijs operientis hostem suum, & Dæmonis sub pallio zizaniorum venenum occultantis 628. num. 15.
Ignis omnia penetrantis, & oculorum Christi omnia peruadentium 5. numero 6
Sinum triplicem Christus occupauit, Patris, Matris, & Ioannis Euangelistæ 509. num. 20
Sitis animæ ingens, vt de aquis Saluatoris bibat 175. num. 22
Sodales mali euitandi 802. n. 15
Sodomitæ cœci 50. numero 8
Sol retrò abijt decem gradibus olim, hodie festinat 440. n. 13.
Sors prædestinatorum 986. num 1
Sors reproborum ibidem, & 988. n 5
Sorti diuersæ diuersa respondent stipendia ibid.
Sortem æternam eligere liberi arbitrij est 990. numero 5
Spiritus Sancti gratia à detractore fugit 39. numero 16
Spes diuini verbi fructus 658. num. 11.
Spes Anchora ibid.
Spes diuina, certa: fallax, humana 659. numero 12
Spei diuinæ certitudo 781. num. 19
Spolia Samariæ & Damasci tres Reges 434. numero 8

Digitized by Google

Sponſæ obligatio ad amorem & gratiarum actionem 917. n. 6
Sponſæ amori dona reſpondent ibidem
Sponſæ ſuæ Deus ſua communicat attributa 919. numer. 1
Sponſæ ornamenta animi 934. n. 6
Sponſæ amor in ſponſum magnus 936. n. 9
Sponſi bona communia ſunt ſponſæ 934. n. 7
Sponſi menſa eſt conſcientia ſine dolo & fraude 146. nu. 28
Statera filij hominum doloſa 49. n. 7
Statuæ immobiles ſumus in bono opere 692. n. 11
Stellas tanquam præmia Ieſus Chriſtus porrigit 18. n. 17
Stella prima præmij, Venite ibidem
Stella ſecunda, Benedicti 19. n. 17
Stella tertia, Patris mei ibidem
Stella quarta, Poſſidete ibid.
Stella quinta, Regnum ibidem
Stella ſexta, vobis paratũ ibid.
Stella ſeptima, A conſtitutione mundi 20. nu. 17
Stella qua vocamur à Deo, Ratio 416. n. 17
Stella, Fides ibid. & 418. n. 18. & 419. n. 19
Stellam viæ ducem multi non ſequuntur 420. nu. 21
Stella apparente vocantem ſequimur, ſed tempore tentationis & perſecutionis recedimus 422. n. 23
Stellam non ſequi reprobationis ſignum 422. numero 24
Stellam alij eminus contemplantur, non tamen ſequũtur eam 414. n. 26
Stellam videre non eſt ſatis, ſed eam ſequi oportet 426. n. 27
Stellæ multæ nos inuitant ad Chriſtum 444. n. 17
Stella gratia præueniens 445. n. 18
Stellas non ſequimur ſed cometas nociuos 446. num. 19
Stella tribulationis 448. num. 21
Stella magna Eccleſiæ præſules ſignificat 632. numer. 18
Stephanus vidit cœlos apertos 230. n. 17
Stephani patientia 227. nu. 13. & 230. n. 17
Stephanus Chriſto ſimilis 234. n 21
Stephanus vna manu opus faciebat, altera gladium tenebat & pugnabat 243. n. 2. & 244. n. 3
Stephani oratio 244. num. 5. 6. 7. 8. & 10
Stephani oratio à Chriſti oratione efficaciam accepit 248. n. 9
Stephani animi magnitudo 219. n. 2

Digitized by Google

Stephani charitas in inimicos ibid.n.3
Stephanus palmæ comparatur 249.n.10.& 12
Stephano palma debetur præ omnibus martyribus, quia difficiliora gessit bella 251. n.11
Stephani charitas sanguine proprio extingui non potuit 252.n.13
Stephanus exemplo suo docet vindictam non esse expetendam 253.nu.14
Stephanus in condonandis inimicis Christum imitatur 255.n.1
Stephani fidei soliditas in perferendis inimicis 267. nu. 13
Stephanus docet inimicos diligendos 271.n.18
Stephanus horologium cœlesti illi simile 234.n.21
Strena Iesu liber nobis datus 346. num. 1. & 348.nu.4.5. 6
Struthioni multi similes sunt 638.n.24
Stultus qui tunc incipit, cùm perfectus esse debet 706.n. 21
Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes 764. 2
Superioris ductum sequi, nihil securius 825.n.16
Superior quas virtutes habere debet 998.n.13
Superbus & Deus simul esse non possunt 465. numero 5.&6
Superbis Deus gratiam negat 95.n.8
Superbis Deus resistit 464.n. 4
Superbiæ vena 342. numero 24
Superbia nihil peius, cui Deus bellum indicit 463.numer. 4
Superbia Deo displicet, humilitas placet 84.n.10
Superbia in homine maximum peccatum est 464. n. 4
Superbia nihil aliud nisi peruersæ celsitudinis appetitus ibidem.
Superbiæ vitium ab ipsa mox radice resecandum 465.nu. 4
Surdi audiunt 64.n.5
Surdum curare, clarum est diuinitatis Christi signum 65. n. 5
Surdas animæ aures aperire conatur Deus 65. numero 6
Suibus peccator similis 30.n. 7
Sinapis granum sese in altum attollit 651. numero 4
Sinapis grani vis 679. num. 32

T.

Tactus mulieris periculosus 980.n.19
Tempus misericordiæ nunc, tunc iudicij iustitiæ 11.numer.9

Digitized by Google

Temporis ratio reddenda 15. n.13
Tempus breue 1029. nu.3.& 4
Tentatio prouentum facit 236.n.23.24
Terra exterius pulchra, intus plena ſordibus 32.numero 2
Terræ affixa anima, terrea euadit 104. num. 18. 19
Terror ſententiæ in impios ipſos cœlites obſtupefacit 21 n 18
Teſtes noſtrorum ſcelerum creaturæ erunt 16.numer. 15
Theſaurus gratiarum ſub Chriſti panniculis 191.nu. 15
Theſaurus hic nobis proponitur expilandus ibidem. Vna lachryma emitur 193. n.16. Facilè Chriſto rapitur 194.n 17.
Thomæ Apoſtoli incredulitas plus profuit, quam reliquorum Apoſtolorum credulitas 883.n.1
Thomæ triplicem pacem amiſſam Chriſtus reſtituit 884.n.2
Thomas vniuerſum terrarum orbem percurrit 889 num. 7
Thomas tres Magos baptizauit, quos prædicationis ſuæ ſocios habuit 888. numero 6
Thomas nuſquam quicuit ſagitta affixus 888. num. 6. &8
Thomas ſagitta configitur 892.n.10
Thomas more Eliæ flumen diuiſit 901.n.17
Thomæ manus è Chriſti latere virtutem ſumpſit 903.n. 18.& 905.n.20
Thomas fuit architectus 904. n.19
Thomas in operando & benefaciendo celerrimus fuit ibidem
Thomæ ſepulchrum miraculo inſigne 910.n.24
Throni iudicantis deſcriptio 1.n.1
Timor Dei plurimùm prodeſt 856.n.21
Timor iudicis & aſpectus exemplis augetur 8. num. 8
Tobias ſuo nos docet exemplo Deum venerari 171.nu. 19
Tormenta inferni æterna ſunt 229.n.16
Tria ſapienti difficilia, quartum penitus ignorat 298. n.5
Tribulatio prodeſt 226.n.12
Tres Reges Apoſtolo Thomæ in prædicando Euangelio ſocij fuerunt 888.n.6
Tres victorias reportaturum Meſſiam indicat Iſaias 135. n.9
Tribulationis ſtellæ, quibus ad Deum ducimur 448.nu. 21
Tribulationes Iobo glorioſæ 449 n.22

Tribu

Digitized by Google

Tribulationes faciunt nos ad Deum currere ibidem. nu. 23
Tribulationum lapides Dauid in pastorali pera sua habuit 450.n.23
Tribulatis adest Dei auxilium 239.n.25
Tribulationibus variis Andreas ad crucem paratur 775 n.14
Tributa quæ à nobis Deus exigit, nobis vtilia, non illi 166.n.14
Trinitatis mysterium Opalus refert 350.n.5
Trinitatis scriba Veritas 157. n.5
Trinitatis concilium ibidem
Trino Deo tria cubicula in corde nostro extruenda 144. n 26
Triticum Dei sunt boni, ex quo fit diuinæ mensæ cibus delicatus 618.nu.6
Tubis corruit Hierico, Apostolorum prædicatione idololatria 774. numero 13
Turris fortitudinis Iesus 381. n.18
Tyrannus homo nascens 100. n. 14
Tyranni persecutione triumphi materiam sanctis præbent 778.n.17
Tyranni Ægeæ durum pectus 776.n.15
Tyranni Neronis persecutio 602.n.24
Tyranni in inferni focum coniiciuntur tandem, sicut virgæ consumpta in ignem 610.n.29

V.

Vbera Iesus lacte cœlesti plena electis porrigit 206.nu.9.& 11
Vber benignitatis 107.n.10. 11
Vber humanitatis ibidem.n. 11
Vbera ad sua puer Iesus nos inuitat 208.n.11
Vbertas sibi sæpè officit 235. n.22
Vena concupiscentiæ 339.n. 20
Vena auaritiæ 337. numero 18
Vena inuidiæ 340. numero 22
Vena superbiæ 342. numero 24
Venale Dei regnum 239.nu. 25
Venenum ex bono eliciunt mali 330. numero 10
Ventorum contrariorum pugna 557 n.7
Verborum ratio danda 11.n. 10
Verba arguunt hominem 99. n.12
Verbi diuini effectus 108.n.6. 7.8
Verbi diuini vis magna 114. numero 13. & 619.nu. 8
Verbum al breuiatum 181 n 4

Digitized by Google

Verbum caro factum, vt pro homine satisfaceret 201.n. 5. & vt ex bruto homo, & ex homine Deus fieret 208. n.12
Verbum Dei insequitur Isaias 279.n.9
Verbum Dei insequuntur, Marcus, Lucas, Matthæus, Paulus 280.n.10
Verbum Dei insequitur Ioannes & assequitur 281. num. 11. 12. & in terram delatum pullis distribuit 282. n.13
Verbum diuinum Deum quodammodo parit 620. numero 9
Verbum diuinum efficit diuinos 621.n.10
Verbum diuinum est lignum vitæ 650.n.3
Verbum diuinum est granum sinapis 651.n 4
Verbum diuinum est magnæ virtutis 652.n.5
Verbum diuinum est dulce 654.n 6
Verbum diuinum est salutaris bolus, licet in stomacho amarus 655.n.7
Verbi diuini fructus fides 656. num. 8. & 10. & spes 658. num. 11. & charitas 660. num.13. & calefactio totius animæ 663.nu.17. & liquefactio 667. num. 18.19 illuminatio 668.num 20. mundities animi 670. num. 21. 22. animæ sustentatio 672. num 23 animæ necessarium 673.n.24
Verbum Dei gladius 674. nu. 26
Verbum Dei Medicina 676. num.27
Verbi Dei fructus, Dei filiatio 676 n.28
Verbum Dei non tanquam hominis, sed tanquam Dei excipiendum 677.n 29
Verbum Dei operatur pondus bonorum operum 678. nu. 30
Verbum Dei vix in nobis facit fructum, cùm tot sint eius effectus 679.n.31
Verbi Dei magnavis 679.nu. 31. 33
Verbi Dei vis admiranda 715. numero 5. & 720. num. 10. & 11
Verbo Dei obediunt res inanimæ 721.n.11
Verbum Dei nolumus suscipere, vt bene agamus 723.nu. 13
Verbum Dei respuit, qui proximum odit 724 n.14
Verbum Dei retinere signum est salutis 725.n.15
Verbum Dei ab animi sensu rapit Dæmon 727.n.17
Verbi sensus raptores ibid.
Verbum Dei cor durum respuit 728.n.18.19
Verbum Dei auarus non suscipit 731.n.21
Verbum Dei purgat, licet non retundatur 736.n.23
Verbum Dei reiicere signum est damnationis 725. num. 15
Verbi Dei iectio mortis signum

Digitized by Google

ſignum 840.n.6
Verba ſcripturæ claui 845. n. 12
Veritas Trinitatis ſcriba 157. num.5
Veritas & pax, & miſericordia & iuſtitia reconciliantur 163.n.11
Veſtium luxus multa mala ſecum defert 31.n.8
Veſtis pretioſa animæ, Chriſtus 33.n.9
Veſtis Ioannis ibidem num. 10
Veſtes mulierum virtutes ibidem
Veſtes quales ſimus docent 98.n.12
Veſtis nuptialis amor 274.nu. 2. illa fuit indutus Ioannes ibidem
Via ad bonum & malum vita cuiuſque 701.n.17
Viæ finis conſiderandus ibidem
Vias omnes viri Ioannes docet 306.n.16
Viam mauis ſubtiliter inuenit Ioannes 305.n.14
Viam viri in adoleſcentia Ioannes nobis monſtrauit ibid.n.15.16
Viam colubri ſcitè indagat Ioannes 303.n.12
Viam Chriſti ingredi debemus niſi periculosè ambulare velimus 568. numero 15
Via Chriſti prima, Humilitas 569.n.16.
Via Chriſti ſecunda, Obedientia 571.n.18
Via Chriſti tertia, Martyrium 573.n.20
Via Chriſti quarta, Conſcientiæ candor 574. numero 21
Vinculo charitatis copulati Dæmonis vincula perfringere oportet 722. numero 12
Victima ſaginata impij 239. n.26
Vindicta in libidinoſos quanta 524.n.24
Vindictam non expetere decet 253.n.14
Vindictæ venenum è pectoribus noſtris extirpandum 266.n 11
Vindicta ob numeratum populum 431.n.5
Vindictæ ictus timendus 15. n.15
Vindictam olim Deus ſpirabat, nunc miſericordiam 186.n.12
Victoriæ Meſſiæ tres 135. numero 9
Vigiles habeat anima 1068. n. 43
Vigilando omnes proficiunt 1070.n.46
Vigilandum nobis 1064.n.39. 40.41
Vigilantiæ exempla 1067. numero 4. & 1073. numero 10
Vinum gratiæ Maria nobis impetrat 504.num. 10.infectum veneno Dæmon porrigit 513. num. 15. delectabile prius, poſtea amarum nobis propinat 510.nu.14. & 514.

Digitized by Google

& 514.num.16.17
Vinum à Deo petendum & impetrabimus 526.numero 20
Virga in ignem coniicitur tandem 610.n.29
Virgo exempta fuit à purificationis lege 947.n.2
Virginum iugum commendat Christus 287. numero 19
Virginitàs humilis Dei filium in vterũ traxit virginis 914. num.4
Virginitas comparatur rosæ, vt coniugium spinæ ibidem
Virginitas sine humilitate non prodest 923. numero 12
Virgo virginum Maria 920. num.9
Virginitatis illustre exemplum 927.n.15
Viri & vxoris coniunctio iucunda 516.n.18
Virtutum proles 915 n.5
Virtutes quas superior habere debet 998.n.13
Virtutibus Deus animam exornat 791.n.4
Virtutes maiorum obscurare turpe est 795.n.8
Virtus & gratia infimo loco natos nobilitat ibidem numero 9
Virtutum semen, vt referat animæ agger purgandus 712. num.1
Visio Ioannis, qua explicatur maiestas, potestas & securitas iudicis 3.n.3
Visio pulchra obiecta cuidam Episcopo 914 n.13
Vis diuinæ vocis & gratiæ 108.n.6
Vis magna sacræ scripturæ 113.n.11
Vis magna diuini verbi 114. n.13
Vitæ caducæ similitudo 1059. n.33
Vitæ breuitas ad oculum ostẽditur 96.n 8
Vita hominis quàm vana & & fugax sit 197 n.10
Vita præsens status misericordiæ 17.n 16
Vita hominis scintilla inter tenebras 96.n.9
Vitæ bonæ potius, quàm cognationibus in electione est habenda ratio 994 numero 10
Vitia detegit detractor & virtutes eleuet 41 n.18
Viuus est sermo Dei 714. numero 5
Viuendum sobriè, iustè ac piè 972.n.13
Vltionis Deus olim, modò misericordiæ 900.n.16
Vmbræ humana omnia 1060. n 33
Vocatio nostra per rationem 416.n.17
Vocationem deserere periculosum 703.n.19
Vocat Deus quemlibet & qualibet ætatis hora 704.num. 20
Volatus Ioannis Euangelistæ arduus 301 n.9
Voluntas bona magnum munus

Digitized by Google

nus 429 n.3
Voluntas passionibus & amore proprio obcœcata nescit Christum sequi 685. num. 5.6
Voluntas diuina sit regula actionum nostrarum 718. n.8.9
Voluptatibus nihil vanius 501. n.6.7
Vomitum Deo procuramus 293.n.25
Voti violati horribile exemplum 411.n 9
Vox iudicis formidolosa 6.n. 7.8
Voce Christi excitamur 110. n 9
Vocis Christi vis 112.n.11
Vox diuina conscientias aperit 111.n.12
Vocis Ioannis Euangelistæ vis ibid.
Vulnera quatuor animæ inflicta nos retardant à sequela Christi 687.n.7.8
Vultus pigmentis mutare iniuria est in Deum 960 n 8

Z

Zelus ac liuor 467.n.7
Zizania bono semini Deus non superseminat 616.numero 3
Zizania illecebrarum 624.nu. 12
Zizania tritico in Ecclesia irrepsisse deplorat Oseas 629. n.16
in Zizania bona semina esse mutata deflet Ieremias 630. n 17
Zona aurea significat motus carnis reprimendos 4.n.4

FINIS.

BIBLIOTECA ROMA VI
VICOLO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google